image
not
available

ANNALES
MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

165

Digitized by Google

ANNALES MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS PRIMUS

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.^{mi} P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

S. T. Lect. Jubilati, S. & U. Inquiſitionis Conſultoris, S. C. Conſiſtor. Votantis, Epiſcop. Examinatoris, Ord. Diſcreti, & in Rom. Curia Commiſs. Generalis.



Andrea Roſsi faciebat Rom. 1731.

ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXI.)(*Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



Digitized by Google

SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia

FELICITATEM.

EDITURUS *Annalium Seraphicorum volumina, cujus auctorem Operis Patrem Lucam Waddingum, non de noſtra Sodalitate ſolum, verum etiam de Catholica Eccleſia bene mereri, eruditorum judicio vul-*

gatum

Digitized by Google

gatum eſt, auſpiciis Tuis, Beatissime Pater, *tantæ molis opus aggredior, ſuſceptumque, Te hortante, conſilium, quod bene vertat, alacris, erectuſque perficio. Hanc enim Tuam, quæ legis maximæ loco apud me fuit, voluntatem ſignificaſti, antequam ad tantum culmen Principatus aſcenderes, ac totius Chriſtianæ Reipublicæ curam capeſſeres: cum pro eximia illa, qua Ordinem noſtrum complecteris, caritate, ejuſdem gloriam & decus, nova rerum ab eo geſtarum evulgatione, amplificare contenderes. Quæ cauſa una, etiam ſi nihil aliud accederet, me ad hoc munus alacriter obeundum compellere debuiſſet; amor ille videlicet, quo tot annos ejuſdem Ordinis, fauſtiſſimo* Protectoris *nomine, curam geſſiſti; quo ſemper incenſus univerſam Familiam noſtram ingentibus beneficiis cumulare, privatis publiciſque honoris teſtimoniis ornare nullo unquam tempore deſiiſti. Hoc vero tempore, cum in ſuprema ſis humanæ dignitatis arce conſtitutus;*

cum-

cumque tantam negotiorum molem ſuſtineas; ac velut e ſublimi aliqua ſpecula univerſum hunc Terræ ambitum mentis oculis perluſtres; neque ſic tamen ipſius Ordinis, quem tantopere adamaras; procurationem abjeceris; ſed eum nihilominus retento Protectoris *nomine benigniſſime tuearis: certiſſimum argumentum, & indicium præbes, nihil a nobis* Sanctitati Tuæ *his Annalibus acceptius, nihil item tali* Pontifici *convenientius dicari potuiſſe. Quibus, cum Patrum noſtrorum, qui vel doctrinæ, vel ſanctitatis laude floruerunt, facta contineantur; cum ampliſſimæ legationes pro Romana Sede ad Reges, & Principes ab iis obitæ referantur: quis non intelligat, Te inde maximam voluptatem percepturum, ſi præclara hæc Ordinis noſtri de Eccleſia Catholica optime meriti monumenta ad omnem poſteritatis memoriam propagentur? Vides* Beatissime Pater, *quibus cauſis permotus fuerim, ut hæc volumina* Sanctitati Tuæ *totius Ordinis nomine de-*

dica-

Digitized by Google

dicarem. Huc accedit præcipua quædam & peculiaris ratio, officii ſcilicet erga Te mei, animique beneficiorum memoris, quoad poſſum, & mihi licet, ſignificandi. Tam multa enim, tamque illuſtria beneficentiæ erga me Tuæ argumenta oſtendiſti, partim dum Cardinalis *munere fungereris, partim ex quo* Pontificis Maximi *dignitatem es conſecutus; ut ſingularibus quidem verbis gratias agere Tibi poſſim, referre autem, cum pro virium mearum tenuitate, tum pro Tuorum beneficiorum magnitudine, numquam poſſim. Quidquid ego in hoc Ordine, quidquid in Urbe ſum, id magna ex parte de Tuo fonte fluxiſſe profiteor. Itaque tibi potiſſimum acceptum refero, quod primum Familiæ noſtræ rationibus procurandis ſumma cum poteſtate præfectus fuerim; quod deinde, coactis Mediolani Generalibus Comitiis, munus idem a Patribus, eamdemque provinciam, in hac ipſa Romana Curia adminiſtrandam, acceperim; quod me denique* Benedictus XIII.

De-

Deceſſor Tuus ad ampliſſimos in Urbanis Magiſtratibus honorum gradus evexerit. Ac ne ullum mihi a SANCTITATE TUA *benevolentiæ officium deeſſe videretur; poſteaquam* PONTIFICATUM *ſuſcepiſti, Tu me inter Epiſcoporum Examinatores, quod munus ceterorum omnium honeſtiſſimum jure habetur, cooptandum eſſe decreviſti. Quæ beneficia cum mecum reputo, quibuſdam veluti ſtimulis impelli me ſentio, ut eorum memoriam litteris mandare conſtituam, &, quantum fieri per me poteſt, ad immortalitatem producam. Id vero mihi hac Annalium editione perficere viſum eſt, quos æternum grati animi pignus, & argumentum* SANCTITATI TUÆ *conſecratos in lucem emitto: &, quod nunc ſupereſt, ſumma cum animi demiſſione* SANCTISSIMOS PEDES TUOS *deoſculatus, precor* DEUM OPTIMUM MAXIMUM, *ut curas omnes Tuas, & cogitata fortunet.*

CLEMENS PP. XII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CUm, ſicut dilectus filius *Joſephus Maria ab Ebora* frater expreſſe profeſsus, ac Commiſſarius Curiæ Ordinis fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ipſe *juſſu noſtro* Annales ejuſdem Ordinis a quondam Luca Waddingo, dum vixit, fratre expreſſe profeſſo Ordinis præfati compoſitos una cum Additionibus, & Supplementis per eumdem Joſephum Mariam jam præparatis, *prout a Capitulis Generalibus, & ſpecialiter a bo: me: Laurentio, dum pariter vixit S. R. E. Cardinale Cozza nuncupato, tunc temporis Miniſtro Generali Ordinis hujuſmodi ſibi injunctum fuerat*, typis in hac Alma Urbe noſtra mandare intendat: vereatur autem, ne poſtquam in lucem prodierint, alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, dictos Annales in dicti Ordinis, ac Benefactorum, qui ad hoc tam grave negotium operam, & ſumptus conferunt, præjudicium, iterum imprimi facere curent: Nos eorumdem Ordinis, & Benefactorum indemnitati providere, ipſumque Joſephum Mariam ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & Pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Joſepho Mariæ, ut decennio proximo, a primæva dictorum Annalium impreſſione computando, durante, dummodo tamen illi prius a dilecto quoque filio Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici approbati ſint, nemo tam in Urbe præfata, quam in reliquo Statu Eccleſiaſtico mediate, vel immediate Nobis ſubjecto eoſdem Annales, & illorum Additiones, ac Supplementa, ſine ſpeciali dicti Joſephi Mariæ, aut ab eo cauſam habentium licentia imprimere, aut ab alio, ſeu aliis impreſſos vendere, aut venales habere, ſeu proponere poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, præſertim librorum Impreſſoribus, & Bibliopolis ſub quingentorum Ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium pro una Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & pro alia eidem Ordini, ac pro reliqua tertiis partibus accuſatori, & Judici exequenti irremiſſibiliter applicandorum, & eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis pœnis, ne decennio præfato durante Annales hujuſmodi, aut aliquam illorum partem ſine hujuſmodi licentia imprimere, aut ab aliis impreſſos vendere, ſeu venales habere, vel proponere quoquomodo audeant, ſeu præſumant. Mandantes propterea dilectis filiis noſtris, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, aut Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis juſtitiæ Miniſtris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & Locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici præfati, quatenus eidem Joſepho Mariæ, ſeu ab eo cauſam habentibus præfatis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocumque ab eodem Joſepho Maria requiſiti fuerint, pœnas præfatas contra quoſcumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam in ipſis libris impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Auguſti MDCCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

F. Cardinalis Oliverius.

ERU-

ERUDITO LECTORI.

ANNALIUM Seraphicorum Patris Lucæ Waddingi Regularis Obſervantiæ S. Franciſci, viri cumprimis eruditi, deque Republica litteraria optime meriti, uſque adeo pauca ſuperſunt exemplaria, ut adornandæ editionis novæ mihi mentem injecerit eorumdem inopia, & doctorum hominum obſequendi votis ſtudium ingens meum atque voluntas. In hac vero editione multa mihi, cum operis perficiendi, tum publicæ utilitatis cauſa præſtanda fuerunt. Primum enim Waddingi Vitam, quam Pater Franciſcus Haroldus compoſuit, primo Volumini præfixi: deinde Summorum Pontificum Bullas aliquot, nec hactenus cum Waddingo editas, inter Regeſta conjeci. Denique, cum multa ab Auctore initio prætermiſſa, deinde addita, & ad multorum Tomorum calcem rejecta ſuis locis inſerui; tum etiam Supplementa Patris Antonii Meliſſani Strictioris Obſervantiæ Auguſtæ Taurinorum edita anno MDCCX. & alia quædam nondum typis vulgata, ut Hiſtoriam Seraphicam novis monumentis non ornarem modo, ſed pro virili parte complerem, adjungenda eſſe judicavi. Hæc omnia ad Annales Waddingi omnino pertinent, quos ipſe voluminibus octo complexus eſt, nos vero in duodecim cum auctiores, tum emendatiores diſtribuemus. Plura

tibi ad hiſtoriam Seraphicam pertinentia deinceps dabimus. Nam & criticæ animadverſiones in Opus Waddingi, & quæ ſubinde ejuſdem Continuator conſequentium annorum commentaria ſuppeditabit, iiſdem typis edenda ſunt. Jam enim opus urgetur, primumque volumen, antequam Waddingi editio abſolvatur, ac fortaſſe etiam plura, Deo bene juvante, expedientur. Illud etiam tibi ſignificandum exiſtimavi, de Monachatu Divi Franciſci diſputationem, quæ in Lugdunenſi editione ad primum Tomum Waddingi pertinet, in hac noſtra ad ſecundum rejectam eſſe, tum ne volumen plus juſto creſceret, tum ut illam cum nupera defenſione conjungerem, qua poſt Annales jam editos ſeparatim vulgata, Patris Thomæ de Herrera contra primum ſuum Apologeticum argumenta Waddingus ipſe diſſolvit. Vale, & conatus meos, quibus Eccleſiaſticæ ſimul, ac Seraphicæ hiſtoriæ Studioſis prodeſſe cupio, æqui bonique conſule.

AP-

APPROBATIO
R.^MI P. F. MATTHÆI A PARETA
Reg. Obſ. S.Franciſci S.Theologiæ Lectoris Jubilati, Sac.Congr. Rituum & Indicis Conſultoris, S. & U. Inquiſitionis Qualificatoris, Ex-Miniſtri Generalis, & Eccleſiæ Panormitanæ in Regno Siciliæ Archiepiſcopi electi.

ANnales Ordinis Minorum, eximium Opus P. Lucæ Waddingi, a viris doctis, atque eruditis magnis elogiis celebratos, atque ab iiſdem ob ſummam exemplarium infrequentiam pene jam fruſtra conquiſitos, cum ad eorum commodum, totiuſque Reipublicæ litterariæ utilitatem, multis, ac variis additionibus auctos Rñus P. Joſeph ab Ebora iterum edere conſtituerit, injunctum mihi eſt a Rño P. Joanne de Soto, totius noſtri Ordinis Miniſtro Generali, ut meam de hac nova editione ſententiam proferam. Cujus quidem juſſibus, ut par eſt, obtemperando, dico paucis, hanc novam horum Annalium editionem non modo nihil afferre, quod quidpiam detrimenti, aut offenſionis parere umquam poſſit, verum omnino utilem, opportunam, gratiſſimam omnibus, atque acceptiſſimam evaſuram. Ita cenſebam Romæ in Conventu Aracœlitano die x. Maji MDCCXXXI.

F. Matthæus a Pareta Ex-Miniſter Generalis.

APPROBATIO
R.^MI P. F. JOANNIS A PETRAFITTA
Strict. Obſerv. S.Franciſci Sacræ Theologiæ Lectoris Emeriti, Ex-Procuratoris, & Ex-V. Commiſſarii Generalis, nec non Diſcreti perpetui Ordinis.

MAndante Rño Patre noſtro Joanne de Soto totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro, ut de nova Annalium Seraphicorum Patris Lucæ Waddingi editione, opera, atque ſtudio Rñi Patris Joſephi Mariæ ab Ebora in Romana Curia Commiſſarii Generalis quamprimum ſuſcipienda, meum judicium aperirem; eam Reipublicæ litterariæ cum primis utilem, & Ordini præſertim noſtro neceſſariam omnino cenſui: non ſolum quod hujus Operis exemplarium penuria laboremus, verum etiam quod additiones quamplurimæ, ac ſupplementa ſuis locis inſerta, quæque alia ipſe ſe præſtiturum pollicetur, ornamentum eidem Operi non mediocre ſint allatura: quæ omnia cum nihil Orthodoxæ fidei, boniſque moribus adverſum contineant poſſe prælo mandari cenſeo. Romæ ex Conventu S. Franciſci Tranſtyberim die x. Maji MDCCXXXI.

Fr. Joannes a Petrafitta Ex-V. Commiſſarius Generalis, & Diſcretus perpetuus Ordinis.

FA-

FACULTAS ORDINIS.

FR. JOANNES DE SOTO

Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, Catholicæ Majeſtatis in Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologus, & totius Ordinis S.P.N.Franciſci Miniſter Generalis, & Servus.

CUm, ut accepimus, Reverendiſſimus P. F. Joſeph Maria ab Ebora, in Romana Curia Commiſſarius Generalis, Ordinis noſtri Annales a P. Luca Waddingo elaboratos nova accuratiori eruditione illuſtrare, & ſupplementis, ac additionibus nonnullis augere intendat; Nos laborem hunc, Ordini univerſo maxime utilem, & opportunum, plurimum in Domino commendantes, præhabito conſilio Reverendiſſimorum PP. FF. Matthæi a Pareta ex-Miniſtri Generalis, & Joannis a Petrafitta Ultramontanæ Familiæ ex-Commiſſarii Generalis, & prævia ipſorum approbatione, eidem Reverendiſſimo Patre Joſepho cum ſalutaris obedientiæ merito, & noſtra ſpeciali benedictione harum ſerie concedimus, ut Annales cum ſupplementis, ut ſupra, ſervatis alias ſervandis, evulgare poſſit & valeat &c.
Dat. Valliſoleti apud S. Franciſcum die XXIX. Julii MDCCXXXI.

Fr. Joannes de Soto Miniſter Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato P. S. Reverendiſſimæ

F. Jo. Franciſcus a Sorrexina Secretarius Generalis Ordinis.

Reg. tit. Provinciæ.

REIM-

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

ADPROBATIO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

JUSTI FONTANINI

ARCHIEPISCOPI ANCYRANI

LUCÆ Waddingi, viri clari, Annalium Ordinis Minorum, ex prima editione Lugdunenſi anni MDCXXV. tomum primum, ab anno Chriſti Domini 1208. ad annum 1250. perductum, ſummorum Pontificum literis ſpiſſe refertum, nulliſque figuris ornatum, nunc Romæ recuſum, quem Reverendiſſimus Pater Magiſter ſacri Palatii mihi recognoſcendum commiſit, legi & probavi.

Dabam Romæ die x. Septembris 1731.

Ego Juſtus Archiepiſcopus Ancyranus.

AP-

APPROBATIO
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI
NICOLAI FORTIGUERRA

Utriuſque Signaturæ Referendarii, SSmi D. N. Prælati Domeſtici, & S. Congr. de Propaganda Fide Secretarii.

NUllam ego puto inventam fuiſſe ab hominibus utiliorem rem, atque præſtantiorem hiſtoria: nam præter quam quod ab injuria voraciſſimi temporis, & ab ipſa morte corruptibile, ac fluxum genus hominum vindicat, quum actiones etiam illorum, quaſi picturas quaſdam, ante juvenum oculos repræſentet, habent generoſa pectora in quo recreentur, & unde ſimul in omnem uſum apta ſibi ſumant exempla. Quod ſingulare quidem, atque præclariſſimum beneficium, etſi pergratum omnibus eſſe ſciam, illis certe gratiſſimum eſſe non dubito, de quorum vel Civitate, vel Republica hiſtoriam ſcriptam legere aliquando contingat. Hoc enim habent propriæ, præcipuæque, ſive voluptates, ſive ægritudines, ut ſolito gaudio, ſolitoque mœrore nos tangant: communes vero, publicæque non ita, etiam ſi noſtros animos ad miſericordiam, ſeu ad conſolationem inclinent. Quod cum ita conſtet: quibus laudibus Lucæ Waddingi Annales non celebrabimus, qui cum publicam, tum privatam ſui præſtantiſſimi Ordinis hiſtoriam complectuntur? Quibus omnibus dum cumulate ſatisfacit, non modo a ſuis ſingularem ſibi gratiam inivit, verum apud eruditos omnes in pretio, atque honore maximo eſt habitus. Ex quo factum eſt, ut Annales illi e Lugdunenſi Typographia in lucem prodeuntes adeo vehementi delectatione legentium animos permulxerint, ut de tam multis nullum omnino exemplum ad nos permanere potuerit. Erat igitur noſtro prælo literarium hoc detrimentum reficiendum, & proxima hujuſcemodi librorum abundantia, priſtina Italiæ paupertate compenſata, præteriti incommodi dolor mitigandus: at qui tantam cogitationem, laborem, ſtudium, moleſtiam in ſe derivare vellet, nemo reperiebatur. Cum de improviſo (Clemente XII. P. O. M. addente animos) Reverendiſsimus P. Joſeph ab Ebora Franciſcanæ Familiæ ſpectatiſſimum ornamentum & decus, tam apertum, atque inſigne periculum alacri animo & expedito adire non dubitavit. Et utinam rem tantam, & tam belle auſpicatam feliciſſime proſequatur, & ad umbilicum uſque perducat: quod ſi fecerit, quemadmodum ſperare nos juvat, ſi gratus animus in hominibus adhuc ſpirat, maximi hujus beneficii, neque apud nos, neque apud poſteros jucundiſſimam ſane memoriam ullo tempore interituram confido. Hæc mea eſt ſententia, ſic animum induco meum.

Ex ſacris Ædibus Propagandæ Fidei xvii. Kal. Octobris MDCCXXXI.

Nicolaus Fortiguerra.

REIMPRIMATUR.

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

P. FR.

P. FR. LUCÆ WADDINGI
VITA
A
P. FR. FRANCISCO HAROLDO
CONSCRIPTA.

EA eſt Hibernia totius Europæ in Occidentem vergentis inſularum ultima, olim vulgo dicta, hodieque ab eruditis agnita vetus & major Scotia, tota Britannia, a qua lato freto dividitur, aliquanto minor; ſed recentioris, minoriſque Scotiæ, ſeu Albaniæ, & altero Angliæ regnis, quibus Britannia conſtat, ſeorſim comparata major eſt. Nec Anglia ipſa, ſeu naturæ dotibus, ſeu domi natis divitiis, ſeu aſportatis delitiis quidquam inferior: familiarum vetuſtate, & incorrupta ſucceſſione nobilis: Catholicæ Romanæ fidei, annis jam circiter MCCC. per totam inſulam implantatæ, per varias graveſque tentationes tenaciſſima: indigenarum ſanctimonia, & ſapientiæ ſtudio olim adeo celebris, ut communi apud exteros vocabulo inſula Sanctorum diceretur, & omnibus ferme Europæ regionibus, vel propagandæ fidei, vel ſanctioris vitæ magiſtros præbuerit, qui litterarum quoque ſtudia ſectandi certam rationem Pariſienſes primum docuerunt, in alias inde partes derivatam. I. Patria Waddingi.

Hujus inſulæ ampliſſima portio Momonia eſt, quemadmodum cœli ſolique qualitate temperatiſſima, & ſali commodis abunde læta, ſic humanæ vitæ degendæ utilis & jucunda, atque indigenarum generoſo tractabilique ingenio, & ad bonas artes proclivi cunctis grata, ſemperque laudata diverſarum gentium cenſoribus. Hodie quidem Provincia, ſed olim bipartita in duo illius temporis Regna, Boreale Obrienorum, & Auſtrale Machartheorum Regum, quorum prius Limericenſe, poſterius Corcagienſe, a præcipuarum utriuſque regionis urbium Limerici, & Corcagiæ vocabulis appellant tum alii Scriptores, tum ipſi in ſuis diplomatibus Angliæ Reges, quæ ad harum regionum Dynaſtis dirigebant, poſtquam ipſi Hiberniæ dominium adepti ſunt.

In Borealis vero Momoniæ, ſeu Limericenſis regni parte Orientali, qua Angliam reſpicit, ad Surii fluminis ripam non procul ab oſtio, quo hoc ſe in Oceanum egerit, ſita eſt civitas Epiſcopalis, & caput ampli & amœni Comitatus, quæ Hibernis

Portlairghe, Anglis Waterfoord, atque inde latinis Waterfordia, ſed olim Ptolomæo Manapia dicta eſt; quamquam poſterius, vel a Sitaraco Oſtmanno, vel, ut Camdenus loquitur, a Norvegis piratis, alii conſtructam dicant, ſed ego, non ſine ratione, vel ampliatam, vel mœnibus munitam interpretor. Eſt autem emporium quemadmodum portus opportunitate, ſic maris utilitate gaudens, ut ejus non ſentiat incommoda, præter aliquantulam aeris craſſitiem; opulentia mercimonii, & advenarum civiumque frequentia & qualitate celebre, atque fidelitate in Principem, & in Deum Catholica pietate tam conſtans, ut in utroque *Civitas intacta* dici meruerit. Talis Patria Lucam noſtrum decuit, ut terra bona bonum virum gigneret, & *pulchra matre pulchrior ſoboles* naſceretur.

II. *Petrar. dial. 6.* Parentes.

Quoniam autem, *non ſatis eſt civibus fulgere ſplendore patriæ, niſi civium claritate patria reluceat*, in hac parte felix eſt Waterfordia, ſed ego ceteros omitto, & quod præſens eſt ſolum dico, patriæ ſuæ hoc mutuum præcipue reddidiſſe Waddingos, familiam in ea civitate vetuſtiſſimam, & ſemper ſplendidam opibus, ædibus, auctoritate, & chriſtiana virtute; quod, ut antiquiora ſileam, nuper experti ſunt Apoſtolicæ Sedis in Hibernia Miniſtri, Joannes Baptiſta Runicinus Archiepiſcopus & Princeps Firmanus, Apoſtolicus in eo regno Nuncius, & Catholicæ fidei zelator ardentiſſimus, & Petrus Franciſcus Scarampus, nobilis & religioſiſſimus presbyter Oratorii Romani, ſolatium delitiumque Hibernorum;quos cum ſui muneris exequendi cauſa Waterfordiam trahebat, apertam ſibi paratamque habebant urbanam domum, & villam ruralem, equos inſuper & pecunias Thomæ Waddingi, Lucæ noſtri patruelis, cujus ædium commoditates, & ſplendida convivia, atque ipſius viri virtutem illi ſuis litteris non ſemel, aut leviter laudant; cum ipſe deinde fidem ſuam, & pietatem luculenter probaverit, quando Catholicorum Hiberniæ rebus ad extrema deductis, per Cromwelli Tyranni miniſtros, Catholicæ Romanæ fidei in Deum, & fidelitatis erga Regem cauſa, avitis poſſeſſionibus privatus, tametſi multi ſuaderent domi manendum eſſe, ſpe certa honeſtam ſaltem ſui ſtatus portionem recuperandi, aut ſe omnino ſacturos, ut neque ipſi, neque filio unquam deforet honeſta & liberalis ſuſtentatio: cum tamen adverteret ſibi filioque deſuturum Chriſti Sacramentorum pabulum, nec unquam deſore periculum gravium tentationum deferendæ veræ fidei, maluit filium exilii & conſequentium ærumnarum, quas hodie ſenex in Gallia patitur, contemptis poſſeſsionibus participem eſſe, quam juvenem inter hæreticos expoſitum relinquere periculis fidei vel morum, aut ſe vel illum

ſine

ſine vera Chriſtiani hominis vita vivere, & Sacramentorum uſu privari. Graves ipſius & filii, doctaſque utriuſque de his rebus epiſtolas, & priſca pietate fideique conſtantia plenas, brevitatis cauſa hic non deſcribo, alioquin Chriſtiano lectori lacrymas pietatis elicituras.

Et cum adeo conſtans fuerit ſæcularis viri tam dure probata virtus, præterea ſola hæc Waterfordienſium Waddingorum familia tot ſimul habuit noſtra memoria viros doctrina & religione claros, ut pluribus Ordinum Familiis, & præcipuis Europæ partibus utilitati & ornamento fuerint. Etenim præter Lucam noſtrum Franciſcani Ordinis decus, cujus virtus in Luſitania, Caſtella, & Italia enituit, celebris erat in eadem Luſitania inter Auguſtiniani Ordinis Eremitas Richardus Waddingus a ſancto Victore in Sacra Theologia multis annis Magiſter: & in Academia Conymbricenſi moderator Cathedræ, quam vocant, Gabrielis, quem proinde Thomas de Herrera, ſui Ordinis illuſtres viros recenſendo, non omiſit. Sacram Societatem Jeſu in utraque Germania illuſtravit Petrus Waddingus vir omni ſcientiarum genere præſtans, qui præter humaniora, Philoſophiam bis, & totos XVI. annos Theologiam Lovanii, & Pragæ docuit, utriuſque Facultatis Doctor; & in Pragenſi Ferdinandæa, & Græcenſi Academiis ad mortem, quam ſenex obiit, Cancellarii munere functus, varia edidit ingenii ſui & eruditionis monumenta. Nec minus in utraque Caſtella præſtitit ejuſdem Societatis alter Lucas Waddingus, Theologica ſcientia, civili prudentia, & conſpicua inter Madritenſes auctoritate inſignis: & hi quidem omnes Lucæ noſtri patrueles, præter germanum ejus fratrem Ambroſium, qui dum in eadem Societate Dilingiæ in Bavaria Philoſophiæ Profeſſor magna ingenii ſui & virtutis ſpecimina daret, immatura morte ſublatus eſt.

Patruus autem aliorum, ſed noſtri Lucæ, & Ambroſii genitor fuit Gualterus Waddingus, mater autem, æqua generis claritudine inter concives illuſtris, Anaſtaſia Lombarda, illius Petri Lombardi conſanguinea, qui cum eſſet Doctor Lovanienſis, & eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis Præpoſitus, illius Univerſitatis negotia Romæ agens, Clementi VIII. Pontifici carus, ejus mandatis difficillimas turbatæ tunc Anglicanæ eccleſiæ quæſtiones, ac divinæ gratiæ diſputationes, doctiſsime graviterque tractavit, ac pro ſuis meritis ab eodem Pontifice Archiepiſcopus Armachanus totius Hiberniæ Primas creatus eſt: eidemque Clementi claro & fundato commentario expoſuit inſulæ, gentiſque Hiberniæ ſtatum & qualitates; qui liber minus fidum typographum vel typorum præfectum Lovanii adeptus eſt, ſed aliquot in hac Urbe locis extat ſcriptus manu.

Verum ad noſtra redeamus. Gualterus & Anaſtaſia conjuges, vitæ integritate, Catholica fide, Chriſtiana pietate, & in educanda prole ſtudio, atque in pauperes largitate præclari, ex legitimo matrimonio filios decem, & filias quatuor genuerunt; inter quos omnes Lucas erat undecimus, & inter mares octavus. Uterque conjugum, ut in vita ſua ſe dilexerunt, ita in morte non ſunt ſeparati, fere ſimul defuncti, & in Cœnobio ſancti Franciſci, cui erant ſingulariter devoti, in Waddingorum ſepulcro conditi ſunt anno Chriſti MDCII. quo ſæva lues plures Hiberniæ civitates afflixit.

III. Nativitas, & vita ſæcularis.

Ex his ergo parentibus natus eſt Lucas Waddingus anno a Chriſto nato MDLXXXVIII. die XVI. menſis Octobris, atque ejuſdem die XVIII. qui ſancto Lucæ Evangeliſtæ ſacer eſt, ſacri baptiſmatis unda renatus, ob ejuſdem Evangeliſtæ reverentiam Lucas ipſe nominatus eſt; propter quod natalem ſuum illum diem ſolemnem deinceps ſanctumque colebat, religioſe ratus Chriſtiano cultu digniorem eſſe diem, quo quis e Diaboli faucibus ereptus, & Chriſti ſanguine lotus, ſacro cœli charactere ſignatur, quam quo Diaboli ſervitute captivus, & hoſtis Creatoris ſui, in hanc vallem lacrymarum ex utero matris effunditur. Lucebat autem in oculis & fronte infantis Lucæ futuræ virtutis ſpecimen, & cum ætatula creſcebat omen in omni ejus actione, geſtuque pueri blanda cuncta, & præter ætatem ab omni puerili, laſcivia, inſolentia, & levitate aliena, atque ingenuo pudore, & erga parentes ac nutritores ſuos filiali amore & reverentia plena, ut propterea ipſum tamquam Beniamin præ reliquis peculiari dilectione proſequerentur, & venerari cœperint, quam præſagiebant indolem in religionem & litteras proclivem. Atque hæc duo illi ab infantia inculcabant, præcipuam frequentemque illi mentionem facientes Ordinis ſancti Franciſci, erga quem ipſi erant devoti, & futuri ipſius olim in Patria clariſſimi Concionatoris, illumque omni modo ad hanc vitæ rationem adaptare ſtudebant. Jam vero cum legere ſciviſſet, & e memoria recitare Chriſtianæ doctrinæ rudimenta, libellum illi dederunt, quem apud nos tunc vulgo Pium V. appellabant; continebat enim officia minora Breviarii Romani, aliaſque pias preces illius piiſſimi Pontificis juſſu tunc recenter editas, pro commodo eorum uſu, qui majora officia non recitabant. Hinc autem Lucas commiſcens utile dulci, pietatis fomenta hauriebat, & familiarem ſibi juxta reddebat latinæ linguæ lectionem, & Eccleſiaſtici ſtili gravitatem. Recitabat enim diebus ſingulis Beatiſſimæ Virginis officium, & ſingulis ſeptimanis bis pſalmos, quos Pœnitentiales vocant, cum Sanctorum Litaniis, & adjunctis precibus, totidemque

que per menſem vicibus integrum officium Defunctorum. Gualterus enim pius Pater-familias in conſuetudinem domi duxit, ut illa officia ab omnibus filiis tam maſculis, quam fœminis ſimul, ſibi mutuo reſpondentibus recitarentur, præter alias ejuſdem libelli preces, Virginis Deiparæ Roſaria, & matutina veſpertinaque Chriſtiani hominis exercitia, quæ ab ipſis e lecto ſurgentibus & cubitum ituris exigebat. Grammaticis dehinc & humaniorum litterarum ſtudiis applicitus Lucas, ocium præ ceteris odio habebat jocoſque pueriles, eoque quodam vel naturæ vel gratiæ pondere trahebatur, ut nulla re alia, quam libellis conſuendis, ſcribendis, legendis delectari poſſet; tantumque fecit in ſtudiis progreſſum, ut anno ætatis decimo tertio, quæcumque dabantur themata, ad Magiſtri mandatum, ſeu verſu, ſeu proſa feliciter & magna ſatisfactione redderet latina. Quartodecimo autem ætatis anno orbatus utroque Parente, ſub cura & tutela fratris ſui Matthæi, Logicam, & partem Phyſicæ in patria audivit, donec ipſe Matthæus in Luſitaniam navigans, Lucam jam decimum quintum ætatis annum agentem in Hibernorum Ulyſſiponenſi Seminario collocavit, in quo Philoſophiæ curſum denuo cœpit ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu, quibus erat gratiſſimus per ſex menſes, quos tantummodo apud eos in Seminario manſit, dum ad altiora divinitus inſpiratus, ſancti Franciſci habitum ſuſcepit.

IV. Religionis ingreſſus.

FIniebat jam Lucas annum ætatis decimum ſextum, cum ſæpe mentem ſubirent præteritæ ſuaſiones Parentum de Ordine ſancti Franciſci,& inſpirante Deo adoleſcentis affectus in idipſum in dies accendebatur. Habebat autem in Seminario ſocium Richardum Synottum Wexfordienſem in Lagenia Hibernum ſimili religionis deſiderio afflatum. Igitur inito conſilio cenſuerunt minime reluctandum divinæ vocationi, nec procraſtinandam executionem. Nam, inquiunt, quo gravior cenſetur aſperitas Ordinis Franciſcani, non proinde adoleſcentibus horrenda eſt, ſed eo magis juniore ætate ſubeunda, quo jugum reliqua vita facilius tolerari poteſt, quod ab adoleſcentia portatur. Neque Philoſophici curſus abſolvendi cauſam ipſorum propoſito quidquam obeſſe, cum etiam in Seminario conſummandum iterum in Religione repetendum eſſet, aut certe in Theologico curſu claudicandum, ob ignorationem principiorum doctrinæ Scoti, cujus theoremata Franciſcani profeſſores in Philoſophico curſu tradere conſueverunt. Adeunt ergo Miniſtrum Minorum Provinciæ Portugalliæ, Petrum a ſancto Franciſco, virum gravem, & ob doctrinam auctoritatemque in toto Regno reverendum. Atque iis præmiſſis, quæ ad juvenum receptionem Eccleſiaſtici Canones

nes & Ordinis noſtri Statuta præſcribunt, Richardum & Lucam poſt aliquot dies ad Ordinis habitum ſuſcepit menſe Septembri, aſſignato illis loco tirocinii Conventu Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis ad oppidum Matozinhos III. M. P. diſtans a civitate Portuenſi, quem incolunt Patres Recollecti, tanto virtutis ſtudio & fama probitatis, ut opus non habeant, extra domum pro eleemoſynis colligendis excurrere, ſed per ipſum civitatis, & agri populum neceſſaria quæque ipſis afferantur. Hic igitur uterque adoleſcens, cum eſſent proprio genio ad virtutem proclives, domi ſuæ bene educati, optimos etiam Magiſtros adepti, & Cœnobitarum exemplis adeo accenſi, ut Lucas uſque ad ſenectam & ſenium, non ſine animi motu ipſorum unquam recordari poterat, nec aliter ab ipſo vocarentur, quam veri & ſinceri Servi Dei, & Religioſi probitate clariſſimi. Tantis adminiculis præcoces fecerunt regularis vitæ, ac diſciplinæ progreſſus uſque adeo, ut cum eorum Magiſter non deprehenderet, quo eos juſto patentique, levium etiam exceſſuum, titulo vel colore, ſeverioribus pœnis aut publicis mortificationibus pro Religionis more ſupponeret, fingebat, ſuperiorum condictu, crimina læſæ diſciplinæ, & caute faciebat ipſe, quod illis poſtmodum imponebat; indeque objurgationes, minæ ejectionis ab Ordine, graveſque & publicæ pœnitentiæ, ne vel eſſet, vel dici poſſet ipſos annum Novitiatus abſque dura probatione tranſegiſſe; quamvis ipſi Ordinis diurni nocturnique labores, vigiliæ, jejunia, perpetuum ſilentium, & in omnibus aſpera vita, forſitan aliis duriſſima, viderentur: ſed iis, qui vera vocatione, & mundi contemptu ad Religionem trahuntur, plumæ & roſæ ſunt, & aliquid ſibi ſuſpicantur mali, ſi hæc aliquando ceſſaverint. Poſſem ſane ſingularia hujus rei paradigmata ex Lucæ noſtri novitiatu referre, ſi prolixus eſſe non nollem, ac talia, quæ alterius cujuſpiam patientiam verteret in furorem, generoſi præſertim animi, ſuæque famæ & honoris zelantiſſimi, & conſciæ ſibi in omnibus innocentiæ, qualis ille fuit: ſed fuit etiam ex illis unus, de quorum quolibet ſanctus Franciſcus: *Beatus*, inquit, *ſervus ille, qui non eſt velox ad ſe excuſandum, & humiliter ſuſtinet verecundiam, & reprehenſionem de peccato, ubi non commiſit culpam*; eſt enim *confuſio adducens peccatum, & confuſio adducens gloriam & gratiam*. Finito demum anno probationis, omnium Patrum ſuffragiis, & ſolemni applauſu ambo ad profeſſionem admiſſi ſunt, & Religionis Vota nuncuparunt IX. die Kal. Octobris, ut ipſe Lucas, tunc a ſancto Franciſco cognominatus, in epiſtola clare notat, quam proxime ſequente Decembri ſcripſit: & quamvis in autographo, quod habeo, non ſit anni nota, meo tamen calculo id factum fuit anno Chriſti MDCV. & ætatis Lucæ XVII. tunc fere completo, quantumvis

Tom. 1. opuſc. p. 79.

Eccli. 4.

vis Annalibus, ubi de Matozinhi Conventu agitur, neſcio qui irrepſerit annus Chriſti MDCVI. & dies XIV. Kal. Octobris.

V. Studiorum & pietatis progreſſus.

SEd hæc ſint ut velint, vix Ordinis profeſſionem emiſerunt noſtri Candidati, cum tamquam Dei nutu oblatæ illis eſſent occaſiones, quibus virtutem ſuam & eruditionis inſita ſemina monſtraverunt, nec parum adepti ſunt boni nominis, & feſtinantioris ad ulteriora litterarum ſtudia progreſſus. Altera utrique bona fuit, duobus poſt ipſorum profeſſionem menſibus, Miniſtri Provincialis ad novitiatum acceſſus, quem Lucas illi verſibus prompte compteque congratulatus eſt. Hinc enim Provincialis eruditionem ingeniumque conjuncta conſiderans, noviter profeſſorum compoſitam per omnia diſciplinam, animi pietatem, & externorum ſenſuum mortificationem, Cœnobitarum etiam laudibus confirmata, novo illos privilegio donavit; nam etiamſi Religionis in ea domo tironibus ad duos annos ab habitus ſuſceptione completos, ne quidem ad portam civitatis accedere liceret, juſſit tamen Lucæ Provincialis, ut Chriſti Natales poſt XII. inde dies celebrandos verſu coleret, & cum ſocio in civitatem veniret, Minorum Ordinum Sacramenta ſuſcepturi, & peracturi in Urbe ſolemnitatem.

Interea Lucas paucis illis diebus nati Salvatoris myſteria, non verſu tantum, ſed ſoluta etiam oratione deſcripſit. Richardus autem ex opinionibus Scoti noſtri ſententiæ contrariis, quas a Philoſophiæ Magiſtris alibi didicerunt, theſes ad diſputandum parat, & ad civitatem dicto per Superiorem die accedentes, uterque partem ſuam in gravium virorum conſeſſu tanta gratia peregit, ut vivax ipſorum ingenium, cum maturitate judicii, ſingulari modeſtia, & morum elegantia Patres in adoleſcentibus venerati, Philoſophica ſtudia illis decreverint, ad quæ poſt paucos a profeſſione menſes, præter conſuetudinem, miſſi ſunt in Conventu Leyrienſi ſancti Franciſci proſequenda. Ubi cum novum Philoſophiæ curſum biennio abſolviſſent, inde Ulyſſiponem ad Theologica ſtudia translati ſunt; atque iis deinde Conimbricæ continuatis, Richardus in ea Provincia laudabiliter converſatus eſt, donec poſt annos Romam a Luca vocatus, hujus Collegii ſancti Iſidori Fratrum Hibernorum Guardianatus officio functus, poſtmodum in patria ſua, religioſi & catholici concionatoris officiis intentus, a Cromwelli tyranni hæreticis ſatellitibus extremo ſupplicio affectus, Romanæ fidei cauſa mortem obivit.

Lucas autem in florentiſſimo illo ſtudio Conimbricenſi integrum triennium exegit, & ſacræ Theologiæ ſedulam dabat operam, non ſolum intra ipſum Ordinis Collegium ſancti Bonaventuræ, ubi magiſtrum habuit fratrem Didacum Limedenſem, virum

virum eruditum & probum, ſed etiam in publico gymnaſio Univerſitatis, ſub doctiſſimis Cathedrarum primæ & veſperarum Rectoribus, Franciſco Suario Societatis Jeſu, & Ægidio a Præſentatione Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, *multis*, inquit ipſe, *titulis venerandis, & inter primos Europæ Doctores connumerandis*. Quam ſenilis autem fuerit, tam juvenis tunc Lucæ in hac Univerſitate converſatio, præter conſodalium amorem, & multa honoris, ac benevolentiæ ſigna ab Ordinis Superioribus illi exhibita, ſuo etiam teſtimonio nobis conſtare voluit vir æque doctus ac religioſus Leo a ſancto Thoma Ordinis ſancti Benedicti, & Cœnobii ſancti Martini Thianenſis in litteris, quas inde Romam aliquando ſcripſit, & hæc inter alia: *Memini etiam ego Rev. Patris mei Lucæ in alma noſtra Academia Conimbricenſi aliquando commorantis, quem ſi brachiis nequeo, corde tamen amplector. Memini illius tuæ ſingularis modeſtiæ, & religionis, quæ ſi non loco ac dignitate, exemplo ſaltem, cunctis jam aliis Seraphicæ Familiæ commilitonibus præerat. Memor ſemper ero, ceteris interim prætermiſſis, ingenii tui acuminis, Scoticæque in arguendo ſubtilitatis, qua jam peracutos quoſque longo ſuperabas intervallo.*

VI. Prima occaſio ſcribendi ad prelum.

Altera vero præbendi ſui ſpeciminis occaſio fuit Lucæ peculiaris, & univerſo deinceps Ordini utilis; cum amicorum aliqui dolerent juvenes, præſertim vero Lucam, hac vitæ ratione a ſe ipſis ſeparari, idque per aliquot epiſtolas ad eum jam ultimis tirocinii menſibus miſſas indicarent; atque inter alia argumenta illum ab inito inſtituto retrahendi, præcipue urgerent damnum, nec ſera pœnitentia reparandum, quod nimirum adeo præclara indoles Franciſcani Ordinis vilitate torperet, in quo, quaſi vero, nec litterarum ornatus eſſet, nec ullus cultus ingeniorum. Sunt enim aliqui tales rerum æſtimatores, ut ſibi perſuadeant nullam ſcintillam ſub cineribus latere poſſe, aut ſub obtrita veſte hominem integrum contineri, neque componi litteras cum monaſtico ſtudio pietatis. Sed qui *melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla eſſe permittere*, ita hæc monſtra in melius convertit, ut ejuſmodi opprobria ipſi imprimis Lucæ, ac toti deinde Religioni ſancti Franciſci in gloriam, utilitatemque ceſſiſſent. Nam aſpirante Deo excitatus hoc ſtimulo zelus Waddingi ſtatim poſt profeſſionem ſtrinxit calamum, & acri, ſed modeſta & gravi epiſtola, cujus apud me habeo exemplar, propoſiti ſui reprehenſoribus monſtravit, tum ſuperfluum ornatum litterarum non niſi meram vanitatem eſſe, tum verum earum uſum ſemper ita cultum fuiſſe in Ordine ſancti Franciſci, ut nullibi magis inde redundet vel propria profeſſorum ſalus, vel proximorum utilitas, aut univerſæ Reipublicæ decus.

Aug. c. 27. Enchirid.

Hinc

Hinc ergo primum ſuſcepit cogitatum Ordinem univerſum ſuis lucubrationibus illuſtrandi, de qua re præſtat ipſum audire in præfatione primi operis, quod in hanc rem elaboravit, ſic enim ibi ſcribit ad operis lectorem: *Novi te curioſius adbuc ſcire velle, unde poſt integra ſæcula mihi hæc opera colligendi, & illuſtrandi irrepſit ſtudium, quod nec Patres noſtri, nec horum anteſignani tam vaſto temporis tractu ſunt aggreſſi? Dicam ſincere meum hoc conamen in Franciſci, ſi qua eſt, laudem ab aliorum vituperandi ſtudio ſumpſiſſe exordium. Cum enim ſcioli quidam, ſuo dumtaxat judicio ceteris ſapientiores, nobis objicerent in re litteraria ignaviam, & imperitiam, eamque veluti hæreditario opprobrio ab Inſtitutore acquiſitam adjicerent, volui ob oculos ponere hujus ſancti Viri doctrinam, ex qua conſtet non tam neſcium quam volunt fuiſſe, nec ſtudium litterarum ſuis exemplo interdixiſſe, ſed conſuluiſſe, imo & tam clare ex Regula præſcripſiſſe, ut aſſerat Bonaventura*, ex Regula patere, quod Minoribus ex intentione beati Franciſci incumbit ſtudere, & quod nullis aliis Religioſis plus competit prædicare ex ratione ſtatus ſui, quam his qui hanc Regulam profitentur. *Si autem id opere præſtiterint, & ad ſui Patris exemplum & mentem, cum laude & fructu peregerint, Orbis univerſus, qua Chriſtianus eſt, & ultra quam Chriſtianus eſt, teſtatur. Si poſteriores ætates ſuis ſcriptis illuſtraverint, & univerſæ Eccleſiæ ſuis lucubrationibus honori fuerint & adjutorio, quotidianumque adbuc præſtent ſubſidium, dicunt qui Scriptorum Eccleſiaſticorum univerſales catalogos, vel brevem quampiam ſynopſim ediderunt. In nulla etenim Franciſcanorum numerum alterius Sodalitii minorem videbis, & ſi non omnes excedere, fere nulli cedere in bene impenſo labore deprehendes. Hoc meæ inquiſitionis operum Franciſci principium. Auxit vero ſtudium ipſa inquiſitio, dum inventorum gaudium, inveniendorum excitabat deſiderium.*

Ad Lec. Opuſc. S. Franc.

Bonav. c.9. Reg.

Quas lamentationes, ne ſine cauſa Waddingum feciſſe ſuſpiceris, prætermiſſis clanculariis quorumdam ad omne limen in hac materia ſtultiloquiis, unicum exhibeo factum publicum candido teſtimonio, iiſdemque verbis Gabrielis Cardinalis a Trejo, quo diſcant garruli non eſse ludendum cum Sanctis; ſic enim ſcribit Cardinalis in epiſtola ad Lucam directa, & iiſdem ſancti Franciſci operibus prelo præfixa: *Sed ſi adbuc ſuperbe ſapis, & illum*, Franciſcum, *iterum atque iterum idiotam vocas, audi caſum, ne dicam miraculum. In quadam Hiſpaniæ civitate, quam reticeo ut honori caveam viri, & religionis, cujus dedecori hoc tribui poſſet (mihi enim veritas cordi eſt abſque aliorum injuria) decem ab hinc annis contigit Prædicatorem quemdam concionantem, & litteras litteratoſque Sanctos commendantem dixiſſe, ſe illis devotiſſimum, non vero idiotis, qualis erat Franciſcus: quod ut ſemel atque iterum repetiit, populares viri & mulieres adſtantes, dum Franciſci devotio-*

ne ferebantur ſuſurro, & murmure tacite hoc ſibi de Franciſco dictum non placere indicarunt. Cœpit ſubito Prædicator ille, qui lingua expeditiſſimus erat balbutire, rubore ſuffundi, & conturbari: cœperunt & ea, quæ ad concionem præparaverat ſolertiſſimo ſtudio, e memoria decidere. Crevit ejus turbatione popularium tumultus; tandem Concionator obmutuit, & quæ ſuperbe forſan didicerat, in medium proponere non potuit, quia, ut credibile eſt, humilitatem veri Sapientis deſpexerat: & ita incompleto ſermone e ſuggeſtu verecunde deſcendit. Hujus rei teſtes fuerunt Epiſcopus, & Capitulum, frequenſque populus illius civitatis, qui aderant ad feſtum ſolemniſſimum invitati.

Hæc igitur & ſimilia non tam moverunt Lucam noſtrum ut primum inquireret, & inventum ſuo quoque ſtudio monſtraret non indoctum fuiſſe Franciſcum, nec tam vilem, aut litterarum negligentem ejus Religionem. Ad quod, ut credere licet, a Deo his modis vocatus, vocationem ab adoleſcentia, deinceps continuo ſecutus eſt: qua cauſa cum Conimbricæ ſtudiis incumberet, in æſtivis caloribus ab aſſiduo ſcholaſticarum exercitationum labore ſeſe ſubtrahebat ad vicinum Cœnobium ſancti Antonii a Ficu Fratrum Recollectorum, non ut æſtate ſterteret, ſed ut meſſem in hyemem compararet; nam quidquid temporis, aut otii a ſpiritualibus exercitiis illi ſuppetebat, id totum librorum, chartarumque ruderibus volvendis, & ſancti Patris Franciſci Opuſculis, tamquam tot gemmis eruendis impendebat, quam ejus lucubrationem poſtea fuſius explicabimus.

VII. Fit Sacerdos, Concionator, & Lector.

ULtimo autem anno ſtudiorum Conimbricenſium, hoc eſt Chriſti MDCXIII. ſacrum presbyteratus ordinem ſuſcepit in eccleſia Cathedrali Viſontina a Joanne Emanuele illius urbis Epiſcopo, & primam concionem ad populum tunc habuit in templo Cœnobii noſtri ejuſdem civitatis. Abſolutis deinde ſtudiis remiſſus ad Conventum Leyrianum, ubi Philoſophiam ante audiverat, ut ſacras conciones ad populum ibi pro more haberet, adeo dextre Luſitanicam pariter & Caſtellanam linguam adeptus eſt, ut egregius in utraque concionator evaſerit. Hac autem occaſione ſanctorum Patrum lectioni addictus, duo juſta volumina chartæ ſcriptoriæ ſibi paravit, quæ alphabeti apicibus ordine ſignata anno MDCXIII. die VII. Idus Aprilis per locos communes in omnem concionandi opportunitatem aptos inſcribere cœpit, & multis paulatim, iiſque ſelectis utriuſque Teſtamenti, & ſanctorum Patrum ſententiis inſerſit, quæ ipſi deinceps in aliis quoque ſtudiis non parum opis attulerunt.

Leyria vero ad proximum Provinciæ Capitulum vocatus Ulyſſiponam, publicas theſes apte & acute diſpoſitas, ex ſeptem diverſis ſcientiis propugnandas expoſuit, & adeo feliciter in omnibus

bus diſputavit, ut Antonius a Trejo tunc Ordinis Minorum Vicarius Generalis, & Provincialis illius Capituli Præſes, ipſius ingenio eruditione & gratia captus, omnino voluerit, ut Lucas ſui ipſius & aliorum profectui in inſigni Ordinis Collegio Salmanticenſi ſancti Franciſci aliquandiu moraretur. Ille vero illuc profectus, cujus juvenili ſtudiorum fervori, & amplo ingenio nullæ ſcientiæ ſufficere videbantur, non contentus frequentibus & ferventibus Salmanticenſium ſcholarum concertationibus, Hebraicæ linguæ deſiderio flagrabat, & ad illam addiſcendam Albam ſe contulit, oppidum Diœceſis Salmanticenſis, ubi in Ordinis Collegio ſanctam hanc linguam profitebatur vir illius per quam peritus frater Franciſcus Caſtellius, ſub cujus magiſterio Lucas capeſſendo idiomati aliquandiu incubuit, eaque collegit, quæ poſtea Romæ digeſſit in opuſculo ſuo *de linguæ Hebraicæ origine, præſtantia, & utilitate*; cujus ſtudii ampliorem deinde rationem exponam. Sed ante, & poſt hæc Salmanticæ publicos diſputationum actus, quos minores majoreſque vocant, pluries cum applauſu ſuſtinuit. Sunt autem ſcholaſtica exercitia minus, magiſque ſolemnia pro more illarum Univerſitatum.

Poſt hæc Salmantica Legionem, olim Regni caput, ſacræ Theologiæ Lector deſtinatus eſt, & profeſſionem proſecutus anno integro docuit, quouſque Salmanticenſes, qui ejus ingenium, laborem & induſtriam ſatis probaverant, illum ad ſe denuo remitti curarunt, & Magiſtri ſtudentium, ac ſimul ſacræ Theologiæ Lectoris muneribus in ſupranominato Collegio ſancti Franciſci donarunt. Dum his graviter incumberet Lucas, alia ipſi occaſio data fuit, qua perpetuum eruditionis ſuæ, & amœnæ indolis monumentum reliquit in patulo omnium ingredientium conſpectu. Tunc enim utriuſque illius civitatis Cœnobii ſancti Franciſci nimirum & alterius ſancti Antonii clauſtra, ſeu inferiores ambitus elegantibus picturis ornabantur, volueruntque Prælati, ut Lucas picturas ſingulas ſubſcribendis verſibus explicaret; quod adeo ultra votum præſtitit, ut & pictor extemporaneam carminum compoſitionem, ad primum fere picturarum aſpectum, & acumen perfectionemque poetæ miraretur. Eorum aliqua Franciſcus a Soſa vir doctiſſimus, & ex Miniſtro Generali Ordinis Minorum Epiſcopus Segovienſis, ſuppreſſo nomine auctoris illuſtravit ſuo quodam opuſculo, quod inſcripſit, *Sanctorale Seraphicum*, Salmanticæ impreſſo, & nos forte ſeparatim aliquando dabimus integra.

Magno profectu diſcipulorum, magnaque ſui æſtimatione & laude, utroque munere Magiſtri ſtudentium, & ſacræ Theologiæ Lectoris in antiqua illa, & celebri univerſitate Salmanticenſi fungebatur Lucas uſque ad annum Chriſti MDCXVIII. qui fuit æta-

tis ipſius recte XXX. & religioſæ profeſsionis XIII. cum in eadem civitate celebrarentur generalia Ordinis Comitia, in quibus Antonius a Trejo, jam tum a Philippo III. Catholico Rege deſignatus Epiſcopus Carthaginenſis in Hiſpania, Vicarii Generalis Ordinis officium abſolvit, ac totius Ordinis Miniſter Generalis electus eſt Reverendiſsimus Pater Benignus a Genua, utrumque bona ſorte Waddingi: nam & Epiſcopum, quem ante poſsidebat, hic amplius devinxit, & Benignum ita lucratus eſt, ut reliqua vita ipſum habuerit Patrem optimum, cariſsimum amicum, & bonarum cogitationum promotorem; & qui non alibi, quam in Collegio ſancti Iſidori, deinceps dum per Ordinis gubernandi curam licebat vivere voluerit, ac denique mori, & ſepeliri. Cum enim eſſet tunc Lucas in Capitulo domeſticus Lector, nec reliquorum alicui talento ſecundus, earum diſputationum, quæ in Comitiis fieri ſolent, prima cathedra illi conceſſa fuit. Expoſuit ergo Concluſiones, in quibus & Marianæ Theologiæ, & Franciſcanæ antiquitatis, & ſanctiſsimæ Trinitatis myſteriorum callentiſsimum ſe comprobavit, & aliquod ſpecimen dedit qualiſcumque fructus, quem a Græcæ, & Hebraicæ linguæ privato ſtudio retulit, easque veteris obligationis titulo dedicavit Epiſcopo Trejo tunc Vicariatus officio deſungenti; tantaque auctoritate, & gratia propugnavit, ut quemadmodum loco, ſic laude meritoque in Comitiorum diſputationibus primas tuliſſe cenſeretur.

VIII.
Qua cauſa, quoque affectu Romam fuerit miſſus.

Antonius ergo tum depoſito gubernio Religionis, & Comitiis feliciter abſolutis, cogitabat in primis de ſuſcipiendo ordine Epiſcopali, ac deinde quomodo ſe diſponeret ad ſubeundum Legati extraordinarii munus, quod ad Paulum V. Pontificem Rex illi ſimul impoſuit, ad promovendum myſterium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ. Nec in re tanti momenti aliud pluris æſtimavit, quam ut virum quempiam doctrina, pietate, & in rebus tractandis induſtria, & gratia præcellentem haberet, qui in illis, quæ litterarum ſtudium poſcerent, adlaboraret, ſciretque pro danda occaſione Romanos Principes, alioſque, quorum intereſſe poſſet, pro tantæ cauſæ meritis informare. Ubi, quod mirari poſsis, inter tot graviſsimos Patres, qui Comitiis interfuerunt, Hiſpanicæ præſertim nationis, doctrina claros, ætate graves, obitorum munerum auctoritate eminentes, & agendarum rerum peritos, Lucam noſtrum ætate juvenem, ex ultima Thule ignotum externum, ſed cumulata virtute dignum elegit, Madritum duxit, apud aulæ Proceres commendavit, omniumque conſenſu & applauſu, atque adeo ipſius Catholici Regis mandato, Romam perduxit illius Regiæ Le-

Legationis Theologum : quod felix, fauſtumque fuiſſe, divinoque nutu diſpoſitum, res ipſa poſtmodum demonſtravit, non ſolum in hoc negotio, ſed in aliis etiam quæ Deus per Lucam deinceps operatus eſt.

Igitur cum ipſis Kalendis Octobris illius anni MDCXVIII. Catholici Regis Curiæ valedixiſſet Legatus, & poſt viſitatam ſuam Epiſcopalem Eccleſiam, reſque ibi rite diſpoſitas, anchoram Carthagine ſolviſſet, deinde die XXV. Novembris per tredecim noctis horas Gallicum ſinum, quem Italicum vulgum vocat *Golfo di Lione*, ſemper periculoſum, ſed eo præſertim anni die nautarum obſervatione innavigabilem, feliciter ac cito trajeciſſet, tandem Idibus Decembris Centumcellas, vulgo *Civita Vecchia*, triremes appulit, ubi prævia Pontificis ordinatione ſolemniter ſuſceptus, quarto inde die Romam ſolita pompa ingreſſus eſt, & ſalutato prius oſculo pedum Paulo Pontifice, denique ad germani fratris ſui Gabrielis a Trejo Cardinali domum ſe collegit, e regione templi XII. Apoſtolorum, & Palatii Principum Columnenſium, in qua deinceps quamdiu in Urbe manſit, cum Cardinale fratre cohabitavit.

Gratiſsimus Cardinali fuit Lucæ noſtri adventus, cujus fama per Legati litteras ipſum præceſsit, utrique placida ejus converſatio, & Epiſcopo ſingulis momentis neceſſaria præſentia: quapropter ipſum ad nullum Ordinis Cœnobium declinare permiſerunt, ſed aſsignatis cubiculis retinuerunt ſecum in aula, ubi inſcriptum reliquæ ſuæ familiæ laute & liberaliter illum habuerunt, & continua converſatione revera familiarem ſibi reddidit etiam Cardinalis. Sed ille periculum potius, quam peculium hoc reputans ſibi humili & paupere profeſſione Religioſo, caute & prudenter ſe gerebat, boni exempli, & monaſticarum exercitationum tam tenax, ut Cardinalis ipſe, & Legatus illius miſerti, incauto quandoque in cubiculum irrumperent, ut eum nunc a prolixa oratione, nunc a flagellando corpore, nunc a diutino ſtudio diverterent, ne, ut ipſi dicebant, ille ſe his laboribus enecaret: quamquam & ipſi in ſua uterque dignitate, ſed quam ſuperabat pietas, Cardinalis quidem ſancti Franciſci Tertiarius, & Epiſcopus expreſſe profeſſus Minorita, hæc ipſa crebro, vel ſimul adhibito Luca, vel quiſque pro ſuo fervore ſeorſim exercebant. Et ut erat uterque doctiſſimus, non niſi Muſarum deliciis graviores occupationes interpolando cum Luca ludebant.

Sed hæc ipſorum tam libera, & larga familiaritas nihil minus in Luca, quam Dominorum contemptum parere poterat, quippe numquam audaciore, vel elatiore, quam primo die, quo domum ingreſſus eſt, ſumma modeſtia & reverentia cum ipſis tractabat, & humilitate non ſimulata, nec ultra modum demiſſa,

ſa, ſed ingenua & liberali non ſe miſcebat rebus domeſticis, non dabat famulis mandata, nihil ab eis imperioſe, vel inſolenter exigebat. Sed ita ſuaviter & amice cum infimis quibuſque famulis agebat, ut omnia illi ex affectu & amore promptiſſime miniſtrarentur: ipſorum inter ſe differentias dulciter ſilenterque componebat, & ſi quis eorum exceſſus ad Dominos deferebatur, Lucas mitigabat pœnam, aut factum prorſus excuſabat. Ab adventantium occurſu, & otioſis aulæ deambulatoribus ſeſe, quantum honeſte poterat, ſubtrahebat, ubi vero colloqui ſuadebat urbanitas, aut neceſſitas exigebat, non alius illo affabilior, aut gratior cunctis, præterquam in fabulis, vel aleis, quibus non ſe ullatenus immiſcebat; nec ſermo ejus vanus, aut levis, ſed ſuaviter jucundeque dogmaticus, & modeſte facetus.

IX. Legationis acta conſcribit.

Legationis autem opus, quia totum Theologicum fuit, & Theologicis rationibus peragendum, valide ſtudiis incumbendum fuit, & Legatus Lucam in ſtudiorum partem, & intima rerum conſilia vocans, plures & magis neceſſarios tractatus illi componendos commiſit: & Lucas præter inſtructam bibliothecam quam domi ſuæ habebat Cardinalis, ſic reliquas Urbis indefeſſe luſtrabat, ut a ſummo mane ad noctem, integros plerumque dies in illis impranſus conſumeret; qua diligentia & ſtudiorum aſſiduitate opera illa, quæ ad Legationem pertinebant tanta doctrina, & rationum pondere exornavit, ut a doctis viris, ac Deiparæ devotis avide expetantur, & ad eruditionem voluptatemque legantur. Neque vero in alma Urbe tantum, ſed ad alias etiam civitates expatiatus, eamdem diligentiam Aſſiſii præſertim, Peruſiæ, & Neapoli antiquis recentibuſque monumentis perſcrutandis adhibuit. Integra denique Legationis acta, non proprio impetu aut inſanabili ſcribendi cacoethe, ſed *multorum imperio, plurimorum precibus*, qua Hiſtorica, qua Theologica docte graviterque conſcripſit peculiari volumine, in quo quidquid in eo negotio ſub Paulo V. & Gregorio XV. Pontificibus actum fuit ita comprehendit, ut parum admodum aut nihil amplius deſiderari poſſit, quod ille vel non fuſe pertractet, vel certe non breviter & nervoſe perſtringat, tanta modeſtia & circumſpectione dicendi, ut adverſæ partis actores nihil in eo vel paſſione ſubitaneum, vel cenſura ignominioſum, vel animo ab ipſis ullatenus averſo grave & reprehenſibile deprehendant. Hæc enim eſt Chriſtiani & Religioſi diſſertatoris magna pars, ut non contra perſonas, ſed contra opiniones ineat exeatque certamen.

Neque vero ſic ſcriptum opus inconſideranter publicatum fuiſſe, & cum Lucæ noſtri laude, & viventis tunc, atque Bruxel-
lis

lis in Belgio præſentis Iſabellæ Claræ Eugeniæ Principis vitæ probitate, & ſapientia clariſſimæ, Hiſpaniarum Infantis, & Belgicarum Provinciarum Gubernatricis adducto teſtimonio, fidenter affirmat Maximilianus de Bouchorne, Divi Petri, & aulæ Brabantinæ Palatinus, qui librum ejuſdem Iſabellæ Gubernatricis mandato, & auctoritate Philippo IV. Regi dedicavit; ſic enim Regem alloquitur Bouchornius: *Hujus inclytæ Legationis acta fideliſſime conſcripta, & doctiſſime a R. P. Fr. Luca Waddingo ſacræ Theologiæ Romæ in Monte aureo Lectore, & Legationis Theologo, nobis ab amico ad legendum tradita, magniſque viris oſtenſa, viſa ſunt iis digniſſima, quæ ad majorem Dei, Divæque gloriam in lucem publicam prodirent. Egimus igitur pro veteri cultu erga Seraphicum Ordinem, cui pie innixi ſumus affectu, ut hic liber legitima cenſura probatus in celeberrima Urbe, & Academia tua Lovanienſi, Orthodoxæ fidei ab omni ævo ſervantiſſima, typis publicis ſit editus ſub auguſta tui nominis tutela. Atque huc non ambitio nos impulit, ingenue id teſtor, ſed ſummorum virorum hortatus, & Sereniſſima Principis auctoritas, cui expedire viſum, ut Tuæ Majeſtati conſecratum extet publice præclariſſimum hoc perpetuæ Dei Matris ſanctitatis graviſſime aſſertæ, & Regiæ Catholicæ pietatis trophæum.*

Erat autem ille Bouchornii amicus vir graviſſimus Florentius Contius Hibernus ex Ordine Minorum Archiepiſcopus Tuamenſis, ab hæreticis ex Hibernia & Metropolitana Eccleſia ſua proſcriptus, & tunc, dum hæc Legatio Romæ fieret, Lovanii in Belgio degens, qui ut erat doctiſſimus, poſtquam ſancti Auguſtini opera omnia ſepties perlegiſſet, edidit opuſculum de ſenſu ejuſdem ſanctiſſimi Doctoris circa materiam præſentis Legationis, obtulitque Legato Trejo; & ut erat myſterio devotus, Lucæ in eamdem rem opuſcula ac totum legationis contextum, ab illo multis ſuis, aliorumque precibus flagitabat, nec deſtitit donec voto potitus eſt. Huic ergo Lucas miſit ſua ſcripta, non ullatenus ut imprimerentur, ſed Collegii noſtri Fratrum Hibernorum Lovanienſis, quod Archiepiſcopus ipſe fundavit, & penes quod tunc exul habitabat, ſummo deſiderio & avidæ expectationi ſatisfaceret: quod ipſe Lucas in epiſtola cum libro ad Archiepiſcopum ſcripta ſic ſignificat: *Hæc, hiſtoriamque ipſam tuæ ſolum egregiæ fido prudentiæ, & fidæ trado cuſtodiæ iis qui apud te ſunt communicanda*, hoc eſt illis Collegii Patribus. Sed non iis tantum librum oſtendit Archiepiſcopus, verum etiam amico Bouchornio, vel forſitan etiam aliis, quorum ſtudio denique prodiit ea ratione, quam ex ipſo Bouchornio deſcripſimus. Nam neque ut opus perfectum, aut prelo politum ſcripta ſua miſit Lucas Tuamenſi, ac proinde cum illi ſcripſiſſet: *Accipe tandem*, inquit, *Illuſtriſſime Domine, quod tantumdem deſideraſti, forſan minus erit,*

& hu-

& humilius quam ſperabas. Quidquid tamen, qua leve illud ſit, flagitanti offero, petenti conſigno: vide quæſo, in quibus defecerim, adverte ſi in aliquo exceſſerim.

Poſtea tamen cum perciperet Lucas opus omnino imprimendum eſſe, miſit ipſe epiſtolam ad Lectorem operi præfigendam, & cum ea magnum numerum animadverſionum, per quas addenda multa & mutanda notavit; quantis enim impedimentis a primo exemplari expoliendo, imo & conſcribendo diſtraheretur, in eadem ipſe epiſtola ad Archiepiſcopum his verbis expoſuit: *Non potui hucuſque feriis præpeditus, & variis diſtractus occupationibus Illuſtriſſimæ tuæ Dominationis votis ſatisfacere, nec quam ſæpius, repetitiſque litteris tecum flagitaverat egregium & religioſum noſtratum Minorum Collegium, relationem hanc, ſeu ordinem totius hujus Legationis potentiſſimi & piiſſimi Hiſpaniarum Monarcæ ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Paulum Pontificem Maximum mihi licuit citius contexere, vel maturius abſolvere. Multa, eaque gravia me non ſemel rem hanc aggredientem, & tuæ Illuſtriſſimæ Dominationi obſequi ſtudentem interturbarunt: incredibilia ſunt, quæ ſe mihi vel invito & cuncta declinanti, imo & pro viribus avertenti obtulerunt obſtacula, quotidianæ circa res noſtras moleſtiæ, quibus non licuit deeſſe, frequentes litterariæ concertationes, quibus oportuit intereſſe, neceſſarii per varias & antiquas bibliothecas & archiva intra & extra Urbem diſcurſus, infirma quandoque valetudo, Illuſtriſſimi Oratoris continua inſtantia de quantocius abſolvendis tractatibus Sanctiſſimo Domino offerendis, ita ut fere nulli potuerim ultimam manum imponere, ſed e media incude omnes mihi abſtulerit, ut novos ſecundum adverſariorum varias reſponſiones, rei ipſius exigentiam, & temporum conditionem ad præceptum ordirer. Alia minus relatu digna, ſed mihi non minus importuna prætereo, quæ vel maxime cupidum deterrere poterunt a calamo, vel ab opere quopiam noviter aggrediendo.*

Quam parum autem cupierit Lucas ut opus ſuum vel manu ſcriptum ſpargeretur, multo minus ut impreſsis typis publicum fieret, in eadem epiſtola ſic ab ipſo didicimus: *Multorum in Hiſpania Belgioque utriuſque ſtatus & ſæcularis & regularis, noſtræ etiam Regionis & Religionis, virorum precibus de his tranſmittendis opuſculis forſan nimis dure reſtiti. Nam quod tibi, quem præ aliis veneror, hucuſque negavi, nolui prius alteri communicare, quod etſi propter tui reverentiam non feciſſem, facerem utique propter memet ipſum. Nec enim tantopere mihi fido, ut quod in ſecreto & raptim elaboravi confeſtim poſſit ad alios traſmitti. Volui ut prius tuam cenſoriam, & amicam ſubiret virgam, quam Radamantinam & ſeveriorem experiretur anacryſim aliorum.*

Unus mihi in hoc opere reſtat ſcrupulus, quem reverenter & religioſe movit Nicolaus Cichovius Societatis Jeſu, an ſcilicet ora-

orationes ad Pontificem dictas compoſuerit Lucas, aut ipſe Legatus, a quo dictæ dicuntur; ſed utriuſque eſſe declarat illa jam ſæpius allegata epiſtola ad Tuamenſem, Lucæ quidem compoſitionem, Legati autem quæ Lucas ipſi diſerte attribuit. *Illuſtriſſimus Orator, quæ ego quandoque præteribam, advertebat, quædam aliquando ſupplebat, omnia ſemel, ac iterum perlegebat, percurrebat, & animadverſione digna pro egregia ſua prudentia corrigebat.*

X.

Ex aula ad Cœnobium tranſmigrat.

INterim dum in his cum laude ſe occuparet, & multis menſibus in aula vivere cogeretur Lucas, ſæpe illi recurrebat qualis ipſe eſſet, nimirum frater Minor, & filius ſancti Franciſci, cujus lectus durus & frigidus eſſe deberet, parcus nec lapidus victus, neque Principum palatis conditus, ſed ab ipſis fere mendicabulis, & infimæ plebis hominibus emendicatus, publica precum exercitia, prolixa divinarum rerum meditatio, ſilentii tranquillitas, & reliqua Fratrum exercitia, denique ſocietas ipſa ſimilium, in qua & Cœnobii receſsu, vel fructuoſius vel certe liberius illa peraguntur: quæ dum Lucas frequenter cum aulæ ſtatu & commoditate compararet, profuſiſque Cardinalis & Epiſcopi fratrum favoribus, exhibitis continuo per alios honoribus, frequentiori adventantium commercio, quam cuperet, & aliis aſceticæ vitæ impedimentis, ſcrupulum ipſi injiciebant, & eliciebant ruborem: & non raro recordatus ſanctum Patrem noſtrum Franciſcum, ſibi quidem ad meritum, nobis autem ad exemplum, dum vel una nocte apud Cardinalem Brancaleonem habitare conſentiret, a Diabolo graviter vapulaſse, ſubinde cum Pſalmiſta gemebat Lucas: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus cedar.* Rogavit ergo Cardinalem & Epiſcopum, eoſque tantis pulſavit precibus, quod conſenſerint tandem ut Lucas habitare poſſet in Ordinis Conventu ſancti Petri Montis Aurei. Maluit enim Lucas tanta diſtantia ab illo Cœnobio ad Cardinales ædes cum religioſo ſocio quotidie ad Legati obſequia adventare, quam extra Cœnobium aut Cœnobitarum conſortium perpetuis aulæ commodis, aut delitiis gaudere. *Pſ.* 119.

Creſcebat interim ejus fama & æſtimatio per Urbem, & in ſacro Purpuratorum Collegio, apud eos in primis qui legationis negotio per Pontificem præficiebantur, & præ cæteris Scipionem Cardinalem Burgheſium, Pauli V. regnantis tunc Pontificis nepotem, & Joannem Garſiam Millinum ejuſdem Pontificis in Urbe Vicarium, quibus præcipuum negotiorum pondus incumbebat, & Scipionem Cardinalem Cobellutium, cui pars aliqua peculiariter commiſſa fuit. Qui cum ex frequenti Lucæ acceſſu, & exactis informationibus, agendique modo ejus talentum experti, varia in ipſum honoris & benevolentiæ ſuæ ſigna monſtrabant,

donec anno MDCXX. die XIV. Kalendas Junii redeunte in Hiſpaniam Archiepiſcopo Trejo, & commiſſo per Regem Legationis negotio curæ Ducis Albuquerquii, tunc Ordinarii Regis in Urbe Oratoris, Lucæ quoque mandatum fuit ut Romæ remaneret, ac Duci in proſequendo negotio diligenter aſſiſteret, ea qua pollebat intima cauſæ notitia, & apud Cardinales omnes gratia & auctoritate ob informationes, quas doctrina ſolidas, & ſincera veritate candidas, atque ab omni in adverſam partem paſſione puras dare ſolebat: cujus rei & fraternæ caritatis quanta illi ſemper cura fuerit, in illa Tuamenſis epiſtola ipſe nos ita docuit: *Abſtinui quantum valui a calumnia & injuriis, nec verbis, ſed rationibus mihi agendum eſſe propoſui, quamvis quæ cauſam promovere & ſupremum Judicem, coram quo agebatur, convincere vel commovere poſſent, mihi penitus reticenda non judicaverim, alia, & quæ poſui in illorum ſupprimens gratiam. Numquam mihi animus fuit, quos maxime diligo, & a quibus me ſolum habitus vel ſcholaſticæ quædam opinationes disjungunt, vel tantillum offendere. Immo ſemper ubique, qui periculum facere voluerunt probatum me experti, & faſſi ſunt amicum.*

XI. Alia ad Legationem ſpectantia ſcribit.

Perſtitit ergo Lucas in obſequio Reginæ Cœli & Regis terræ, utiliter & conſtanter aſſiſtens Albuquerquio Duci, atque aliis deinceps omnibus, tam ordinariis, quam extraordinariis Catholicæ Majeſtatis Oratoribus, eorum in hac re conſilia dirigens, ea ſubminiſtrans argumenta, quibus intentum ſuum opportune Pontificibus perſuaderent, ipſos etiam ſupplices libellos dictans, præcavens & præcludens progreſſus obſtacula, informans alios, qui negotio vel per Pontificem præficiebantur, vel qui his adlaborabant, uſque ad poſtrema tempora Legationis Ducis Terræ novæ, qui etiam aliquid obtinuit a Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro VII.

Atque hac occaſione Lucas, præter alias diligentias, tres libellos typis dedit a ſe olim conſcriptos, quibus oſtendere ſtudet, Immaculatæ Conceptioni Dei Genitricis Mariæ non obſtare, quod ex morte Filii ſui prævisa, ſublimiori genere redemptionis per ipſum redempta fuerit; quod Sacramento Baptiſmatis per ipſum inſtituto initiata: quod demnm pro conditione naturæ mortem obierit. Et quartum opuſculum conſcribebat de mente Sanctorum Patrum circa immunitatem Virginis a peccato originali; donec mors rerum ultima linea calamum e manu rapuit, ut quemadmodum ab infantia ſua ille Deiparæ Virgini devotiſſimus fuit, omniaque ſua ipſius patrocinio proſperabat, ita in ejuſdem obſequia, depoſitis prius reliquis ſtudiis, ultimum omnium ſuorum laborum præmium a Deo acciperet, quod Eccleſia in Virginis

ginis perſona loquens promittit: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* *Prov. 8.*

Nam quod homines attinet, ipſi Regii Oratores Lucæ noſtri proficuam diligentiam ſemper agnoverunt, & variis favoribus, pro omni occaſione remenſi ſunt, & ipſe Philippus IV. Rex, per proprias litteras ad Lucam ſcriptas, gratias egit & ut ipſius tunc in Urbe Orator Dux Terræ novæ, ſuæ Majeſtatis nomine præſens ageret, imperavit. Sic etiam Eminentiſſimus Cardinalis Sandovalius Archiepiſcopus Toletanus nomine ſuo, ac totius, cui præeſt, graviſſimi Senatus Madriti ſuper hoc Deiparæ negotium occupati, per ſuas etiam plures litteras fecit, & per ſuum in Urbe negotiorum actorem egregium ſane verum, D. Sebaſtianum Mungalez fieri juſſit. Illuſtriſſimum quoque Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ Hiſpalenſis (cujus civitatis erga Mariam ſingularem pietatem, ſtudiumque Gregorius XV. Pontifex peculiari reſcripto commendavit) per ſuas etiam litteras id ipſum præſtiterunt: quibus litteris Lucæ noſtri in hoc negotio *diligentiam, curam, ſcientiam, auctoritatem illuſtrat, labores tam bene impenſos, & tam dignos ipſius zelo & prudentia, doctrina, devotione*, laudant, & ſuam ipſorum erga illum, Rex quidem gratitudinem & obſequii memoriam, reliqui obligationem agnoſcunt, & repenſuros ſe in omni occaſione promittunt omnes: quæ dum excerpo ſuperfluum duxi litteras ipſas exhibere, cum omnium linguæ, multorum libri, Lucæ Waddingi in Deiparæ Virginis extollenda puritate ſtudium laboreſque deprædicent.

XII. Alii ejus litterarii labores.

ALia multa tunc moliebatur Lucas in Franciſcani Ordinis decus & emolumentum, & multo ſuaſu, prece, præcepto ipſum ad id concitabat Reverendiſſimus Pater Benignus a Genua totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter, commiſſæ ſuo regimini Religionis profectus, honoriſque zelantiſſimus & ſedulus promotor; & ut ipſe loquitur, dolens eouſque multos noſtri Ordinis viros, qui ſuis ſcriptis, non ſine laude, Dei Eccleſiæ fuerunt adjutorio & ſubſidio, temporum injuria ab hominum memoria excidiſſe. Ea propter eam curam Lucæ commiſit, ut his e tenebris eruendis, rerumque noſtrarum monumentis perquirendis ſedulam navaret operam. Sed quia ſapienter conſiderabat inania eſſe præcepta, cum adminicula non ſuppetunt obedientiæ, non aerem verberabat Benignus, ſed laborantem Lucam publice honorabat, privatim ſolabatur, omnem illi favorem ſubſidiumque ferebat, impreſſos procurabat libros, exarata manu monumenta auctoritate ſua undique congerebat, neceſſariam in primis ejuſmodi ſtudiis amanuenſis operam continuam adhibebat, dabat ipſe cuncta quæ jubebat, ut audacter imperare poſſet: & quod Lu-

Lucæ præ cunctis adjutorio ſolatioque fuit, dedit ipſi adjutorium ſimile ſibi, laborum comitem, laſſitudinis levamen, & optimum in omni caſu conſiliarium, quo meliorem deſiderare non poſſet, Antonium Hiquæum Hibernum Tomonienſem, ſacræ Theologiæ Lectorem, naturali indole, morum ſuavitate, regularis vitæ diſciplina, & omni genere eruditionis ornatiſſimum: cujus breve ſed prægnans elogium, & meo quidem, quantam fidem faciat, in cujus brachiis ultimum reddidit ſpiritum, aliorumque majorum hodie viventium teſtimonio veriſſimum, poſuit ipſe Lucas, dum ipſum inter Ordinis Minorum Scriptores merito connumeraret. Venit ergo Antonius in Urbem anno MDCXIX. patentibus litteris Miniſtri generalis ad hæc vocatus Colonia Agrippina, ubi ſacra Theologia eatenus prælegebat, & locum cum neceſſariis laborum adjumentis adeptus eſt cum Luca in Conventu ſancti Petri Montis Aurei, ubi ea omnia magna laude præſtitit, quæ ſuis deinceps locis explicabimus.

XIII. Edit opuſcula S. Francisci.

Tametſi vero noſter Waddingus in agendo, ſcribendoque quæ ad Legationem pertinebant ſatis ſuperque negotii habere videretur, ex iiſdem tamen ipſis archivis, & bibliothecis, quas hac occaſione verſabat, & illis horis quas huic occupationi ſuffurari poterat, atque aliis variis, vagiſque monumentis, quod ipſum in Hiſpania cœpiſſe diximus, conquirebat, colligebatque opuſcula S. P. N. Franciſci, eaque ſingulari induſtria, & aptiſſima diſpoſitione in tomos, claſſeſque diſtribuebat, & aſceticis commentariis devotis doctiſque a ſe illuſtrata, Antuerpiæ tandem typis Plantinianis edi curavit anno MDCXXIII. ut inde oſtenderet non adeo idiotam, aut ignorantem fuiſſe Franciſcum atque a ſciolis prædicabatur. Laborem autem ſuum etiam hunc dedicavit Gabrieli Cardinali, & Antonio Epiſcopo Legato fratribus Trejis; tum quod uterque Franciſcanus, jus quoddam in Franciſci parentis bona ſibi vindicare merito poſſent, tum quod inſtructiſſima ipſorum bibliotheca multam operi materiam, & liberaliſſimæ manus uberes adminiſtraverint ſumptus.

Ipſius autem epiſtolæ nuncupatoriæ reſpondit Cardinalis alia prolixa ſua, ipſique operi deinde typis præfixa, in qua pie pariter ac docte Franciſci auctoris excellentiam, ejuſque ſapientiæ ſublimitatem declarat; & quantum æſtimaverit Waddingi in hoc opere ſtudium beneficiumque magni fœnoris Chriſtianæ pietati præſtitum, his quibus ipſum alloquitur verbis expreſſit: *Imo tu immortales gratias Deo Optimo Maximo agere debes, qui per merita Beati Patris noſtri Franciſci, te poſt tot ſæcula, quibus hæc tradita erat ſilentio doctrina, creavit & ex Hibernia Catholicæ fidei tenaciſſima, ſed miſero & turbulento hoc ſæculo dira hæreticorum peſte,*

ſte, & immani perſecutione agitata, ut alterum Loth eduxit, & ad Religionem vocavit, ut tamquam fidelis ſervus & prudens dares in tempore ab eo præſignato fidelibus hanc tritici menſuram bonam & conſertam, coagitatam & ſupereffluentem, qua fidelium animæ veterem renovatam, & experimento probatam ſentiunt vocem Evangelii, quam Franciſcus ſingularis tibicen aurea canit tuba paupertatis & caritatis, non in vanum vocem emittens, velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, ſed caritate plenus opere prius prædicans quam verbo. Et hæc ad Lucam Cardinalis, qui poſt alia epiſtolam ſuam ita claudit: *Vale & in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obſequium te Deus ſervet incolumem, virtutibus augeat, de cujus bonitate confido, meritis tuis præmia nequaquam defutura*.

XIV. Concordantias Hebraicas Marii Calaſii.

ANtequam autem Lucas hæc Seraphici Patris opera abſolvere potuit, obiit Romæ frater Marius Calaſius Minorita Regularis Obſervantiæ, vir doctus, & ſacræ linguæ peritiſſimus profeſſor, reliquitque præter illius linguæ Grammaticam, Canones generales, & Dictionarium, quatuor magnos tomos Concordantiarum Hebraicarum ſacræ Scripturæ, quorum amplam utilitatem ipſe Lucas in ſuo de Scriptoribus Minoritis opere fuſius declarat. Sed quoniam hanc tunc recte percipiebat, valde indoluit, quod tam egregium opus cum auctore ſuo moreretur; nec enim imprimendo ſuppetebant expenſæ. Quapropter ipſe Lucas cum Paulo V. Pontifice, & Benigno Genuenſe generali Ordinis Miniſtro egit impenſe, ne tantus theſaurus cum jacturæ periculo abſconditus relinqueretur, nec deſtitit uſque dum Pontificis mandato, & conquiſitis Benigni ſtudio hinc inde ſumptibus, integra Hebraicæ linguæ typographia in Minorum Aracœlitano Cœnobio compoſita, totum opus in publicum prodiret, præfixis ab ipſo Luca in primis docto fuſoque opuſculo *De Hebraicæ linguæ origine, præſtantia, & utilitate*, aliiſque latinis præliminaribus, etiam iis, quæ ſub aliorum nominibus præleguntur. Et quoniam dum opus in prælo ſudaret, Paulus Pontifex præli auctor ad meliorem vitam vocatus fuit, ideo gratulatura Religio aſſumptioni Gregorii XV. ad ſummum Pontificatum, opus huic dedicavit, tamquam legitimo ſucceſſori Pauli, & Capiti univerſalis Eccleſiæ, in cujus ornamentum utilitatemque prodibat.

XV. Angeli del Paz Commentaria in Lucam Evangeliſtam.

IN eodem autem ſancti Petri Cœnobio viginti circiter annis prius, venerabilis ſervus Dei Angelus del Paz, Regularis Obſervantiæ Minorita mortuus eſt, tanta opinione virtutis, ut ſolerti cura Romæ tunc ageretur de ipſo inter Sanctos connumerando; tanta doctrina, & litterarum ſtudio, quod tot libros legiſſe videretur, ut nihil ſcribere potuiſſe, & tot ſcripſit, ut nul-

nullum potuiſse tempus ſupereſse aliorum operibus perlegendis quiſquam poſset opinari. Hic plurima ſuis manibus conſcripta reliquit opera, ingenii ſui, doctrinæ, & probitatis monumenta, quæ noſter Lucas inter Franciſcanorum ſcripta recenſet. Sed quoniam propria ſervi Dei manu tantum ſcripta extabant, in alienas manus hinc inde diſperſa tranſierunt, qui omnem adhibebant diligentiam, non ut publico uſui evulgarentur, ceteroqui digniſſima, ſed ut ſecreta cuſtodia apud ipſos laterent, dum ſumma reverentia, & perdendi pavore ſervarent quidquid hujus pii viri pauperis erat ſupellectilis, aut manus ejus contrectaverunt. Lucæ igitur ſpeciali mandato injunxit Benignus, ut omni ſolertia & ſollicitudine hæc omnia colligeret, & e clancularii s cuſtodiis in publicum jus typis impreſsa vindicaret. Sed dum ille, & ſi alia etiam typis parando occupatus, cetera Angeli volumina magno ſtudio, & ſingulari induſtria contrariis aliorum ea retinendi celandique artibus & conatibus extracta colligebat, inventum in ipſa bibliotheca Montis Aurei tomum Commentariorum Angeli in Evangelium ſancti Marci, a Petro Joanne Saragoſa Magiſtri ſacri Palatii vices gerente jam tum approbatum, revidit Antonius, adhibuit marginales notas, & ſacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum, ubi deerant citationes, & conſtanti labore fecit, ut opus immaculatum prodiret anno MDCXXIII. impreſſumque dedicavit Lucas Gabrieli Cardinali a Trejo, cujus beneficiis impreſſum eſt, & in eo parando laborantes Lucas pariter, & Antonius continuo recreabantur. Huic proximum invenerunt ſecundum tomum commentariorum in Evangelium ſancti Lucæ, quem pari ſtudio perpolitum anno MDCXXV. impreſſum Joanni Baptiſtæ Coccino, ſacræ Romanæ Rotæ Decano, & Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Regenti dedicavit, ut cujus conſilia, auxilia, & alios effectus benevolentiæ continuæ ſuæ utilitati experiebatur Lucas a primo die, quo pedem in Urbem intulit. Hunc tomum pone ſecutus eſt primus commentariorum in Evangelium ſancti Lucæ Evangeliſtæ, quem anno MDCXXVIII. edendum Lucas noſter dedicare ſtatuit Scipioni Cardinali Cobellutio, ſui olim amantiſſimo. Sed illo e vivis ſublato librum obtulit Ludovico Cardinali Ludoviſio S.R.E. Vicecancellario, Gregorii XV. Pontificis ex fratre nepoti, & Patriæ noſtræ Hiberniæ Protectori multis titulis meritiſſimo, quos Lucas ipſe exponit in epiſtola nuncupatoria illius voluminis, & ego paulo poſt ſuſius explicabo.

XVI. Concordantias Bibliorum S. Antonii.

Lucas interim ſcrutabatur Scripturas, & pro his, aliiſque ſuis meditationibus luſtrabat bibliothecas, ac pulveribus diu obſitas, blattiſque corroſas excutiebat membranas; cum inter hæc

hæc agendum in bibliotheca veteri Aracœlitana, quam Benignus Generalis tunc nova forma reſtaurari, noviſque libris augeri fecit, occurrit illi ſatis opportune, poſt edita ſancti Patris Franciſci opera, cariſſimi ejus, & clariſſimi diſcipuli ſancti Antonii Ulyſſiponenſis opus inſcriptum: *Concordantiæ Biblicæ ſancti Antonii*, antiquiſſimo charactere, laceris membranulis compactum, in quo per præcipua capita, optimo & erudito ordine diſpoſitæ erant graviores & magis utiles materiæ, quæ a Theologis, & verbi Dei concionatoribus tractari ſolent, hiſque applicata ſelecta Scripturæ loca, ut amplius vix quidquam poſſet in hoc genere deſiderari, appoſitis dumtaxat ſententiarum principiis. Ut vero loca hæc commodius, & facilius poſſit lector invenire, ultra capita librorum ſacri codicis, quæ ſola citabat auctor operis, Lucas adhibita amanuenſis opera numeros verſiculorum addidit, qui tamen ignoro, caſu an conſilio, typis impreſſi non ſunt: cuncta deinde, ut cum ipſo ſacro textu conferrentur curavit; ſuis etiam locis univerſos ſacri codicis libros repoſuit, quorum ordo in antiquo codice invertebatur, ut quæ prius poni debuerint, poſterius poſita fuiſſent, forſitan pro ut ſancto auctori inter legendum, aut meditandum occurrebant. Sed & aliud ejuſdem generis opus in eodem codice reperit, in quo per anni tempora diſtribuebentur themata pro feſtivitatibus Sanctorum, & univerſis fere hominum ſtatibus & conditionibus apta, ex ſacra Scriptura deprompta: quod opus dum perlegeret, invenit auctoris quidem Franciſcani & Hiberni fuiſſe, ſed anonymi, quem tamen ipſe non levi conjectura Thomam Hibernicum vitæ ſanctimonia, aliiſque ſcriptis ingenii ſui monumentis notum, eſſe cenſuit. Hoc ergo, veluti prioris operis auctarium, adjungere voluit, additis variis notis ſuo ipſius ſtudio elaboratis; & omnia uno volumine ſub titulo *Promptuarii moralis ſacræ Scripturæ* edidit Romanis typis MDCXXIV.

XVII. *Vitam B. Petri Thomæ Carmelitæ.*

INterea cum ad horum aliorumque elucubrandorum operum ſupellectilem comparandem Vaticana regiſtra perquireret, multa reperit diplomata, quæ dum ille ex continuata ſerie, & nomine Petri, quod ſolum in bullis exprimebatur, crederet continere acta Petri Teutonici Franciſcani, Epiſcopi Pactenſis, poſtea reperit ea potiori parte pertinere ad beatum Petrum Thomaſium Carmelitam, Teutonici noſtri in Pactenſi Epiſcopatu ſucceſſorem, deinde Patriarcham Conſtantinopolitanum. Sed ne labor ab ipſo impenſus in colligendis tranſcribendiſque diplomatibus, aut ipſa diplomata num. 29. deperirent, & ut rem gratam ſacræ Carmelitanæ Familiæ, & Franciſcanæ ſimul honorificam faceret; ex qua nimirum Petrus Thomas in Epiſcopatu præ-

præceſſorem, in præcipuis Legationibus collegas, in funere laudatorem, & alium deinde actorum ejus & vitæ ſcriptorem habuit; digniſſimi viri vitam ex veterum commentariis & illis bullis, novam auctioremque fecit, adjunctiſque doctis, & neceſſariis notis, ipſiſque integris diplomatibus, & præfixis aliorum de tanto viro præcipuis elogiis illuſtravit, ac typis Lugdunenſibus editam anno MDCXXXVII. dedicavit Martio Cardinali Ginetto, Carmelitani Ordinis Protectori, ac tunc apud Ubios Urbani VIII. Pontificis pro totius Europæ pace Legato.

XVIII. Vitam B. Jacobi Piceni.

CUm noſter Waddingus aliquando Neapolim profectus, oculis & manibus in vetuſta folia ubique intentus, inveniſſet vitam & res geſtas celebris apud Neapolitanos Tutelaris B. Jacobi Piceni, Regularis Obſervantiæ Franciſcani, cujus illi corpus adhuc integrum magno cœleſtium donorum fœnore, magna devotione venerantur, a Joanne Baptiſta Petrutio Archiepiſcopo Tarentino, heroico carmine, non contemnendo ſtudio libris v. conſcriptam. Quoniam duo tantum ejus exemplaria manuſcripta ſupererant, ne his quoque intercidentibus, doctiſſimi auctoris in beatum Virum ſtudii memoria, & opus ipſum longiori ævo dignum ſimul perderentur, Lucas e latibulo productum ſtudioſe limavit, ejuſque frequentem, atque alicubi denſam obſcuritatem doctis notis illuſtravit, ac Lugdunenſibus typis impreſſum anno MDCXLI. miſit Proregi, Senatui, Populoque Neapolitano, devotiſſimis beati Jacobi cultoribus.

XIX. Syllabum Scriptorum, & Martyrum Franciſcanorum.

DIxi vero hiſtorici ſtudii primum cogitatum Waddingo fuiſſe, ut inveſtigaret, & mundo manifeſtum faceret, quam vel cæca cenſura, vel injuſta calumnia Minorum Ordinem offendebant, qui vel ejus fundatorem ſanctum Franciſcum, vel alios ejus profeſſores idiotiſmi, ruditatis, & ignorantiæ carbonibus denigrabant. Neque unquam ab eo tempore per occaſionem deſtitit magno labore, ſtudio, ſumptibus undequaque comparare, vel ipſas Minorum, veterum præſertim, & nunquam typis editas lucubrationes, aut ſaltem auctorum, operumque omnis ævi talem notitiam, ut anno Chriſti MDCL. juſtum volumen emiſerit in forma folii ordinarii, in quo Scriptores omnes Franciſcanos, quos reperire poterat, per alphabeti ordinem recenſuit, & elogiis pro perſonarum qualitate, modeſtis tamen illuſtravit, ingeniique ſui, & calami monumenta cujuſque nomini, & perſonæ, quam habere poterat, notitiæ ſubtexuit, adjuncta ſimili recenſione ejuſmodi Minoritarum, qui non ſolum calamo, aut non tam iſto, quam ſanguine libenter ſuſo, & cum illo cara vita, Chriſti fidem, unicam ejus Eccleſiam Catholicam Romanam, & Roma-

Romanorum Pontificum ſupremam in terris poteſtatem & obedientiam vel propugnarunt, vel propagarunt. Quod opus cum variis & neceſſariis indicibus dedicavit Marco Antonio Cardinali Franciotto, tum ob ingenitam ipſi a ſuis majoribus, & propriis actibus exercitam in Minores benevolentiam, tum ob ſingularem in ipſam Auctoris perſonam, & in hoc ipſius ſancti Iſidori Collegium continuam beneficiorum largitatem.

XX. Librum Joannis Guallenſis de Oculo morali, & Florilegium Philoſophorum.

CUm autem in hoc opere, inter libros a fratre Joanne Guallenſe conſcriptos recenſuiſſet aureum ſane libellum *de Oculo morali*, hæc illi cauſa fuit, ut hunc ipſum librum typis mandaſſet. Paucis enim annis, poſtquam ſuum opus *de Scriptoribus & Martyribus Minoritis* edidit, offertur illi typis Lugdunenſibus vulgatum illud opuſculum *de Oculo morali*, mutilum quidem, ſed recentis docti Scriptoris calamo ſuppletum, ſub nomine Raymundi Jordani Canonici Regularis Ordinis ſancti Auguſtini, tamquam auctoris antiqui operis. Quod cum Lucas conſideraret, abreptum ſcilicet Ordini ſuo tam celebris auctoris opus inſigne, idque non ſolum contra fidem hiſtoriæ, quam ipſe prius publicavit, ſed etiam contra monita & notitiam rei, quam viva voce dedit moderno illi operis editori, ipſum Ordini & proprio auctori Joanni Guallenſi Franciſcano vindicavit, nova ejus impreſſione facta Romæ MDCLV. Non mutili, ut prius, aut ſuppleti, ſed ex propriis auctoris antiquiſſimis membranis integri, præfixa diſſertatione apologetica ad Lectorem, qua monſtrat opus non alius eſſe, quam noſtri Guallenſis. Ipſum autem hac editione dedicavit Julio Roſpiglioſo, tunc Archiepiſcopo Tarſenſi, & Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro VII. a ſecretis Statuum, nunc in eodem officio S. R. E. Cardinali, cujus antiquæ & ſingulari benevolentiæ obſtrictus fuit. Sed ut ſolet ſapiens data occaſione ſapientior eſſe, ita Waddingus hac occaſione Guallenſis opera penitus introſpiciens, eorum veneratione captus, omnia paulatim edere voluit, & præter illum librum *de Oculo morali*, eodem anno alium evulgavit *de dictis & factis celebrium Philoſophorum*, & adjunctum opuſculum *de Sapientia Sanctorum*, eumque conſecravit Carolo Cardinali Barberino, priſcæ eruditionis avido & ſtudioſo.

XXI. Vitam & Opuſcula quædam S. Anſelmi Lucenſis.

IPſe vero nullam prætermittens occaſionem benefaciendi, dum Gregorii VII. Pontificis acta revolveret, invenit laborum ejus participem, & glorioſi quamquam pœnoſi Pontificii adminiſtrum Anſelmum II. Epiſcopum Lucenſem, cujus acta, quamvis pia, politica, ſacra, militaria, œconomica, monaſtica, eccleſiaſtica, latebant tamen, quia licet alioquin typis edita, propter

exemplarium raritatem paucis nota fuerunt. Quapropter zelo boni communis, & priſcæ illius eccleſiaſticæ ſeveritatis & ſanctimoniæ motus noſter Lucas, hujus magni viri vitam tam proficuam Reipublicæ futuram commentariis illuſtravit, quibus rerum, quæ inter Henricum Imperatorem, & cum ipſo Hildebrandum Pſeudopontificem, & ex adverſo Gregorium verum Pontificem, ejuſque & Eccleſiæ jura propugnantem Comitiſſam Mathildem interceſſerant, multam claramque notitiam tradidit; Anſelmus etenim Comitiſſam in cunctis gubernabat. Adjunxit etiam Waddingus aliqua ſancti Antiſtitis opera, cœleſti ſapientia & pietate plena, & omnia ſimul uno volumine Romanis typis edidit anno Chriſti MDCLVII. ætatis ſuæ proh-ultimo, etiam ſub auſpiciis ante nominati Cardinalis Franciotti, civis & olim Epiſcopi Lucenſis, cujus in hoc noſtrum Collegium ſancti Iſidori optimo affectui, & continuis favoribus & beneficiis, ne quidem ipſa mors noſtri Patris Lucæ terminum ponere valuit.

XXII. Ciacconii Pontificum & Cardinalium vitas emendat.

PRæter hæc autem cum anno MDCXXX. Alphonſi Ciacconii opus de Romanis Pontificibus, & Cardinalibus, Urbani VIII. Pontificis auctoritate, & Hieronymi Aleandri, Andreæque Victorelli, & Ferdinandi Ughelli ſtudio auctum, emendatius ederetur, ſublato e vivis Aleandro, ejuſdem Urbani Pontificis nutu ſubſtitutus eſt Waddingus, ut hiſtoriæ menda corrigeret, & Ciacconii opus verum & purum prodire caveret; cujus in ea re laborem, ipſius Victorelli, & Leonis Allatii, qui in opere examinando partem habuit, teſtimonia nobis commendant.

XXIII. Scoti opera qua neceſſitate vulgaverit.

VErum ut ad Ordinis Minorum ſtudia redeamus, quanto inter ejus viros doctrina illuſtres celebrior erat Joannes Duns Scotus, tanto ferventiori deſiderio ardebat Waddingus, ut omnia ejus opera conquireret, & omnium doctorum hominum deſiderio, cuncta ſimul nitido charactere, & ordinata diſpoſitione publici juris faceret. Magnum enim erat ubique Scoti nomen, ſed latebant ſubtiliſſimi ſapientiſſimique Magiſtri plures libri, alii antiquis & ſordidis typis fœdis erroribus inſperſi circumferebantur, quo fiebat, ut ceteri fere omnes præter Franciſcanos, & horum quoque non pauci a Scoti lectione deterrerentur; cum alii interim, qui forte nec verbum in Scoti operibus unquam legerunt, Phœnicem illum ingeniorum paſſim traducerent, tamquam nimis obſcurum, & in differendo contentionum potius quam veritatis vel inveniendæ, vel illuſtrandæ ſtudioſum: ea enim eſt depravati noſtri generis conditio, ut quemadmodum in practicis, qui aliorum male facta notant, ii tamquam turbatores Reipublicæ mulctantur; ita in theoricis, qui noſtra non recte ſubin-

ſubinde opinata corrigunt, veritatis depravatores & contentioſos appellamus, ut quos ratione refutare non poſſumus, confundamus opprobrio. Sed Scotum Subtiliſſimum, & modeſtiſſimum veritatis indagatorem, his calumniis ſubjacere, atque adeo etiam Franciſcani Ordinis opiniones e Scoto deſumptas conſequenter traduci dolebat Waddingus, & xx. continuis annis conceptum dolorem diligenti operum inquiſitione, aliquorum obtentu, & ſpe futuræ aliquando occaſionis complendi ſui deſiderii, longanimiter liniebat, ab eo nimirum tempore, quo Romam venit, & patuit illi aditus ad Bibliothecam Vaticanam. Et quamquam in Scoto ab his tenebris vindicando multam & laudabilem operam impendiſſent duo Archiepiſcopi Hiberni Minoritæ, Mauritius a Portu, celebris olim in Patavino Gymnaſio profeſſor, deinde Archiepiſcopus Tuamenſis; & Hugo Cavellus Lovanii primum in noſtro Fratrum Hibernorum Collegio ſancti Antonii, deinde Romæ in Cœnobio Aracœlitano ſacræ Theologiæ Lector, & ex Ordinis Secretario, ac Definitore generali, Archiepiſcopus Armachanus totius Hiberniæ Primas: atque inter hos Franciſcus Lichetus Brixienſis, totius Ordinis poſtmodum Generalis Miniſter; nemo tamen rem integram præſtitit, aut omni parte perfectam.

XXIV.
Quo ſtudio, quibus auxiliis.

SEd ſolertia ſua, & indefeſſa indagine detegebat Waddingus opera a ſæculis abſcondita, & magno ſumptu advehi, nitidoque charactere ex nigris & laceris membranis deſcribi curabat. Atque Cavello in primis libenter communicavit Scoti libros de Anima, & quæſtiones in x. ac xii. libros Metaphyſicæ. Conſilium ſuum interim primariis Ordinis Patribus aperiebat, ſed cum id laudarent omnes, nullus tamen promovebat; quippe deterriti vaſta mole, quam Lucas animo concipiebat, & ſtudio ſuo congerebat, excepto Joanne Baptiſta a Campanea, tunc Generali Ordinis Miniſtro a Secretis, qui ut erat plurium annorum Scoticæ doctrinæ callentiſſimus profeſſor, ita illius illuſtrandæ & in ſcholis propagandæ cupidiſſimus. Sic ea de re dicentem Waddingum avide excipiebat, impigre conantem laudabat, & operam impenſuro promittebat auxilium. Nec promiſſi oblitus prætermiſit occaſionem; etenim anno MDCXXXIII. in Comitiis Ordinis Toleti celebratis, electus ipſe totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter, inter alia Comitiorum decreta renovari curavit antiquam Ordinis conſtitutionem, qua cavetur, ut Philoſophiæ ac Theologiæ Lectores irremiſſibiliter proprio Lectoratu priventur, ſi directè, vel indirecte, voce, vel ſcripto deflexerint a doctrina Scoti. Ad hoc autem ut omnes poſſent ſe commodius in doctrina & littera Scoti exercere, de novo conſtitutum eſt, ut

Miniſter Generalis curaret, quod, quatenus fieri poſſet, Scoti ſcripta ſuper Sententias parvis voluminibus ederentur, ſedulamque navaret operam, ut univerſa Doctoris Subtilis opera prelo traderentur in forma folii, ac tot excuderentur exemplaria, quot principalioribus ſaltem ſingularum Provinciarum bibliothecis neceſſaria fore decreverit. Atque id ipſum etiam de gravium, & vetuſtorum præcipue, Ordinis noſtri Doctorum operibus fieret. Nec citius anno ſequenti in Italiam appulit Generalis, quam nobili Lucæ cogitatui promovendo ſe præparavit, & ſæpius adſcito graviorum Patrum cœtu, decrevit denique mandavitque Lucæ, ut dimiſſis interea reliquis ſtudiis, in id ſolum incumberet, ut omnia opera Scoti, qua labore & induſtria, qua ſumptu conquireret, & optima ratione diſpoſita & illuſtrata typis mandaret, datis illi in partes laboris præclaro illo viro, quem ante nominavimus, Antonio Hiquæo, & alio acutiſſimo Scholaſticarum quæſtionum diſputatore, Joanne Pontio, utroque Hiberno, illo jam tum emerito, iſto actuali & primario hujus Collegii ſacræ Theologiæ profeſſore: qui quod Licheti Commentariis in IV. Sententiarum libros deſuit, ſi prolixitatem & perfectionem laboris utriuſque, ſed Antonii præſertim, cum temporis brevitate comparaveris, ultra ſpem ad omnem ſatisfactionem compleverunt. Aſſignavit etiam Generalis duos ex Collegio Patres, qui typis Lugduni præeſſent, & ſubſidia in ſumptus collecta ſuppeditavit.

XXV. Quanto ſuo labore.

His ergo auxiliis fretus Waddingus magnum ingreſſus eſt labyrinthum, ſed feliciter exivit, omnia in primis cum adjectis Cavelli ſcholiis, & Mauritii quos reperiri poterat, Lychetique commentariis in tres priores Sententiarum libros, & in Phyſicam Aretini commentariis eatenus impreſſa collegit. Vaticanam bibliothecam, optimorum codicum promptuarium, ceteraſque Urbis per ſe ipſum, & alias Orbis, longinquarum etiam regionum, per alios diligenter luſtravit: omnia tandem opera Scoti, quæ ad Scholaſticam eruditionem pertinent, in unum collegit, impreſſa inter ſe mutuo, & cum manuſcriptis contulit, notas & ſcholia, ubi deſuerunt, adjunxit: ſacræ Scripturæ, ſanctorum Patrum & Doctorum loca vel mutila, vel corrupta ſuæ veritati & integritati reſtituit, & juxta recentiores operum ipſorum editiones, fideliter citavit: Ariſtotelis, & Averrois textus Scoto familiares, breviori citatione notavit, ac ſubinde depravatos reſtituit: ad ſingularum Scoti quæſtionum initia celebriores veteres modernoſque Doctores, qui de eadem re diſputant, aſſignatis eorum libris & ſectionibus indicavit: ad ſingulos Scoti libros, & minutiſſimos quoſque tractatus judicium ſuum, cenſuramque ex ruderibus reconditæ antiquitatis ipſorumque operum viſce-

viſceribus ingenti labore hauſta, circa operis cujuslibet auctorem adhibuit; germanos Scoti fœtus ipſi vindicavit, ſpurios & ſuppoſititios candide docteque rejecit, enarratis bibliothecis, ex quibus ſingula depromſit. Multa menda in textu correxit, lectionum varietatem in marginibus notavit, capitum & articulorum partitiones in aliquibus juxta materiæ diverſitatem adhibuit, unius codicis lacunas ex aliis complevit, omnes marginalibus notis illuſtravit, & paragraphos per numerorum notas diſtinxit. Reportatorum quos vocant Pariſienſium libros, non ſpurios illos, qui repetitis editionibus circumferebantur, ſed veros, & genuinos Scoti ex antiquiſſima impreſſione, & manuſcriptis codicibus, ex Vaticana & ſancti Franciſci Tranſtyberina bibliothecis depromptos exhibuit, & in ſua ad hos libros cenſura ſuppoſititii verique operis differentiam, & adulterii originem declaravit: aliorum operum ornamenta huic addidit, & ſcholia, quæ Cavellus olim adulterino operi adhibuit, genuino huic & vero Scoti fœtui adaptavit, ſuaque ubi opus erat adjunxit.

XXVI. Quam feliciter abſolvit.

Hinc additis ad Licheti commentarios ſupplemento Pontii, ac tribus Tomis commentariorum Hiquæi in IV. librum Sententiarum, univerſam denique molem operis ea ratione in XVI. magna volumina diſtributam, quam ipſe tum ipſius operis initio, tum in opere ſuo de Scriptoribus Franciſcanis expoſuit, compoſitis a ſe præliminaribus, & præfixa Scoti vita, quam Tomo III. Annalium prius edidit, ſed hic in capita diviſit, ſubmiſit prelo Lugdunenſi, & ſolo quadriennio, poſtquam res illi commiſſa fuit, ad ultimam typorum impreſſionem cum copioſiſſimis indicibus, felicius quam prius credi poterat, abſolutum opus univerſum unica epiſtola, prænominati Patris Generalis nomine concepta, nuncupavit Philippo IV. Hiſpaniarum Regi, utpote in cujus Regnorum Academiis multæ ab ipſius Majoribus conſtitutæ ſunt cathedræ, e quibus Doctores, ad id pingui ſtipendio conducti, ſolius Scoti ſententias explicare tenentur. Quique ipſe Philippus Rex, ejuſque præceſſores Hiſpaniarum Indiarumque Monarchæ, Scoti doctrinæ aſſeclas, etſi non ſolos, ſed plerumque primos ad populos ſibi vel ſubditos vel ſubjugatos docendos elegerunt, & plurima in univerſum Ordinem continuo conferunt beneficia. Sane vero quam correſponderit Deus votis & opinioni Waddingi in edendis his operibus Scoti, nunc nobis palam eſt, quando videmus ipſum ſtudium operamque ejus adeo proſpere ſucceſſiſſe, ipſoſque libros, etſi multo ære comparandos, tam avide diſtractos fuiſſe, ut cum plurima eſſent exemplaria, vix biennio poſt eorum editionem ullum inveniretur venale, cum a multis adhuc ſollicite quærantur.

Atque

XXVII. Quanto fructu & applauſu.

ATque inde præterea ſecutum, ut Scoti non ſolum ſolida & ſubtilis doctrina, ſed ipſa quoque ſcribendi gravitas & modeſtia, aliæque ejus virtutes, quæ in ea candidæ mentis ipſius imagine relucent, plures hodie habeant cultores, qui viri partes venerentur, quam prius fuerunt, qui vel ex ignorantia vel malitia ipſum averſabantur. Habeo epiſtolam viri gravis, & doctiſſimi Magiſtri Pauli Sharlogi Societatis Jeſu, in qua declarat, quam acceptum fuerit ſtudium Waddingi, & coadjutorum Salmanticæ in Hiſpania, unde eam ſcripſit Romam ad ipſum his verbis, ſed lingua Hiſpanica: *Et quoad opera Scoti, dico mihi non conſtare, quod ad hanc Univerſitatem pervenerit, niſi unum exemplar, quod penes me eſt, & viderunt Commagiſtri mei Collegii Regii, ipſiſque viſæ ſunt tot gemmæ tam operis diſpoſitio, quam novi & doctiſſimi commentarii RR. PP. Magiſtrorum Hiquæi, & Pontii, plurimumque laudant Reverendam Paternitatem veſtram tamquam univerſi operis œconomum, nec ceſſant extollere veritatem, & gravitatem, qua in operum cenſuris inceſſeris, & quam bene rem ſcholaſticam egeris, ubi id poſtulavit occaſio. Dediſtis tandem eſſe Scoto, & in illo ac reliquis operibus veſtris veſtram Patriam notabiliter illuſtraſtis. Noſtra ſane Societas hic in Hiſpania ex V. P. plurimum æſtimat, quod Illuſtriſs. Cavelli Scholia inſeruerit, pro ejus favore in ſententias noſtras, quia magnopere cupimus vel umbram in ſubtiliſſimo Scoto reperire.* Hæc ex epiſtola.

XXVIII. Ordinis decreta & veterum ejus Patrum bibliothecam evulgare voluit.

MUlta ſane præter Annales Minorum, de quibus poſtea ſcribemus, & magna ſunt alia hæc opera Lucæ Waddingi jam typis edita, & quæ alium quemvis Auctorem admodum illuſtrem reddere ſufficerent; ſed excelſo ipſius animo, & ampliſſimo ingenio non ita ſufficiebant, quin alia plura, eaque & mole & materia majora moliretur, tametſi nullum aliud opus conſcriptum reliquiſſet, ſed ſolum non contemnendam in pleraque magno ſumptu & ſolertia comparatam ſupellectilem. Nam præter opuſcula minora, quæ meditabatur, & in Minoritarum Scriptorum ſyllabo ſub ipſius nomine recenſentur, in animo habuit, & aliquoties in Annalibus promiſit omnia Ordinis Minorum generalia Comitia, eorumque omnia atque Provinciarum quoque nonnulla decreta uno volumine, ſed alio modo & methodo in Ordinis utilitatem evulgare, quam quibus alterius interim ſi tam felici, quam feſtinanti opera prodiit opus. Voluit etiam Waddingus veterum Ordinis Patrum opera omnia, quæ vel nunquam prodierunt, vel exemplarium raritate, & jam antiquatis characteribus impreſſa deliteſcunt, pluribus tomis diſponenda, paulatim e tenebris ad publicum uſum educere, quod, ut ante

dixi,

dixi, primum ipſius ſcribendi propoſitum fuit, ac deinde Superiorum præcepto commendatum.

XXIX. Hiberniæ Annales quo motivo meditatus.

VErum cum horum operum pars maxima ad Ordinem Minorum pertineat, ille meditationes ſuas ultra protendens, patriæ quoque Hiberniæ univerſam hiſtoriam illuſtrare ſtatuit, & quantum in ipſo fuit etiam ſtuduit, optime ratus non ſoli Religioni ſe obligatum fuiſſe. Nam *partem* etiam *patria, partem parentes ortus noſtri vindicant*. Eodem enim tempore, quo Lucæ nomen ex operibus diffundi cœperat, duo ejus alumni patrias antiquitates conquirere, & eatenus latentes in litterarii orbis theatrum educere ſatagebant: quorum alter fuit Patritius Flemengus Hibernus Franciſcanæ ſtrictioris Obſervantiæ profeſſor, qui ex hoc noſtro Romano Collegio ſancti Iſidori, per Lucam tunc recenter fundato rectoque, ad Lovanienſe quoque noſtrum ſancti Antonii Patavini Collegium Philoſophiæ Lector amandatus, dum iret, luſtratis per viam præcipuis Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Belgiique bibliothecis, aliquas ſancti Columbani Hiberni, aliorumque noſtratium Sanctorum res geſtas, & opuſcula ſtudioſe collegit, in methodum reduxit, ac ſcholiis, notis, & commentariis illuſtravit, & opus in unum volumen compactum, ut typis ederetur, Lovanii reliquit; cum ipſe, ut novum Ordinis, & gentis noſtræ Collegium recturus Pragam, Bohemiæ Regni Metropolim, deſtinatus fuit, ubi cum Theologiam aliquandiu prælegeret, & Superioris auctoritate tituloque novæ fundationis rudimenta proveheret, ab hæreticis Bohemiæ ruſticis, Saxoniæ Ducis victoriis inſolentibus, & in religioſos viros rabidis, ſimul cum ſocio fratre Matthæo Hore, ejuſdem Provinciæ Hiberniæ & Religionis profeſſo clerico, in Catholicæ fidei, & religioſæ profeſsionis odium crudeliter interemptus eſt; atque adeo ipſius opus in illo Collegio Lovanienſi adhuc ineditum aſſervatur.

Alter autem, qui Hiberniæ hiſtoriam ſuſcepit, fuit Hugo Vardæus Hibernus pariter & Franciſcanus, quem juvenem adhuc tunc ſæcularem Salmanticæ in Hiſpania ſtudiis incumbentem Lucas noſter tunc ſacræ Theologiæ Lector in multis juvabat, ad bonas litteras virtutemque ſectandam ſalutaribus documentis incitabat, ac demum Ordinis habitum devote poſtulantem anno MDCXVI. non abſque difficultate voti compotem fieri fecit in ipſo Salmanticenſi Cœnobio Provinciæ ſancti Jacobi; ubi cum ſacræ Theologiæ ſtudia percurriſſet Hugo, ad illud ipſum Lovanienſe Collegium noſtrum miſſus, Lectoris & Guardiani officiis ibidem functus, ut erat acris ingenii & ſingularis peritiæ noſtri idiomatis, quo pleraque patriæ, non hiſtorica tantum, ſed Juris etiam, Medicinæ, & Philoſophiæ ſcholaſticæ monu-

nu-

numenta conſcripta ſunt, ſeſe totum illis colligendis & illuſtrandis addixit. Atque id in primis propoſuit, ut præcipuorum noſtratium Sanctorum acta, quorum admiranda converſatione, & multitudine Hibernia olim Inſula Sanctorum dicta fuit, per anni menſes, & Sanctorum natales dies diſtributa, & variis appendicibus notiſque illuſtrata, pluribus tomis emitteret, ſub titulo Hagiologii Hiberniæ, præfixo apparatu, ſeu, ut ipſe vocat, prolegomenis univerſam fere reliquam hiſtoriam Hiberniæ continentibus, quorum idea ab ipſo XV. ſectionibus concepta, & huc Romam transmiſſa, Waddingum inter cetera valide movit, ut omnem operam operi promovendo impendere decreviſſet, ipſumque certo jamdudum ad finem perduxiſſet, ſi ipſius directionem ſequerentur alii. Sed cum ſuis in Ordinem redigendis ab anno circiter MDCXXIII. incumberet Vardæus, anno MDCXXXV. immatura morte ſublatus eſt: & illi in eodem ſtudio ſucceſſit Joannes Colganus, doctus & religioſus vir, ſacræ Theologiæ in eodem Lovanienſi Collegio Lector emeritus, qui Vardæi ſtudium laborioſe per annos multos proſecutus eſt. Verum cum res in longum protraheretur, multi dolebant nuſquam prodire Eccleſiaſticam hiſtoriam Hiberniæ. Quapropter Waddingum prioribus tunc Annalium Tomis, aliiſque operibus gratum hiſtoriographum, epiſtolarum precumque nimbis pulſabant ex ipſa Hibernia, ex Hiſpania, Gallia, Germania noſtræ nationis Prælati, religioſorum Ordinum docti viri, nobileſque laici, etiam ab alienæ fidei profeſſoribus, ſed antiquarum rerum ſtudioſis, & Hibernicæ gentis gloriæ cupidis ad id invitati, ut patriæ ſuæ hiſtoriam conſcribendam ſuſciperet; rem quippe genti noſtræ futuram longe honorificentiſſimam, nec minus utilem univerſæ Eccleſiæ, aut reconditæ antiquitatis curioſis doctiſque omnibus gratam.

XXX. Rem ſerio amplexus cur non effecerit.

ET ſane Waddingus, qui etiam adhuc in Hiſpania juvenis, quidquid per occaſionem in libris ad hanc rem reperiebat, inter adverſaria ſua referebat, facile ſe duci ſinebat tot tantorumque virorum inſtantia, & proprio zelo honoris, patriæ, ac gentis optime meritæ; ſed vel rem ſuam communicandi incuria, vel potius aliorum injuriis præſſæ impotentia, reliquo orbi quodammodo ignotæ, atque adeo æmulorum ſollicito, ſi tam licito ſtudio, obtrectationibus & ſcriptiunculis ſuccumbentis, cum tamen eſſet, ut olim ſcientia & ſanctitate illuſtris, & antiquiſſima portio Eccleſiæ Chriſti; ſic ſemper ab initio Catholicæ Romanæ fidei conſtanter tenax, & Angliæ Regibus in eis, quæ per Deum licebant, fideliſſima, ab eo tempore, quo non tam propria neceſſitate, quam devota, & ſincera in Romanum Pontificem reverentia ſeſe illis ſubjecerunt. Hinc ergo ipſum ſollicitantibus, operam ſuam

ſuam non negabat Waddingus, tametſi alios labores exponeret, ſed viciſſim rogabat non ut expenſas, ſed ut monumenta ipſi, vel miniſtrarent vel indicarent ſaltem. Nec ceſſabat interim impreſſos libros conquirere, in quibus eſſet aliqua rerum noſtratium notitia, aut ullam intermittebat occaſionem, vel parcebat expenſis, ut ex Romanis Archivis, aliiſque per Italiam, ſcripta manu monumenta colligeret. Sed cum videret hæc ad rem perficiendam non ſufficere ſine ipſis Hibernorum codicibus, & intelligeret multos eſſe Lovanii, per Patres jam nominatos, ex ipſa Hibernia comparatos, nec ſperaret ſe quidquam amplius accepturum, ex Regno jam tum Bellonæ furiis, & Hæreticorum perſecutionibus agitatiſſimo, qui ejuſmodi antiquitatis monumenta, vel conſumpſerunt flammis, vel alio aſportarunt, tunc egit cum Colgano & Superioribus Collegii Lovanienſis, obtulitque facturum ſe, ſi ipſi vellent, ut monumenta omnia, & perſona Colgani, & Amanuenſes, aut Socii patriæ linguæ periti, quos ipſe vellet, Romam ad hoc Collegium S. Iſidori tuto ducerentur; adſtiturum etiam ſe, & Hiquæum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & Hibernicarum rerum & idiomatis admodum callentem, ſumptus quoque omnes tum parando operi, tum imprimendo neceſſarios proviſurum, ut integrum corpus multorum voluminum Hiberniæ illuſtratæ varia vetuſtaque hiſtoria nobile, quam citiſſime, & annuente Deo, non minus proſpere prodiret, quam emiſſa ſunt opera Scoti, & alia quæ tractavit Waddingus. Et quamquam hic vel conſenſus denegatus fuerit, vel prætexta mora, nihilo tamen per id diminutum fuit Lucæ ſtudium illuſtrandi Patriam, quo minus, cum per Colgani litteras percepiſſet, parari duos operis Tomos, quorum prior contineret opuſcula noſtratium Sanctorum, eaque digna, quibus veterum Patrum Bibliotheca creſceret; poſterior autem complecteretur plura ex prolegomenis Vardæi, quibus tamen edendis non ſuppetebant ſumptus, tunc reſcripſit Lucas, ut hos duos huc ad ipſum tranſmitteret, & ſe curaturum ut cito prodirent. Sed cum hinc etiam nihil, præter gratiarum actionem, complendi operis moras, & allegata viarum pericula referret, omnem hujus ſtudii cogitatum abjecit. Edidit autem poſtmodum ipſe Colganus unum Tomum, quo SS. Patritii, Columbæ, & Brigittæ Virginis, & alterum, quo Sanctorum Hibernorum, quos Januarii, Februarii, & Martii diebus colimus, acta, notis & appendicibus illuſtrantur.

XXXI. *Meditatus etiam hiſtoriam Epiſcopatuū totius Orbis, ac recentiorum Pontificum & Cardinalium.*

Aliud autem immenſum opus meditabatur Waddingus, quo non Religionem tantum, aut Patriam ſuam, ſed univerſi terrarum Orbis Religiones & Regiones obligaret, nempe theatrum Epiſcopatuum totius mundi. Cum enim aliorum ſtudiorum

cauſa multa pervideret, multamque reperiret harum rerum notitiam, ſed ſparſam tum ſcriptis manu monumentis, præſertim Vaticanis, tum aliis libris prelo publicatis, nec paucos deprehenderet errores in iis, quæ alii de particularium Eccleſiarum Præſulibus jam ediderunt, judicavit rem optimam ſe facturum, ſi uno corpore integrum, & ut in Ordinis Annalibus fecit, Vaticani tabulis directum roboratumque exhiberet proſpectum, in quo univerſalis Eccleſiæ maximo ornamento, & peculiarium ſingularium utilitate propagatæ poſt Chriſtum fidei, & Eccleſiarum origines, progreſſus, jura, Epiſcoporumque omnium perpetua ſucceſſio, vitæ acta, quantum fieri poſſet conſtans cohærentia doctrinæ, ejuſque & poteſtatis dependentia ab uno capite, & Eccleſiarum omnium legitima matre & Magiſtra Romana, atque obedientia Romano Pontifici numquam feliciter aut impune negata cernerentur; & ſimul illuſtrarentur, tum perſonæ, tum familiæ, & res omnes illis cognatæ, tum Civitates, Regna, & Provinciæ in quibus erectæ aliquando fuerunt ſedes Epiſcopales. Neque prætermiſit occaſionem ullam, aut parum temporis, expenſarum, aut operæ in iis colligendis, & quadantenus etiam diſponendis per ſe ipſum & alios impendit. Interea vero quia non ſuam in his gloriam, ſed utilitatem decuſque Reipublicæ reſpiciebat, cum Ferdinandus Ughellus Ordinis Ciſtercienſis tunc ætate junior, nunc venerabilis Abbas SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas ſalvias, virtuti ſemper addictus, & Eccleſiaſticæ præſertim antiquitatis ſtudioſus, atque in hoc Epiſcopatuum theatro felix octo jam voluminum auctor id ipſum quod Waddingus de omnibus, ille de Italiæ tantum Epiſcopis meditaretur, & adhuc ignarus quod Lucas moliretur ejuſmodi opus, ipſius, ut in aliis conſuevit, ita in hac re judicium conſiliumque rogaret, tantum abſuit ut optimus Waddingus id Ughello invideret, vel tanti operis honorem ſibi præripi doleret, ac propterea, quod in pleriſque naturæ vitium eſt, rem illi diſſuaderet, aut texeret moras, vel operis perficiendi difficultatem aggravaret, ut potius lætatus fuerit ad nuncium, laudaverit conſilium, ſuaſerit omnem induſtriam & ſtudium, ſuamque promiſerit opem, & reipſa quidquid ad operis complementum ab ipſo deſiderari poſſet, id abſque invidia communicavit. Cujus rei teſtimonium quod ipſe Abbas oretenus mihi fuſius explicavit, his etiam verbis ſcripſit primo Tomo ſuæ Italiæ ſacræ de Waddingo loquens: *Is ille eſt, qui noſtrum hoc de Epiſcopis Italiæ opus maturius, quam ipſi decreveramus, ſuis vel adhortationibus, vel ſtimulis in lucem prodire compellit*. Verum quod Lucas magno animo, & optima voluntate propoſuit, aliorum ſtudiorum, negotiorumque torrens, & ſuperveniens inde ſenectus impedierunt. Sed in magnis voluiſſe ſat eſt, & invenire diffi-

difficilius, quam inventis addere. Sed neque huic litterarii laboris parti defuit animus, aut conatus ipſius; cum enim, quod ante diximus, Ciacconianas Romanorum Pontificum & Cardinalium vitas, Urbani VIII. juſſu perſpiceret, advertit ex recentiorum Pontificum, & Cardinalium geſtis multa defuiſſe, neque tam bene digeſta, quæ ſcripta ſunt. Qua propter ſibi propoſuit Clementis VIII. Leonis XI. Pauli V. Gregorii XV. Urbani VIII. & Innocentii X. omniumque ab his creatorum Cardinalium vitas conſcribere. Sed cum aliquam operis materiam in ſua ſcrinia corrivaſſet, effectum tamen interciderunt eadem obſtacula ætatis & negotiorum.

XXXII. Annales Minorũ ſcribendi ratio.

Neque vero adeo multum in Waddingo fuit magna voluiſſe, qui tam magna, quæ diximus, ludens tantummodo & tamquam nihil agens perficere potuerit, ſubciſivis nimirum horis, & caſu, ſeu opportunitatibus principalis ipſius, & ſtati ſtudii occaſione oblatis. Etenim a quo primum cœpit (cœpit autem fere quam primum venit Romam) Ordinis monumenta in Ordinem, & Annalium formam redigere, ita huic ſtudio, ceu certæ ſuæ profeſſioni, pertinaciter incubuit, ut ſingulis trienniis ſingula dederit volumina, quæ litteratorum Orbis materia, mole, ſcriptionisque perfectione miratur, & laudat, & quæ alium ſolertem quamvis doctumque virum per plures annos totum ſatis occuparent. Cum tamen Waddingus in his, atque illis perpetuo ſic verſatus fuerit, ut crederes negotiorum, quæ tractabat, continuum pondus, & multitudinem non poſſe locum ipſi dare, ut vel pro animi oblectatione librum ullum interlegere poſſet, aut ſi tot, tantoſque libros cum legiſſe & ſcripſiſſe conſideres, non facile poſſis adduci, ut credas negotium ullum ab ipſo tractatum, nedum plurima & graviſſima, ſingulari induſtria & mira proſperitate, ſuperatis obſtaculis abſoluta fuiſſe. Quod ſcriptionem attinet, (nam actionem alibi explicabo) ut tu rem palpare poſſis, ego calculum duco, neque me ligo ad illas annorum notas, quibus Annalium Tomi e prelis prodierunt; etſi enim ille continuo ſcriberet, Romanorum tamen aut Lugdunenſium vel bella, vel peſtes, vel alia impedimenta non continuo libros ſuos imprimere permittebant: ſed ab anno Chriſti MDCXX. quo Tomi primi compoſitioni ſerio ſtudere poterat ad MDCL. quo parum admodum Tomi octavi ſcribendum reſtabat, annos numero XXX. ſupputaveris per quos ille octo Annalium Tomos conſcripſit, quos ſi inter ſe comparaveris, & ſex annos dempſeris, quibus ille, vel extra Romam in aliis negotiis, vel extra hoc Collegium in Conventu Aracœlitano, & procurandis in Curia Romana totius Ordinis negotiis, ſine muſæo, ſine libris, ſine ſeceſſu, vel otio ſcribendi conſumpſit, repe-

ries profecto ſi ngulis,uti dixi,trienniis ſingulos Annalium Tomos reſpondere.

XXXIII. Neceſſitas.

UT vero huic ſtudio tam impenſe ſe applicuerit Lucas, non temeraria præſumptio, vel temporis ociive, ceteroqui male perdendi, copia, non communis illa ſcribendi cacoëthes impulerunt, ſed inculpatæ, quod ajunt, tutelæ neceſſitas ipſos Ordinis Superiores coëgit, ut illum juſtis rationibus reluctantem hortatibus, prece, præceptiſque compellerent. Etenim non parum referebat Ordinis Minorum, ut ejus Annales, aliique Waddingi labores, nervis & oſſibus robuſtiſſimi, & perquam caſtigate conſcripti prodirent, quando alii tum adverſæ, tum conſentientis fidei homines nervos omnes intendebant, & exerebant lacertos, ut omnem Ordinis decorem, vel quæſitis undequaque umbris obſcurarent, vel fortius emicantem ad ſe ipſos jure vel injuria traherent. Ipſum auctorem audire præſtat, nam præter ea, quæ de motivo conſcribendi Opuſcula S. Franciſci ex ipſo prius attulimus, hanc Annalium operis neceſſitatem, cum Tomi primi lectoribus propoſiti ſui rationem reddit, amplius his verbis declarat: *Immenſum aggredi opus, ultra majorum præcepta, ſecerunt & vetus noſtra gloria, & recentes aliorum calumniæ. Conſeneſcentem vidimus memoriam eorum, qui æternam meruerunt, & ſqualorem obduci oblivionis præclare factis in rei Chriſtianæ publicum emolumentum. His acceſſit aliorum æmulatio, qui ſuo bonori detrahi putant quidquid accedit alieno, nec proprias res laudari poſſe, niſi cum magnorum opprobrio. Celebre fuit, nec immerito, Franciſcanorum nomen, ob res præclare geſtas in Eccleſiæ Catholicæ dignitatem, ob editas doctas lucubrationes in fidei Romanæ commendationem, ob vitas liberaliter profuſas in Chriſtiani nominis auctoritatem, ſed quanto ſucceſſu meliore profecit, tanto invidi in majus incendium livoris ignibus exarſerunt. A principio fuerunt, qui tantum ferre ſplendorem non poterant, quin mendaciorum, calumniarumque nebulas tentarent obducere, neque aliquando defuerunt, qui promicantem undique ampliſſimi Inſtituti gloriam obductis adverſæ, vel diminutæ famæ tenebris nonnumquam attenuarent.*

Sed cum hæc univerſim ſufficerent, quæ Minores ad providendum Ordinis honori obligare poſſent, & ut virum quempiam zelo & ſcientia præditum ab initio provocarent ad opus ejuſmodi aggrediendum, fuit etiam ipſo tempore Lucæ rerum noſtrarum ſollicitus denigrator, cui id nos debere teſtatur ipſe Waddingus: *quod noſtri Sodalitii Seniores & Rectores ad res ſuas dilucidandas excitaverit, neque enim quidquam minus curabant, quam ex majorum factis gloriam ſibi advehere.* Is enim *ita Minoritis ubique detraxit, ut in ſuis Eccleſiaſticis Annalibus, illorum præclara quæque paſſim tacue-*

cuerit, plurima ſuis adſcripſerit, & quod graviorem reddit injuriam vilia univerſa ex quibuſcumque Scriptoribus, abſque ullo veritatis examine, aut pietatis antidoto, in eorum conglomeraverit contumeliam. Solus ille inſtar omnium hoſtium Franciſcanorum eſt, pro omnibus unus ſufficit, imo cunctos tranſgreditur; nam ad illorum injurias addit ſuas, ſtudioſius exaggerando, & frequenter repetendo quidquid minus æqui, minus pii finxerunt, vel mentiti ſunt Scriptores: & in hoc ipſo minor eſſet offenſa, ſi fideliter exſcripſiſſet, quod illi ſcripſerunt, nec vehementius ponderaret, vel injurioſius amplificaret, aut frequentius inculcaret, quod malorum depravatus dictavit animus, vel ex atra bili infirmus ſtomachus evomuit. Hinc mihi commiſſa Provincia licet valde reluctanti, ut ab ipſo Religionis exordio hiſtoriam omnem repeterem: ſic ille.

XXXIV. Difficultas ab inopia librorum.

NUnc vero cum hæc ad opus nimium premerent, quam juſte tamen ipſe reluctaretur, & quanta animi fortitudine ſubierit onus, facile declarabit tam arduæ occupationis difficultas; quam ſi comparaveris cum ipſius viri perſpicacia, qua rei pro dignitate perficiendæ impoſſibilitatem quamdam ſibi præſentabat, non minus laudabis obedientiam, qua ſe ſubmiſit aliorum arbitrio. Quis enim vel opticus tubus Franciſcani Ordinis originem tot ſæculis remotam hiſtorica auctoritate præſentem exhibere poterat? Curabant olim noſtri ut præclara quæque quiſque præſtaret, at vero quia non fuerunt Cæſares, ſed cœleſtes, nemo curabat, ut acta ſua aliis innoteſcerent. Aliqui libri, qui typis impreſſi proſtabant, erant in primis, quos trium Ordinum Sancti Franciſci firmamenta, & monumenta, non tam vero nomine vocant, continent enim non omnes, ſed aliquas tantum bullas a Romanis Pontificibus Ordini conceſſas, præſertim quæ ad privilegia pertinent, quibus antiqui Minores ſe ab antiquis aliorum inſultibus tuebantur, & opuſcula quædam, non tam hiſtorica, quam doctrinalia, quippe regularum explicationes, & mutuæ defenſionis apologias. Deinde Chronica Marci Ulyſſiponenſis, quæ in ſanctorum, piorumque Franciſcanorum miraculis fideliter & candide recenſendis, magis quam in enarrandis rebus præclare geſtis verſantur, quas, ſi quando tangant, tangunt ſolummodo, nec niſi ſimplici aſſertione confirmant. Præterea Franciſci Gonzagæ ſolius Regularis Obſervantiæ Cœnobiorum non plena recenſio, eaque etſi pro tempore & occaſione laudanda, cruda tamen & chronologiæ præſertim erroribus ubique ſcatens. Denique Rodulphi Toſſiniani Epiſcopi Senogallienſis hiſtoria Seraphica, quæ non tam hiſtoria eſt, quam Cœnobiorum & quarumdam perſonarum nuda, & corrupta nomina, aliarumque rerum catalogus, potius quam neceſſaria notitia, nec ubique conſtans aut caſtigatus. Plurimum

rimum tamen luminis attulerunt, & vel ipſis ſuis defectibus occaſionem dederunt Waddingo, ut rerum veritatem ſolertius indagaret, & ſolidioribus comprobaret monumentis. Sola hiſtoria Henrici Sedulii Belgæ, Sanctorum & Beatorum Ordinis vitas gravi latino ſtylo narratas, & ipſius doctis commentariis illuſtratas apte continebat. Sed quæ hæc particula in mundo Minoritico? ſi qui fuerunt alii libri peregrinis linguis ſtylo putido, nullius fere auctoritatis, quam dare poterant fiduciam? Atque hanc ſuperiorum temporum negligentiam ipſe Petrus Rodulphus expreſſius deplorat cum ſcribit: *eo dedecoris rem fuiſſe progreſſam, quod egregia Majorum noſtrorum facta tam incerta & obſcura relicta ſint, ut quo loco, quo ordine, vel tempore facta ſint inveniri ſatis non poſſint. Multa nuſquam memoriæ prodita, multa quoque temporis injuria oblita: quo quidem factum eſt, ut innumerabilium Sanctorum ac Beatorum res geſtæ exempla & inſtituta, partim ſuperiorum temporum negligentia penitus interierint; partim vero adeo rudi, & inepto ſtylo contexta fuerint, ut eorum majeſtati multum detractum ſit, ut ſine magna difficultate veritas erui non poſſit.* Neque hæc parum juvabant Ordinis adverſarios, ut non ſolum famæ cujuſpiam detrahit qui vituperat, ſed etiam qui remiſſe laudat: eximii corporis exiguam ſpeciem iſti repræſentabant, & alii facilius opprimebant Ordinem, cujus nullum experti ſunt defenſorem.

XXXV. Qualiter ſuperata.

At hanc monumentorum penuriam magno auſu, ſed felici ſucceſſu per ſummam ſolertiam & pertinax ſtudium ſuperavit Waddingus, pervigili, perpetua, & proſpera inquiſitione detegens ſi quod alicubi latebat fragmentum, quod ipſius propoſito conveniret, neque ſibi vel Superioribus dabat requiem, dum vel ipſæ vetuſtæ membranulæ, vel probata eorum exemplaria ad ejus manus pervenirent. In qua re plurimum illi contulerunt per Umbriam, Tuſciam, Picenum, & Lombardiam Bartholomæus Cimarellus Provinciæ Picenæ, & per utramque Germaniam Jacobus Polius Provinciæ Colonienſis, exactiſſimi monumentorum veterum indagatores, ab ordinis Superioribus ad id miſſi, ut illarum partium cartophylacia, & tum noſtras cum exteras bibliothecas perluſtrarent, & alibi alii, quibus ipſi Provinciarum præfecti, Generalium Superiorum præcepto, id imponebant. Sed cum iſti plerumque rerum apices mitterent, neque typis editi Ordinis libri res integre referrent, Lucas novam ex utriſque nactus eſt difficultatem; quoniam enim, *qui addit ſcientiam, addit & laborem*, ipſa vel obſcura, vel mutila rerum indicatio cogebat integræ, claræ, certæque veritatis cupidum ad aliarum Religionum, omniumque regionum & civitatum hiſtorias recurrere; quas quia domi non habebat, ea cauſa fuit,

ſuit, ut primis præſertim annis, antequam ipſe codicum ſupellectilem comparaſſet, domeſtici ſtudii tempus & bonas horas perderet, quotidianis excurſibus & remoris, quæ inde naſcuntur, ad remotas Urbis bibliothecas. Cum etenim habitaret in Cœnobio ſancti Petri Montis aurei, nimis procul ab omnium bibliothecarum proxima Vaticana, ſingulis tamen diebus aliqua illi adeunda fuit, ut meſſem in horreum conferret, quam nocturna lucubratione in operis ſui formam digerebat. Et ut hanc vexationem ex parte ſaltem redimeret, integros plerumque dies in libris evolvendis & punctis ad uſum excerpendis impranſus omnino perſiſtebat, nulli ſuo parcens incommodo, ut commiſſum ſibi opus omni perfectione compleret. Duo autem illi præ aliis maxime profuerunt ad ſequendum chronologiæ rectum filum, & narrationis certitudinem comprobandam, nimirum hiſtoria manuſcripta Mariani Florentini Regularis Obſervantiæ Minoritæ, qua hic, etſi inepta latinitate, ſincera tamen, & continua narratione per annorum ſeriem deducta, res multas præſertim Ciſmontanas, ab initio Religionis ad annum Chriſti MCCCCLXXXVI. in ordinem digeſſit. Alterum erat regiſtrum Vaticanum, ex quo Lucas Gregorii XV. & Urbani VIII. Summorum Pontificum auctoritate, Scipionis quoque Cardinalis Cobellutii Bibliothecarii, & Nicolai Alemanni Præfecti benevolentia, magna cura, ſumptuque per tres & amplius annos, tot bullas deſcribi curavit, ea ſcilicet, quæ ad Franciſcanos pertinebant ab Honorii III. ad Julii II. Pontificatum, ut in libros compactæ, octodecim juſta volumina confecerint, ex quibus gravia negotia per Sedem Apoſtolicam quandoque Minoritis commiſſa, & ab iſtis feliciter peracta didicit, cum variis certiſque circumſtantiis, & ſecura ratione chronologiæ, per quod id lucratus eſt, ut ſimplices aliorum narrationes indubitata fide firmaverit, actionumque initia, progreſſus, & ſucceſſus explicuerit, atque præcipuum antigoniſtam alioquin ſpecioſo, & reverendo ſui operis argumento tituloque tutum, non argutiis e Logica quæſitis, ſed ſola oſtenſione tabularum, quibus alter contraria fulciebat, ſine felle, vel fallacia in plurimis confutaverit; atque adeo ſuis juſte reſtituit, quam adverſariis modeſte dempſit auctoritatem.

XXXVI. Ab anguſtia temporis.

ET quamquam tractu temporis, & magnis ſumptibus inſignem ſibi conquiſiverit impreſſorum voluminum Bibliothecam, alteramque manuſcriptis monumentis refertam, duo tamen ſtudiorum omnium obſtacula ad mortem uſque illi perdurarunt, nempe temporis anguſtia, & adverſa corporis valetudo. Nam vix unquam, aut certe rariſſime, diurnas horas his ſtudiis impendere viſus eſt; totos enim dies, qua parte vel officio divino reve-

reverenter ſolvendo, vel neceſſariæ & frugaliſſimæ corporis curæ, vel domeſtico Conventus regimini, & directioni ædificii, vel adventantium ſatisfactioni, vel aliis tum ſacrarum Congregationum, tum aliorum operum & occurrentium caſuum ſtudiis, aut conſcribendis epiſtolis ſubtrahere poterat, expediendis per Urbem negotiis impendebat, ut ſane de ipſis etiam Annalibus dicere poſſimus, quod de aliis operibus diximus, ſubciſivis tantum horis, & furtivis quodammodo conſcriptos fuiſſe; ſeu quod ipſe de ſexto eorum Tomo præfatus eſt: *Laboravi utique & ingemiſcens ſub ingenti ſarcina variarum occupationum ægre fœtum iſtum concepi, & lento coagulo perfectam prolem tandem coagmentavi. Fluxus noctis eſt, quia in ſolo noctis decurſu licuit opus compingere, die univerſo per moleſtas curas diſtracto, ita ut fere totum noctu fluxerit volumen, & obinde proprie appellandum Zabulon, fluxus noctis, ſeu elucubratio nocturna.* Quæ cum ille de ſolo ſexto Tomo pronunciavit, nos in reliquis uſu veniſſe conſpeximus, & ſæpe dolenter etſi fruſtra querebamur, hominem diurnis laboribus plane laſſum, nocturnam ſaltem requiem non admittere; continuabat enim ſtudia ſemper ad undecimam horam a meridie, nec raro ſui oblitum, & in ſtudiis abſorptum ipſum in ſe revocabat mediæ noctis major campana ſanctiſſimæ Trinitatis Montis Pincii, qua nocturnæ lucubrationis pertinacia reparare ſatagebat id litterarii laboris, quod occupationibus diurnis præripiebatur.

XXXVII. Ab incommoda valetudine.

SEd & ipſas occupationes, & ſtudia ſimul longe moleſtius illi rapiebat incommodum valetudinis. Habuit enim Lucas ab anno ætatis ſuæ XXII. comitem, viro præſertim litterario moleſtiſſimum, acrem dolorem capitis, quo plerumque ſemel in menſe, rarius in bimeſtri, & quindeno quandoque vel viceno quoque die affligtabatur; nec ceſſabat ſine vomitu flavæ, & amariſſimæ bilis, qui per biduum triduumque ſubinde durabat, atque corpus omne ſic conquaſſabat, ut ſtomachi, laterum, ceterorumque membrorum debilitas compelleret eum, lectum & cubiculum obſervare vix unquam octiduo minus. Sed quamquam durante capitis tortura & vomitu, ipſe nihil omnino legere vel ſcribere poterat, ſed ſolum Officium divinum partim e memoria per intervalla recitabat, partim ab aliquo noſtrum legi ſibi audiebat, ceſſante tamen dolore & vomitu, nulla habita cura languoris, ipſe vel ſcribenda prælegere, vel aliena manu deſcripta corrigere, interpunctis diſtinguere, marginalibus notis ornare, ſcriptum aliquod ad ſacras Congregationes pertinens, aut ab aliquo ipſius cenſuræ conſiliove commiſſum pervidere, aut curare, ut conſcribendi operis materia apportatis ad lectum libris, per me dum aderam, ibi quæreretur, & quæ ille me legente cognoſcebat ſibi

ſibi utilia, hæc vel calamo excerperem, vel infixa in librum chartula ad uſum notarem, aut aliud quidpiam ejuſmodi facere non ceſſabat, appoſito etiam quandoque ad portam ſigno quietis, ne laborioſum hoc noſtrum otium domeſticorum viſitationibus interturbaretur. Ceteroqui per cubiculum obambulans Virginis Roſarium, ejuſdemque, vel Defunctorum Officia recitare, ut illi non minus proprium diceres, quod in ſancto Hieronymo notarunt ejus vitæ Scriptores, quod *quamquam varie morbis, doloribuſque tentaretur, tamen corporis incommoda piis laboribus, ac perpetua lectione, vel ſcriptione ſuperabat*. Nihil enim temporis magis perditum ſibi credebat Lucas, quam quod ſine publico vel agendi, vel ſcribendi bono, etiam neceſſariæ corporis curæ, vel conſervandæ valetudini tribuebat; nec illum diem ſe vixiſſe arbitrabatur, quæ forte ſine linea tranſibat. Illum aliquando jacentem viſitavit Religioſus P. Hippolytus Marracius Ordinis Clericorum Regularium Matris Dei, ex editis in Divæ Virginis laudem libris notus, & cum ipſum de ſtatu valetudinis interrogaret, reſpondit Lucas, dolorem capitis habeo vehementem, ſed hoc non eſt malum meum: vomitus me nimium debilitat, ſed id minus reputo: gutturis inflammationem patior, ſed id quoque tolerabile; & cum ab aliqua febricula non ſim totus liber, neque tamen vel hoc eſt quod me pejus habet. Miratus Marracius hæc Waddingo non videri mala, ſuſpicatus eſt morbum aliquem his omnibus graviorem, & ſciſcitatus quod ergo malum his majus eſſet? reſpondit æger, ſe præ omnibus eo gravius affligi, quod dum hæc eum jacere cogerent, jacerent etiam cum illo calamus & libri ſtudiorum, quæ ſub id tempus tractabat. Jacebant enim profecto hoc morbo Waddingi ſtudia tantopere, ut ipſius obſtinata diligentia non ſuffecerit, quin ſextam ſaltem, & ſæpe majorem anni partem perderet. Nam ſi morbus longiora quandoque dabat intervalla ſanitatis, eo fortius tunc irruebat, pluresque languoris protrahebat dies, & præter terminos, quos affecta natura ſibi ipſa ponebat, ab aliis etiam cauſis movebatur, ut aura ſerotina, auſtrali flatu, frigore capitis, aut leviſſimo cœparum, allii, raphani, fumi etiam, vel ignis odore; poſtremis præſertim annis, quibus perpetuus hic morbus frequentius illi redibat: ſubinde etiam fellis exceſſum patiebatur, qua tota cute flaveſcebat: & charta, vel tela munda lotio ejus intincta tota crocea reddebatur. Aliquot etiam habuit vices prolixiorum febrium, quæ pluribus menſibus ipſum occupabant. Quod ſi his addideris amplitudinem propoſiti argumenti, neſcio quem non terreret impoſiti oneris magnitudo, quando ille prævidebat Orbem univerſum ſibi circinandum, & omnium Principum, ac Provinciarum, omniumque Regionum, & Religionum hiſtorias, & quatuor ſæculo-

culorum eventus, etſi non integre conſcribendos, certe non currente tantum oculo, vel vaga mente perlegendos fuiſſe, ut Franciſcanam illis neceſſario connexam immixtamque integre, clare, & abſque multiplicium errorum periculo concinnaret.

XXXVIII. Scribendi proſperitas,& modeſtia. Prov. 21. 28.

DEdit tamen Deus obſequenti Lucæ virtutem, qui Prælatis Ordinis imperandi dedit poteſtatem, & in illo clare comprobavit oraculum, quod ipſe per Salomonem edixit: *Vir obediens loquetur victoriam*. Quantum complexus fuerit negotium, fuſius in epiſtola mea ad Epitomes lectorem explicavi. Cujus cum adeo varium, & ampliſſimum ſit argumentum, ita per Lucam Waddingum pluſquam per tria ſæcula hiſtoriæ tractatum fuit, ut omnium optimorum Scriptorum imitatione Apellis Venerem pinxiſſe videatur, & variæ hiſtoriæ magnam molem adeo apte compoſuiſſe, ut quæ in aliis ſeorſim laudare poſſis, eadem in ipſo concinne ſibi copulentur. In rebus acervandis & eruendis antiquitatibus proſperrima ſolertia, in ſeligendis judicium, in diſponendis induſtria, in enarrandis grata non truncata brevitas, in exornandis varia eruditio, placidus claruſque ſtilus, & eloquentia non ex artis anguſtiis, vel præceptionum apicibus quæſita, ſed ex ipſa re nata, & actionum perſonarumque circumſtantiis porrecta. Non conjecturis, aut ratiocinationibus eum ludere reperies, ſed quæ pronunciat, gravium Auctorum teſtimoniis, Vaticani tabulis, & monumentis a ſæculo reconditis communit; & cum diſputare ſubinde cogitur, non alius id nervoſius, doctius, vel meliori ratione præſtat, qua non adverſarium Scriptorem ullum pungentibus verbis, aut cenſuris ferit, ſed opinationes a veritate alienas, & aſſerta Minorum Sodalitio injurioſa, abſque ullius injuria per ipſam veritatem firmiſsimis monumentis ſtabilitam, omnique larva denudatam convellit. Neque id quidem priuſquam Evangelii normam ſecutus, ipſos Ordinis offenſores inter ſe, & ipſos ſolos corripuiſſet; ſed non auditus adhibuit ſecum alios, at neque his etiam auditis, dixit Eccleſiæ, a qua remedium tandem aliquando aſſecutus eſt. Duos etenim præ ceteris in hoc genere ſuſtinuit; alterum, de quo jam diximus, qui univerſum Ordinem ubique impetebat, alterum qui Regularis Obſervantiæ profeſſoribus graviſsime detraxit. Sed qualiter in utrumque ſe geſſerit Waddingus, ipſius malo verbis explicare quam meis. Poſtquam enim quærelam a nobis de priori ſupra deſcriptam expoſuiſſet, deinde ſubjungit: *Non abſque dolore hæc refero, extorta, ſed neceſſaria de tantæ Religionis alumno, hæc mea querimonia, atque eo rationabilior, quo clarius illa ſæpius proteſtata eſt per ſupremos ſuos Rectores, quibuſcum frequenter mihi de hac re ſermo, ſe nunquam id approbaſſe, ſed ultro condemnaſ-*

demnaſſe. Publico præconio hoc teſtatum, & enunciatum velim, ne ſacra luat Religio, quod indigne peccavit alumnus, atque ex corde oraverim parcant honori tanti Inſtituti, qui ſuum læſum ſcriptis inſtaurant. Ego vel ipſi homini indulgeo, neque vices rependo, potius ferre offenſas, quam referre, multo minus inferre, mecum decrevi, atque religioſæ cedere modeſtiæ non contumeliæ .... Id tandem longi temporis intervallo, quo vel adverſum affectum deponere, vel hiſtoriæ errores potuit deprehendere, potiori jam ſpe & majori fiducia a religioſo viro ſperare, atque humiliter petere audebo ipſis illis verbis, quibus ſuas retractationes exorſus eſt Auguſtinus: Ut qui primas non potuit habere ſapientiæ, ſecundas habeat partes modeſtiæ, & qui non valuit omnia in pœnitentia dicere, ſaltem pœniteat quæ cognovit dicenda non fuiſſe. *Opportuna licet illi, ut reor, importuna nunc ſe offert occaſio, ut hoc præſtet, atque ſuo honori caveat, & noſtrum reſtauret, dum in multiplici correctione, vel unius* Tomi XIV. *quam adhibere præceperunt Sanctiſſimus Dominus, & Illuſtriſſimi Cardinales huic negotio præpoſiti, in quo gravius læſit Sereniſſimam Domum Bavaricam, cujus etiam cauſam plus æquo nobis fecit communem, quæ in Minorum Sodalitium vehementius, acerbius, ne plus dicam, ſingulis paginis inculcat, tollere, corrigere, aut mitigare voluerit, & quos communi læſit vulnere communi etiam curet remedio, aſperam per omnia ſcripturam religioſa temperans, & corrigens modeſtia, qua ſibi reconciliet offenſos, & juſte infenſos Sereniſſimos Duces, & fraternam revocet a longe repulſam eum Minoribus caritatem. Dum itaque non fecerit, æquum obſecraverim lectorem, ut quæcumque rem Franciſcanam concernentia, non ſine delectu & examine apud eum legat, neque fidem, quam in aliis plurimis rebus abſque injuria non præſtat, certe non debet, in his facile adhibeat, donec potiores, aut ſinceriores conſulat Auctores. Neceſſarium duximus de his præmonere, ne quæ nos multo examine, & longa indagine falſa & injurioſa comperimus, veræ aut ſincere ſcripta quiſquam adjudicet, & pio affectui erga Minores prævaleat ſpecioſa auctoritas Annaliſtæ Eccleſiaſtici. Hoc ſane ſine præmonitionem hanc præfixiſſe facile videbit qui noſtros legerit Annales, in quibus quam amice, quam candide, & abſque bile eum homine agimus, ubique perſpiciet. Neque enim injurias rependimus, neque acriter virum carpimus, ſed fundata narratione res noſtras ſtabilimus, multis in locis ejus parcentes nomini, in aliis abſque ulla commotione errorem refellentes, fraternam, & Chriſtianam ſemper ſervantes caritatem*. Hæc erga priorem Waddingus; erga poſteriorem autem poſtquam retulit offenſas, quas ille toti Regularis Obſervantiæ Sodalitio graviſſimas intulit, hæc deinde ſubnectit: *His & ſimilibus improperiis, paſſim ad ſingulas fere paginas ſcatet uterque, primus præſertim Tomus Boverii, ita ut plus ferme operis inſumpſiſſe videatur in deprimendo Obſervantum Inſtituto, quam in*

Auguſt. in prol. Retract.

extollenda Capuccinorum Sodalitate. Et quidem ego de his tempeſtive monui religioſiſsimum & prudentiſsimum virum Hieronymum Narnienſem, tunc hujus Sodalitii Vicarium Generalem, ut antequam typis committerentur, curaret expungi, nec in publicum prodire permitteret tot ſemina diſcordiæ mox orituræ. Ille uti erat vir bonus & pacificus, inito conſilio cum Definitoribus, ingruente tunc Congregatione generali, decrevit, ut hujuſmodi graves offenſas tolleret Boverius, neque adeo male haberet Religionem, ex qua ſua exciſa eſt, ex qua prodierunt qui prima dederunt exordia, & ex qua deinde ſucceſſerunt per temporum vices, qui adoleſcentem provexerunt, & aliquoties fluctuantem firmaverunt. Id tamen conſequi non potuit, obſiſtente ægro illius hominis animo, qui ingenito ardori uſque adeo temperare non poterat, ut indicta vellet quæ dixit, ingratumve ſubiret laborem corrigendi, mutandi, & mutilandi tot pagellas, quæ magno ſtudio ipſi ante conſtiterant. Labor eſt renovare laborem, nec cuique facile diſplicet ſui partus ingenii, præſertim infirmi. Quod autem tunc impetrare non poterant Obſervantes, ſe nunc ſperant conſecutos ab Eminentiſsimis Cardinalibus Præfectis Congregationi Indicis librorum, in qua tantæ ſui nominis jacturæ remedium adhiberi impetrarunt per utriuſque Tomi probibitionem donec corrigantur. His ergo modis cum poterat procedebat Waddingus, ut præriperet ſibi neceſſitatem, Auctorem ullum, religioſum præſertim, vel nominandi in adverſum; tam procul ab omni amaritudine animi, vel cupidinc contentionis. Nec unquam ſuſcitabat litem, ſed officii neceſſitate provocatus, & aliorum duritie coactus, molli verbo frangere ſtudebat iram, & adverſarium cum poterat excuſare, tantum abeſt, ut pungere vel mordere velit, imo in ipſis Apologeticis, ubi in ſui quoque defenſionem aculeum reflecterc, aut certe retundere oportet, & omnium uſu conſuevit, is id tanta gratia facit, ut adverſarium non tam pungat, quam titillet tantum, atque adeo riſus, non rabies illi provocari debeat.

XXXIX. Sinceritas, & prudentia.

OCcurrebat ſubinde factum aliquod alicujus perſonæ vitæ probitate, vel auctoritate claræ, ita præter uſum, aut communem inter doctos opinionem, ut admirationem potius, quam approbationem, aut fidem apud aliquos parere poſſe viderctur. Sed illc hujuſmodi vel eruditiſſimis documentis, & ſacris profaniſque exemplis in perſonarum reverentiam confirmabat, vel quæ damnari debebant, ipſe ultro condemnabat, ſic nullius reſpiciebat perſonam, cujus reſpectu, juſtitia, vel veritas offenderetur. Dubia ut dubia, & ut certa nonniſi certa refert, atque in eis, quæ ſimplici tantum alterius aſſertione relata reperiebat, fidem ſuam clare liberabat, imo multa ejuſmodi reticuit. Cujus in ſcribendo prudentiæ, & ſinceritatis teſtimonium pariter & cauſam

cauſam ex ipſo deſcribo, verbis, quibus eorum quærimoniis ſatisfactum voluit, qui omnia etiam minuta & minus approbata, quæ laudem ſuorum præſerrent; nihil tamen quod reprehendi poſſet ſcriptum cupiebant: *De meo*, inquit, *Sodalitio refero juxta rei veritatem, quæ fortaſſis plerique ex noſtris vellent taceri . . . . Corrigo paſſim, vel omitto grandiloqua, ſed inania noſtrorum encomia neque ad hanc hiſtoriam admitto, niſi ea, quibus probatos Auctores, aut incorrupta monumenta præmitto. Non enim tantum tribuo famæ, ut quæ fert recentia, aut memorat vetuſta, utique credam . . . Neque vero adeo Sanctis laudandis, vel encomiis dumtaxat exſcribendis me totum dedi, ut non etiam ſubjunxerim, in quo pro labili hominum conditione aliquando offenderint; tum ad magnificandam Dei gratiam, quæ lapſos erigit, & robuſtiori virtute confirmat; tum ad præcavendos aliorum lapſus, animoſque erigendos eorum, qui jam ceciderunt, ne deſperata venia in profundiorem deſcendant vitiorum abyſſum. Atque ut hinc ſint, qui me objurgent, aut etiam vituperent, non credam, cum Hiſtoricum Eccleſiaſticum, integrum & incorruptum eſſe oporteat; ut ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis*; & poſt pauca: *Noſtræ miſeriæ conditio, vel nævus aliquis fragilis naturæ ſi pie referatur, haud Sanctos obſcurat, ſi vero ſtudio aut gratia taceatur, fidem univerſæ detrahit hiſtoriæ. Quanto ſapientius Evangeliſtæ fecere, qui vel in ipſis Apoſtolis, quos eramus totius vitæ exemplum habituri, nec affectus naturæ imbecilliores, nec caſus etiam graviores diſſimularunt. Divina hæc ſapientia quidem Evangeliſtarum fuit, ſed bonitas quoque integritaſque naturæ, ut nihil illis in ſcribenda hiſtoria deeſſet, quod in hiſtoriæ legibus vel Ethnici requirant. Mihi itaque propoſitum eſt, in toto hoc opere, pluribus Tomis diſpartiendo, veri referendi, reperiendique cauſa, & contra noſtros ubi oportet, & pro alienis etiam dicere, & cum res poſtulat utroſque, nullius accepta perſona, ſui errati, modeſte tamen, admonere*. Et ſane Waddingum hoc propoſitum ſincere per omnes Tomos proſequutum fuiſſe opus ipſum oſtendit, ut etiam propterea nobilium Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptorum, ac Baronii præſertim Cardinalis exemplo, non tam ſuis, quam veterum in plurimis Scriptorum verbis uſus eſt, & Pontificia quæque diplomata, quæ rem noſtram concernebant, magnificabant, aut confirmabant, adjecit; tum, ut ipſe loquitur, hiſtoriæ conſulens, tum proſpiciens poſteritati, cui quod ante ſe factum fuerit, fundate ſcire percupienti, Eccleſiaſtica fundamenta tantæ ſuperſtructæ molis valde placebit aſpicere. Ita vere ſcripſit Waddingus, & ita operatus eſt in Ordinis ſui ornamentum, & refellendas ejus injurias, ut quod priſcæ eruditionis profeſſores arduum ſemper judicarunt, vetuſtis novitatem dederit, noviſque auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſti-
ditis

ditis gratiam, dubiis fidem, & pene ſepultis immortalitatem. Sed ne his te amplius detineam, Waddingi in ſcribendo integritatem ab aliis laudandam reſervo, quorum luculentiſsima teſtimonia huic meo Commentario ſubjungam.

XL. Operis partitio, & dedicatio.

OPus autem his partibus perfectum, per VIII. Tomos deduxit ab ipſo ortu ſancti Franciſci ad annum Chriſti MDXL. qui ultimus eſt VIII. Tomi, neque quidquam ponderoſum, aut nota dignum omiſit, quod reperire poterat ad ullum trium Ordinum ſancti Franciſci, aut ullum eorum membrum juſto titulo pertinere, ita indifferenti affectu, & æquali pro omnibus zelo, ut ſinguli ſe devinctiſſimos illi profiteantur. Octavum Romæ, reliquos Lugduni cudi curavit. Primos autem duos Tomos Benigno Genuenſi, & Bernardino a Senis, præſtantiſſimis viris, totius Ordinis Minorum Primiceriis obtulit; quorum conſilio, auctoritate, & beneficentia eos aggreſſus eſt & abſolvit. Tertium Ferdinando Henriquez e Ribera Duci Alcalano, tunc utriuſque Siciliæ Proregi, cujus benevolentiæ & acceptis favoribus obſtrictus fuit. Quartum Emanueli de Moura, Marchioni Caſtri-Roderici, & Catholicæ Majeſtatis apud Urbanum VIII. Pontificem Oratori, qui præter alia ejus in noſtros collata beneficia, non parvam partem hujus Collegii ſancti Iſidori, a profundiſſimis fundamentis ad ſublimia tecta, ſuis ſumptibus ædificavit, facturus plura, ſi humilitas noſtra, ipſius magnificentiæ non poſuiſſet modum. Quintum Franciſco Cardinali Barberino, præter alios peculiaris patrocinii & munificentiæ titulos, propter ipſius Ordinis Obſervantiæ protectionem. Sed ipſius Lucæ profeſſionem deſcribere præſtat: *Non prius Urbium Regina, omnium gentium liberum domicilium me benigno admiſit hoſpitio, quam ſingularis tua beneficentia erga omnes innata generoſo ſuſcepit patrocinio. Viginti anni ſunt, ex quo pedem in Urbem intuli, totidem quo me perpetua gratia proſequeris & beneficiis non vulgaribus adſtringis. Quali id meo merito? nullo fateor, ſed ſolo impulſu tuæ beneficæ & humanæ naturæ.* Sextum Ferdinando III. Imperatori, & Septimum Ferdinando IV. ejus filio Hungariæ, Bohemiæque Regi, quod magnas res a magno noſtro Capiſtrano, aliiſque Minoritis in iis Regnis & Imperio geſtas continerent. Eiſdemque titulis Octavum reſervavit, & miſit Philippo IV. Hiſpaniarum Indiarumque Monarchæ, cujus Majoribus a noſtris Minoribus Hiſpanias ipſas, & Indiarum Imperia vel acquiſita, vel ſervata fuiſſe, & piiſſimorum Principum utriuſque Domus Auſtriacæ reciproca in Franciſcanos beneficia, & benigniſſimum affectum fideli narratione in illis Tomis, etſi non ſolis commonſtrat.

Fini-

XLI. Zelus, & providentia pro eo complendo.

FInito autem octavo Tomo, Lucas in ejus peroratione hæc inter cetera ſcribit: *Tandem poſt tot annorum velificationes, vaſtiſsimi maris agitatus procellis, quaſſatæ navis cogor vela colligere, & projecta anchora in portu requieſcere. Gravis jam premit ſenectus, & in effæto corpore ſpiritus pridem promptus nunc cœpit languere, ac circumdantibus undique negotiorum preſſuris ſe demum imparem agnoſcit. Tempus itaque eſt, ut ab omnibus me prorſus expediam, ſuſpenſoque calamo illud unum agam, quod potiſsime neceſſarium eſt; animæ ſcilicet procurandæ totus incumbam, ab ærumnoſæ vitæ procellis ad portum religioſæ quietis accedam, pacatique animi fidæ me ſtationi committam*. Et quamquam nihil aliud Annalium poſtea compoſuerit, non dimiſit tamen ardens deſiderium, quo flagrabat illius operis ad noſtra rempora perducendi, ſaltem per alium quempiam, quem cupiebat ſui ipſius monitis & ſtudiorum uſu inſtructum fore priuſquam ipſe moreretur. Me vero qui quatuor annos dudum illi a ſtudiis aſſiſtebam, ad id elegit (utinam tam bono rerum ſucceſſu, quam bona ipſius voluntate.) Et tunc in Germania morantem, nihilque ejuſmodi cogitantem vocari in primis Romam curavit patentibus litteris Petri Maneri, tunc recenter electi Miniſtri Generalis, in quibus, quia repulſam fortaſſis, aut excuſationem a me timebat, nihil aliud expreſſum fuit, quam quod mihi in virtute ſanctæ obedientiæ præceptum, ut quam primum me itineri accingerem, & ad Procuratoris Generalis Ordinis præſentiam in Urbem accederem, ab iſto auditurus, quæ ipſe Miniſter Generalis ſub ſuo tunc ex Urbe diſceſſu mihi injungenda reliquit, & ſperare ſe, in ipſis patentibus ſcripſit, in meum & Ordinis decus proventura. Atque his etiam ſuas adjunxit Lucas, per quas indicat, ſe rem diſpoſuiſſe, & mihi honorificam, & ſibi ſummo ſolatio futuram, hortaturque proinde, ut abſque hæſitatione, & quam citiſſime proficiſcerer. Veni ergo his hamis, vinculiſque tractus, cæca plane obedientia, & prorſus ignarus quid de me foret. Sed vocationis cauſam Romæ doctus, male mecum actum, & meo quidem ſenſu non imprudenter timebam, cum operi & loco, virtute viribuſque tam impar, incomparabilis tamen viri ſtudia per memet ipſum pluribus, quæ reliqua ſunt, voluminibus proſequi & perficere juberer. Quod enim prototypo deterius habet exemplar, id mali raro vel nunquam effugit magni viri in ſcribendo ſucceſſor, vel imitator in genere ſcribendi: atque hinc me terruit Lucæ Waddingi celeberrima fama, & operis ipſa perfectio per omnes Tomos ab ipſo feliciter perducta, ut non fruſtra ſuſpicarer exilitatem meam, ipſius eximiæ virtuti compoſitam, riſui potius fore, quam reverentiæ, & contemptui magis, quam auctoritati. Cauſabar ergo hæc, atque

que imperitiam meam, ut qui ſcholaſticarum diſceptationum tribulis eatenus implicatus, tunc florida hiſtoriarum ſerta liliis & roſis texere cogerer, quæ quando rudi manu tractantur, non arte perficei, ſed vel attactu perire ſolent. Verum cum per aliquot dies hæc pugna duraſſet, & quæ ille mihi opponebat optimam Bibliothecam, & ſcripturarum ad rem faciendam manipulos ex Ordinis Provinciis collectos, ſuam ubique directionem & opem, aliaque laboris adminicula, honorem etiam ex ipſo labore naſciturum, ego ea mihi non honorem ſed ignominiam paritura reponerem, ſi cum tot fulcris operandi claudicaret, aut etiam certe rueret opus, cui quod Waddingi virtus acquiſivit auctoritatis, hoc mea vitia derogarent. Sed nihil apud Waddingum prævalui, quin mea duritie parumper accenſus reſpondiſſet, denique non eſſe quod in mei diſpoſitione cogitem, niſi ut obediam, meque operi accingam, laboremque fideliter ac devote: ſic Deo, & ſancto Franciſco placere: ſic præcipere Superiores: ſic me facturum rem ipſi gratiſſimam; curavitque novas Prælati patentes, quibus res mihi expreſse præcepta eſt, ut nihil ſane mihi permiſerit refugii, niſi ut cum Decio Auſonio, quando verſus ſuos petenti Theodoſio Auguſto mitteret, mihi ipſi dicerem.

Nil dubites Auctore bono, mortalia quærunt
Conſilium, certus juſſa capeſſe Dei.
Scribere me Auguſtus jubet, & mea carmina poſcit;
Pene rogans: blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium; Cæſar ſed juſsit, habebo;
Cur me poſſe negem, poſſe quod ille putat?
Invalidas vires ipſe excitat, & juvat idem
Qui jubet; obſequium ſufficit eſſe meum.

Sic enim ſi ego Lucæ Waddingi blando imperio, & fortiſſimis hortatibus pertinacius obniterer, non tam agnoſcere me crederem impotentiam meam, quam pertimeſcerem tanti viri prudentiam inexcuſabili temeritate contemnere, improbareque judicium, atque ipſius erga me benevolentiam offendere, rebellemque me Superiorum imperio, ac divinæ diſpoſitioni probare. Sed quamquam hæc omnem arrogantiæ notam, omnemque metum temeritatis a me tollere viderentur, ſollicite tamen ſuggerebat animus timorem, quem non aperiebam, non diu mihi duraturi Waddingi; quippe ætate, ſed magis laboribus jam tum pene conſumpti, cujus zelus in promovendo hoc ſtudio ſummus & ſingularis fuit, cujus directio mihi neceſſaria, & abſque cujus auctoritate & induſtria, hortum ſine aqua mihi colendum eſſe credebam, & ſegetes abſque meſſoribus. Eſt enim litterarium ſtudium, quod publico uſui paratur, & vel perfici, vel publicari non poteſt, his laboribus non abſimile, nec inæqualis pœnæ, cum

illa

illa, quam patitur perpetuo parturiens, at nunquam pariens fœmina, eoque vehementior illa, quo non ventris, ſed mentis prolem enitimur. Atqui neque diu latere ſagaciſſimum virum poterat hæc mea licet occulta cogitatio, quin illam ut tædii neglectuſque matrem contraria ſpe certiſque promiſſis tollere ſatagebat, affirmans certo mihi non defuturam opem, operam ipſe modo ſedulam, ſtudiumque conſerrem; nec ſibi olim ejuſmodi ſpectra defuiſſe, ſed *feciſſe Deum cum tentatione proventum*, eumdemque mihi pariter facturum. 1. Cor. 10. 13. Quod cum ego tunc prudentis viri ſolatium arbitrarer, præſagium ſane fuiſſe, non uno poſtmodum, aut levibus indiciis comperi. Acquievi igitur operi ſuſcipiendo, & quid præſtiterim, quodque ex me expectatum cur huc uſque præſtare non potuerim, ad Epitomes meæ Lectorem ſatis declaravi. Hæc vero dicta volui, ut Waddingi in reliquo hoc opere promovendo zelum, prudentiam, & providentiam amplius manifeſtarem.

XLII. Waddingi, & Herreræ concertatio.

DUm primum Annalium Tomum conſcriberet Lucas, alius quoque labor ipſius lucubrationibus acceſſit, & quidem eo illi moleſtior, quod contra naturam ſuam, contra conſuetudinem, contra ſtatus conditionem in eo dimicare debuerit, & calamum hiſtoricum in apologeticum ſtilum convertere. Etenim cum jam conſtet ſanctum Patrem noſtrum Franciſcum Aſſiſiatem, poſtquam ſui corporis veſtem genitori, hæreditatis reſignationem exigenti, generoſus mundi contemptor projeciſſet; poſtquam ſeu penula, ſeu ſago ab Epiſcopo Aſſiſiate ad corpus tegendum dato per latrones exutus, Eugubii deinde per priſtinum amicum, quem Jacobellum Spade fuiſſe docent ea quæ nos ad calcem apparatus noſtræ Epitomes addidimus: tunica ad tibias protenſa indutus, cinctuſque corrigia, calceamentis & baculo donatus eſſet, eremiticam vitam hoc genere veſtis, totum biennium, ante Ordinis Minorum inſtitutionem vixiſſe. Hinc accepta occaſio, ut tertio poſt ſæculo aliqui ipſum, eo temporis ſpatio, Ordinem Eremitarum ſancti Auguſtini profeſſum fuiſſe dicerent, idque ſub magiſterio ſancti viri Joannis Boni illius Ordinis profeſſoris. Exorientem hanc opinionem, ut Lucas loquitur, §. 1. Apologet. nulli ſtabili nixam fundamento Minores, non tam ſuppreſſerunt, quam incurioſe neglexerunt, donec latius diffuſa vires acquiſivit eundo, & quibuſdam placere cœpit. Tandem unus, aut alter ex Minoritis rem jam RR. PP. Auguſtinianis perſuaſam evellere niſus eſt; ſed dum efficaciter non egit, convocavit ad claſſicum Auguſtiniani Ordinis viros, qui effoſſis undique aggeribus ſibi caram & honorificam quaqua arte vallarent. Scripſit in eos demum Antonius Daza, Minorum deinde in Curia Romana Com-

miſſarius: atque hunc exadverſo adorſus eſt Joannes Marquez Auguſtiniani Ordinis in Univerſitate Salmanticenſi non obſcuri nominis Theologus; dum in ſuo libro de Eremitani Auguſtiniani Inſtituti origine, collectis aliorum ſui Sodalitii teſtimoniis & argumentis, additiſque ſuis, probabilem ſaltem oſtendere niſus eſt hanc opinationem Auguſtiniani monachatus ſancti Franciſci, quæ exinde ſerpebat undique plurimo ſtudio Patrum Auguſtinianorum. Hiſpaniæ ſinus penetravit, plures ibi obtinuit illius Ordinis ſautores & aſſertores, quorum libri in Italiam prætervolantes, eam inter Auguſtinianos adepti ſunt auctoritatem, ut Italico idiomate donandos judicaſſent, ne Hiſpanico non omnibus proſtarent. In Germania potiorem partem peculiari ſtilo fecit latinam Nicolaus Cruſenius; & ultra hæc pluribus in locis præ Templorum, & Cœnobiorum foribus ſtigmatizatum Franciſcum, ſpecioſa & ignaro vulgo plauſibili pictura, inter ceteros Eremitas exponunt; quod cordati inter eos viri, ſed nec ipſe Marquez, non probabant, neque ſactum, ſed infectum vellent.

Marq. in epiſt. ad lect.

Diſplicuit Franciſcanis, quod res ipſorum ſenſu, a veritate aliena, vel probabilitatis quidem gradum his conatibus acquireret: & quoniam, ut Lucas Waddingus de ſeipſo ſcribit, non huc ipſos adegerunt alieni honoris invidia, vel ardor vincendi, cum inde nec minor, nec vilior ipſorum Inſtitutor, quod alienam Sodalitatem clariorem redderet; neque noſtri ægre ferre deberent, ſi ex ipſorum honore aliis etiam honor exurgat, quin potius inde ſplendidius noſtrum ornamentum, unde alii etiam ſibi avidius illud adſciſcunt: propterea ſolo veritatis ſtudio, & ne quis ipſorum ſilentium in conſenſum duceret, aut credat ab ipſis approbata, quæ non viderent reſutata, aliorum precibus & Superiorum imperio, Lucæ noſtro mandatum fuit, ut veritatem diligenter inveſtigaret, & cauſam ex ovo diſcuteret. Multa ergo illum oportuit pro re ſolide ſtabilire, plura contrariæ partis refutare, oppoſitos teſtes examinare: ſecit tamen parvo opuſculo decem tantummodo ſoliorum chartæ impreſſæ, in quo ex imis ruderibus veritatem eruere ſtuduit, ſecitque tam feliciter ut oſtendere ſe ſibi, aliiſque viſus ſit, neque verum, neque probabile eſſe, quod aſtruebatur de monachatu Auguſtiniano ſancti Franciſci; ſuaque aſſerta ad certa, & præcipua hiſtoriæ capita reduxit, eaque, ſua in ceteris conſuetudine, Pontificiis diplomatibus & authenticis actis ſeu proceſſibus vitæ beati Joannis Boni, irreſragabilibus hiſtoriarum repagulis munivit. Deinde hoc ipſius opuſculum latina lingua Matriti prius editum fuit in forma quartæ partis ſolii, cum epiſtola nuncupatoria ad Bernardinum Senenſem, tunc Generalem apud Ultramontanos Minorum Commiſſarium, deinde totius Ordinis Miniſtrum, & mox Epiſcopum Viſen-

ſ. 1. Apologet.

Viſenſem in Luſitania. Poſtea etiam anno MDCXXV. tamquam appendix ad calcem Tomi I. Annalium Ordinis, in folio adjectum fuit, Lugduni in Gallia; atque eodem anno iterum in quarto Matriti, ſed Hiſpanico idiomate donatum a Petro Navarro Provinciæ Caſtellæ Definitore & ſacræ Theologiæ Lectore emerito; ut qui Magiſtri Marquez eadem lingua vulgatum opus legerent, haberent etiam, abſque alio interprete, unde veriora rei documenta haurirent.

Erat ſub id tempus ſacræ Theologiæ profeſſor Complutenſis, vir ſane doctiſſimus, deinde Auguſtino Cardinali Spinolæ a ſacris Confeſſionibus ac Theologicis Conſiliis, Thomas de Herrera, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, & Joannis Marquez, contra quem ſcripſit Lucas, ab adoleſcentia diſcipulus. Hic ergo Magiſtrum ſuum propugnandi zelo, & vindicandi ſuæ Religioni tam inſigne decus, reſponſionem ad Lucæ Apologeticum in Hiſpania primum aggreſſus eſt, ac fere complevit. Romam deinde cum ſuo Cardinali venit, & ſtrictum amicitiæ fœdus cum Luca percuſſit, atque adeo magnam iniit familiaritatem, ut in hoc Collegio ſancti Iſidori, tamquam unus ex nobis eſſet quoties accedebat: accedebat autem frequenter, & ſtudii pietatiſque gratia, Cardinalis aulam declinans, integris quandoque menſibus cum noſtris commorabatur. Nihil illi celabat Lucas, ſed amicitiæ legibus omnia faciebat communia, ut chorum & menſam, ſic etiam bibliothecam & ſcriptas manu ſchedas, ex quibus ipſe librum ſuum, Lucæ beneficio, contra Lucam impinguabat, & magno volumine quadringentarum triginta & plurium paginarum impreſſarum in forma ſolii ordinarii, Bononiæ poſt annos decem edito, Lucæ libellum oppugnare niſus eſt, ſed non expugnavit. Et quanquam pacificæ reſponſionis titulo libri ſui frontem inſcripſiſſet, ſic tamen ſcripſit, ut bellum Lucæ præſcripſerit, ac totum opus a titulo diſsideat. Habuit tamen id lucri ex notitia & familiaritate Lucæ, ut multa blanda & amica, multa etiam encomiaſtica inſperſerit; multa hoſtilia & acerba, multa injurioſa, quæ, priuſquam Lucam noſſet, gravi animo commotus dictavit, viri virtute, & pacifica mitique conditione monitus correxerit. Habeat Waddingus hunc honorem, ut etiam adverſariis, modo probe notus, protinus reverendus ſit; habeat Pater Magiſter Herrera, quod in ſpeculo vitæ Waddingi, ſcriptionis ſuæ nævos perſpexerit, & mutato affectu mutaverit ſtilum, tametſi multa ſubterfugerint ſpongiam, quæ Lucam, ſimul cum principalis cauſæ juſtitia, coegerunt ad ſui Apologetici ſuique ipſius defenſionem. Etenim tanto labore in refutando Luca expatiatus eſt Herrera, ut ipſius etiam confeſsione digreſſus, magnam operis partem impugnando Penotto ſuo conſumpſerit; tanta exa-

In præf. minor. Clypei epiſt. ad Lucam.

ctione ut ſingulas ſectiones, ſingulos numeros, omnes rationes, etiam verba Waddingi aliquando redarguat & apices, adeo minute, ut moneat ſcribendum potius *ſaltem* quam *ſaltim*; ſed Lucas tam parvo libello ſuum Apologeticum defendit, quam fuit prior liber, & id quidem ideo ſolummodo, ne tacendo conſentire videretur, tanta modeſtia, ut quod in epiſtola ſua ad Herreram promittit, conſtanter obſervet: ideſt, miti blandoque ſermone cum Antagoniſta agat, ſibique illatas propulſet injurias, quaſi non acceperit, ut referat tantummodo quas alter intulit, & modeſte oſtendat, quam parum nocuerit ejus magiſtro Marquez, niſi ipſa reſponſio cenſeatur offenſio.

Nec tamen id ſatis viſum eſt Magiſtro Herreræ, quin hanc Lucæ defenſionem novo clypeo, eoque iterum aculeato repellere conaretur. Aliam enim edidit reſponſionem quam prioris pacificæ clypeum appellavit, volumen illa quidem minus, ſed Lucæ defenſione quadruplo majus. Et quoniam Waddingus vere veritatem & pacem deſiderans, defenſionem ſuam dedicavit Joanni Baptiſtæ Cardinali Paleotto, eumdemque æquum judicem appellavit, tamquam qui Auguſtinianorum Eremitarum Ordinem ex officio protegit, & Franciſcanos ex affectu foveat ac defendat; ita etiam Herrera ob eaſdem cauſas clypeum ſuum eidem Cardinali commiſit. Et quamquam Lucas ante viſum librum, ne ſe nova replica ſine cauſa implicaret, ex Hiſpania monitus fuerit his ipſis verbis, gravis & doctiſſimi viri alterius Religionis, quæ malui in ſua Hiſpanica proprietate relinquere, quam interpretatione mea ullam ſuſpicionem altercationis præbere: ſic enim ille Salmantica: *Siendo a qui Prior del Convento de S. Auguſtin el P. Fr. Thomas de Herrera, me embiò para que vieſſe el libro que ſacò contra V. P. R. Pareciò me de tanto deſaliño, que no neceſsita de que V. R. ſatisfaga a el*. Nihilominus tamen ita æſtimavit Lucas tum cauſam ipſam veritatis, tum ſtudia amiciſſimi ſui Herreræ, ut noluerit ipſius clypeum abſque exercitatione neglectum jacere, quin potius acceptum ex Hiſpania librum, totum & attente perlegit: & ultimam cauſæ deciſionem paraturus, in charta ſibi notavit puncta, quæ vel ad rem ſuam confirmanda, vel adverſus alterum refutanda videbantur. Sed operis progreſſum interrupit prius graviſſima illa procuratio negotiorum Hiberniæ & aliorum quæ præ manibus habuit voluminum abſolutio; cum interea nunciatum eſſet Herreram vitæ mortalis curſum abſolviſſe. Quo nuncio perculſus Lucas amare flevit; & cum quo vivente, religioſo, erudito, & amiciſſimo viro, in litteraria palæſtra libenter *Ad lect. clypei.* ludebat, mortui manes non amplius agitare decrevit. Uterque profecto ampliſſima doctrina, acutiſſimo ingenio, & egregio ſtilo inter ſe pro veritate certabant; & ut Herrera ſancti Auguſtini ſen-

ſententiis refertiſſimus eſt, ita ipſe Hieronymianæ doctrinæ & ingenii partes Lucæ detulit: ipſe fuſior & ſenſibilior, Lucas conciſus, nervoſus, & patiens.

XLIII. De variis Waddingi occupationibus pro Religione.

Libet nunc ea, quæ de Lucæ Waddingi occupationibus & negotiorum varietate diximus, poſt expoſita litterarum ſtudia, ipſius primum teſtimonio, ac deinde rebus ipſis explicare. Itaque cum adeo placerent eruditis primus & ſecundus Annalium Tomus, aliique ab ipſo prius editi libri, ut reliquos impatienter, & ad ipſius ruborem expeterent, ille in præfatione Tomi tertii omnibus hac ratione ſatisfactum voluit: *Ita allecti excitatique ſunt plurimi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſi ad recondita, quæ in lucem produximus monumenta, atque adeo avide magni hujus Sodalitii integram deſiderant hiſtoriam, ut ante unum abſolutum Tomum, alterum importune ſatis expoſtulent, neque calamum, vel tantillo tempore ſuſpendere permittant. Tot ſunt tamen negotiorum diverticula, & moleſtæ noſtræ occupatiunculæ, ut pro voto cunctis ſatisfacere non poſſimus. Illud ſolerter curamus, ut tempus nullum labatur inutiliter, neque dies ulla ſine linea: nec gratis panem manducamus, ſed in labore, & fatigatione, ad modum ædificantium muros Jeruſalem, manu una opus proſequimur, altera gladium tenemus; aliquando ſcriptis, aliquando externis occupationibus indulgentes.* Quæ cum tunc ita eſſent, certe ſemper deinceps ad ipſam uſque Waddingi mortem creſcebant illi negotia, & ipſe in aliis etiam libris, ut erat utrimque ſemper hinc muſæo, inde foro compreſſus, non una vice teſtatus eſt. Etenim a quo primum Hiſpanicæ Marianæ Legationis negotia in Urbe tractare cœpit, ea deinceps invaluit auctoritate, atque prudentiæ, & in rebus agendis induſtriæ, & proſperitatis opinione, ut nemo qui hæc ſciret, non cuperet ipſius conſilium, opemque in rebus difficilioribus adhibere.

XLIV. Procuratio negotiorum Ordinis.

Atque in primis quod ad Ordinem Minorum pertinet, nullum ejus grave, vel difficile negotium, toto reliquo tempore Lucæ, Romæ geſtum eſt, cujus ille magnam ponderis partem, aut ſæpe totum non ſuſtinuiſſet. Etenim, præter alia, ſæpe tentarunt Superiores, ut Ordinis negotia in Curia Romana ex officio procuraret; nam in primis anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo, curante Alphonſo a Prato, qui tunc Ordinis in Curia Procurator, in Hiſpaniam redire cupiebat, Bernardinus a Senis Miniſter Generalis Lucam inſtituit illi ſucceſſorem patentibus litteris datis Toleti die XIV. Julii. Sed nec Lucas tunc officium ſuſcepit, nec Alphonſus abivit, donec anno MDCXXXIII. die IX. Februarii, quæ fuit feria quarta cinerum, abeunte Alphonſo ad Ordinis Comitia Toleti habenda, eodem die ſucceſſit illi Lucas

ad

Digitized by Google

ad id denuo compulſus novis litteris patentibus Antonii Henriquez Vicarii Generalis Ordinis datis Matriti die xx. præcedentis Novembris. Deinde die xx. Februarii, quæ fuit Dominica ſecunda Quadrageſimæ, orationem ad Pontificem, & Cardinales in ſacello pro more habuit. Interea vero cetera illius officii moleſta munera ad omnium ſatisfactionem obibat; cum eodem anno Generalis Ordinis Miniſter in Comitiis Toletanis electus eſſet Joannes a Campanea, cujus ante mentionem fecimus, nec prius officium exercere cœpit, quam Lucam enixe rogaſſet, per litteras primum Toleto, & alias deinde Matrito datas undecima die Junii, ut Romanæ Curiæ Procuratoris officium non desereret, ſed proſequeretur; hortaturque, ut hac vice reliquas occupationes, & ſtudia projiceret in hoc neceſſarium Religionis obſequium, promittitque, & S. Franciſcum, & ſe etiam ſuo tempore repenſurum Lucæ labores. Quod ſane fecit dum vixit, tanto affectu in Lucam ipſum, & Collegium S. Iſidori, ut conatus fuerit etiam in eo mori, ſi non e ſacrorum Canonum præſcripto Puteolos, quorum erat Epiſcopus, ad reſidentiam ire oportuerit, atque hinc diſcedens cum lacrymis deploravit, ſe non potuiſſe cum Hugone Cavello, Benigno Genuenſe, Luca Waddingo, & Antonio Hiquæo confratribus, & caris amicis quintum ſepulturæ locum ſortiri.

Lucas autem Generalis Miniſtri hortatibus obſecutus Procuratoris officium exercuit uſque ad diem vigeſimam octavam Aprilis milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti, quo diem poſſeſſionem inivit fr. Didacus a Cea Hiſpanus in Capitulo generali conſtitutus Curiæ Commiſſarius: & Lucas lætus ex Aracœlitano Cœnobio, & Curiæ moleſtiis ad quietem ſancti Iſidori & muſæum tam diu deſideratiſſimum reverſus eſt, nullibi tamen forenſi negotio vacare permiſſus. Iterum autem anno MDCXLV. in Comitiis generalibus Toletanis Miniſter Generalis die tertia Junii electus eſt Joannes a Neapoli, notæ prudentiæ & auctoritatis vir, ſcriptis die inde undecima litteris, ac aliis inde multis, tam publica Religionis, quam privata negotia ſua Waddingo commiſit, & ſerio commendavit, cum poteſtate Vice-Commiſſarii Ordinis in Curia Romana. Sed Lucas ſcripto reſponſo ſeipſum ab hoc publico munere excuſavit, quod gravia tunc negotia Catholicorum regni Hiberniæ apud ſanctam Sedem Apoſtolicam peragenda ipſi incumberent; facturum tamen ſe, ut Patribus Vicariis familiæ Ciſmontanæ, quos Miniſter generalis tunc ex Hiſpania deſtinavit, & præſentibus Curiæ Officialibus nulla ex ipſo deeſſet opportuna aſſiſtentia, & ut Sanctiſſimus Dominus, & Eminentiſſimi Cardinales de Ordinis ſtatu integre informarentur, neque quidquam gravioris momenti innovari permitterent, uſque ad ipſius Generalis adventum in Urbem. Quod & fecit Lucas ſingulari favore Inno-

Innocentii X. Pontificis & forti diſſuaſione quorumdam Cardinalium, qui bona intentione, ſed mala quorumdam informatione in aliqua, Religioni minime congruentia, tunc palam propendebant. Verum id officium Commiſſarii Curiæ, quod Lucas tunc acceptare non poterat, anno tamen inde tertio id eſt MDCXLVIII. ſubire coactus eſt. Nam cum idem Generalis Miniſter tunc in Hiſpaniam rediret ad intermedia, quæ vocant, Ordinis Comitia in civitate Victoriæ futura, ac difficilia quædam Ordinis negotia Romæ tractanda reſtarent, quæ non alterius, quam Lucæ fidei, & induſtriæ credenda exiſtimavit, voluit omnino ut Antonio a Ribera Curiæ Commiſſario, qui tunc pariter ad Comitia proficiſci debebat, in officio ſuccederet, idque decrevit patentibus litteris eo anno datis Romæ die XIII. Aprilis, quarum virtute Lucas officium exercere cœpit die ejuſdem menſis XXII. & magno Ordinis bono continuavit uſque ad XXV. Martii anni ſequentis MDCXLIX. quo die cubicula Aracœlitana & Ordinis Regiſtra tradidit Franciſco Suarez, in illa Congregatione Victorina conſtituto Curiæ Commiſſario.

XLV. Germaniæ Galliæque, nationum Fratribus hoſpitia fundat.

INter cetera vero hujus officii munia, quæ Lucas interim obivit, unum eſt, quo Galliarum atque utriuſque Germaniæ, & adjacentium Provinciarum Nationes perpetuo pignore ſibi devinxit. Cum enim Procurator & Commiſſarius, actores negotiorum Ordinis in Curia Romana, ex Italis & Hiſpanis tantum aſſumi conſueverint, atque ideo his Nationibus ſat bene pro hac parte proviſum eſſet, neceſſarium fuit, ut aliæ quoque Nationes aliquos Romæ haberent in ipſorum negotiis intime verſatos, qui Ultramontanæ familiæ Procuratorem, ſeu Commiſſarium Generalem in Curia, ipſoſque Sedis Apoſtolicæ, & ſacrarum Congregationum Miniſtros de rebus Provinciarum recte inſtruerent, & opportunam negotiorum expeditionem ſollicitarent. Quapropter ad inſtantiam Nationum in Capitulo Generali Toletano anno MDCXXXIII. decretum fuit, ut ad faciliorem expeditionem negotiorum, quæ ex parte Provinciarum tractanda occurrerent in Curia Romana, Miniſter Generalis provideret, ut Galli unum, & altera Natio utriuſque Germaniæ, & adjacentium Provinciarum alium Patrem ex ipſis Nationibus Romæ habeant, qui ibi ſit ejuſmodi negotiorum ſollicitator; atque inſtitutis deinde Patribus ad id munus aſſignata eſſent cubicula in ipſo dormitorio Conventus Aracælitani. Accidit deinde ut menſibus aliquot prius quam Lucas officium hac vice ſuſceperit, ea cubicula Superioribus Romanæ Provinciæ viderentur pro Italiæ Provinciarum advenis excipiendis neceſſaria; adeoque Miniſter Generalis Adrïanum Huberti, tunc pro utriuſque Germaniæ, & annexarum Hiber-

berniæ, Angliæ, Scotiæ, & Daniæ, Provinciarum Natione ſollicitatorem cubiculis excludi, ſocioque privari fecit: & prorſus eo ſe tendere palam, ſæpiuſque monſtravit, ut id officii genus tamquam ſuperfluum extingueret omnino, & Adrianum dato mandato ad propria remitteret.

Auguſta res viſa eſt, in qua cum alii litem, alii longanimitatem Adriano ſuaderent, & a Menſe Octobris ad Menſem Decembris abſque ſolatio ſuſtineret, Lucas nondum tunc in officio conſtitutus conſilium jam iterum ab Adriano rogatus, perſuaſit ne vel cauſam ad externa tribunalia traheret, vel Patri Generali tum adverſa valetudine, cum negotiorum preſſura adhuc indiſpoſito importune moleſtus eſſet; denique ſileret omnino, & rem ſibi peragendam relinqueret, & ſiluit ipſe uſque ad occaſionem. Ea vero fuit qua amplius innoteſcit induſtria Lucæ pro Ordinis utilitate; nam cum ipſe Generalis, & Cardinalis Juſtinianus Ordinis Comprotector in aliquibus minus convenirent, neque expediret Generali tunc in Hiſpaniam abituro, Cardinalem Romæ ſibi offenſum, relinquere, optimum judicavit, ut Lucam adhiberet ipſius conciliandi mediatorem. Quod cum præſtitiſſet Lucas, & ipſe Generalem ad Comprotectorem duceret & comitaretur, dum plura Ordinis negotia liberius cum Cardinale conferrent, & inter cetera Generalis palam indicaret, ſe velle ſollicitatorum nationalium officium plane tollere, velletque Cardinali ſuadere id omnino ſuperfluum eſſe, tunc Lucas, occaſione per frontem arrepta, officii neceſſitatem pluribus monſtravit; neque pro Capituli generalis auctoritate eſſe, ut quod matura conſideratione decrevit, non abſque graviori cauſa ſolveretur, neque rem adeo facilem eſſe, cum ipſa Capituli decreta Summi Pontificis auctoritate approbata eſſent, ac tot annorum pacifico exercitio ſollicitationis confirmata, neque ampliſſimæ nationi Romæ defore patronos, qui Generalis propoſitum in re tam neceſſaria longe difficillimum redderent. Qua Lucæ oratione factum eſt, ut quanquam de cubiculis nihil tunc decerneretur, abrogandi tamen officii cogitatus evanuerit. Regebat interea Lucas Adriani conſilia, & cohibuit nonnulla, quibus tunc rerum irritaretur potius, quam obtineretur animus Generalis, donec ipſe cubiculorum quoque cauſam opportune promoveret, atque interim, accedentibus etiam litteris Commiſſarii Generalis, & patrum Nationis, effectum eſt, quod Miniſter Generalis ſcripto mandato juſſerit, ut per ipſum Lucam & Hieronymum Celentanum, ipſius Miniſtri in Italia Vicarium Generalem aſſignaretur Adriano locus in Palatio Curiæ, in quo ſumptibus ipſius nationis ædificaret duo cubicula pro Agente & ſocio, quæ perpetua Lucæ aſſiſtentia & auctoritate, & laudanda ſollicitudine, & patientia boni Adriani ſat commoda brevi con-

ſtru-

ſtructa fuerunt, & ita ſtabilitum officium magno bono Nationis, & ſolatio Patrum Agentium, quos ex tunc graves quidem & exemplares mittit Commiſſarius generalis Nationis.

Tunc vero quando Lucas ſimul cum Vicario generali, ut idoneum locum pro his cubiculis ædificandis aſſignaret, ſuperiora Palatii loca luſtraret, reperit Religioſos Gallicanæ Nationis tali Hoſpitio ſuſcipi, quale miſerrimi quique nollent inhabitare. Quapropter eorum ſorti paterne compaſſus, obtento mandato Miniſtri generalis, ut expenſis ipſius Nationis locus ipſis adaptaretur, cum expenſæ nullæ præ manibus haberentur, Lucas, ne res per dilationem forſitan evaneſceret, egit cum devotis viris ipſius Nationis, præſertim Innocentio Richard, cauſarum in Urbe actore, ut mutuo darent pecunias ædificio neceſſarias, dato ſponſore, quod ipſe Lucas curaret integram ſummam per Galliæ Provincias refundi. Eaque ratione in optimo loco Palatii commodum diverſorium illis conſtruxit, octo cubiculis diſtinctum, eaque omni neceſſaria ſupellectili inſtrui curavit, cum vicino habitaculo pro Agente Nationis & ejus ſocio; ita ut tam ipſi Agentes utriuſque Nationis, quam alii ex longo, ac tædioſo itinere advenientes haberent, ubi commode quieſcere, & refocillari poſſent; & ſuper utriuſque Hoſpitii portam exteriorem lapidi marmoreo inſculpi curavit, ipſa cubicula pro Nationum uſu, propriis ipſorum ſumptibus eo anno MDCXLVIII. conſtructa fuiſſe.

XLVI. Generalibus Miniſtris & Ordinis Procuratoribus perpetuo aſſiſtebat.

PRæter hæc autem, & alia, quæ Lucas noſter ex onere publici muneris Ordini præſtabat, & alia ejus negotia jam tum ab initio Romani ipſius incolatus diſtrahi ſolitum fuiſſe, ex ipſius verbis ad Benignum Genuenſem præclarum totius Ordinis Rectorem, in primi Tomi Annalium dedicatione fidenter ſcriptis conjicere licet: *Adſtabas jugiter operi urgens præſentia, inſtabas verbis, durus ſemper, ignoſcas ſi hoc dixerim, diurni penſi exiſtens exactor; adeo ut piaculum putares ſi interdum ad alia, etſi Sodalitio utilia, divertiſſem: ſæpe vero, & ego humanum aliquid paſſus cum amicis conquerebar tyrannice mecum agi, quod ſeriis diſtractus, & ad neceſſaria quæque a te ipſo tractus, frequenter inſtiteris ſuper alligantem manipulum, nec reſpirare permiſeris ante opus abſolutum.* Neque vero reliqui deinceps Ordinis Prҫlati, Benigni ſucceſſores, aliquando deſtiterunt, Lucam ad neceſſaria quæque negotia, & Sodalitio utilia utiliter trahere, dum ipſi quandoque etiam, qui alias auctoritate & æſtimatione prælucere viderentur, non intra cortinam in aulis admiſſi, triſtes & anguſtiati domum redirent; cum interea Lucas per ſecretiorem viam ad Principes, & Miniſtros introductus, negotia feliciter agebat, & ad Superiores nihil minus cogitantes, vel peracta, vel parata ad Aracœli Cœnobium deferebat.

rebat. Neque ſoli Generales Miniſtri, vel alii Ordinis Officiales, qui Romæ ipſi præſentes erant, vel in vicinis Italiæ Provinciis, Waddingi operam rogabant, ſed ex Hiſpania, Gallia, Britannia, Belgio, Germania, ex omnibus Ordinis Provinciis, atque adeo ultimis utriuſque Indiæ tractibus totius Ultramontanæ Familiæ, & peculiarum Nationum Commiſſarii Generales, & Provinciarum Miniſtri ſua illi commendabant negotia, & in multis domi quoque diſponendis conſilium, opemque petebant.

XLVII. Quam prompte, pacifice, & prudenter negotia tractabat.

Neque ille cuiquam denegabat obſequium: ſi per litteras agebatur, prompte reſpondebat, & quidquid in re fieri poterat, id ſedulo & fideliter operabatur: ſi per Religioſos Fratres ad expeditionem ſollicitandam deſtinatos, hos Patribus Curiæ Procuratoribus commendatos favorabiliter ſuſcipi, & bene habere, atque apud Superiores Ordinis, quam cito & feliciter fieri poterat, expediri curabat. Si in ſacris Curiæ Tribunalibus rem agi oportebat, dirigebat Fratrum actiones, ne vel Sedis Apoſtolicæ Miniſtris moleſti eſſent, vel adverſæ parti graves aut imprudenter injurii. Et cum opus erat, juvabat ipſe apud Judices, cauſæ merita ſine ambagibus exponendo, atque Ordinis leges, & conſuetudines, quas apprime callebat, indicando; præter multa alia id genus negotia, & prolixas ſcripturas, de quibus ipſi Eminentiſſimi Cardinales, & Curiæ Miniſtri Lucæ ſenſum, judiciumque ſeorſim expetebant. Nonnulla etiam ejus deciſioni, & arbitrio ex integro committebant Superiores, in quibus ita conciliabat partes cauſæ, quod ipſius rationibus & ſuaviſſimis monitis acquieſcens ipſa pars victa nullum præjudicium ſibi factum fateretur.

Abhorrebat Lucas Fratrum litigia, præſertim ſi quæ ab ipſis Superioribus componi poſſent, ſed ad extera Tribunalia trahuntur, cum Ordinis inquietudine, & ſæcularium admiratione; & ipſe nonnumquam commotos animos componebat ſecreto, ne in publicum cauſæ prodirent. Lites enim viro religioſo quantumvis juſte ſe defendenti, minus ad honorem cedere dicebat, ſi non coacte in primis, deinde ſumma prudentia, & moderatione tractentur. In quem ſenſum aliquoties referebat ænigma, quod ipſi, & Conſodalibus tirocinii propoſuit olim ipſorum Præfectus: Quæ rerum eſſet, cujus media pars melior ſit, ac perfectior quam tota? & poſt varia juvenculorum reſponſa Magiſter ipſe Novitiorum ſolvit, eam rem interpretando juſtitiam, cujus virtus in medio conſiſtit, & quo in exactore diminutior eſt, eo melior & perfectior, quia ſummum jus, ſumma injuria; adeoque dimittendum ſemper aliquid, ne nimio rigore juſtitiæ caritatem violaſſe videamur. Quam regulam ſecutus ipſe Waddingus inter multas, quas habuit occaſiones, nullam umquam indixit litem, ſed cum ab aliis impe-

impetebatur, non offendere adverſarium, ſed rem ſuam defendere ſatagebat, & vel plana ratione ex æquo, & bono differentiam componi, vel mutua concordia convenire malebat, quam juris apicibus concertare; imo vero, ſi quadantenus gravari oportebat, id ipſum ſuſtinebat libentius, quam protrahebat litem.

Luculentum ſane pacificæ ſuæ mentis, & prudentiæ argumentum, ut ex pluribus unum proferam edidit, quando noſtri RR. PP. Capuccini ſuum Conventum Romanum Immaculatæ Conceptionis juxta noſtrum hunc ſancti Iſidori ædificarunt. Accidit enim, ut ex errore eorum, qui præerant operi, murum ſuum, ſic ultra metas, per ſundi venditorem poſitas, duxiſſet, ut bonam partem noſtræ plateæ, ſeu areæ publicæ intra ſuum murum concluſerint, & muro ipſo fere mediam partem frontis Eccleſiæ noſtræ libero proſpectu prohibuerint, idque ducto angulo muri, tam prope portam templi, ut erecta deinde porticu non reſtabat ſpatium ædificandæ ſcalæ per quam ad ipſum templum honeſte, & pro populi commoditate ſcanderetur. Indoluit Lucas præjudicium, & quamquam tunc reclamaverit, & poſuerit aliqua honeſta media recuperandi jura ſui Conventus, propter alia tamen motiva deinde prudenter tacuit per annos XXIV., longanimiter expectans magis commodam opportunitatem, donec demum provocatus per aliam litem a Patribus ipſi intentatam propter poſtem portæ ad ipſorum murum appoſitam, tunc repetiit priſtinum jus plateæ; porrecto Summo Pontifici ſupplici libello, non quo præteritæ moleſtiæ vindictam, aut rem ad juſtitiæ rigorem decerni poſtulavit, ſed quo humiliter, & modeſte rogavit, *ut ſua Sanctitas vellet ordinare quod videatur notabile damnum ſupplicantium Fratrum Collegii ſancti Iſidori, & fraterne componatur controverſia inter duo Cænobia ejuſdem profeſsionis; dum Religioſi ſancti Iſidori ſe exhibeant ad omnem juſtam ſatisfactionem pro parvo illo ſitu Patribus Capuccinis alioquin minime neceſſario.*

Hinc vero poſt informatum ab utraque parte Eminentiſſimum Cardinalem Bernardinum Spada, ad quem Pontifex Lucæ libellum remiſit, cum Superiores PP. Capuccinorum partes ſuas ad rem ex integro tranſigendam commiſiſſent Marco Antonio Carpinetulo, ipſorum Ordinis in Curia Romana Procuratori, & Commiſſario generali: atque is a Luca ſcire cuperet, quid in re prætenderent Fratres ſancti Iſidori, Lucas illi per hæc verba, etſi Romano idiomate reſpondit. Quandoquidem Admodum RR. PP. Miniſter & Definitores hujus Provinciæ Romanæ Patrum Capuccinorum, & Patres Conventus Romani ſanctiſſimæ Conceptionis ejuſdem Ordinis remiſerint V. P. A. R. accommodationem differentiarum, quæ inter ipſos, & iſtos Conventus ſancti Iſidori Fratrum Reformatorum

ſancti Franciſci ipſorum conterminos vertuntur: & cum juxta hoc V. P. A. R. ſignificet ſe velle ſcire, quales ſint prætentiones dictorum Patrum ſancti Iſidori, ipſi reverenter, & cum omni affectu fraternæ concordiæ, & religioſæ correſpondentiæ hic exponunt; quod deſiderent, & ſuppliciter orent, ut auferatur ille reſultus muri Patrum Capuccinorum, qui in faciem templi ſancti Iſidori erectus eſt, & quod murus dividens fundum utriuſque Conventus ducatur per lineam rectam deorſum uſque ad finem plateæ ex adverſo anguli domus Domini Advocati Ronconii, quemadmodum Patres ſancti Iſidori ſemper prætenderunt poſita fuiſſe ſigna terminorum, quando fuit ipſis vendita ipſorum pars ſitus a Domino Duce Joanne Antonio Urſino: & quod Patres Capuccini deſiſtant a lite intentata contra Patres ſancti Iſidori, propter appodium unius columnæ portæ ad ipſorum murum. Et dicti Patres ſancti Iſidori ſe obligant ad ſupplicandum Excellentiſſimo Domino Principi Ludoviſio, & ponere apud ipſum ejuſmodi mediatores, quod ſperent ſe aſſecuturos pro Patribus Capuccinis illam viam, quæ ducit ad Cancellos Viridarii Principis, & medium dividit hortum ipſorum Capuccinorum: quo conceſſo, & non prius, prætendunt & ſperant Patres ſancti Iſidori ſupradictos favores a Patribus Capuccinis. Se etiam obligant dicti Patres ſancti Iſidori quod ex eleemoſynis a ſe procurandis ſolvantur ſumptus, tum in deſtruendo veteri muro, tum in conſtruendo novo, impendendi, & quod opus fiat ex bona materia, atque tam cito, ut Patres Capuccini non ſint inde paſſuri incommodum vel detrimentum. Et pro majori facilitate & firmitate hujus fraternæ concordiæ, & ut non obſtet Breve, quod a fel. mem. Papa Urbano VIII. habent Patres Capuccini, deſiderant Patres ſancti Iſidori quod purificentur, ſeu compleantur duæ conditiones in eo contentæ, videlicet, ut obtineatur licentia & conſenſus Excellentiſſimæ Domus, & familiæ Barberinæ, & quod ſupradicti admodum RR. PP. Miniſter ac Definitores, & Patres Conventus ſupradicti Capuccinorum in ſcriptis approbent hanc conventionem, & eam faciant quatenus opus fuerit ratificari in proximo Capitulo Provinciæ.

Ita Waddingus omnis litis uſque ad neceſſitatem inimicus, jure ſuo tot annis prætenſo deſtitutus, nova lite ob rem nihili laceſſitus, adeo pacifice, adeo humiliter, & reverenter exponit gravamen, tot offert conditiones, tot in ſe ſuſcipit obligationes, ut rem ſuam abſque fori ſtrepitu recuperet, atque veteris emptionis titulo debitam, & nunc alterius majoris, & adverſariis apprime neceſſarii fundi commutatione, & murorum inſuper expenſis ſecundo emptam, nihilominus ut concedatur ſuppliciter orat, & conceſſionem talem favorem appellat: qua animi, & verborum mol-

mollitie fregit iram, & manſuetus tandem hæreditavit terram: nam cuncta in eum ſenſum, quem propoſuit ſtabilita, & publico inſtrumento ſtipulata ſunt, & ipſius virtute facto completa. Non enim alteri tam facile donaret Nicolaus Princeps Ludoviſius apertam viam, per quam in ſuum viridarium commodiſsime vel vehi, vel ambulare pro libitu poſſet; ſed Lucæ nihil ſciebat negare, cujus merita per longam didicit experientiam, eorum præſertim, quæ in Collegii ſancti Iſidori, & Hibernicæ nationis emolumentum cederent; ſic enim ſonat ipſum conventionis inſtrumentum: quod Excellentiſsimus Dominus Princeps enixe rogatus pro parte Patrum ſancti Iſidori ab Eminentiſsimo Domino Cardinali Spada, aliiſque perſonis pro dicta ſitus conceſsione, libenter annuit, tam ob devotionem, quam ipſe, ejuſque Excellentiſsima Domus ſemper profeſſa fuit erga dictum Conventum ſancti Iſidori, & nationem Hibernicam, cujus Protector fuit ipſius germanus frater Eminentiſſimus Dominus Ludovicus Cardinalis Ludoviſius fel. mem. Et ſane Princeps ipſe nullam hactenus omiſit occaſionem, per quam ejuſmodi protectionem erga gentem noſtram exercere poſſet, ut nec modernus etiam Nicolaus Cardinalis Ludoviſius, quanquam non titulo, ſed gratia tamen & favoribus Protector.

Hac denique ratione & moderatione atque longanimitate Waddingi perpetua pax & fraterna caritas, quæ alterius cujuſpiam elata mente, & nimio ardore, aut contentionis ſtudio turbarentur, inter utriuſque Cœnobii Religioſos, utrinque Dei gratia bonos, conſervatæ & amplius firmatæ fuerunt, etiam religioſo epulo, in quo voluit Lucas, ut præcipui aliquot ex Patribus Capuccinis in refectorio ſancti Iſidori, communi menſa, & concordi voluntate & caritate nobiſcum hac occaſione veſcerentur; quam fraternam caritatem & pacem, ut optamus ex animo, ita omnino ſperamus nullo unquam tempore, nullaque occaſione violatas iri. Sed illud in Luca noſtro valde notavimus, quod per tot annorum luſtra, quibus domo quotidie exiens & intrans, trabem illam in oculos impactam cernebat, nihil tamen remiſerit ſui erga Confratres Capuccinos, ipſorum præſertim Superiores & præcipuos Patres, religioſæ correſpondentiæ, & confidentiæ familiaris, aut immoderati, vel ſui ipſius impotentis animi ſignum edere aliquando viſus fuerit. Habeo ipſius, atque alterius cujuſpiam in ea re mutuas ſchedas, quarum fervore, & ipſe aliquando accendi poterat, ſed per quam ſedate, & modeſtiſsime reſpondebat.

In tractandis demum quibuſvis Ordinis negotiis, id laudis Romæ tulit, ut quanquam ea pietate in matrem Religionem, prudentique zelo & amore, quo Fratrum honeſta deſideria proſeque-

ſequebatur, quorumdam defectus excuſaret, tam publicos, quam privatos terrores dulciter averteret, favores inſuper feliciter impetraret; inter hæc nihilominus ita ſe gerebat, ut nullius obliqui affectus, aut immoderatæ paſsionis erga ſuum Ordinem notatus fuerit, quin, quod juſtitia & ratio poſtularet in id libenti, & pacatiſsimo animo conſentiret. Thomas de Herrera doctiſsimus ille Magiſter Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, & eo etiam clarus, quod, ut diximus, Waddingi Apologiam refutare tentarit, multo tempore, & familiari Lucæ noſtri conſuetudine expertus Romæ, quantum hic ſuæ Religioni præſtaret, in eo ipſo opere, quo ceteroqui Lucæ ſe Antagoniſtam profeſſus eſt, ſuffragium ſuum paucis his verbis pro ipſo nobis reliquit: *Eruditiſſimus Pater frater Lucas Waddingus, cujus diligentiæ & ſtudio tantum debet Franciſci clariſsima ſoboles, ut neſciam an plus alteri.*

XLVIII. Fundatio Collegii S. Iſidori.

EA quæ notavimus, & plura peculiaria, quæ conſulto prætermittimus, præſtitit univerſo Minorum Ordini Lucas Waddingus, ſed Provinciam Hiberniæ, unde ortum ipſum diximus, inſigni beneficio in hac Urbe Roma decoravit, quando pro illa fundavit hoc nationale Collegium Romanum S. Iſidori, ipſumque uſque ad mortem ſuam ita gubernavit, ut illi Provinciæ totique Nationi, & univerſo Ordini æſtimationem utilitatemque non contemnendam attulerit: cujus operis occaſio, & ratio hæc fuit.

XLIX. Quid ante factum reperit.

ALiqui Religioſi Hiſpani Regularis Obſervantiæ Franciſcanæ Diſcalceati peculiari ſtudio impetrarunt a Gregorio XV. Pontifice, ut proprium Procuratorem ex ſuis in Curia Romana habere poſſent, pro expediendis negotiis eorumdem Diſcalceatorum Provinciarum Hiſpaniæ, & Indiarum; & Hoſpitium in Urbe ædificare, in quo Fratres ejuſmodi Diſcalceati ſuſciperentur, atque ipſis, tamquam ſuperior præeſſet idem Procurator; cum ipſi prius, ut reliqui omnes Fratres Ultramontani, ad Aracœli diverterent, & negotia ſua per Ordinis Procuratorem, & Commiſſarium Curiæ ex antiquiſſimo Religionis uſu, & Statutis generalibus peragerent. Igitur habita illa facultate Gregorii, & alia, per quam licebat Eccleſiam cum campana, & reliquis addere Hoſpitio, Joſephus Cæſarauguſtanus tunc Procurator Diſcalceatus, & alius ejuſdem Inſtituti, laici ordinis, & notæ probitatis frater Paulus Matritenſis, electa area conſtruendi Hoſpitii in Monte Pincio, ubi prius erat hortus carduorum prope viridarium Cardinalis Ludoviſii, non tamen illi contiguo, ſed per XIV. cannarum ſpatium diſſito deorſum verſus deſcenſum ad forum Sfortianum, quod hodie Barberinum vocant, fundum ipſum quadrum, circuitus

cuitus cannarum tantummodo xl. non emerunt, ſed in perpetuam emphyteuſim acceperunt ab Excellentiſſimo D. Joanne Antonio Urſino Duce S. Gemini, Domino proprietario fundi, cum onere ſolvendi in ſingulos annos perpetuum canonem, ſeu cenſum ſcutorum xl. monetæ Romanæ, quæ ſi unquam aliquando per triennium integrum non ſolverent, ipſo jure & facto fundus totus cum quibuſcumque ædificiis, vel operibus in eo interim faciendis, cujuſcumque pretii, ad Ducem devolverentur. Quod ſi ulla occaſione in terra invenirentur lapides, metalla, gemmæ, vel alia ejuſmodi cujuſcumque pretii vel quantitatis, ſive rudia, ſeu elaborata, duæ tertiæ partes eorum ſpectabant ad Dominum Ducem, & reliquam eidem vendere tenebantur Patres, qui etiam omnia ſuis ipſorum expenſis extrahere, & ad propria, & libera Ducis bona traſportare debebant. Ulterius nullo unquam tempore poterant dicti Patres vendere, cedere, donare, permutare, aut alio quovis modo alienare totum, aut partem ſitus, aut ullius operis in ea faciendi, aut cenſum illis imponere ſine licentia & conſenſu Ducis. Obſtricti quoque erant ad ſubeundas quaſcumque futuras expenſas publicas, & taxas impoſitas, vel imponendas huic fundo pro plateis, fontibus, fortificationibus, aut aliis ejus generis. Erant inſuper obligati nunquam petere defalcationem, ſeu diminutionem prædicti canonis, ratione belli, peſtis, abſentiæ Pontificis, aut Curiæ Romanæ, Sedis vacantis, aut alterius cujuslibet inſoliti accidentis: nec remiſſionem devolutionis fundi, & operum in triennali mora ſolvendi canonem, ſed quod in quovis caſu tenerentur ad omnia ſupradicta, idque per publicum inſtrumentum ſtipulatum die xviii. Aprilis anni mdcxxii. Notario Olivello. Patres igitur, obtento his pactis neceſſario terræ ſpatio, erexerunt primum ſumptibus Octaviani Veſtrii Barbiani, Patritii Romani, Equitis Ordinis Calatravæ, & deinde dum vixit Urbani VIII. Pontificis Cubicularii quatuor latera templi in crucis formam ducta, cum fornice & tecto ſub titulo ſancti Iſidori agricolæ, tunc recenter per Gregorium Pontificem canonizati. Ad dextrum templi latus, pecuniis Magiſtrorum fabricæ interim expenſis, extruxerunt habitaculum ſeu hoſpitium, quod inferius ad primum ingreſſum conſtabat parvo clauſtro ſeu periſtylio, cum duobus parvis cubiculis ad ipſum templi parietem, quorum loca nunc occupant ſacella ſancti Antonii, & ſanctiſſimi Crucifixi, aliiſque duobus hinc atque inde, quorum alterum prope januam, e ſiniſtra manu intrantis, ad divina interim facienda pro ſacello ſerviebat, alterum, e regione hujus pro templi ſacrario olim futuro deſtinatum fuit. Ad alteram partem clauſtreoli contra templum erat refectorium, & culina cum duabus parvis promptuariis ſeu cellis penuariis, in quibus earum officinarum

narum ſupellex reponebatur. Extra refectorium autem, inter culinam, & cellam refectorii, patebat impluvium, quo imber colligitur in ſubjectum ſtagnum, ſeu hydrothecam, quadrato muro, ac trilatera arcuata porticu circumdata. Erant præterea ſub ſacrario, refectorio, & culina cryptæ concameratæ, quarum pars una nobis hodie pro fullonica ad abluendas veſtes, altera ad ligna & horti impedimenta reponenda deſervit. Superna domus contignatio erat anguſtum dormitorium, quod in tribus lateribus a parte exteriori conſtabat XIV. parvis cubiculis & ambitu, qui ex his immediate egredientes excipit; interius vero circa periſtylium complectitur alium ambitum quadrilaterum pro domeſtica deambulatione & colloquio Religioſorum, omnia deſuper arcuatis fornicibus operta, quibus immediate incumbebat tectum totius fabricæ, cujus omnes fere partes adhuc tunc rudes, & imperfectæ fuerunt. Neque ullibi extra quadratum hoc ædificii circuitum Patres Diſcalceati habuerunt tres cubitos terræ.

L. Qua occaſione, quo pacto ad Lucam devenerit.

IN eo tamen habitarunt pauci aliquot Fratres Diſcalceati, duos circiter annos, donec præſentientibus Superioribus Ordinis, & Philippo IV. Hiſpaniarum Rege, & Sedis Apoſtolicæ apud ſuam Majeſtatem tunc Nuncio, novam diviſionem nimis alioquin diviſæ Religionis, quæ poſtmodum attentata fuit, Rex ipſe miſſis ad Franciſcum Cardinalem Barberinum ejuſdem Nuncii litteris per alias ſuæ Majeſtatis ad Ruizium Gomeſium a Sylva, Paſtranæ Ducem, & ſuæ Majeſtatis tunc in Urbe Oratorem, præcipit huic, ut datis Cardinali litteris Nuncii, cum ipſo ſerio & efficaciter ageret, quatenus interpoſito ſtudio, & opera ſuæ Eminentiæ, Urbanus VIII. Pontifex, cujus erat Nepos, & Pontificii oneris adminiſter, ad quietem Ordinis conſervandam præciperet, ut cum effectu auferretur Patribus Diſcalceatis prædictum Hoſpitium & officium, & ſuam Majeſtatem de effectu certiorem redderet Orator. Itaque hac ratione remiſſis Patribus Diſcalceatis ad priſtinum locum Aracœlitanum, Urbanus Pontifex hoſpitium ſancti Iſidori Ordinis uſui reliquit, ac liberæ Miniſtri Generalis diſpoſitioni commiſit. Is tunc fuit frater Bernardinus a Senis, qui ſtatim in hoſpitio collocavit aliquot Patres Hiſpanos Regularis Obſervantiæ, quos de familia vocant. Sed hi cum pauci eſſent, & vix ad victum neceſſaria illis ſuppeterent, non libenter inhabitabant anguſtam domum tot ſui partibus adhuc perficiendam, annuo cenſu aliiſque oneribus, & opificum ære ad tria fere millia ſcutorum gravatam, ob quod paucis poſt menſibus res illuc devenit, quod querentibus creditoribus, Generali Miniſtro Ordinis, per ſententiam ſacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ, mandatum fuerit, ut pecuniam illis debitam intra

intra unius menſis tempus perſolveret, vel Hoſpitium plus offerenti venderetur, & ex pretio illis ſatisfieret. Inter hæc anxie præmebatur Generalis: grave quippe illi videbatur Ordinem perdere tam inſignem in Urbe ſitum, & ædificium, utcumque jam tum ſuo tecto clauſum, nec ex altera parte ſuit vel ipſe, vel Patres, quibus locum poſt amotos Diſcalceatos tradidit ſolvendo tam magnam ſummam debitorum. Dum hæc ita eſſent, Lucas noſter cum Antonio Hiquæo, qui, ut ante diximus, habitabat in Conventu Romano ſancti Petri Montis Aurei, & cum noſſet Generalis magnam ejus fuiſſe auctoritatem, eoſque habuiſſe amicos, ad quos pro ſubſidio ſolvendi debita facile recurrere poſſet, dolorem ſuum illi expoſuit, rogavitque ut labanti negotio ſuccurre vellet, & Religionem eo dedecore, damnoque liberare. Waddingus, tametſi ab initio negotium, ob ſummæ perſolvendæ magnitudinem, difficile, & ob ædificii immaturitatem ſundique anguſtias, intento ſuo minus aptum arbitraretur, re tamen pro ſuo in Ordinem patriamque ſtudio, & zelo Catholicam fidem in ea conſervandi profundius conſiderata, & cum ipſo Urbano Pontifice, & Franciſco nepote, Regiiſque Miniſtris, præſertim Cardinale Trejo, & aliis, quorum intererat, mature conſulta, cum hos videret adeo in ſuum ipſius propoſitum pronos, ut non conſulerent ſolum, ſed & ſuaderent, & ſuum quiſque patrocinium, opemque offerret, conſenſit Generali, ſeque obtulit ſolvendo creditorum æri, ea tamen conditione, ut locus ipſe in Collegium ſtudiorum; & recollectam domum regularem Fratrum Minorum Obſervantum Nationis & Provinciæ Hiberniæ appropriaretur. Neque Generali diſplicuit conditio, tum quod ipſius deſiderium ſervandi locum Religioni ſic impleretur, tum propter peculiarem ipſius affectum in perſonam Lucæ & Provinciam, de Ordine ipſo & Catholica religione optime meritam, quæ ut erat Hæreticorum perſecutionibus oppreſſa, hac ratione ſublevaretur, & erudirentur litteris & pietate viri Hiberni, qui Anglicanæ quoque nativis Minoritis eouſque deſtitutæ, & Scoticæ præſertim Eccleſiæ noſtris Franciſcanis Hibernis ſpecialiter & cum fructu commiſſæ, ſucceſſive ſervirent.

Hac igitur conventione facta, Generalis Romæ in Conventu Aracœlitano, Idibus Junii, ipſo die feſto ſancti Antonii Patavini, anno MDCXXV. ſubſcripſit, & majori Ordinis ſigillo munivit litteras patentes, per quas facta mentione facultatis ſibi ab Urbano Pontifice conceſſæ, & habita prius ſuper hoc matura deliberatione, cum illis Patribus, cum quibus majora Ordinis negotia communicanda erant, dictum Hoſpitium ſancti Iſidori in Collegium convertit, Provinciæ Hiberniæ aggregavit, ejuſdemque Provinciæ Miniſtro, & Patribus in perpetuum ſubmiſit, ut

in eo liberalium artium, ſacræ Theologiæ, & Fidei controverſiarum ſtudia inſtituerent: aliaque in patentibus diſpoſuit, quæ ad peculiare gubernium Collegii pertinent, atque in ipſius Collegii Conſtitutionibus, & Pontificio ſundationis Diplomate ſuſius explicantur. Urbanus enim Pontiſex, ipſius Miniſtri Generalis, ac in primis Waddingi petitione, & ipſius poſtulati juſtitia, motus Apoſtolica auctoritate cuncta confirmavit, multa proprio ſuo dictamine ad firmiorem Hibernorum ſtabilitatem in Bulla exprimi, mutarique ſecit, protectionem ſuam, & ſavores pollicitus, quibus conferendis Lucæ, & Collegio Provinciæ, & Nationi ad mortem ſuam uſque non deſuit. Bullam hanc edidit Urbanus eodem anno MDCXXV. die XIII. Kalendas Novembris, cum jam prius a die XXI. Junii Collegii poſſeſſionem inierit Lucas, collocatis in eo Antonio Hiquæo primo & primario ſacræ Theologiæ Lectore, & Patritio Flemengo, Lectore Philoſophiæ, vocatiſque indifferenter omnium Provinciarum Hiberniæ nativis Fratribus, qui in Hiſpania, Belgio, Germania diſperſi, aliarumque Provinciarum caritate ſuſtentati, vel inveniri, vel venire poterant, ut Collegium brevi, adjunctis Martino Valeſio ſecundario Lectore Theologiæ, & Joanne Pontio Philoſophiæ pariter Lectore, creverit ad numerum triginta Religioſorum, eamque æſtimationem Religionis, & litterarum aſſecutum ſuerit, ut grati admodum Romanis eſſe cœperint, eorumque ſama ad exteros propagari.

LI. Quid Lucas in area comparanda, & claudenda præſtiterit.

Lucas autem cum reliqua rite diſpoſuiſſet, acceſſit ipſe die XII. Octobris ejuſdem anni, & ſolerter corrogatis beneſactorum ſubſidiis, curavit in primis, ut inchoati ædificii ſabris expenſæ per ipſos pecuniæ, & operarum ſtipendia plene ſolverentur. Hinc parvum illum ſundum domus templique abſolutæ emptionis jure ab oneribus canonis, aliiſque prius impoſitis numerato pretio in perpetuum liberavit. Adjunxit poſtmodum eodem emptionis pacto, & multorum millium ſcutorum ſoluto pretio totum terræ ſpatium, quod inter Hoſpitii parietem, & Ludoviſiorum viridarium ſitum ſuit, ipſumque dilatavit ambulacro, Nicolai Principis liberalitate conceſſo, quod retro novum noſtrum ædiſicium, ſeu ſecundum Clauſtrum adhuc relictum eſt. Emit etiam totam terram, quæ inde deorſum jacebat a laterali linea Conventus ex ea parte uſque ad viam publicam, quæ ex Urbe ducit ad portam Pincianam, ac deinde illam, in quo nunc ſecundus noſter hortus eſt ad dextram exeuntis in plateam templi, ipſamque plateam, quam denique dilatavit recuperata a Patribus Capuccinis, ea ratione, quam ſuperius explicuimus, illa terræ portione, quæ prius ipſorum muro ſerme ad noſtri Templi portam claudebatur. Omnia libere, & abſque ullo onere, præter pre-

pretium pecuniarum ab ipſo ſuis terminis, diu ante mortem ſuam exacte ſolutum, præter partem, quam Dux areæ venditor, ob certos reſpectus Lucæ remiſit, propterea inter ædis Benefactores merito numerandus. Totum denique hunc ſitum ad religioſi ſtatus clauſuram ſolido muro cinxit, ac terra multo ære tranſvecta ipſo montis clivo vallem foſſaſque complevit, atque horti forma in planitiem reduxit, & ſuis areis viiſque diſtinctam, partim fructiferis arboribus, partim oleribus, herbiſque coli curavit, ad uſum noſtræ paupertatis, qui his rebus pluſquam piſcatorii fori, vel macelli mercibus nutrimur. Hortum ornat etiam nitidum ſacellum, quod ſanctæ Mariæ Pietatis, & Chriſti paſſioni poſuit Laurentius Bonincontrus Romanus, & olim Collegii Syndicus, uno Altari, & ejuſdem paſſionis myſteriis, in teſtudine & pariete depictis ornatum.

LII. Quid in ædificio Templi.

HInc ſe ad inchoatum Hoſpitium perficiendum accingens Lucas, in primis illius plani Templi parietes, & arcus eatenus rudes arenato perpoliri gypſo alicubi intus & externa fronte glyphice exornari, uda calce undique dealbari, pavimentum lateribus ſterni, tholi lanternam, & templi feneſtras pellucido vitro clauſit, tinctæque telæ ductiles curtinas ad arcendum vehementius lumen interius cuique appendit. Poſt hæc erexit ſummum Altare e pario varioque marmore, ejuſdem materiæ clathris circumſeptum, trium graduum aſcenſu elevatum, interius cavum, & pulchra parii lapidis tumba inſtructum, ad reponenda lipſana Sanctorum Leontii, & Floriani martyrum, Urbani VIII. & Innocentii X. Pontificum dona. Tota tumba conſpicua eſt per cratem ferream auro obductam, qua latus anterior aræ clauditur. Superius ipſam ornat imago ſancti Iſidori Deiparam in aëre apparentem flexis poplitibus adorantis, Andreæ Sacchi manu depicta, opere marmoreo circumornata, cujus faſtigium ſuſtinent duæ altæ, craſſæque columnæ alabaſtri undati oleagini. Paucis poſt annis Templum ipſum hiſcentibus muris, & per medium tholum fornice ruinam e vicino minitans, novis fundamentis a ſiniſtro latere ſuffulſit, & aliis ædificiis circum circa conſtructis firmavit: in primis amplo veſtibulo, quod altiſſimo, ſolidoque fundamento ſubnixum, teſtudine deſuper contra pluviæ ſoliſque moleſtias tegitur, quam craſſæ ſtructiles pilæ ſuſpendunt. Inter has porticum ipſam alte ſepiunt clathri ferrei, qui binis ejuſdem ſtructuræ foribus noctu clauduntur. Teſtudo & muri interius gypſo ornati ſunt, & pavimentum latere ſtratum, quod quia Templi plateæ ſupereminet, ex hac in ipſum aſcenditur, ſcalis duplicibus, quæ interne ſe mutuo reſpiciunt, & quindecim hinc, atque inde totidem largis gradibus, ex albo

tyburtino lapide, non cochlide, ſed quadro aſcenſu binis areolis interrupto, & muris exterius vallato junguntur in areola ſuprema, ex qua per veſtibuli valvas ingreſſo a fronte patet oſtium Templi, a læva vero ad campanulæ ſonitum aperitur janua Cœnobii.

Quia vero fornix, quæ ſupra portam Templi interius pro priorum incolarum odeo conſtructa fuit, nec præ ſui anguſtia noſtros capere poterat, ac ſimul Eccleſiæ ſpatium impediebat, ea dejecta Lucas ſupra porticum exterius aliud ædificium extulit, quod altitudine ſua templi faſtigium ulnis aliquot ſuperat, quo, præter fulcimentum, datum eſt templo novum & nobilius frontiſpicium, ad artis ſymmetriam compoſitum, ſed nondum ultima glyphicorum manu exornatum. Interius eſt ſpatioſa, tribuſque quatuor valvarum ſpecularibus feneſtris lucida aula, ſedilium choro e dolata nuce ſic pro divinæ pſalmodiæ commodiori cantu diſpoſita, ut plures quam ſexaginta Religioſi ſuo quiſque loculo, & ordine ſedentes, aut genuflexi, ſeu ſtantes in eo ſimul duplici corona conſiſtere poſſint, aperto in Templum pariete, forma hemiſpherii. Sed ne iterum rediturus hinc abeam, Lucas duas campanas pro officii, & ſacrorum ſolemnitate procuravit. Cumque chartæ ſcriptoriæ impreſſos primum libros officii divini cantui, & communi recitationi neceſſarios curaſſet, qui ſenſim terebantur, deinde magna decem volumina chartæ pergamenæ, docta domeſtici Fratris manu ſcribi ſatagebat, ex quibus ſex nitide ſcripta, minioque depicta, & horum tria nuceis aſſeribus, ſorti corio, & ahenis cuneis ad uſum compacta reliquit: alia quatuor in primis religioſi ſcriptoris, ac ipſius poſt Lucę obitum intermiſſa fuerunt. Curavit autem præterea pro majori divini cultus ſolemnitate pneumaticum organum portatile, curaturus aliud majus, & fixum, ſi rebus humanis invida mors hunc, & alios ejus nobiles cogitatus non intercepiſſet.

LIII. Quid in conſtruendis, ornand'ſque Sacellis.

INterea tamen ipſum Templum ampliavit ſacellis ſex, quorum parietes firmis fundamentis ſubſtructi, tanquam anterides, labans prius Templum obfirmant, & feneſtræ, aliaque ornamenta, & aræ illuſtriorem & utilem reddiderunt Eccleſiam, planis ante parietibus arctam, & ſolo ſummo Altari ad ſacrificium offerendum idoneam. Primum ſacellum a dextra ſummi Altaris S. Patritio Hibernorum Apoſtolo, & S. Franciſco Minorum Patriarchæ ſacrum, ædificarunt hæredes Petri Pavonii Ariminenſis Pauli V. & Gregorii XV. Pontificum a cubiculis Præfecti, pro ejuſdem Prælati ſepultura, tholum, & arcum anteriorem inaurato gypſo, & pictis Sanctorum imaginibus decorarunt: in ara ſacrificii SS. Patritii, & Franciſci imagines una tabula depi-

ctas

ſtas appenderunt, diſcolori marmore coronatas, & e ſimili materia & opere monumentum defuncto ad dextrum ſacelli latus poſuerunt, ſculpto ejus capite, & inciſo aureis litteris epitaphio & inſignibus, datis ad cultum Altaris omnium colorum ſacris veſtibus, nunc ferme uſu detritis. Inferior crypta noſtrorum Fratrum communi ſepulturæ deſervit.

Alterum ſacellum ad lævam ſummi Altaris, Deiparæ Virginis Immaculatæ Conceptioni poſuerunt executores teſtamenti Alphonſi Mazanedi de Quiñiones Valliſoletani, Romanæ Rotæ diuturni Auditoris, indeque Patriarchæ Heroſolymitani, in eodem ſacello ſepulti. Sed quoniam erecto pariter e marmore Altari, & Patriarchæ monumento, ſacellum nec reliquo ædificii ornatu perfectum, nec rebus ad aræ vel ſacrificii cultum neceſſariis proviſum fuit, id ſibi, & hæredibus ſuis novo opere exornandum & perpetua cura colendum nuper aſſumpſit Rodericus Lopez a Sylva, S. Jacobi in Luſitania Ordinis eques, ſummo gaudio Franciſci ejus filii, paternæ pietatis æmuli.

Quod alterum templi crucis angulum huic ſacello adverſum occupat, S. Annæ Deiparæ Matri conſtruxit Dominicus Caſtellus Romanus, Apoſtolicæ Cameræ ſub multis continuo Pontificibus Architectus. Ipſum gypſo, auro, & ſanctæ actis penicillo bene repræſentatis adornavit, Sanctorum reliquiis, & aliquali ſupellectili inſtruxit; ſed cum a proſequendo per mortem præventus, in eodem ſacello ſepultus ſit, cultum ſacelli nunc curat Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus, cujus favoribus & beneficiis obſtrictus Dominicus, ipſum Cardinalem, tum hujus ſacelli, cum aliarum ſuarum rerum hæredem teſtamenti tabulis reliquit. Dominicus autem dum vixit Sanctam tutelarem annua feſtivitate ſolemniſſime colebat.

Hinc proximum inferius, in eodem templi latere, eſt ſacellum S. Joſephi Deiparæ Sponſi, quod rudibus muris tholo, & ſubterranea crypta conſtruxit Flavius Alaleonius Nobilis Romanus, paulo poſt in eadem crypta, & noſtri Ordinis habitu conditus. Et quia familiæ ſuæ poſtremus fuit, mero intuitu virtutis, & perſonalium qualitatum Herculis Ronconii, præcipui in Urbe cauſarum patroni, ipſius olim Flavii & noſtri cari optimique vicini, ſacellum ipſi teſtamento legavit, prius tamen perpetuo ſacrificio dotatum. Ronconius poſt Flavii deceſſum opus abſolvit gypſo pariter & auro excultum, atque S. Joſephi actis Caroli Maratti Anconitani, Andreæ Sacchi quondam diſcipuli, nunc ejuſdem virtutis, & famæ hæredis, manu adeo ad artem, & pietatem depictis, ut continuæ moleſtiæ nobis ſint, qui picturarum exemplaria, ſeu rubrica, ſeu vivis coloribus expingunt. Nec ceſſavit pius Ronconius uſque ad mortem ſuam omni congrua

grua ſupellectili, quæ ad utilitatem aut ornamentum inſervit, & pulchris omnium colorum ſericis paramentis inſtruere ſacellum; Chriſti nutritoris annuam feſtivitatem ſolemni cultu celebrare. Cujus erga Patriarcham devotionem Franciſcus & Nicolaus nepotes cum reliqua ſubſtantia hæreditarunt.

Aliud ſacellum ipſi Chriſto crucifixo ſacrum e regione prioris, in dextro latere templi, pro ſua pietate in paſſionem noſtri Redemptoris ædificavit Conſtantia, Camilli Principis Pamphilii germana ſoror, & Nicolai Venoſi & Plumbini Principis Ludoviſii cara conjux. Atque cum Lucas noſter, qui Conſtantiæ Principis conſcientiam regebat, omnino nollet, quod parietes omnes marmore veſtirentur, his inaurato gypſo glyphice decoratis, aram ſaltem elegantem ſane, ex idea Dominici Caſtelli, e vario marmore conſtrui curavit, cujus medium occupat adhuc in Cruce viventis Chriſti effigies, opus Maratti, qui laterales quoque ſacelli tabulas, ac tholum Chriſti paſſionis diverſis myſteriis depinxit. Ipſa pia Princeps ſericis omnium anni temporum paramentis, & aliis rebus ad ordinarium ſacrificium in ſacello faciendum neceſſariis noſtro ſacrario providit; omnia vero quinque hæc ſacella a templi gremio ſeparant marmorei clathri orantium genibus cubitiſque flectendis commodi.

Sextum denique minorum ſacellorum, quod inferiorem crucis angulum in dextro latere templi occupat, S. Antonio Patavino ædificare cœpit, opere valde ſumptuoſo, Cataneus Catanei Januenſis; ſed pavimento marmoreis floribus variegato, collocatiſque pulvinis, quibus implantarentur cancellorum columnulæ, utriuſque lateris pariete, pulchro marmore inferius incruſtato & ſuperius ornato quibuſdam Sancti depictis miraculis, erecta etiam, ſed non perfecta ara, cujus marmoreum frontale naturalis artis, & artificioſæ naturæ certamen exhibet, adverſo caſu ab opere continuando præoccupatus, quidquid hujus factum fuit, Conventui donavit, facta facultate, ut alium quempiam S. Antonio devotum amplecterentur, qui ſolutis Architecto ſumptuum reliquiis, reliquum opus propriis expenſis perficeret. Atque hæc omnia prænotati operum auctores, Lucæ noſtri amore & induſtria apud nos potius, quam alibi præſtiterunt. Ipſe vero præter horum ſacellorum cryptas, & varia per Templum ſparſa ſarcophaga, duo cœmeteria ſub ingreſſum Templi communium eleemoſynarum expenſis fodi, ſubterraneis parietibus diſtingui, fornicibus tegi, & marmoreis operculis deſuper occludi curavit; ut dum alterum recenter ſepulti cadaveris cauſa minus expeditum apertu videretur, alterum adferendi fortaſſis interim defuncti ſepulturæ ſerviret.

Hæc

LIV. Quid in accommodando priori hoſpitio.

HÆc autem in ſolo Templo ad illum ſtatum reducendo, in quo hodie cernitur, peregit Waddingus: quando ut parvam illam Hoſpitii domum uſui accommodaret, oportuit in primis ad ipſum ingreſſum ambitus periſtylii ſubterraneos meatus fodere, arcuatis parietibus claudere, & minutiſſima glarea replere, per quam decurrens imber tecti ſordibus expurgaretur, priuſquam in Ciſternam decideret; deinde ſolum deſuper lateribus ſternere, & fornices muroſque arenato polire; quod fecit ſumptibus Ducis Paſtranæ ipſi Lucæ, & ipſius Fratribus Hibernis adeo confidenter addicti, ut huc ſe a reliquis negotiis colligens, Regis ſui litteras aperire, Lucæ conſilium adhibere, Fratrum preces poſtulare, regia reſcripta dictare, & ſigillis claudere ſoleret. Cœnobitas iis etiam favoribus, & beneficiis proſecutus, ob quæ meruit inſignia ſua, & inciſam lapidi memoriam, tanquam peculiaris Benefactor in Clauſtro habere. Ciſternam prius formatam ex quatuor muris, qui periſtylii columnas ſuſtinent, & ſuperne clauſam teſtudine abſolvit, ejus inferiora latera fortiter loricavit, pavimentum, prius aqua permeabile, craſſo ſignini operis fundo ſolidavit, foveæ crepidinem orificio ſaxeo, & ferreis inſtrumentis ad extrahendam aquam accommodavit, ejuſque teſtudinem lateritio pavimento deſuper ſtravit. Benefactorem indicant Ferdinandi Henriquez a Rivera Alcalani Ducis inſignia, orificii lapidibus inſculpta, qui præterea competentem pecuniæ ſummam tribuit in expenſas fundi, quæ ejus beneficia, & alios favores fuſius profitetur Lucas in Epiſtola nuncupatoria Tomi tertii Annalium. Quem titulo gratitudinis dedicavit huic Principi, tunc utriuſque Siciliæ Proregi.

Impluvium præterea, quod ſupra horti ſtagnum conſtructum dixi, ne ſtillicidium fornices penetraret, lævigatis lateribus complanavit; apertum illius umbilicum, per quod aqua in ſtagnum diffluit, ovali muro cinxit, cui pectore tenus inniti poſſunt, qui in ſubjectum ſtagnum proſpicere volent, totumque ſolarii latus, quo hortum verſus apertum eſt pectorali muro clauſit, & penſilibus hortulis adornavit. Stagnum ipſum inferius, eadem opera qua Ciſternam & porticum, qua cingitur, eadem qua ſuperius Clauſtrum complevit, eique vicinam in ſeparato loco conſtruxit officinam fullonicam, in qua per aquam ultro adfluentem eluuntur veſtes Religioſorum. Sacrarium illius temporis, quod nunc amplioris ſacrarii primos ingreſſus excipiendis adventantium Sacerdotum confeſſionibus, & manuum lotioni deſervit, lateritio pavimento ſtravit, teſtudinem & parietes ſcalpro purgari, arenato & albario poliri fecit. Denique totius hujus inferioris ſtructuræ feneſtras omnes quatuor valvarum latas, per

quas

quas noctivagi fures ſeu reptu, ſeu portatilium ſcalarum uſu penetrare poſſent, ferreis cancellis exterius obſtruxit, pellucidoque vitro, & ligneis valvis interius concluſit.

Hinc Superiorem domus contignationem, ſeu Dormitorium, cubiculis aliquot, aliaque neceſſaria officina, & aperto in templum Oratorio adauxit, in quo Principum Oratores, & Romani Proceres, Cardinales, Prælati, qui ad Lucam frequenter adventabant, ſacrificiis, quæ in templo offeruntur, ſecreto intereſſe poſſent. Poſt hæc, toto tecto prioris ædificii dejecto, tertiam contignationem ſuperſtruxit, cujus ea pars, quæ plateam reſpicit, conſtat Bibliotheca, qua hactenus utimur, cum ſuo proceſtrio, Archivo ſcripturarum, & vicino cubiculo, in quo hæc ſcribens habito, omnibus amplis, ac delitioſi proſpectus cubiculis, Cardinalis Treji pecuniis abſolutis. Alteram alam huic adverſam occupat noſtrum Veſtiarium Petri Pavonii ſumptibus erectum, cum aliquot minoribus cellis, & alia majori, in qua Lucas ipſe vivebat & mortuus eſt. Tertia, quæ in harum medio tranſverſa, majuſculæ notæ aſpirationis formam cum illis efficit, curſus eſt cum uno cubiculo habitabili, officina ſutoria, & deſcenſu ſcalarum, quæ in inferius Dormitorium ducunt. Supremum autem hoc ædificium duobus brachiis templum verſus complectitur ſupremam fornicem periſtylii, quam Lucas coctis quadratiſque lateribus, ad ambulationis uſum, ac dimittendos in Ciſternæ compluvium imbres bis operuit, totumque intermedii vacui circuitum ferreis clathris ad pectus altis circumcinxit; Bibliothecam deinde, & ſubjecta cubicula ruinam minitantia, ducto ab imis fundamento antemurali confirmavit.

LV. Quid in ædificio ſecundi Clauſtri.

Atque hæc omnia oportuit Lucam facere, ut inchoatum illud parvumque Hoſpitium ſuorum Collegialium Fratrum habitationi, & ſacris litterariiſque exercitiis aptum efficeret. Creſcebat interea Collegium eo uſque, quod in decem palmorum cellulis habitarent fratres bini ternique, quando Emanuel a Moura Lumiarium Comes, & Marchio Caſtri Roderici, vir civili prudentia, nec minus magnificentia & auctoritate quam Juſtitia, & pietate illuſtris, Romam appulit, a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege ad Urbanum VIII. Pontificem deſtinatus Orator: qui cum pro ſua benevolentia, & prædeceſſorum ſucceſſorumque Oratorum conſuetudine Lucam noſtrum domi inviſeret, & Cœnobium univerſum perluſtrans conſpiceret, tot animas aura patriæ ſaluberrima nutritas, in Romano caumate tam anguſte conſtringi, ut vix unus halitum emittere poſſet, quin alius eumdem inhauriret, tanto incommodo compaſſus nullius rogatu nutuve, ſed propriæ pietatis impulſu, ſtatim juſſit excavari novi operis fundamen-

menta; profundiſſimas foſſas ſolida materia replevit, cryptas aliquot concameratas, aperto ad horti planum ingreſſu & feneſtris conſtruxit, quarum fornices continuum pavimentum præſtant ſuperſtructis officinis, amplæ culinæ, aulæ capitulari, triclinii L. Fratrum regulari ritu accumbentium capacis, atque huic annexæ cellæ penuariæ.

Supra hæc erexit Dormitorium ſeu curſum concameratorum bini Ordinis cubiculorum, numero undeviginti, quorum interior ſeries lapideis columnis ſuſpenſa, novi periſtylii integro lateri, & alterius lateris initio arcuatum tectum exhibet. Voluit vero Marchio Dormitorium altera concameratione in altum duplicare, & hanc iterum plano tecto pro Studentium deambulatione, & proſpectu coronare; ſed Lucas apud ſe reputans, nec neceſſaria tot cubicula, & ſuperbum fore tam longum, latum, altumque ſolarium, rogavit Marchionem ut, paupertatis noſtræ humilitatiſque memor, magnificentiam ſuam his terminis arctari ſineret, & ædificandi finem faceret. Ille tamen interim majus illud cubiculum, in quo Lucam habitaſſe dixi ſuperius, conſtruxit, & retro totum ædificium, ſed aliquot paſſibus diſſitum, aliud a fundamentis erexit, cujus inferiora ſpatia parietibus diſcriminata, cum adjuncto hortulo, variis valetudinarii uſibus inſerviunt. Superior pars ita ſecretæ neceſſitati Fratrum accommodata eſt, ut ipſi Dormitorio, ſtructili ponte deſuper arcuato conjuncta, commodiſſimum habeat acceſſum, abſque incommodiſque alibi quandoque ſentiuntur. Majoris quoque fabricæ murum ſic uſque ad horti finem produxit, ut ea parte montis clivum ſuſpendat, & planam aream ſuperius efficiat, quæ medicis herbis pro infirmorum Fratrum valetudine curanda conſeritur. Majoris quoque horti deſcenſum latis viginti graduum ſcalis ex Tyburtino lapide commodum nobis reddidit.

Porro qua mente, qua promptitudine, qua liberalitate hæc & alia nobis præſtiterit ſingularis hic benefactor, Lucas ipſe, benefactoribus ſuis ubique gratiſſimus, in epiſtola, per quam quartum Annalium Tomum dedicavit Marchioni, melius quam ego meis poſſem, hujuſmodi ſuis verbis declaravit. *Qualis illa & quam effuſa in ædem hanc noſtram liberalitas? quam frequentes rerum ſuppetiæ, quam continuum noſtræ indigentiæ levamen? quam familiaris denique, & paternus ad nos acceſſus? Multis aureorum millibus domum capaciſſimam adjeciſti, adjectam ornaſti, ornatam tuo foviſti patrocinio. Pulchrius & nobilius hoc beneficium, quod nulla fuerit dilatione ſuſpenſum, nullis precibus redemptum, nullis meritis comparatum. Pio in Gentem Hibernam ſtudio, & ſumma in me benevolentia acceſſiſti, viſurus a patria exules propter fidem Orthodoxam extorres: vidiſti in parvo nidulo compreſſos, & confeſtim nullo rogante, nullo mo-*

monente, juſsiſti dilatari ſpatia, habicaculum ampliari, & quibus dolebas domum eſſe anguſtam, profuſis feciſti ſumptibus auguſtam. Quemadmodum Sol non expectac preces & præſtigias ut exoriatur, ſed illico fulget, ita neque Tu expectaveras preces, neque plauſus, ut commodares; ſed ſponte inconvulſos, & alienigenas, radios ſparſiſti tuæ beneficentiæ. Pietate plenum, dixit Scnator ille Romanus, peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantum Compatriotas ad ſubſtantiæ lucra admittere, quantum quoque ipſos advenas invitare. Viciſti Domine, viciſti; quid enim te dignum reddere, aut qua facultate beneficium tot pulchris notis diſtinctum liceat compenſare? Viciſti, & triumphum auxiſti. Statuiſti ut munus tuum penes nos totum remaneret, nec quidpiam ad te rediret: ipſum grati animi teſtimonium vetuiſti adhiberi. Volui candido marmori candidam mentem, & beneficii memoriam committere, & nobiliſsima ſtemmaca operis fronte explicare, quibus & ingratitudinis notam repellerem, & honoris incrementum adveherem, dum tui eſſe videremur. Prorſus noluiſti, ſed pie ſuccenſens dixiſti: Nolo tanti emere inanis gloriolæ auram, & vanum hominum applauſum; caduca ſunt iſta, & peritura, ſempiterna appeto, & ſolidiora præmia; his ſubtractis nollem mihi exprobaret juſtiſsimus retributor: jam recipiſti mercedem tuam. O Chriſtianam vocem! O æquam mundanarum celeſtiumque rerum æſtimationem! Nemo non gaudet beneficium ſuum latius patere: ferme omnes, non tam benefacere delectat, quam videri benefeciſſe: Tu beneficia tua vis nota ſolis, quibus proſunc, & ei dumcaxat manifeſta, quem celare non potes qui occulta videt in abſcondito, qui tam liberaliter beneficia compenſat, quam ſecreto cernit eſſe collata. Abſconde tamen quantum liceat ſilencio, & tenebris involve quantum libeat, res ipſa nobis tacentibus loquetur, ipſa ſe extollet, & propalabit auctorem. Plures quam putas obligaſti: nobis continuo augmento adveniunt alii; & perpetua ſucceſsione longo tractu beneficium cum ſuo auctore tranſibit ad poſteros. In ce ſpecioſum eſt, quod celes: in me turpe, ſi taceam. Inficiandi genus eſt ſilentium, ignoſce, ne vidcar ingratus, non furtive, non in angulo, non ad aurem, ſed in concione admotis arbitris debitum agnoſcam. Permitte itaque, ut loquar; noli me hac injuria premere, ut vivam, & moriar ingratus. Admitte exiguum hoc munuſculum perpetui obſequii ſacramentum, non accepti muneris pretium, ut me devinctum liberem; ſed pignus, ut obſtringam. Hæc Lucas de Marchionis erga nos affectu & munificentia. Juſtum tamen exiſtimans, ut obligationis noſtræ diuturnum aliquod monumentum extaret, fecit, quod omnium maxime peroptabat pius Heros, ut eſſent continua precum ſuffragia, quæ ne oblivione, vel poſterorum ignorantia omitterentur, Lucas duratura petitione ſemel exegit, inciſa marmori ſupra portam Refectorii interius hac rei memoria.

Hujus Coenaculi Auctori
Perpetuæ Orationis Monumentum
FF. PP.
Anno Domini MDCXXXIII.

In Cubiculorum autem ſingulis a fronte ingredientium collocati ſunt lapides his & ſimilibus memoriæ ſtimulis inciſi.

Frater, cælum impetra cellæ largitori.
Frater, ora in abſcondito pro publico benefactore.
Frater, qui cellam extruxit tuas preces repoſcit.

Deinde communibus aliorum eleemoſynis, alterum illud inferioris Clauſtri latus per Marchionem inchoatum, duorum arcuum periſtylii ſpatio produxit, in quo ſcalam peperini lapidis ædificavit, qua ex Dormitorio in Clauſtrum per gradus triginta quatuor quadrato flexu deſcenditur, & ſub illa ſtatuit officinam fabri lignarii; ſuperius autem ad dextrum latus deſcendentis unum cubiculum, & ex altera parte ſupra Clauſtrum aliam cameram duarum menſura protenſam, in qua deinde valetudinarii pharmacopæjam collocavit. Tertium periſtylii latus, ſeu porticum Clauſtri, quæ e regione prioris a ſacello ſancti Franciſci ad portam aulæ capitularis extenditur, integram a fundamentis extruxit, ejuſque fornicem ſuperius quadratorum laterum ſubdiali pavimento contexit, & murulo ad genua elevato præcluſit. Quarto demum latere concluſurus periſtylium retro ſummum Templi ſacellum, erexit ſcalarum gradus triginta tres, per quos ex infimo Clauſtro reflexo ductu in illud ſubdiale Clauſtri ſolarium ſcanditur, inchoatis etiam illis, qui in futuram olim Bibliothecam ſurſum ducerent. Pone ſcalas autem interius, aulam ſcholaſticis lectionibus deſtinatam, ac deſuper quatuor cubicula ſuis teſtudinibus concamerata conſtruxit, donec ampliorem aulam pro Theologicis lectionibus, & publicis etiam diſputationibus decentius, & majori ſacrorum reverentia, quam in Templo habendis, & deſuper illam ampliorem Bibliothecam cum ſecretiorum ſcripturarum Archivo per benefactorum liberalitatem ædificare poſſet. Jecit autem poſtmodum altiſſima hujus operis fundamenta, eaque qua lata, qua longa aula eſt, craſsa teſtudine junxit, & evecta terra excavavit, ut ſiccius foret aulæ pavimentum, & ut terræ humore ſituque non facile ſordeſceret. Atque hæc ultima ipſius in Collegio fabrica fuit, quam poſt ejus mortem diverſorum largitionibus, & communibus eleemoſynis continuavit, qui Guardianatus officio ſub ipſius morte fungebatur R.P. Joannes Heslenanus, adjuncta ea parte Clauſtri ac Dormitorii, quæ ſcholæ majoris, & Bibliothecæ muro innititur, erectiſque ac tectis ipſis harum parietibus, qui adhuc, dum hæc ſcribimus, rudes & imperfecti remanent, ea quoque parte nondum ele-

elevata, in qua Archivum, & Bibliothecæ proceſtrium, atque ſcala in hoc ſurſum ducens conſtruenda ſunt.

LVI.
Quid in ornamento & ſupellectili Sacrarii.

Lucas autem translatis Fratribus ad novum hoc ædificium, priorem culinam in commune calefactorium, ejuſque promptuarium in Fratrum tonſtrinam accommodavit, & vetus triclinium, aperta ex veteri Sacrario porta, principalem ejus partem effecit, pulchriſque & nitidis armariis, peculiari artificio e polita nuce, Religioſorum artificum opera fabricatis, ad reponendam omnem ſacrificii & altarium ſupellectilem inſtruxit; atque hanc ipſam omnigenam pro uſu ſacrificii, pro Sacerdotum, Altariumque ornatu, pro Templi quoque parietibus majori ſolemnitate decorandis, honeſtiſſimam ſane, juxta profeſſionis noſtræ ſtatum procuravit. Et præter illa ſanctorum Leontii & Floriani Martyrum integra lipſana, aliaſque ſanctorum reliquias ornatis thecis incluſas, conſtanti ſtudio, & longa expectatione tandem effecit, interpoſita Religionis Miniſtrorum Generalium opera, ut Matrito haberet reliquiam ſancti Iſidori agricolæ, templi noſtri Tutelaris, quam ut Magiſtratus Matritenſis, in hunc ſui quoque Oppidi Patronum devotiſſimus, honorificentius mitteret, curavit fieri ſeſquipalmarem circiter ſancti Agricolæ ſtivam regentis ſtatuam, e ſolido argento, pondo unciarum pene centum, eamque cum incluſa in ejus aperto pectore parte oſſis Sancti, & inciſa circa baſim donationis memoria, pro Conventu & Templo Romano ſancti Iſidori, ad inſtantiam Ordinis ſancti Franciſci. Sed oportuit nihilominus, ut laboraſſet Lucas, & cum potenti adverſario contendiſſet, ne Romam advecta reliquia alibi, quam in ſancti Iſidori collocaretur. Acceptam denique ſolemni ſupplicatione, & aliis neceſſariis ritibus ad nos e vicina domo Advocati Herculis Ronconii adduxit ipſo die feſto Sancti, qui apud nos eſt decimus quintus menſis Maii. Quoniam autem proprium Sancti officium recitare eatenus nobis conceſſum non fuit, ſed illud quod Confeſſorum non Pontificum commune eſt, in Sancti ſolemnitate cantabamus; *Inſtitit Lucas attribui facultatem Fratribus Conventus ſancti Iſidori in Monte Pincio recitandi officium proprium ſancti Iſidori Titularis, ad uſum Cleri Caſtellæ a ſanctæ memoriæ Urbano VIII. approbatum: Et Eminentiſsimi Patres Sacrorum Rituum Congregationi Præpoſiti, ob peculiarem erga eamdem Congregationem Oratoris religionem, Fratribus prædictis gratiam petitam indulſerunt, die* X. *Junii* MDCLVI. Conſtruxit quoque Lucas intra Sacrarium in loco prioris Capituli ſecretum ſacellum, in quo ſacrificium commodius offerre poſſent, ſeu domeſtici, ſeu forenſes, qui aliqua valetudinis, aut alia cauſa id in publico Templo præſtare prohiberentur.

Quemad-

LVII. Quid in inſtruẽda, & conſervida Bibliotheca.

QUemadmodum Lucas ut fundator, & perpetuus curator domus reliquas ejus officinas conveniente ſupellectili ſufficienter inſtruxit, ſic poſt Sacrarium, Bibliothecæ in primis, & Archivo inſtruendis, quorum uſus tum ipſi præſertim Lucæ, tum aliis Collegii Patribus, vel docendo, vel ſcribendo ſemper intentis, maximus futurus erat, copioſe providit. Neque inutilibus libellis pluteos complere ſatagebat, qui ad numerum tantum, & oſtentationem inſerviunt, ſed quos ipſius, vel aliorum ſtudiis neceſſarios utileſque cenſebat; cujuſmodi comparavit ſelectorum voluminum omnigenæ eruditionis typis editorum circiter quinque millia, majori parte magna, in forma folii, nulla duplicata, niſi forte rarum aliquod diverſæ editionis: id enim ipſius juſſu mihi ſemper incubuit, ut ſi quem invenirem librum nulla diverſitate bis poſitum, hunc e veſtigio ſeponerem, vel cum aliis commutandum, vel poſtea Capranicenſibus mittendum. Reliqui ſuis claſſibus per alphabeti litteras & codicum numeros diſtribuuntur, ut Auctorum indice alphabetico has notas demonſtrante opus quodlibet facile reperiatur.

Præter hunc vero, & alium indicem, in quo libri eo ordine deſcripti ſunt, quo in ſcamnis repoſiti, ad hoc, ut ſi deſit aliquis liber, facile reperiatur quis fuerit. Conſiderans Lucas, quam ſpecialis eſſet utilitas, & frequens neceſſitas prompte porrigendi eorum vitas, qui ſanctimonia vel ſingulari pietate illuſtres eſſent, tum pro conſcribendis Annalibus, tum pro uſu Sacræ Congregationis Rituum, in qua Servorum Dei acta ad Canonizationem diſcutiuntur, & conficiuntur officia peculiaria peregrinorum Sanctorum, in diverſis Eccleſiis, Diœceſibus, & religioſis Ordinibus celebranda; in quibus officiis ordinandis ipſius Lucæ opera ſæpius utebatur Sacra Congregatio, tum etiam quod cum antiquorum Sanctorum reliquiæ ex Romanis Cœmeteriis concederentur, qui illas accipiebant, crebro Lucam accedebant, ut indicaret, ubi vel eorum integræ vitæ, vel ſparſa notitia haberi poſſet; hinc mihi tunc juveni Bibliothecæ præfecto, tametſi quotidianis ſcholarum exercitiis occupato, poſt ordinatam Bibliothecam, & conſcriptos alios indices, impoſuit, ut univerſa Bibliotheca foliatim pervoluta, ſingularum perſonarum, quas reperirem, ejuſmodi ſanctitatis, miraculorum, aut ſingularis pietatis nota claruiſſe, nomina deſcriberem, & per alphabetum ordine diſtribuerem, ſubſcriptis cuilibet iis Auctoribus, quotquot in Bibliotheca noſtra ejus notitiam aut notabilem mentionem haberent, adnotato volumine & folio: quod etiam, ut alia, præſtiti; magno ſane meo labore, ſed majori voluptate & fructu, magnoque deinceps uſui Lucæ & aliorum, hodieque meo: nam ſche-

ſchedulæ meæ, poſtquam eas ordinatim filis impoſui, amanuenſis calamo deſcriptæ duo craſſa volumina confecerunt, quorum exemplaria nuper ſibi deſcribi fecit S. D. N. Alexander VII. cui olim viſa placuerunt.

Ad conſervationem autem librorum obtinuit Lucas ab Urbano VIII. Pontifice litteras Apoſtolicas, quibus Sua Sanctitas *interdicit & probibet, ne quiſquam quavis auctoritate fungens quoſvis libros, quinterna, folia impreſſa, ſive manuſeripta, tam per Lucam prædictum, quam per quoſeumque alios Chriſti fideles dictæ Bibliothecæ hactenus donata & aſsignata, ſeu inpoſterum donanda & aſsignanda, quovis prætextu, aut quæſito eolore, & ex quacumque cauſa, ratione, vel occaſione e dicta Bibliotheea extrahere, ſeu aliis perſonis accommodare, vel ut extrahantur, ſeu accommodentur permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis, & vocis activæ, & paſsivæ pœnis per eontra facientes incurrendis*. Quod adeo univerſaliter injunctum obſervatumque voluit Urbanus, ut dum Lucas aliquos ob dignitatem perſonarum excipi poſſe diceret, id omnino noluerit Pontifex, aſſerens eo magis eſſe his prohibendam extractionem librorum; nam quo major eſt perſonarum dignitas, & potentia, eo difficilius ipſis libri negari, aut ab eis recuperari poſſunt. Permiſit Pontifex ipſius Collegii Fratribus, *ut libros & quinterna folia ejuſmodi e dicta Bibliotheea ad eorum cellulas ſtudii ergo aſportare poſsint, dummodo prius in libro, a pro tempore exiſtente Bibliothecario retinendo, libri ſeu librorum, quo ſeu quibus uti volent, ut præfertur inſcriptionem, ad effectum illum, ſeu illos Bibliothecæ prædictæ poſtea reſtituendi ſeribant*. Quod ita obſervabat Lucas, ut Collegii ſcholaribus nullum librum concedi permitteret, præter unum aliquem minoris formæ e ſpiritualibus, cujus lectio animæ impinguandæ, & aſceticæ doctrinæ prodeſſet, aut forte alium amœnioris litteraturæ; reliquum ſcholaſticis dictatis intentos eos voluit. Imo ipſis Patribus in docendo, vel ad prelum ſcribendo occupatis non alios libros ad cubicula concedebat, quam eos, qui ex profeſſo tractabant illas materias, quas quiſque Patrum conſcribebat; ceterum pro incidente aliquo puncto, vel horulæ ſtudio ad communem Bibliothecam eos recurrere volebat: nam ejuſmodi Bibliothecam communem eſſe negabat, & fruſtra inſtructam, ſi communi advenientium uſui pro omni occaſione ad manum inſervire non poſſet, cum libri per cellas diſtracti, quærentibus præſto non forent. Religioſo Bibliothecæ cuſtodiæ & obſequiis præfecto, quem ſemper voluit eſſe juvenem aliquem ex ſcholaribus activum, & eruditionis avidum, quique ſciret adventantibus ſatisfacere, ipſe plerumque præſens inſtruebat, dirigebat in opere, & ſi quando laſſum ſolabatur, ſi negligentiorem dulciter concitabat. Nam dum ipſi per valetudinem lice-

licebat, non alio utebatur muſæo, quam ipſa Bibliotheca, propter varietatem, & multitudinem librorum, quæ requirebant ejus ſtudia.

Etiamſi vero tanta fuerit cura ſervandi libros, & ex ipſius Pontificii diplomatis præſcripto, ejuſdem exemplar ad valvas Bibliothecæ continuo affixa maneat, non eo magis defuit quiſpiam, qui ſatagebat privata ſua ſumma publicis aliorum libris exornare, quos melius, vel aliunde comparaſſet, vel etiam omiſiſſet. Caſum refero, quo & librorum cuſtodes diſcant, quam non debeant omnibus æque fidere, & habeat lector meus, in quo videat Lucæ noſtri in re ſua tractanda moderationem, prudentiam, & curam famæ proximi. Ipſum in Collegio crebro conveniebat vir Princeps in cujus famulatu, & aulæ munere non infimo fuit quidam, qui decere ſe libros domi habere credebat. Quoties ergo Princeps cum Luca moram trahere volebat toties ille volebat cum libris eſſe, ſeu potius libros eſſe cum ipſo. Tandem deprehenſus eſt, nam dum Bibliothecarii oculum effugere conaretur, in pejorem incidit, ex diverſa feneſtra viſus magnum Tomum operum Franciſci Suarii nova toga donare. Diſſimulatum interim; ſed poſtquam abivit Princeps, res Lucæ revelata fuit. Ille vero quantumvis conſervandæ Bibliothecæ ad paſſionem uſque zeloſus, non excanduit tamen, aut mali quidquam in hominem protulit; ſed impoſito referenti ſilentio, mox libros oculis perluſtrat, & plures abeſſe cernens, tacitus indoluit. Poſt paucos inde dies, ea hora, qua ſciebat cum Principe abſuturum domo hominem, ipſe domum acceſſit, cumque petitum ab eo Principem abeſſe dicerent, ille de altero ſciſcitatur, & ad ejus cubiculum recta pergens, forte fortuna reperit famulum apertis foribus aliquid officii ſui tunc exercentem. Intrat Lucas ea familiaritate, qua in tota Principis domo pollebat, videt non contemnendam portionem ſelectorum codicum, laudat muſæum, luſtrat libros, & quanquam ex aliis Religioſorum Bibliothecis plura, ex ſua tamen S. Iſidori reperit volumina XXII. omnia e ſcamnis in menſa collocat, & catalogum inde ſibi deſcribit: ſed ne famulus quidem heri ſui factum detegeret, Lucas ipſum admonuit, ne libros illos moveret, ſe quippe in illis notaſſe, quod venienti domino uſui foret, tantum famulus illi porrigeret ſchedam, in qua Lucas ad ipſum ſcripſit, ſe oblata occaſione vidiſſe ſatis ornatum ejus muſæum, quod cum aliis optimis libris ſufficienter inſtructum eſſet, proinde rogare ſuam dominationem, ut quos e Bibliotheca S. Iſidori tanto tempore mutuo retinuit, reſtitueret; opus enim illis eſſe in Collegio, illoſque & alios ad ipſius uſum ibi ſemper paratos fore. Ita factum, & Lucas libros ſuos ſine tumultu, ſine bile, ſine alieni nominis jactura recuperavit. Habeo nunc

præ

præ oculis illam ſchedam, qua alter domum reverſus gratias agit Lucæ, quod ipſius cameram ſua præſentia honoraverit, excuſat ſe, quod illos libros ante plures annos mutuo acceperit, dum Lucas tunc Urbe abeſſet; exinde vero negligentia quidem, & oblivione imprimis factum fuiſſe, ut libros non prius reſtituerit, deinde temporis diuturnitate, & varia commutatione cubiculorum ipſos cum aliis ipſius libris ita permixtos fuiſſe, ut ab iſtis vix dignoſcerentur, & libros cum hac reſponſione ad Lucam ſine dilatione remiſit,& Lucas ipſi negligentiam ſine ulteriori quærela.

LVIII. Quid in Archivo ſcripturarũ.

AD ea vero ſtudia quæ diximus Lucam vel abſolviſſe, vel meditatum fuiſſe, magna cura, ſolertia, & ſumptibus tot collegit manu-ſcripta monumenta, ut partim prius in libros compacta, partim in faſces deinde conſuendos ordine colligata, conficiant numerum octingentorum circiter, aut plurium ligaminum, quorum pleraque plures diverſoſque tractatus, ſeu variarum rerum ſcripturas continent, adjunctis paucis quibuſdam impreſſis libris ſecretioris cuſtodiæ, præter triginta ductiles capſas, quibus Pontificatuum ordine diſtributa ſervantur, quot quot ille colligere potuit originales bullas ad Minorum Ordinem pertinentes a Gregorio IX. ad Alexandrum VII. incluſive. Cum autem me huc ad continuandum Annalium opus revocavit, prima cura mihi ipſi ad id neceſſaria ab ipſo injuncta fuit, ut confuſa prius hæc volumina diſtinguerem, ſparſa folia, & vagos quinterniones certo modo & ordine in faſces digererem, omniumque catalogum conficerem: quo facto ipſe ad perpetuam eorum conſervationem & augumentum, obtinuit ab Alexandro Pontifice litteras, quibus ſua Sanctitas Apoſtolica auctoritate interdicit, & prohibet: *Ne de cetero perpetuis futuris temporibus quævis ſcripturæ, libri, manuſcripta, & monumenta etiam minima Archivi ejuſmodi e dicto Collegio, pro ſervitio & uſu cujuslibet perſonæ, etiam ſpeciali expreſsione dignæ, extrahi, & aſportari; neque illa cuiquam ex dicti Collegii Fratribus pro ſuo uſu ad tempus neceſſarium extra idem Archivum conſignari, niſi prius manu Archiviſtæ pro tempore exiſtentis annotentur dies conſignationis hujuſmodi, & nomen Fratris, cui conſignatio fiet, ipſeque Frater proprio chirographo in libro per eumdem Archiviſtam ad hunc effectum penes ſe tenendo,& conſervando fateatur ſibi factam conſignationem hujuſmodi, nullatenus poſsit, aut valeat ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a qua nemo niſi a Nobis* (inquit) *& Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtitutus abſolvi poſsit, abſque alia declaratione per contrafactores incurrenda*. Deinde ſua Sanctitas alia conſtituit circa qualitatem & officium Archiviſtæ, mihi tunc nominatim impoſitum.

LIX. Quibus ſumptibus, & præcipuis benefactoribus hæc omnia præſtiterit.

EA fuit ſemper providentia & proſperitate Waddingus, ut cum quinque vicibus Collegium pro munere gubernaſſet, quoties officium ſuſcipiebat toties etiam ſubibat aliqua prædeceſſorum debita perſolvenda; ſed quoties dimittebat, nulla ſucceſſori ſolvenda linquebat, quibus non providebat ipſe ſolutionis modum. Et ſane cum ultima vice depoſuit officium, illam reliquit Annalium ſuorum, aliorumque librorum diſtrahendorum quantitatem, ut, etiam poſt ipſius mortem, Collegii Superiores aliquod ſumptuum ſubſidium inde habuerint. Sæpe vidimus ipſum Fratres Collegii proviſores objurgantem, quod creditores non ſollicitaſſent, ut pecuniam ipſis debitam accepturi venirent, quamdiu ſuppeterent eleemoſynæ in manu Syndici: eam enim dicebat illis prodeſſe poſſe, ſi acciperent; nobis vero ſolutionis tarditatem nihil ferre lucri; cum ex adverſo ſi quæ præ manibus eſſet eleemoſyna dilaberetur, ut aliam expectarent creditores, id illis damno fore, Collegio autem dedecori, & Superioribus anxietati. Tantum valuit virtus, & induſtria hujus Viri, ut quamquam pauper Minorita, & externus ab extrema Orbis noſtri Inſula, ut cum Romam venit annorum ætatis ſuæ tantummodo triginta, tales tamen amicos, eoſque Mecœnates brevi tempore ſibi comparaverit, ut ipſorum ultronea beneficentia, potiuſquam ipſius importuna mendicatione, a die XIV. Junii Anni MDCXXV. quo Hoſpitii Sancti Iſidori poſſeſſionem inivit, uſque ad ſecundum diem Auguſti MDCXXX. quo primum ſuum Guardianatum abſolvit, viginti duo milla ſcutorum Romanæ monetæ in aream, ædificium, libros, & Sacrarii ſupellectilem tantummodo impenſa fuerint, cum nondum tunc ædificata eſſet porticus Templi, vel Chorus, aut clauſuræ murus, vel complanatus major hortus, aut minor ullatenus comparatus, vel ullus lapis poſitus in ſecundo Clauſtro, aut ampliatum Sacrarium, vel recenti ornamento inſtructum; hæc enim omnia, & alia pleraque poſteriori tempore procuravit.

In omnibus autem, præter jam ante nominatos, & perennem Populi Romani in advenas, non minus quam in indigenas caritatem, addictiſſimi fautores, & munifici benefactores erga Lucam fuerunt ipſi imprimis quinque continuo Summi Pontifices, Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocentius X., & qui diu beateque vivat nunc regnans Alexander VII., atque ex eorum nepotibus uterque Burgheſius Cardinalis, & Princeps: Princeps item Ludoviſius & uterque Cardinalis Ludovicus & Nicolaus; Barberini Fratres, Franciſcus & Antonius, largi & perpetui benefactores protectoreſque. Præterea Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Romæ Miniſtri, quibus continuos favores debet Colle-

gium. Poſt hos Joannes Antonius Urſinus, Dux S. Gemini, qui ex fundi pretio, tum liberalitate ſua, tum intuitu obſequii per Lucam præſtiti, aliquam partem remiſit. Et Andreas Weiſe Hibernus Ordinis Melitenſis magnus Prior Angliæ, ipſius noſtri Lucæ ſanguine & civitate propinquus, qui bonam ſummam contribuit; aliique Cardinales, Prælati, Principes, & Viri nobiles, qui vel ſummariis fabricæ ſubſidiis, vel temporariis largitionibus, vel utriſque ſimul religioſas Lucæ noſtri cogitationes conatuſque promovebant: quibus ille viciſſim grato animo, gratoque ore, & fidelibus promptiſque obſequiis correſpondebat, quique ſinguli cum acceptis beneficiis in Collegii rationum libris ad perpetuum etiam ſucceſſorum noſtrorum gratitudinis vinculum pernotantur, eoſque ſperamus, (quod ipſi pluris æſtimant, noſque continuo precamur) in libro vitæ ſcriptos eſſe; quod Religioſo cætui ob Catholicæ fidei conſtantiam extorri, & univerſæ Nationi Romanæ Religionis, ac debitæ Pontificis obedientiæ cauſa affliƈtiſſimæ tam benigne conſuluerint & opitulentur.

LX. Felix Lucæ gubernium.

HOc igitur modo, hiſque mediis Lucas Waddingus Collegium S. Iſidori acquiſivit, ædificavit, inſtruxit, & a contrario quorumdam conatu patienter, & prudenter conſervavit. Quoniam autem, ceu polos molis, duos fines in ejus fundatione ſibi præfixit, litterarum ſtudium, & Franciſcanæ recolleƈtæ domus diſciplinam, ideo regiminis modum ſic his terminis adaptavit, ut, quod non ubique ſit, utrumque ad votum attigerit. Cenſent enim aliqui, & aliquando contingit, neſcio quid adverſitatis habere ſiccam ſcientiarum auram, & pinguem illum rorem aſceticæ converſationis; ibi enim intelleƈtus rerum admiratione extenuatur, hic autem affeƈtus cœleſtium deliciarum conſuetudine pingueſcit. Sed ea fuit prudentia, is zelus, ea in omnibus proſperitas Waddingi, ut eo gubernante, ipſi Generales Miniſtri, poſtquam luſtrabant Ordinis Provincias, non dubitaſſent ſæpius & publice pronunciare non alibi ſe ſcientiam & pietatem, arƈtiori vel fœcundiori conjugio copulatas reperiſſe, quam in Collegio Romano S. Iſidori Fratrum Hibernorum.

Benignus Januenſis, tam ſerius & ſeverus vir, dum aliquando in gravi Patrum Ordinis corona de ſtatu Religionis diſſereret, & ſermo forte miſceretur de Collegio S. Iſidori, eam huic laudem tribuit, quod ejus incolæ Fratres non poſſent peccare. Mirati Patres ejuſmodi paradoxum, quid ſcilicet (inquiunt) Reverendiſſimus Pater, an homines non ſunt, ut alii, aut forſitan confirmati in gratia? Quibus ille, nequaquam inquit, nam & homines ſunt, & nondum in gratia confirmati; ſed adeo remoti a mundo,

ac

ac tam exactis rationibus temporis & exercitiorum ſcientiæ & religionis adſtracti, ut neque quæ in mundo ſunt cogitent, neque Diabolus eos unquam inveniat otioſos. Deinde Benignus in Lucæ tunc abſentis laudem, & gubernandi gratiam & modum pluribus expatiatus, palam evicit, bono ſenſu dici potuiſſe quod ipſe de S. Iſidori Fratribus pronunciavit. Idem aliorum ſenſus, eademque ſententia fuit Bernardini Senenſis, qui Collegium noſtratibus conceſſit: Joannis a Campanea, quem amaris lacrymis planxiſſe diximus, quod vel extremam ſenectam hic degere, & laſſum ævo, & laboribus corpus deponere non illi permiſerit vinculum Epiſcopatus: Joannis Merineri poſt Generalatum Ordinis per ſexennium cum laude abſolutum, Epiſcopi Valliſoletani, qui, ut audimus, indiſſimulanter aliquando promit ſuum deſiderium, in Collegio ſancti Iſidori ſuos dies abſolvendi, ut quos in vita dilexerat, ſepulcri ſocios haberet, quatuor illos, quos ante diximus in Templo noſtro ſibi invicem adjacere: itemque Joannis a Neapoli, pleni ſenſu & auctoritate viri, qui dum vixit, æſtimationem ſuam, & inde natum amorem in Lucam & Collegium, laudibus, favoribus, & beneficiis continuo monſtrabat. Proinde iſti, qui præcipui fuerunt, & ceteri, qui, poſt fundatum Collegium, Ordinem gubernabant, tanti faciebant Lucæ zelum, & prudentiam, ut nihil in Collegio recte factum arbitrarentur, quod non vel ſuggereret ille, vel non approbaret; & quam id merito effectus monſtrabant, nam omnia cum fructu & publica laude ſuccedebant.

VErumtamen cum eadem de Luca eſſet opinio, idemque in eum affectus Curiæ Romanæ, ut proinde utroque brachio poſſet in Collegio diſponere quidquid vellet, ea tamen fuit ſuavitate, & prudentia, ut ſemper maluerit id ſibi licere magis amore ſubditorum, quam Superiorum quantumvis juſta potentia. Et quoniam ad ſobrietatem ſapiebat, non adeo fidebat ſibi, ut rem alicujus momenti, non niſi ex præfixis regulis diſponeret, nec niſi petito & accepto communi Patrum Diſcretorum conſilio & aſſenſu. Imo vero omnem aliter diſponendi licentiam, ipſe ſibi & aliis futuris Collegii Guardianis, ſancita lege, & ſublata ſufficienti juriſdictione, ab initio dempſit: *Quoniam ita Collegii ſtatus exigit, quod extra Provinciam fundatum ſit, ut unius perſonæ quantumlibet induſtriæ privato arbitrio ejus regimen abſolute committere ſecurum non videatur*. Quod Lucas, ut ex animo judicioque ſanciri curavit, ſic ad amuſſim obſervabat quatuor integris trienniis, quibus per tot vices Guardianatus Collegii onus ex officio ſuſtinuit, & quinta vice, qua reluctans & lacrymans obedientiæ præcepto coactus eſt regimen Præſidentis titulo ſuſcipere, donec re- LXI. Prudens, & ſuave.

center tunc electus & abſens Guardianus adveniret, quod magno Lucæ dolore totius anni ſpatio dilatum fuit.

Et ſane hac ratione ſuaviſſimum reddebat gubernium, nam & Patres quorum judicio & voluntati tantum deferebat, ut vel ex ipſorum ſuffragiis ultro datis omnia diſponere, vel ſi adverſari quiſquam videretur, non prius reſolvebat agenda, quam expoſita convenientia ſententiæ ſuæ, talem traheret ad conſenſum. Quo etiam id lucrabatur, ut ſi ſubditorum aliquis rerum decreta ſibi minus convenire quereretur, Patres omnes, quorum communi ſententia tranſacta res fuit, communi quoque ſtudio minus contentum ſubditum, ratione & auctoritate placarent, quietumque & conſolatum redderent. Quantumvis cum alii Guardianatus officio fungerentur non minus ipſe ſuſtinebat onus; illis enim conſilio, & auxilio aſſiſtebat, omnique ſolatio ipſos erigebat, continuam ipſe ſolus promovendæ fabricæ, & notabilioris ſupellectilis procurandæ curam agebat: quidquid extra domum gravioris ejus negotii agendum occurrebat, hoc ipſe pedibus, lingua, calamo pertractabat, ut aliis domus Præfectis nihil interim aliud incumberet, quam ut Fratres ſubditos in domeſticis exercitiis comitarentur, & in officiis ac diſciplina dirigerent.

LXII. Indifferés in vocandis junioribus.

Quoniam autem Waddingus in erectione vel gubernio Collegii non ſtudebat partibus, ſed proſpiciebat communi bono Catholicæ fidei & Franciſcanæ Religionis in tota Inſula & Regno Hiberniæ, curabat ſemper quantum poterat, ut indifferenter ex omnibus regni Provinciis ad Collegium tranſmitterentur ſelecti juvenes, qui litteris & Religione hic inſtructi, deinde ad Chriſti oves verbo & exemplo paſcendas in Provinciam remitterentur. Habeo inter ſchedas ipſius litteras authographas, quarum ſententia, cum res poſtulabat, ad Provinciæ & aliorum Collegiorum Superiores ipſe ſcribebat, vel per Generales Prælatos ſcribi curabat, rogando ut tranſmitterentur juvenes ſive Philoſophiæ, ſive Theologiæ ſtudioſi, probi tamen & pacifici, doctrinæ capeſſendæ idonei, & ſi fieri poſſet, ex Provinciis Ultoniæ ſeu Conaciæ oriundi; ex Lagenia etenim, inquit, & Mamonia nunc major eſt numerus hic reſidentium. Et ſane Lucas in hanc ſententiam cum Collegii Patribus tractabat, quoties vocanda erat nova juventus, & reſidentium inæqualitas exigebat. Quamquam enim Provincia Mamoniæ Lucæ nativa Cœnobiorum numero Lageniam ipſam tertia parte, aliarum autem alteram tota media, alteramque duabus tertiis exſuperet, non proinde curabat ipſe, ut ex illis plures, quam ex iſtis vocarentur; quantumvis iſti difficultates itineris, & Romani cœli æſtum victumque ſubinde cauſarentur, tamquam qui in Borealibus Hiberniæ

berniæ nati & educati, congruentiorem ſuis humoribus, moribuſque locum, nec tanto itinere petendum, in Germania, Belgioque haberent, opinione non undequaque approbanda; conſtat enim plures Hibernorum Lovanii & Pragæ variis languoribus infirmari, atque ex infirmis plures mori quam Romæ.

Nec proinde defuerunt plures, quos ipſius præſertim ſtudio, & proficua Provinciæ & Collegiis opera, ex aliis Provinciis, quam ex Momonia in Collegio ſancti Iſidori educatos, & in eodem atque inde alibi promotos, ipſius Collegii regiſtra teſtantur, in quibus cujuſque nomen & cognomen, patria, parentes, ætas, gradus, & qualitas pernotantur, ac ſingulorum acceſſus receſſuſque, vel domeſticæ promotionis dies. In vocandis autem vel admittendis ad Collegium incolis, ita exactus erat Collegii legum obſervator, ut ſtabili & inpoſterum obſervando decreto per Patres ſanciri curarit, ne quiſquam in Collegium adſcriberetur, qui vel ipſorum Patrum unanimi conſenſu vocatus non fuerit, vel abſque prævio ipſorum decreto acceſſerit. Atque hinc aliquando duos Patres Comprovinciales ſuos, ſacræ Theologiæ Lectores, & alios quoſdam nullatenus admittere voluerit, eo quod præter leges adveniſſent, quantumvis cum Generalium Superiorum patentibus litteris: quod factum ipſi Generales poſtmodum approbabant, intentionis ſuæ haud quaquam fuiſſe, vel eſſe declarantes quempiam non utilem & neceſſarium, aut abſque Patrum ipſius Collegii conſilio & aſſenſu in eo collocare, prout Generales pro recollectis domibus æditæ conſtitutiones, & huic Collegio in *ipſa* fundatione traditæ decernunt, & poſtulant illorum quies & conſervatio.

LXIII. Æquum & prudens in diſtribuendis Collegii muniis.

IN diſtribuendis autem Collegii muniis idem omnino fuit æquitatis affectus in Luca; quamquam in his nunquam voluit ſic eſſe ligatus æqualitati Provinciarum, ut non pluris faceret qualitates perſonarum, quas arbitraretur tum junioribus domeſticis in tali Collegio, tum exteris omnibus in hoc orbis theatro Roma verbo & exemplo profuturos. Et ſane inter quoſdam gradu & virtute pares vidimus illum alienis plus faviſſe quam ſuis; quod ſi aliquando jure facere non poſſet, ut illos iſtis præferret, ſaltem precibus, & efficaci hortatione faciebat, ne locum ullum relinqueret litibus, aut quantumvis injuſtæ murmurationi, de quo non raro querebantur non ſolum patria, ſed ſanguine ſimul ipſi conjuncti: cujus rei ſingularia exempla pronum eſſet mihi producere, ſi non minus expediret perſonarum nomina publicare. Et hæc virtus in Luca longe laudabilior fuit, quod cum ipſe Collegium totum ſuis ab initio fundare potuerit, ſed tamen omnibus potius voluit, atque cum ipſius patria Cœnobia tanto exceſſu alia ſupe-

ſuperent, proinde ampliorem Collegii uſum illis concedendum vel æquitas ipſa poſtularet, vel certe urbanitas & gratitudo ultro & cum gratiarum actione offerendum ſuaderent, ſed ipſe nihil horum reſpexit, ſibi ſuiſque malens deeſſe quam omnibus, vir ſane publico bono natus, & ad id perpetuo pronus.

Id vero in perſonis quibuſcumque optabat, ut natura potius & affectu exercitii, quam arte, aut libertatis ambitu ad munia quæque ſubeunda propenderent; nam naturalis indoles ipſo rerum uſu ad omnia facile comparatur, cum ex adverſo ars abſque natura violenta plerumque ſit ſemperque difficilis, & minus grata, cum cui neutra ſuppetit, nihil omnino prodeſt: ſed beatus cui utraque ſimul contingit. Nullos autem in Collegio habere voluit, qui vel otioſi eſſent, vel titulo & ſpecie-tenus, aut leviori exercitio tantum occupati, ſciebat enim quam multam malitiam doceat otioſitas, & quanta peſtis in occupatorum cœtu ſit vel una hujuſmodi perſona: cum enim apud ſe non habet quod agat, nunc hunc nunc illum in ſua ſolatia & nugas diſtrahendo a meliori bono retrahit. Propterea Lucas non alios unquam paſſus controverſiarum fidei, vel caſuum conſcientiæ profeſſores, quam eoſdem ipſos, qui ſcholaſticam Theologiam ſimul docebant: non Bibliothecæ, vel Chori præfectum, non Magiſtrum Novitiorum, aut Profeſſorum juvenum, aut alios ejuſmodi Miniſtros, quam aliquem Patrum domus in legendo ſcribendove ſimul occupatum, aut ſtudentium quempiam, vel ipſum domus Vicarium, juxta miniſterii cujuſlibet qualitatem: ſciebat enim, conſiderato ſtatu Collegii, & miniſteriorum onere & ordine, quo ea exercenda præſcripſit, non tam impedire ſe mutuo, quam apprime juvare.

LXIV. Providú in procurandis rebus neceſſariis.

Quia vero hos omnes litterarum ſtudio & orationis exercitio maxime vacare, nec frequenti cum exteris converſatione ab his exercitiis ulla ratione divelli cupiebat, ſatagebat in primis pro externo commercio mendicationis, & rerum procurandarum, atque pro mechanicis officiis Conventus, habere ex ipſa natione Italica, vel Hiſpanica laicos Fratres, gnavos, expertos, & exemplares, quales ex omni Italia ipſi concedebant Generales Ordinis, & peculiares Provinciarum Præfecti, quorum favores, & benevolentiam ille viciſſim, frequenti & importanti obſequio, & mutua conceſſione Philoſophiæ, & ſacræ Theologiæ Lectorem ex Collegii alumnis promerebatur: ceteris autem atque his ipſis, ipſorum labore, & induſtria ſua ita providebat omnia, quibus ad victum, veſtitum, curandamque valetudinem, & exercitium officii cujuſlibet, aut religioſa ſolatia, juxta ſtatus conditionem, opus habere poſſent, ut nec vera neceſ-

ſitas

ſitas nec ſtatus convenientia quempiam anxius cogitare compelleret, vel quidem de acu, aut filo, de calamo ſcriptorio, aut folio chartæ peculiariter ſibi procurando, nec proinde ſuperfluum quid ulli permittebat.

Invigilabat etenim ſingulis ipſe Lucas, nec minimum quid ejus oculum evadebat, ſi quid in veſtibus lacerum vel diſſutum, ſi quid maculatum advertebat. Fratrem veſtiarii vel ſutrinæ præfectum vocari jubebat, monebatque ipſius officii eſſe, non tantum petita Fratribus obſequia præſtare; ſed invigilare etiam, ne quis petendis indigeret, & obſequium offerendo prævenire, ne peteret: alterum quoque reprehendebat, quod religioſi habitus decorem neglexerit, aut paratum caritatis officium non humiliter fidenterque juxta Regulæ præſcriptum interpellarit; & rem illico reſarciri curabat, ſicque in ceteris omnibus proſpiciebat Lucas omni ſubditorum indigentiæ & conſolationi, ut audacter viciſſim a ſingulis exigere & ſperare poſſet, quod ad officium cujuſque pertinebat.

Singularem gerebat curam Fratrum infirmorum, pro quorum valetudine curanda peculiarem locum in Conventu deſignavit, omnique neceſſaria ſupellectili inſtruxit. Eos ipſe frequenter viſitabat ſollicite inquirens, an aliquid ipſorum curæ neceſſarium, vel juſto ſolatio conveniens deeſſet. Medicorum præſcripta, vel alias requiſita omnia ſine mora miniſtrari curabat, & ſi ſingulare quid forte ipſimet fere ſemper infirmo ab aliquo mittebatur, id ori ſuo ſubſtrahens, ad Fratres in valetudinario decumbentes non raro mittebat. Cumque conſideraſſet bonam partem eleemoſynarum in pharmaca conſumi, nec ſemper adeo utilia, curavit ut quæ ordinario uſui noſtro neceſſaria viderentur, ea conficerentur. Domi & locum illis tum conficiendis, tum conſervandis aſſignavit, ipſeque in eam rem peculiares procurabat expenſas: atque ad Collegium venire fecit fratrem Seraphinum Gambaram Religioſum Provinciæ Bononienſis, quem in hac arte expertum, & moribus commendatum intellexit: qui etiam poſt mortem Lucæ, magna caritate, & ſingulari induſtria & labore Pharmacopolæ, Chirurgi, & valetudinarii partes ſimul ſolus agit, pharmacopœjam nullis fere ſumptibus Conventus auget, & ornat; & ſtillatoriam officinam compoſuit omnibuſque neceſſariis rebus competenter inſtruxit. Lucæ quoque prudentiæ & providentiæ poſt Deum debemus, quod illo anno quo peſtis in Urbe graſſabatur, nemo ex toto Conventu ſancti Iſidori ullo morbo infirmatus fuerit; tametſi eadem Templi officia proſequuti, nulli interim denegaverimus ordinaria miniſteria Sacramentorum, & non niſi panem oſtiatim quotidie mendicato toto illo tempore viveremus, cum etiam divina gratia ex ipſis quinque Religioſis, qui

ad

ad res procurandas a reliquo Conventu ſeparati, quotidie per Urbem ibant, nullus interim ægrotaret.

Sed ut omnia quatuor elementa congereret, ſine quorum ſingulis humana vita non ducitur, quia ſufficiens terræ ſpatium jam habuit, & aerem in Urbe ſalubrem, ſtatuitque modum, quo deputati Fratris ſolertia, per ligna oſtiatim quotidie mendicata Romani populi ardentiſſima caritas neceſſarium ignem nobis accenderet; demum ex torrente liberalitatis Ludovici Cardinalis Ludoviſii id etiam obtinuit, ut copioſa unda per ſubterraneas plumbi tubas, ipſius Cardinalis impenſa poſitas, ex ipſius vicino viridario in Conventum perpetuo flueret, quæ dum non aliquo caſu impeditur, ad hortum peculiari terræ qualitate ſitientiſſimum irrigandum, & ad coquinæ, & fullonicæ uſum abunde ſufficit, & aliquibus vicinorum ædibus aliquando communicatur.

LXV. Quale in exercitiis litterarum.

Exigebat autem in litterarum ſtudiis diligentiam & aſſiduitatem, in divinis decorem ac devotionem, in moribus ornatum & monaſticam diſciplinam. Studia vero ſic inſtituit, ut Juvenes in Collegio educandi, præter Logicas & Philoſophicas diſciplinas, ſacram Theologiam, qua ſcholaſticam, qua polemicam, qua paræneticam, qua moralem ſufficienter edocti, vel prælegendis alibi ſcholaſticis tractatibus, vel oppugnandis pravis dogmatibus, propugnandiſque Catholicæ fidei myſteriis, vel dirigendis fidelium conſcientiis, vel populis e ſuggeſtu erudiendis apti fierent, pro ut cujuſque indoles & profectus, conformiſque Superiorum diſpoſitio poſtularet; quibus exercitiis certa tempora, certamque methodum ita præſcripſit, ut his nihil temporis deſit, quod intra modum deſiderari poſſit, nec tamen Monaſticis aut Eccleſiaſticis officiis integre præſtandis quidquam demant. Duas integras horas ad minus quotidie, nam ſæpius protrahuntur, excipiendis calamo Lectorum dictatis, reddendiſque ſcriptorum rationibus, ac tertiam integram quotidianæ diſputationi in utraque ſchola impendi voluit, præter ſeptimanalem concertationem, quæ in utraque pariter, diverſis diebus, duas horas perdurat; atque huic omnes Patres interſunt, & ad ſingula argumenta per ſcholares inchoata ſcholas exercent.

Habetur autem hoc exercitium diebus Lucæ ipſi in primis valde importunis, hoc eſt Veneris & Sabbati, quibus ille conſcribendis epiſtolis maxime premebatur: attamen vel has potius omittebat, quam abeſſet ſcholis, vel ita præveniebat horam, ut utriſque ſatisfacere poſſet; animat enim juvenes præſentia ſeniorum, eorumque auctoritas & exemplum pondus modumque adhibet omni illorum verbo & actioni: atque ipſi Patres juniorum profectum defectumve & ingenia diſcernunt, quo rectius

de

de ſingulis diſponere valeant: ac proinde Lucas aliorum etiam Patrum nullum abeſſe ſinebat. Imo ipſos Logicos aut Philoſophos, Theologorum exercitiis, ac Theologos viciſſim Philoſophorum diſputationibus aſſiſtere faciebat, ut Theologi, continuatis exercitiis Philoſophiæ, accepta olim theoremata firmius poſſiderent, & Philoſophi familiari uſu terminorum Theologiæ ſeſe ad illam poſtea facilius percipiendam diſponerent, & neutris interim permitteretur libertas otiandi, dum alteri exercerentur. Ad juvenes autem in publico probandos, alias diſputationes, quas menſtruas vocant, haberi voluit, vocatis etiam externis, & propoſitis theſibus manu ſcriptis quidem, ſed amplioris argumenti. Alias vero impreſſas theſes, & alicui Principi, ſeu illuſtri viro dicatas, quo frequentior eſſet concurſus, & actus ipſe ſolemnior, ſaltem bis in anno ab unoquoque Lectorum exponi curabat. Atque hac ratione conabatur tum juvenes ipſos, ipſoſque Lectores ſui ipſorum honoris periculo, ad ſtudia fortius provocare, tum etiam publico reddere rationem ſtudiorum, more per ſanctum Bonaventuram in Religioſorum cœtibus primitus inſtituto; ne torpere nos domi, vel ſupinos dormire crederent.

In domeſticis exercitiis ſi Lectorum quempiam, vel diſcipulum in æquivoco laborare cerneret Lucas, ipſe, interpoſito verbo, rem breviter declarari curabat, vel ipſe declarabat, quo fructuoſius pergeret diſputatio: quandoque etiam totum argumentum aſſumebat, ut ſolent alii Lectores, ſed ut non omnes ubique ſolent, acute & breviter tangebat punctum difficultatis, ſeſeque ac totam controverſiam paucis argumentis expediebat. Sane ſæpe mirati ſumus in tam veterano Lectore, ac diverſiſſimis ſtudiis & occupationibus diſtracto, promptum uſum terminorum, recentemque memoriam ſtatus controverſiarum; & venerabamur in effæto corpore tam acre ingenium, ut omnes difficultatis nodos, & ſubtiliſſimas formalitates abſqua ulla confuſione diſtingueret. In Theologicis autem non recordor me illum unquam diſputantem audiſſe, quin vel ſacræ Scripturæ, vel Concilii cujuſpiam, aut ſancti Patris, præſertim Auguſtini locum aliquem ex fide recitaret, & ſatis plauſibiliter in adverſarium urgeret, tam alacri animo & ſonora voce, tam ſuaviter & gratioſe, ut quantumvis tepidum, vel torpentem auditorem ad attentionem, & voluptatem excitaret.

Eamdemque rationem Theologicas materias tractandi Lectoribus ab initio præſcripſit, ut eas ſolide ex Scriptura, Patribus, Conciliis exponant, rationibus Metaphyſicis & Ariſtotelicis parcius inſiſtentes, quas ex curſu Philoſophiæ jam notas ſupponant, & nulla ratione tractent ex profeſſo. Porro methodum illis liberam reliquit, modo a Doctoris Subtilis doctrina non recedant.

cedant. Habent præterea controverſiæ fidei, habent pariter caſus conſcientiæ ab ipſo præfixas exercitiorum horas, in quibus non ſcriptis dictatis agitur, ſed certæ theſes ex impreſſo libro prius aſſignatæ a Studentium ſingulis ſingularibus argumentis per ordinem oppugnantur, non protractis in longum ratiociniis, ſed uno ad ſummum, aut altero argumento, quo quiſque aliquod Hæreticorum ſundamentum exponit, & a reſpondente diſcipulo, & aſſiſtente Lectore ſolvitur. In his autem non volebat Lucas, ut examinarentur materiæ, quæ in ipſis ſcholis ſpeculativis ordinarie traduntur, quod dicebat actum agere, ſed aliæ, quæ vel nunquam, vel nimis raro a Theologiæ ſpeculativæ profeſſoribus dictantur, ut ſunt auctoritas Eccleſiæ, & Summi Pontificis, Conciliorum, & librorum ſacræ Scripturæ, invocatio Sanctorum, cultus Imaginum, fides Purgatorii &c. in quibus nulla eſt inter Catholicos opinionum varietas, ſed res tota cum Hæreticis controverſa eſt.

Hinc æſtivi dies a feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ uſque ad feſtum Nativitatis Deiparæ, quo tempore valetudinis periculum eſt gravioribus ſtudiis incumbere, ceſſantibus interea lectionibus ſeptimanalibus, tantum diſputationibus, & amœniori ſtudio ſacrarum concionum reſervati ſunt, & certus dies ſingulatim cuique præſcribitur, quo juniores quidem plerumque latine, provectiores autem qua ipſis libet lingua dicere tenentur, ut & illi ſolidiora latine componendi, ac declamandi jacerent fundamenta, & iſti propius ad prædicandum populo ſe diſponerent, qui Hibernice, qui Anglice, qui Italice, qui Hiſpanice, qui quo melius poſſit idiomate, modo bene componere, beneque pronunciare judicari poſſit. Interim dum reliqui in refectorio pranderent, qui ſermonem ſe ſic exercentis compendio temporis excipiunt loco lectionis menſalis; & per Superiorem deinde laudato ſocii profectu, vel notatis ejus defectibus, inde diſcunt, quid in concionando imitari, quid fugere debeant. Quemadmodum autem ante concionem ſemper inchoatur lectio, ſic abſoluto ſermone indiſpenſabiliter eam continuari curabat Lucas. Lætabatur autem ex animo profectu ſingulorum, & quos vel ingenio, vel ſtudio, aut ulla virtute præſtare cernebat, hos præter publicam laudem peculiari aliquo præmio poſt actum donabat, quo, & ipſis animum adjungebat, & alios incitabat ad æmulationem virtutis. Nulli autem licebat in publicum prodire, quin prius a Lectorum aliquo privatim auditus, actione dictioneque probaretur.

LXVI. *In ſtudio pietatis.*

QUanquam autem Lucas percuperet, ut ex inſtituto Collegii Fratres diligentiſſime litterarum ſtudiis incumberent; ſic tamen id factum voluit, ut regularis & Recollectæ domus

domus ritibus, aut officiis nihil inde decideret, quæ vel profeſſionis Regula, vel generalia Ordinis ſtatuta decernunt, propterea domeſticarum conſtitutionum caput, quo ſtudiorum ratio præſcribitur, ita orſus eſt: *Studentes ita ſtudiis incumbant, ut pietati magis, nec devotionis ſpiritum extinguant, tempus quod ſtudiis conceditur, iis impendant; orationis vero tempus, orationi & non aliis*. Ita Lucas Waddingus, ut uſu vitæ ſuæ, ſic in aliorum gubernio uſus eſt regula, quam ſanctus Pater noſter Franciſcus ſancto Antonio Ulyſſiponenſi ſacram Theologiam Fratribus prælecturo, & alibi ſæpius aliis, qui ſtudiorum curam haberent, præſcripſit. Proinde Lucas tametſi Urbani VIII. Pontificis in noſtros ubique proclivi benignitate illi oblatum fuerit, ut Fratres ſancti Iſidori, utpote Collegii ad litterarum ſtudia pro Catholicæ fidei negotio fundati, ab Officio divino in Choro cantando liberi omnino, & immunes eſſent eo penſo horarum, quas Ordinis leges aliis Conventibus, vel ſacri Canones conventualibus Eccleſiis conſtituerunt. Nihilominus retento nomine & re Collegii, iis tantum contentus favoribus, per quos Fratres a ſtudiis, aliiſque domeſticis exercitiis non diſtraherentur; reliquam Religionis diſciplinam a Collegialibus integre obſervari voluit, præſertim quæ ad publicum orationis tam vocalis quam mentalis cultum pertinent; indecorum exiſtimans, eos magno ſtudio quotidianis precibus non inſiſtere, qui precum præſertim intuitu quotidianis fidelium largitionibus aluntur. Et ſane religioſam juventutem ad Chori, & alia religioſæ communitatis exercitia profeſſam, abſque his ritibus uſuque officiorum recte educari poſſe, Lucæ ſemper paradoxum fuit.

Imo vero quod alibi fit, ut Fratres litterarum ſtudiis intenti, per vices inſerviant Choro, ita ut qui nocturnis horis interſunt a diurnis excuſentur, hoc ille in Collegio ſancti Iſidori nunquam admittere voluit, idque abſque ullo detrimento ſtudiorum: ſic enim diei noctiſque horas in ſingula exercitia diſtribuit, ut ordo ab ipſo poſitus, quandiu obſervatus fuerit, nulli exercitio, non ſomno, non religioſæ animi relaxationi ſatis temporis unquam defuturum ſit; cum ex adverſo experientia nos doceat, ſi quis illum tranſgreditur huic non ſatis temporis, vel tranquillæ mentis illo die ad ullum opus exequendum ſuppeteret. Nec fructuoſius unquam floruerunt ſtudia Collegii, quam dum ille rigoroſiſſime ſervabatur. Geneſis quædam eſt ab abundantia temporis & otii ad confidentiam ſemper futuræ opportunitatis, a confidentia ad negligentiam, a negligentia ad indigentiam, atque hinc denique ad nihilum. Deinde ne error aliquis in Officio divino publice celebrando accideret, exacte ſervari curabat Lucas, ut ſingulis diebus a prandio, dato ſigno campanæ, omnes Chori mini-

miniſtri convenirent, & quiſque partem ſuam officii ſequentis diei prævideret ac prælegeret; quod ſancti Bonaventuræ exemplo ſuadebat, qui cum tantus eſſet Eccleſiæ Doctor, & in ſacris ritibus optime verſatus, quidquid tamen in publico legere vel canere debebat, id totum prius apud ſe privatim prævidiſſe legitur.

Neque vero ſolos illos, qui Breviarii Romani ritibus obligantur hac diſtrictione continebat Lucas, ſed & laicos Fratres, quos omnibus communitatis, non ſcholaſticis exercitiis, præſertim orationi tam mentali, quam nocturnis diurniſque Chori horis in Choro aſſiſtere faciebat: nec ulli labores, aut laborum fatigatio eos ipſi excuſare ſufficiebat, præter tales, qui eadem ipſa orationis hora incommutabiliter ſubeundi eſſent; in hoc etiam obſervans normam Seraphici Patris, qui hujuſmodi Fratrum laboribus modum his verbis poſuit: *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devote, ita ut excluſo otio, animæ inimico, ſanctæ orationis ac devotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deſervire*. Præterea Beatiſſimæ Virginis parvum Officium, quoniam in communi Choro, nonniſi diebus in Breviario Romano conſtitutis ab omnibus recitatur, ſaltem a junioribus tam novitiis, quam profeſſis nunquam intermitti permittebat, quin ſingulis diebus poſt finitum canonicum officium, abeuntibus aliis, ipſi ſimul cum ſuo Magiſtro totum perſolverent. Deinde ſingulis diebus a prandio ſtatim, poſt actas in Templo gratias, ad culinam pergitur, & lotioni patellarum aſſiſtitur, a qua nemo non legitime impeditus excuſatur, & interim recitantur Pſalmi, aliæque preces pro vivis, defunctiſque benefactoribus. Statui quoque ab initio curavit Lucas, & & continuo deinceps obſervari antiquiſsimum Ordinis morem, ſed non paſsim nunc obſervatum, ut diebus Veneris poſt Completorium recitentur Deiparæ preces, quas *Benedicta* vocamus, ac ſingulis Sabbatis, ſolemniori officio non impeditis, habeatur Miſſa ſolemnis de Immaculata ejuſdem Virginis Conceptione. *Et quoniam ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*, Lucas noſter juſte & religioſe de reſurrectione cogitans ab initio pariter ſtatuit, ut præter varia Defunctorum Officia, quæ per annum fiunt, ſingulis diebus Lunæ, ſimiliter non impeditis, mane finitis horis omnes ad publicum ſacrum pro Defunctis benefactoribus cantandum conveniant. Et quod Statuta generalia decernunt ſtricte obſervabat, & invigilabat, ut alii domus Guardiani nunquam omitterent, quod pro ſingulis noſtræ Provinciæ Fratribus ubicunque terrarum decedentibus, quamprimum obitus nuncius adveniebat, tot legerentur ſacra, quot eſſent Sacerdotes Guardiano ſubditi, ſive iſti domi eſſent, aut ſani, ſive infirmi, vel abſentes.

Cap. 5. Regulæ.

Machab. 2. 12. 46.

Deni-

Denique non contentus Lucas perpetuis his, & quotidianis utriuſque orationis exercitiis,ulterius etiam Collegii legibus caveri curavit, & exacte hactenus obſervari, ut Religioſi ſtudentes conſtitutis diebus bis in anno, hoc eſt a feſto ſanctæ Luciæ ad Nativitatis Domini, & a Dominica Paſsionis uſque ad Dominicam Reſurrectionis ſanctiori receſſui vacarent, quibus diebus, nec ſibi mutuo, neque cum aliis etiam domeſticis loqui licet: & in tota domo ſingulare, & perpetuum debet eſſe ſilentium. Habent autem ex Patribus aliquem iiſdem legibus obſtrictum, ipſis ac ſibi exercitandis præfectum, qui ſingulis diei horis ſingula religioſæ perfectionis exercitia præſcribit ac dirigit, eorumque rationem a ſingulis requirit. Omnibus enim certa diei hora inſimul convenientibus, Præfectus brevi ſermone, & quam fieri poteſt ſubmiſſo, ſpiritus fervorem nutrit, nunc hunc, nunc illum de exercitii profectu interrogat, & breve reſponſum ipſe proſequitur, ſingula in communem omnium ædificationem convertens, varioſque proficiendi modos, eorumque impedimenta, atque horum remedia exponit. Concurrunt etiam omnes cum reliqua communitate ad actus omnes, qui non alium ſermonem, quam preces, aut ſacram lectionem requirunt, & ad menſam communem; ſed hic mortificandi magis, quam reficiendi, qui bolum ori porrectum tacitis lacrymis condiunt, qui ſpiritu Dei pleni, quandoque abſtinent omnino, qui genibus flexis e nuda humo panem ſiccum & frigidam aquam ad victum ſuſcipiunt, qui ſe ſaturant flagris, aliiſque caſtigationibus in Ordine noſtro conſuetis. Nec etiam ſi diſsimulent, poſſunt tamen celare quod guſtent, & videant in his exercitiis quam ſuavis ſit Dominus. Ea demum abſolvunt pia peregrinatione, qua omnes ſimul cum Præfecto procedentes Scalæ Sanctæ gradus flexis poplitibus aſcendendo Chriſti in eis veſtigia venerantur: deinde Lateranenſis Baſilicæ Sanctuaria viſitant, ac demum redeuntes Chriſti Cunabula, & Beatiſsimæ Matris Sacellum, Sanctorumque reliquias in Baſilica Liberiana, fuſis precibus, honorant in Domino lætantes; quod præter alios ejuſmodi exercitiorum fructus, vere confidant ſe lucratos illas Indulgentias, quas Romani Pontifices, tum ipſa tot dierum exercitia proſequutis, tum illa Sanctuaria devote viſitantibus conceſſerunt; adeoque ſe ad ſacras ſolemnitates Natalium Domini, & Paſchæ Reſurrectionis ejus rite celebrandas religioſe diſpoſitos eſſe.

Ut inſuper ad totius anni decurſum feliciter currendum ſpeciali præſidio juvetur unuſquiſque, & in omni caſu advocatum haberet in Cœlo, Lucas ab initio morem induxit, ſemper deinceps obſervatum, quod ipſo primo cujuſque anni die poſt cœnam, ſacro & ſolemni ritu, proponerentur ſchedulæ, in quibus deſcri-

deſcribuntur nomina Sancti & Sanctæ, quos Religioſus toto anno peculiariter colat; deinde certa virtus, cui præcipue ſtudeat, adſcripta cujuſpiam Sancti Patris, aut Sacræ Scripturæ ſententia, qua ad ejus virtutis cultum incitetur: & ex his coram poſitis quilibet flexis genibus ſchedam, quæ prius occurrit, tanquam ſorte ſibi ſumit, deinde Miniſtro ſacris induto publice legendam præbet, quatenus etiam verecundia magis accendatur ad ejus virtutis ſtudium, quam omnes norunt ipſum toto anno ſpecialiter profiteri. Jejunia vero, ut nulli privato, diſcreta & rara, pro cujuſque devotione, prohibita ſunt, ſic nulla ex inſtituto Lucæ indicta præter omnes Immaculatæ Virginis vigilias, & Quadrageſimam illam, quam S. Franciſcus, impertita jejunantibus benedictione, nobis commendavit, quam communitas S. Iſidori in omni rigore ſervat, niſi gravis aliqua cauſa diſpenſationem poſtulet.

LXVII. In obſervantia ſilentii.

IN reliqua regulari diſciplina primam curam gerebat Lucas illius virtutis, quam primam, poſt religioſi ſtatus eſſentialia vota collocarunt, omnes omnino Religioſorum Ordinum Fundatores, abſque qua nec Religio vera dici poteſt, nec eſſe vel perfectio vel profectus litterarum, dico ſolitudinis, & ſilentii: *Nam ſi quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt Religio.* (*Jacob. 1. 26.*) Hæc enim eſt virtus, quæ Sanctorum Patrum cenſura eſt *profectus Monachorum, Cæli ſcala, via Regni Cælorum, mater compunctionis, cujus ſtudioſus appropiat Deo, ipſique jugiter in abdito cordis aſſiſtens illuſtratur ab eo. Silentium enim eſt mentis illuſtratio, ſchola lectionis & orationis, omniſque virtutis cooperatrix, quæ purificat mentem, & perſpicaciorem reddit.* (*Vide Haſten. tract. 3. diſqu. 3.*) Hinc Lucas noſter in Collegio S. Iſidori, quod lectionis & orationis gymnaſium eſſe peroptabat, Pythagoricum quodammodo ſuis locis & horis volebat eſſe ſilentium: ſolitus dicere, linguam loquacem, vel aurem rumoribus apertam, & mentem ad pietatem & litteras recollectam ſimul conſiſtere non poſſe. In Choro coram tremenda Chriſti majeſtate, etiam extra tempus officii, loqui crimen reputabat, quo & orantium devotio turbatur, & audientis forſitan populi opinio de re Eccleſiaſtica & Regulari minuitur; proinde nec exercitii, ſeu addiſcendi cantus gratia, Fratres extra tempus officii in Choro canere ſuſtinebat, ſed in aula capitulari, vel alio loco ab Eccleſia, & populi auribus remoto.

Eadem diſtrictio in Sacrario fuit, ejuſque Præfecto, ſeu ut vocant Sacriſtæ mandatum, ut in Eccleſia, & Sacriſtia ab omnibus ſervetur perpetuum & rigoroſum ſilentium, tanquam locis ſpecialiter Deo conſecratis, quos decet in ſanctitudine cuſtodiri. Eadem diſtrictio fuit ad portam, & ea parte Clauſtri, unde vox in

in Templum, vel ad portam penetrare poſſet, mandatumque ſimiliter Janitori ne altiora colloquia, & minus mortificata circa portam miſceri permittat; procuretque in ſe & aliis, ut cum reverentia, & ſubmiſſa voce omnia tranſigantur. Aliis autem ad portam vocatis, ut procurent cum ſecularibus tractare, quæ ſunt ſalutis, non futilia vel nugas; abſtineant etiam a ſalibus & jocis, & multiloquio, a curioſis quæſtionibus ſæculi interrogandis, ut alterationibus bellorum, & hujuſmodi, quæ magis expedit neſcire, ne mentis perturbent quietem. Juniores vero, ſeu ſcholares abſque ſpeciali Superioris licentia ad portam vocari, vel in locis illi vicinis, aut ſæcularibus perviis impune hærere non permittebat: & ſi quempiam, etiam obtenta facultate, prolixius perſiſtere deprehendebat, huic vel ipſe tunc nutu receſſum imperabat, vel tanquam ad opus aliquod avocabat, vel forte plane diſſimulans monebat Lectorem, ut ab eo diſcipulo proxima ſcholarum hora ſpecialem exigeret rationem ſtudiorum, & reddere non potentem ad ipſum remitteret caſtigandum: ſciens etiam quam periculoſa ſit *ad prunas* confabulatio, ubi *uſitatum eſt honeſti, homines ſeducere*; *ubi Dominum ſprevit Rex Joachim, negavit Petrus*; Ideo perpetuum in calefactorio volebat eſſe ſilentium, brevemque moram, & ſolis ſenioribus ſeſſionem, atque hanc non nimis commodam, ne ſuperfluus ignis turbaret caput, aut protracta confabulatione difflueret tum acquiſitus orationis, aut ſtudii fructus, tum tempus & opportunitas acquirendi majoris. *Bonav. p.1. Spec. diſcip. cap.32.*

In Refectorio vero non ſolum verbis, ſed nec ullo nutu, vel inſolito motu, perpetuæ lectionis muſicam impedire licebat. Et ſi in ſecunda menſa quiſquam elevaret vocem, aut aliquis in prima pranſus ad colloquendum ſubſiſteret, vel poſt gratiarum actionem, aut lotionem utenſilium rediret, hic Fratris cœnaculo Prefecti juſſu deſiſtere, vel opportuna Superioris correptione luere debebat; præterquam in raris ſolemnitatibus, aut diebus Fratrum recreationi conſtitutis, quos voluit Superioris, & Patrum diſcretorum judicio decerni; his enim incæpta lectio, & aliquandiu continuata, jubente tandem Superiore ceſſat, & cum proximo quoque, quiete, & modeſte colloqui licet. Eadem fuit diſciplina tonſtrinæ, in qua tam continuaverat lectio pii libri, & ſtricta obſervantia ſilentii, quam exercitium raſuræ. Ut vero Dormitorii & cubiculorum quies ab omni ſonitu pura eſſet, non ſolum colloquia, certis præſertim horis, prohibebat; ſed & omnem portarum & pedum ſtrepitum, nt proinde nunquam permiſerit, ut Collegii Fratres calepodiis ligneis uterentur, ſed ſimplicibus ſoleis ex corio, domeſtici Fratris manu confectis: hæc enim dicebat Collegii Inſtituto magis convenire, joco etiam adjungens, illis minus teri lateres pavimenti. Interiora quoque domus forenſi-

renſibus pervia eſſe non permittebat ſine petita Superioris licentia, quam non promiſcue concedi ſtatuit, ſed Prælatis, & viris gravibus; rationem reddens, quoniam quæ pervia ſunt vileſcunt, *& ubi omnibus omnia patent non eſt Religio*.

LXVIII. Circa morum diſciplinam.

Poſt ſilentium proxime invigilabat univerſæ domui, rerumque Ordini & nitori, tam accurate, ut ſi feſtucam in pavimento, ſi pulverem in pariete, ſi telam araneæ in angulo, ſi gramen in viis horti conſpiceret, non prius inde recederet, quam vel propriis manibus, aut pallii ſimbria locum purgaret, vel vocatum Fratrem loci Præfectum leniter objurgaret. Neque id ſolum in Choro, in Templo, in Sacrario, in Scholis, in Clauſtro, in Triclinio, in Dormitorio, aut Fratrum cubiculis obſervabat, in quibus omnibus locis nihil extra tempus expoſitum, nihil inordinatum, nihil non recte diſpoſitum, & opportune promptum, honeſtum, & politum eſſe patiebatur; ſed etiam in vilioribus officinis, & obſcurioribus receſſibus totius Conventus. Nec vehementiori argumento ad hæc perſuadendum utebatur quam ut diceret, Collegium S. Iſidori dedecere ſordes, aut rerum confuſionem, tali nos opinione apud exteros eſſe, nobilium perſonarum gratia eos frequenter accedere, tali nos etiam ab inopinate advenientibus deprehendi debere. Innatum erat Lucæ, & nunquam non oculatum, & vigilans, quod vocant punctum honoris; abſque quo fruſtra requires in aliquo curam honeſtatis. Hinc in omni Fratrum actione, geſtuque religioſam compoſitionem, & aſpicientium ædificationem deſiderabat, ſuadebatque verbis, quibus S. P. N. Franciſcus boni exempli curam Fratribus commendabat: *Commercium eſt inter mundum & Fratres; debent enim ipſi mundo bonum exemplum, debet eis mundus proviſionem neceſſitatum; quando autem ipſi retraxerint bonum exemplum, fide mentita, retrahet mundus manum juſta cenſura*. Propterea ſi quem ille Fratrem notabat vocem immoderantius efferre, ſi velociorem greſſum, ſi pendulas manus, ſi oculum elatum aut vagum, ſi veſtem non apte compoſitam; ſi quidquam demum, quod proximi oculum vel aures offendere poſſet, nihil abſque monitione tranſibat.

Tom. 3. Opuſc. coll. 5.

Quem vero fructum inde referrent, placet ſubnectere auctoris nobis externi, ſed Romani, & Romæ tunc, & hodie viventis, & res ipſas videntis teſtimonio de moribus ac diſciplina Fratrum Collegii S. Iſidori gubernante Waddingo. Sic autem ille eiſdem fere verbis, ſed eodem omnino ſenſu loquitur ſermone vernaculo, quo liber typis vulgatus eſt. *Antiquæ Religionis Hibernorum domeſticum exemplum Romæ habemus in duabus Coloniis illius nationis, quorum alterum fundavit Ludovicus Ludoviſius Gregorii XV. Nepos Cardinalis Protector Hiberniæ, qui Collegium Romæ fun-*

Lucald. to. 1. de origine Chriſtianæ Rel. l. 1. c. 36.

fundavit &c. Altera quoque Collegium eſt Hibernorum ſub Urbano VIII. in Monte Pincio fundatum, ſed Regularium auſterioris diſciplinæ Seraphici Inſtituti, cujus numeroſa multitudo in Hibernia eſt. Atque inde ex magis tenera juventute Romam tranſmittuntur, qui in hoc Collegio nobiliores ſcientias addiſcant. Sunt numero circiter quinquaginta, quos piorum Romanorum caritas magno applauſu ſuſtentat. De illis aliud non dico, quam quod qui cupiat Cœlum in terris elauſum videre, non opus habeat alarum vi ſtellis inniti, ſed ut montis ſummo pedem inferat in illo ſacro diverſorio viſurus, divinum radium ex vultu illius eremiticæ juventutis prodeuntem, qui mentem illuminat, & caritatem inflammat. Nativus candor puritatis morum ſplendore adauctus blandum vibrat fulgorem, qui & aſpicientium pupillas perſtringit, & ſimul facit reverenter ſequaces cujuſdam heroicæ virtutis, quam regnare conſpicit in ſolitariis illis alumnis, in quorum frontibus innocentia ſedem fixit, pudicitia thronum in oculis collocavit, ſilentium in labiis reſidet, quod nunquam ſolvitur, niſi in Lyceo, cum veritas verbis quærenda eſt; extra cujus cancellos tam muta eſt lingua, quam loquax modeſtia corporis, cujus omnis motus vox eſt, quæ perſuadet boneſtatem, & accendit amorem excelſæ illius chriſtianæ Philoſophiæ, quæ docet mundi contemptum, cordis quietem, & mentis tranquillitatem. Hæc ille, quæ quanto ſuo bono ſervabunt poſteri noſtri, tanto ſuo pudore, majorique damno tranſgredientur.

Erat autem Lucæ vigilantia tam nota Fratribus, ut dicere ſolerent, ipſum oculos etiam in occipite habere, & aures in omni angulo; nihil enim ipſum latere poterat, eratque tam tenacis, & promptæ in omnibus memoriæ, ut ſi præſens occaſio non daret correctioni locum, negligentiam tamen præteritam exprobrabat, ubi alterius tunc præſentis aggravandæ utilitas id poſtulabat. Erat ejus zelus tam reverendus, ut non multis verbis ipſi opus eſſet, quin vel ſola præſentia, vel ſola recordatio ipſius aliis ſufficeret ad obſervantiam diſciplinæ, cum alius alii diceret, cave Frater, P. Lucas eſt domi; ſi te videret P. Lucas; nec raro aderat lupus in fabula, & gratioſo aliquo verbo, vel dulci monitione, aut ſimulata tuſſi ſolvebat circulum colloquentium: ſi quem defectum in communibus exercitiis interveniſſe ſentiebat, non ſolum culpabiles, ſed & Superiores ipſos, & exercitiorum Præfectos, privatim tamen & reverenter arguebat, ut quibus incumbit, vel prævenire, ut omnia rite ſuccederent, vel actionem præſentem dirigere & gubernare. Quandiu ipſe ex officio regebat, quæcumque majori reprehenſione digna judicabat, ea ſibi notata in ſchedula ſervabat in diem Capituli, quod ſingulis ſeptimanis ſemel ad minus celebrabat, præmiſſa memoria & ſuffragiis benefactorum.

LXIX.
Quis illi correctionis modus.

ILle vero dum reprehenderet, ſuum cuique ſervabat honorem, cui ingenii vel profectus ſtudiorum, cui in aliis diligentiæ & laboris, cui ſanguinis, aut domeſticæ educationis, cuique alicujus virtutis, vel innati talenti, aut qualitatis perſonæ peculiaris; atque hæc ipſa in ulterioris profectus, & perfectionis incitamenta convertebat: non deſpiciebat minus habentem, non irritabat animoſum, non opprimebat puſillanimem, non excogitabat viles mortificandi modos, quibus exaſperantur, non emendantur correpti; ſed dulci nomine filii cunctos compellabat, & evidenti ratione convincebat, ut clare perciperent omnes, Lucam non ſubditorum pœnam, ſed virtutis profectum, atque adeo propriam cujuſque utilitatem deſiderare. Et quando invehi maximopere videbatur, aut provocatus abſque injuria iraſci poſſet, ita ut moto ſanguine totus aliquando ruberet; nunquam tamen indignari viſus eſt, vel dominanter, aut præcipitanter agere, vel ullum contumeliæ, vel injuriæ verbum in fratrem proferre; ſed erumpentem diſciplinæ zelum, & juſtam Prælati ſeveritatem, magna potentia ſui ipſius, & religioſa clementia, & caritate plane paterna comprimebat. Quod ſi quempiam objurgatione turbatum dubitaret, hunc deinde ſeorſim vel per ſe, vel per alium ſolabatur, & ad errorem ultro, & humiliter agnoſcendum reducebat. In qua re utillimus illi ſuit Antonius Hiquæus, vir natura & virtute ad conciliandos, & ſedandos animos comparatus, ceterique Patres, qui quod omnes unanimi zelo in commune bonum arderent, juniores ubique ſolabantur quidem; ſed in officiis & reverentia majoribus, ac præcipue Superioribus debita continebant.

Lucas viciſſim Patres ipſos honore præveniebat, & omni favore proſequebatur, & quidquid ſolatii pro junioribus peterent, concedebat. Ipſe quoque extra locum ordinariæ correctionis cum omnibus comiter, manſuete, & familiariter agebat; ſicubi occurrentes humili ſalutatione & benevolentiæ ſigno afficiebat; accedentes hilari vultu, & amico verbo, & filii nomine excipiebat. Non ſicut leo in domo ſua, ſed ut agnus manſuetus, quando aliquid jubendum erat, non dabat faſtuoſa mandata; ſed vocato fratri rei neceſſitatem & convenientiam humiliter exponebat: dicebat non videri ſibi, aut Patribus, qui eam exequi poſſet magis idonee, quam ipſe, ſe proinde rogare, ut vellet facere: ſi alter ſe excuſabat, Lucas iterum vel ſuaviter monſtrabat excuſationem non ſufficere, vel ne contentioni locum relinqueret, humiliter denuo rogabat, ut ſaltem ipſius amore ſubiret incommodum, & privatæ convenientiæ præferret rem publico honorificam, utilem, & neceſſariam; ſcire ſe illum poſſe hæc & illa ſimul & plura præſtare; nec ſe vel Patres illi defuturos opportuno au-

auxilio . Ubi vero majorem renitentiam inveniebat, non illico minabatur, aut peremptorie præcipiebat, ſed placide replicabat: fili mi? Ego tibi quod honeſtum, & juſtum eſt, Patribus placitum, tibique conveniens propono, ſi non vis facere modo noſtro, facias tuo, ipſe videris; vade in pace. Quo telo, & acuto & mellito penetrabat corda; & cum amore & ſumma ſui & ſubditi tranquillitate, multo magis dominabatur, quam imperio & potentia, quibus non raro ſuſcitantur crabrones. Quando in communibus exercitiis aliquid prohibendum vel dirigendum occurrebat, non id voce procul elata, vel indignabundo ſtrepitu faciebat Lucas, ſed quieto mitique ſigno, aut miſſo internuncio, vel quandoque propriis manibus.

Et cum id permitteret qualitas exercitii, etiam faceto & molli verbo, quo recreabat potius, quam confundebat monitum; ut cum verbi gratia dicebat, pudere Theologum vel Philoſophum, ſi onus apte portare, ſi fratrem novacula radere, ſi domum dextre ſcopis vertere, vel ferram recte ducere neſciret, & his ſimilia: quæ quanto remotius aberant a Theologi vel Philoſophi profeſſione, tanto gratioſior erat inde petita exprobratio: cum interim ſubeſſet, Fratrem ſancti Franciſci ſic Theologum, aut Philoſophum eſſe debere, ut etiam caritatis & humilitatis operibus in Ordine conſuetis, pro occaſione ſubeundis, nec ineptus nec imparatus inveniatur. Alterum etiam alteri exemplo ſubinde proponebat, quo & illius virtus laudata creſceret, & iſtius provocaretur æmulatio, atque hoc identidem etiam, præſertim in levioribus, cum lepore; ut ſi parvo aliquid ſiniſtre facienti diceret, pudeat hominem ad lineam & libram compoſitum, quidquam tam inepte moliri, cum rem ſuam tam apte peragat iſte longurio, cui vel ſui moles regenda ſufficeret. Et iterum procero; proh gigantem ignavo dorſo ſuccumbere oneri, quod parvulus iſte tam ſtrenue ſuſtentat! Qua hinc paſtorali vigilantia & ſeveritate; qua inde paterna cura & condeſcenſione, cum ſubditorum ſolatio & prompta obedientia Lucas auctoritatem ſuam fortiter ſuaviterque ſuſtinebat, duobus omnino neceſſariis fulcris magiſtratus, timore pariter & amore ſubditorum; quorum alterutro ſubſidente corruit poteſtas. Nam qui ſolummodo timentur tyranni ſunt, ac perpetuo ſubditorum odio & inſidiis obnoxii; qui ſolum amantur familiares fiunt, ac deinde contempti.

LXX.

Suos verbo paſcebat.

SOlebat autem Lucas culparum, ut vocant, Capitulis præmittere breves quaſdam, piaſque collationes, per quas ita diſponebat animos, ut iidem ipſi, qui reprehendendi eſſent, intime compuncti, & errorem ultro agnoſcentes appeterent, potius

quam abnuerent correctionem. Solebat etiam curare, ut in majorum ſolemnitatum vigiliis, illi tabulæ, quæ ſuum cuique in celebranda feſtivitate Officium aſſignat, & ſub meridiana refectione coram omnibus cantari ſolet, devota præcineretur oratiuncula, ex ipſis plerumque Miſſalis Romani, & Breviarii verbis ab aliquo Patrum graviter compoſita: cui ipſe deinde in Capitulo, ſi vicinum eſſet, vel poſt collationem in Refectorio, ſeu poſt Matutinum in Choro ſuccinens, brevi ſermone, Fratrum animos ad myſteriorum cultum ac devotionem, & ad Sanctorum imitationem elevabat. Neque in illis aerem verberabat, non titubabat lingua, non claudicabat memoria, nihil inſulſum, nihil ridiculum, nihil quod ullum offendere, vel ab ullo contemni poſſet, proferebat; ſed notatis prius paucis aliquot, & prægnantibus locis Patrum & ſacræ Scripturæ, quibus per ſelecta exempla, rationeſque declaratis, & ad propoſitum ſuum quam aptiſſime applicatis, non ſimiarum ludos agebat, ſed magiſtraliter, docte pariter & pie perſuadebat quæ vellet. Habeo hujuſmodi collationum, ſeu collectarum ſententiarum manipulum in laceris pagellis propria ipſius manu deſcriptum, quæ forſitan cum aliis ejus fragmentis lucem aliquando videbunt.

LXXI. Et firmabat exemplo.

NUnc vero quod in aliorum gubernio caput eſt, & obſervandarum legum fortiſſima perſuaſio, quoniam

. . . . nec ſic inflectere ſenſus

Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Claud. de Conſul. Honorii.

Plin. in Paneg. Trajan.

Et ſuperioris vita cenſura eſt, eaque perpetua: ad hanc convertimur, ad hanc dirigimur, nec tam imperio nobis opus eſt quam exemplo. Præterea hoc maxime obſervabat Lucas, ut actu ſuo prius oſtenderet quod faciendum eſſet, quam ſubditis imperabat, ut facerent. Mirum ſane ac divinæ providentiæ peculiari dono tribuendum eſt, quanta diſtrictione, & quam prolixa pertinacia zeli & obſervantiæ ſe adſtringebat communi vitæ, & recollectæ domus diſciplinæ homo ſtudiis & negotiis perpetuo immerſus, & vix non continua valetudinis adverſitate vexatus. Etenim, etſi ſemper, dum infirmitas gravis, vel ullatenus evitabilis occupatio permitteret, communium rituum, & exercitiorum obſervantiſſimus eſſet, ſed præcipue, & ultra obligationem quando ex officio præeſſe, & Conventum regere debebat, veſtis illi ex eodem cum ceteris craſſo, vilique panno, nec raro trita laceraque, vel petiis reſarcita, & ſi quando, ob ipſius reverentiam, pannus melior ipſi ab aliquo mittebatur, eum alicui Religioſo indigenti dabat, contentus ipſe veteri veſtimento. Cumque familiaris ille morbus capitis ipſum eo deduxit, ut capiti fovendo non amplius ſufficeret commune capucium, non prius voluit palam uti pileolo,

quam

quam a Superiore coactus, deinde in Capitulo Conventus, veniam ab omnibus petiit, & gravi ſermone hortatus eſt, rogavitque ne quiſquam ad relaxationis exemplum, vel excuſationem aſſumeret, quod ille manifeſta neceſſitate compulſus admittebat. Sciebat enim vir prudens, quam ſenſim inſinuet ſe Satanas relaxando rigori veteris diſciplinæ: ſerpens eſt, nec optat niſi roſtri extremum immittere, ut ſerpat totus, a cujus proinde veneno non meliori remedio, quam antidoto liberamur, a quo qui ante non cavet, poſt dolebit.

Tam caute deinceps parva hac & neceſſaria commoditate utebatur Lucas, ut non niſi vel externi frigoris, vel intimi doloris tempore illam admitteret, nec unquam in publico, etiam inter domeſticos viſus ſit, projecto ad ſcapulas capucio, verticem pileo tectum exhibere. Et quando Cardinalium quempiam, vel aliam illuſtrem perſonam accedebat, non prius ad ſcalarum pedem perveniebat, quam depoſitum pileolum vel ſibi in manicam reponeret, vel ſocio ſervandum daret, donec ea domo recederet; ne vel famulorum quiſquam, vel alius quantumlibet indiſcretus ex ipſo haberet, quo dicere poſſet, Fratres ſancti Iſidori ſuis commoditatibus præter Ordinis uſum indulgere. Eademque cautela utebatur Lucas, quoties gravia, & neceſſaria negotia ipſum domo exire compellebant; ſed tibiis jam ſenio, laboribus & morbo fatigatis, ut corpus ſuſtinere non ſufficerent, aut male affectum caput auſtralis auræ flatum, aut frigoris rigorem ſufferre non poſſet, atque adeo curru ab aliquo amicorum conceſſo vehi oportebat; tunc enim ſi cum ſocio ſolus ibat, omnia circumcludi curabat, ſi cum aliqua illuſtri perſona, quamvis Cardinale, rogabat ſibi licere, ut ea parte qua ipſe & ſocius ſedebant, curtinas obduceret, ne a tranſeuntibus videri poſſent; multa quippe poſſe honeſte fieri, quæ non poſſunt honeſte videri: non omnibus æque notam eſſe ipſius indigentiam, ac erat: non conveniri Fratri Minori Obſervanti & Reformato curru per Urbem incedere; propterea aliquem poſſe ſcandalizari. Et ſane in hoc diligentius fugiebat oculos Fratrum, quam Sæcularium, ne quiſquam non pari neceſſitate coactus, ipſius exemplo male uſurpato, parem ſibi aſſumeret libertatem.

Imo vero ne proprio ſocio exemplum, aut anſam otii daret, ſeu curru ſeu pedes ibat, nec ſilebat omnino, nec fabulabatur; ſed vel Pſalmos cum illo recitabat, vel interrogabat de ſtudiis, aut aliud quidpiam tractabat utile & exemplare, juxta qualitatem perſonæ comitantis. In communi menſa, a qua niſi morbo, vel inevitabili occupatione detentus nunquam aberat, communis ipſi cum ceteris refectio, & communia fercula, præter quantitatem, quam ipſe ſemper tam parvam ſumebat, ut vix crede-

crederes hominem tantilla ſuſtentari poſſe; ſed quoniam de victus ipſius ratione alibi mihi dicendum erit, jam hic non morabor. Finito prandio cum ceteris omnibus poſt gratiarum actionem aderat in culina lotioni patellarum, neque ſumus, aut frigus ipſi alioquin inimica cauſabat, quin detecto capite, & relicto foris pallio, diebus hyemalibus rectus in pedes perſiſteret ad finem exercitii, & precum. Cum ad verrendam ſcopis domum dabatur ſignum, Lucas omnium primus religioſe ſuccinctus in publicum prodibat, & poſtquam partem ſuam accurate mundarat, deinde per omnes diſcurrebat, ſi ſolerter, ſi ſilenter modeſte reliqui laborarent, nam ut illud lotionis, ita alterum hoc humilitatis exercitium ex ipſius inſtituto nemo apud nos cujuſvis, vel ætatis, vel qualitatis non ſubit.

Pari obſervantia religioſæ flagellationi, quam in Templo ter per hebdomadam cum ſtatis precibus nobis infligimus, ipſe pariter adveniebat, nec temporis, nec Templi frigus aliquando cauſatus. Singulis anni diebus, niſi raro, & neceſſario caſu prius domo extractus, communibus Veſperis in Choro cum ceteris aſſiſtebat, & ea parte anni, qua oratio mentalis veſpertina ante noctem habetur; (nam reliqua nunquam ſanus aberat) cum ille prius domum revertebatur, tametſi laſſus, & madida ſudore veſtis adureret ipſi cutem, non ſe abſtergebat, non quieſcebat, non excuſabat, ſed recta ad Chorum pergens cum ceteris meditabatur, & aliis finita oratione ad cœnam dimiſſis, non raro prolixius perſiſtebat, idque tandem ſeptuagenarius abſque ullo brachiorum aut pectoris fulcro, cui ſe nunquam in Choro inclinabat, ſed corpore in genua erecto. In ſolemnitatibus, ſeu ſcholaſticis, ſeu Eccleſiaſticis, cum ad publicum concurſum aliquid adornari oportebat, poſtquam ordinabat agenda, ipſe operantibus inexpectatus aderat, ſi non melius dicerem ſemper expectandus, & in minimis quibuſque non ſolum opus, ſed & operandi modum præſens dirigebat, ea gubernii ſuavitate quam paulo antea deſcripſi. Ad ipſos publicos, vel ſcholæ, vel Templi concurſus, & ad nocturnas Chori horas, ne Prælati partibus ullibi deeſſe videretur, aderat interdum, capitis, & ſtomachi dolore non leviter affectus, unde non raro creſcebat morbus. Et ſi quis vel exterus, vel domeſticus ipſum amice reprehenderet, quod majorem non gereret curam valetudinis, reſpondere ſolebat, agnoſcere ſe quidem aliqua ſibi licere cauſa valetudinis, ſed non omnia expedire, quæ licent: nec decere Superiorem ſuis commodis indulgere, cum aliorum exigat in laboribus diligentiam: turpe eſſe Doctori cum culpa redarguit ipſum: nihil Superioribus magis injunctum eſſe, quam bonum exemplum, proinde malle ſe perſonæ ſuæ deeſſe, quam officio.

Nunc

LXXII. Quos fructus Collegium hactenus tulerit.

NUnc denique Waddingum tantos labores in fundando Collegio non fruſtra toleraſſe, me etiam tacente, manifeſtum publicumque fecerunt fructus inde collecti, ac Dei ope continuandi confirmabunt. Religioſa obſequia populo ſemper exhibita, ſeu in excipiendis confeſsionibus, ſeu in Eccleſiaſticis officiis, ſeu in continuatis a ſummo mane ad meridiem uſque quotidianis ſacrificiis, ſeu infirmorum promptis miniſteriis, quacumque vel diei vel intempeſtæ noctis hora vocamur, ſeu in aliis operibus caritatis abſque alia cum ſæcularibus familiaritate, quam quæ ipſis ſacris miniſteriis neceſſaria videtur, præter alia pietatis exercitia domeſtica, quæ jam prius explicavi, & clementia Dei confiſi ſperamus nos populi Romani erga nos caritati, & beneficiis, & ſi mediocriter, ſed quadantenus tamen per ea reſpondere. Ea religioſæ converſationis ædificatio, ut fama noſtra, divina protectione, hactenus integra, Collegii Alumnorum vivendi ratio per Lucam præſcripta & conſervata, a Superioribus paſsim aliis exemplo proponeretur.

Ea ſcholaſticæ diſciplinæ diſtrictio, qua præter domeſticos ſcholares, ad communem quoque bonum, & publicum plauſum, nunc educantur etiam Alumni nobilis Collegii Matthæjorum, ut ante educabantur Alumni Hiberni Collegii Ludoviſiani, aliique quilibet probi, & probati juvenes, qui ad ſcholas noſtras venire volunt. Præterquam quod plures Ordinis Provinciæ noſtrarum ſcholarum exemplo ad virtutis æmulationem citæ ſint, in quibus hinc erecta ſtudia, eo ſolo titulo ſatis approbata Superioribus, aliiſque ſatis laudata ſunt, cum ad Collegii ſancti Iſidori normam excitari noſcuntur. Et qui hodie eſt totius Ordinis Miniſter Generalis, Michael Angelus a Sambuca, propria experientia doctus, cum olim apud nos in Collegio habitaret ſocius & Secretarius Benigni Genuenſis, quantopere ad ſcientiam & pietatem prodeſſet uſus exercitiorum ſpiritualium, quæ dixi bis in anno a ſancti Iſidori Collegii initi non citius ad ſupremum Ordinis clavum adſcitus eſt, quam eadem exercitia ſtabili lege in generalibus Comitiis per univerſum Ordinem obſervari ſancivit, & ex Comitiis in Italiam redux executioni mandari curavit. Aliæ ſunt in Collegio plures perſonæ, quæ primis, ac præcipuis Ordinis officiis ac dignitatibus, vel donati vel digni fuerunt: præter plures quam ducentos Religioſos juvenes, triginta circiter annorum ſpatio, gratuito & liberaliter educatos, ex quibus inde ad varias Europæ Provincias, intra & extra Italiam plures quam ſeptuaginta Philoſophiæ, & ſacræ Theologiæ Lectores deſtinati, qui effective cum fructu & laude illas facultates diu docuerunt, & præter doctrinam, ac pietatem, invexerunt etiam Provinciarum ſcho-

ſcholis, magno ubique Religionis honore & emolumento, illum ſtudiorum fervorem, aſſiduitatem, & methodum, quam hic didicerunt. Atque ex his viginti circiter docendi laborem ad Jubilationis annos, alii etiam ulterius patienter tulerunt, quo multos ad ſapientiam erudierunt diſcipulos, illarum deinde Provinciarum Rectores, & præcipuos Patres, alioſque tum ex aliis religioſis Ordinibus, tum e ſæculari Clero ſacris dignitatibus deinde claros.

Alii, præter ea, quæ in ipſo Collegio elaborata dixi, ſuis lucubrationibus ediderunt, & plures plura nondum edita ſcripſerunt; & continuo ſcribunt opera, quæ ipſorum ſcientiæ & pietatis teſtimonium perhibebunt. Alii doctrina & moribus hic ſufficienter imbuti, deinde in Patriam remiſsi fuerunt, qui religioſæ ſuæ converſationis exemplo, & ſedula Sacramentorum adminiſtratione cum ſacris concionibus, & privatis congreſsibus, eos pietatis & fidei fructus ab Hæreticis Catholiciſque reportarunt, ut ſpecialem requirant tractationem. Ex iis vero multi Provinciæ Miniſtri, Cuſtodes, Diffinitores, & Cœnobiorum Superiores fuerunt; multique graves perſecutiones, exilia, carceres, ludibria, verbera, membrorum mutilationes, & mortem ipſam, & ſi apud profanos ignominioſam, ſed ſui cauſa in conſpectu Domini pretioſam, conſtanter & alacriter pertulerunt, ſuſpenſi, ſecti, trucidati. Sed eo ſolo crimine damnati, quod Religioſi & Sacerdotes eſſent, quod miſſas celebrarent, quod Sacramenta miniſtrarent, & Hibernicam gentem in Catholicæ Romanæ fidei, & Romani Pontificis obſervantia continerent, & ad eam convertere ſtuderent alios quos poſſent. Neque ſic terrentur Fratres, ſed excitantur magis eorum caritas & zelus, quemadmodum ab initio Chriſtianitatis *nequicquam proficiebat exquiſitior quoque perſecutorum crudelitas, ſed illecebra erat magis Catholicæ religionis*; ita ut Fratres noſtri ultro appetant ejuſmodi pericula, ſeque gladiis objiciant, ut animas ſuas ponant pro amicis in ſæva perſecutione de animarum ſalute ſollicitis: nec minus laborant noſtri Superiores, ut aliquorum fervorem temperent quam ſacere debere viderentur, ut alioquin tepidos excitarent, & cierent ad ſubeundum tam ſanctum agonem.

Tertul. cap. 50. Apolog. adverſus gentes.

Non dico quanto ornamento ſit huic Urbi, quod habeat in ſuo gremio tam remotæ gentis, & ipſi ex animo & fide devotiſsimæ, copioſum & religioſum Conventum, in quo Catholicæ fidei ſemen ſervetur & creſcat. Etenim Eccleſia Romana tametſi in veſtitu deaurato ſuæ fidei & caritatis habitet in domibus eburneis ſolidi candoris ſui, tunc tamen pulchrior eſt, cum etiam exterius ſit circumdata, & ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Certe Collegium ſancti Iſidori, & reliqua Lucæ Waddingi,

dingi, & ſuorum in Urbe ſtudia, & converſatio tantum attulit ipſi nationi Hiberniæ decus & ornamentum, ut operæ ſat magnum pretium cenſeri poſsit, etiam ſi aliud nullum conferret emolumentum, ſed hæc in aliam paginam reſervare juvat.

LXXIII. Fundatio Conventus, & Novitiatus Capranicenſis.

TAle cupiebat Lucas, ac tale faciebat eſſe Collegium ſancti Iſidori, quandiu ipſe vixit & viguit quale hactenus ipſum deſcripſimus, ut proinde æſtimatio & amor incolarum in Urbe valde creſceret, & fama per Orbem late funderetur; ſed quod Seneca cupiebat, in tali domo *ſic habitabat Lucas, ut magis laudaretur Dominus, quam domus*. Quibus factum eſt, ut plura loca in aliis Italiæ Civitatibus & Oppidis, Romæ circumvicinis, offerrentur ipſi, & per multos annos inſtantiſsime rogaretur ab iis, qui auctoritatem habebant, ut loca hujuſmodi vel tum constructa, vel pro ipſo conſtruenda libere ſuſciperet, & ea Hibernis Fratribus inhabitari, ac e regulis Collegii ſancti Iſidori, ſeu aliis ab ipſo præſcribendis gubernari faceret. Sed Lucas prudenter arbitratus non expedire Hibernis Provinciam in Italia fundare, quo minueretur numerus neceſſario & utilius mittendorum in Patriam, adeoque contentus inſigni Collegio in Urbe Roma, ex quo tanquam bonarum artium Seminario, ipſi in primis Hiberniæ, viciniſque regionibus hæreſum zizaniis infectis, ad ſolius veræ fidei doctrinam, & pietatis opera conſervanda & propaganda ſuccurreret, omnium oblationes preceſque repellebat, uſque dum rebus in Hibernia bellorum & perſecutionum injuria turbatis, non tam frequens inde veniebat juventus, ut conſuevit prius ibi religionem profeſſa: neque enim in tantis rerum tumultibus juvenes e ſeculo ad Ordinem ſuſcipere, vel poterant, vel debebant Provinciæ Patres. Lucas ergo meditatus remedium, quo poſſet habere juvenes, qui perpetuo ſibi ſuccedentes, per continuatam educationis diſciplinam, doctrina & moribus adaptandi, aliis in Chriſti vinea laborantibus auxiliares deinde mitterentur, neceſſarium judicavit, ut prope Urbem alicubi inſtitueretur pro ipſis Hibernis tirocinium, in quo ad Religionis habitum ſuſcipi, & juxta Pontificias Ordiniſque conſtitutiones educari poſſent juvenes Hiberni, qui in partibus ciſmarinis ad id a Deo vocati reperirentur; ac poſt profeſſionem, tanquam ad ſecundum novitiatum, ad Collegium adducti, pietatis profectu, & litteris inſtruerentur ad finem fundationis Collegii.

Hæc apud ſe agitanti Lucæ & promovere parato præ ceteris locis, multorum approbatione, ſed præ aliis Franciſci Cardinalis Barberini, placuit Capranica, Oppidum in Faliſcis perantiquum, Sutrinæ Diœceſeos, Roma diſtans, Viterbium verſus, viginti & octo milliaria, naturalis auræ puritate, populique can-

dore & pietate, atque aliis Lucæ propoſito opportunis qualitatibus commendatum; unaque Collegiata Eccleſia, uno Cœnobio noſtrorum Fratrum Conventualium, aliiſque Templis ornatum: Ex quibus unum eſt, quod S. Mariæ de Plano propterea vulgo nominant, quod in Deiparæ Virginis honorem conſtructum ſit, ducentis circiter paſſibus extra portam occidentalem Oppidi, in fronte plani campi arboribus ab ipſa porta ad umbram utrinque conſiti, in quo nundinas ſuas, & annuos ludos celebrant Oppidani. Erat enim ante plures quam centum annos eo loco, quo facies Templi & anterius Cœnobii latus nunc cernitur, ſimplex paries, & in eo picta D. Virginis imago, ſed ob crebra magnaque miracula vicinis populis adeo reverenda, ut ex oblationibus ad eam factis, brevi tempore collecta fuerint, ac deinde in Templi ſtructuram inſumpta numeratæ pecuniæ duodecim circiter millia ſcutorum. Quod factum fuit eo tempore quo Palatium Farneſianum Caprarolæ conſtruebatur, reique curam tunc gerebat ſocietas Venatorum, quæ poſtmodum ſacra Confraternitas facta fuit.

Deinde vero cum ex plurium piis legatis, & quotidianis devotorum oblationibus valde creſcerent Eccleſiæ proventus, ex illis anno MDLIX. cœperunt adjungere Cœnobium pro Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, quibus Eccleſiam ipſam cum ſuis proventibus donarunt Oppidani, & illa ſocietas Venatorum. Sed Patres, vel ſui paucitate (erant enim ſemper duo tantum Sacerdotes, & unus Laicus) vel alia ratione impediti, non poterant Templo ad populi deſiderium inſervire, & aliqua ejus bona ſtabilia, ignota poſteris ratione, perdiderint, unde diminuta erga ipſos populi devotione, inchoata Cœnobii ſtructura ceſſavit; & ipſa Eccleſia, præter frontiſpicium, & partem lateralis muri, quæ Cœnobii fabricæ nitebatur, anno MDCXXXII. tota corruit. Sed populi in Deiparam devotione contributis ſumptibus mox reſtituta fuit, ea haud ineleganti forma, qua nunc cernitur, cum abſide fornicata, & pictis imaginibus ornata, ſub qua eſt præcipuum Altare, & illa miraculoſa Virginis imago, aliiſque duobus hinc, atque duobus inde ſacellis, ſed tecto interius abſque laquearibus adhuc nudo. Atque ſic a Patribus Auguſtinianis tenebatur uſque ad annum MDCLIII. quo ipſorum inibi Domus regularis, inter alios parvos Conventus Innocentii X. Pontificis auctoritate, ſuppreſſa fuit, & abeuntibus Religioſis tribus, qui tunc aderant, Eccleſia cum inchoata fabrica Cœnobii, aliiſque rebus & redditibus ad eam pertinentibus conceſſa traditaque fuit Epiſcopo Sutrino, ut ex illis erigeret Sutri Collegium ſeu Seminarium, ad educandam in litteris juventutem illius Diœceſeos. Verum quia proventus ad id ſufficere non videbantur, ne Templum

plum interea clauſum divino cultu deſtitutum eſſet, Epiſcopus ipſum tradidit ſæculari Præsbytero, qui ſacellani titulo miſſas in eo celebraret.

Deſiderabant autem Oppidani ſolemniorem cultum Eccleſiæ, & frequentiores Miſſarum, & Sacramentorum adminiſtrationes, ut propterea vehementer cupiverint locum Religioſorum cœtui conceſsum iri; cumque ſubſentiſcerent cogitatum Waddingi, tunc fortius cum ipſo egerunt, ne alibi, quam apud ſe ipſos locum eligeret, præſertim Familia Nardinorum, quorum ſtudio & ſumptibus Eccleſiæ præcipuum Sacellum, & Virginis ara cum altero Sacello S. Nicolai exornatum fuit. Acceſſit Illuſtriſſimi Domini Marcelli Ananiæ Sutrini & Nepeſini Epiſcopi tum deſiderium, ut Virginis templo decor & cultus non deeſſet, tum affectus in Lucam, qui proinde, ut loci Ordinarius non conſenſit ſolum, ſed etiam ultro concurrit. Nec inutilis fuit favor Eminentiſſimi Cardinalis Brancatii, vicinæ Civitatis Viterbienſis Epiſcopi, antiqua benevolentia in Lucam proclivis. Res vicinius dependebat ab Illuſtriſſimo Prælato Proſpero Fagnano, Sedis Apoſtolicæ ut in aliis pluribus, ita præſertim in ejuſmodi Regularium domorum negotiis præcipuo Miniſtro, qui ut Lucam ſemper magna opinione habebat, & pari animo proſequutus eſt, ita quidquid illi viventi ſolatio eſſe credebat, vel poſt ejus mortem honeſtiſſimis ipſius intentionibus reſpondere, ad conſervationem profectumque Collegii S. Iſidori, id prompto ſemper animo, & efficaci ſtudio perficere conabatur.

Sed conficiendi negotii caput fuit Romanus Pontifex, Alexander VII. cujus in minoribus conſtituti vetus & ſincera fuit erga Lucam humanitas & benevolentia, ſtudiorumque ipſius & morum æſtimatio. Et quod paucis contingit, atque adeo in Alexandro raræ virtutis argumentum eſt, ut honoribus ad ſupremum aucto non minueretur, ſed creſceret priſtinæ benignitatis dignatio, quod ſatis indicabat Pontificii Palatii Miniſtrorum in Lucam hilaritas, & favorum promptitudo: nam facilis illi ad Beatiſſimos pedes acceſſus, longiuſcula collocutio, petitionum prona conceſſio, abſentis etiam cum aliis honorifica mentio, & fixa memoria miſſis quandoque munuſculis demonſtrata. Et quod ſilere mihi quidem perſonale piaculum foret, ea conſervandi labores ipſius, & opera continuandi cura, ut ejuſdem Lucæ precibus, quæ ipſe collegerat monumenta, ſpeciali mandato Sanctitatis ſuæ, ſingulari meæ cuſtodiæ commiſſa ſint, ut impoſitum opera continuandi onus levius, faciliuſque mihi fieret; imo vero ipſa Epitomes Annalium, non abſque peculiari Sanctitatis Suæ protectione, tam ſecura prodiret. Ex quibus nemo non advertit Alexandro Pontifici cordi fuiſſe, ut bona ſenectus

Lucæ Waddingi ſtudiis honeſtiſſimis emerita, jucunda tranquillitate gauderet, & perennaretur ejus memoria. Nam tantæ benignitatis influxum Lucæ ſepulcrum non abſorbuit, ſed in ejus filios nos S. Iſidori Fratres continuo derivatur, qui poſt Patris noſtri deceſſum palmari experientia ſentimus, quanto animo cupiat Alexander Pontifex, ut optimi Patris exempla ſectando, ab omni incurſione liberi, & religioſa quiete lætantes creſcamus gratia, & numero, Deoque & hominibus placeamus. Quem proinde pluribus hic proſequi gratitudo me ſtimulat, ſed timor temeritatis imperat ſilentium: majori enim ratione ab Alexandro Maximo Romano ſanciretur, quam Alexander Magnus Macedo

Edicto vetuit, ne quis, ſe præter Appellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia.

His ergo favoribus fiſus Lucas, deque loci qualitate ſufficienter inſtructus obtulit Pontifici ſupplicem libellum, quo in primis Collegii Sancti Iſidori originem progreſſus, & fructus breviter expoſuit, & ut continuari poſſent, neceſſarium fuiſſe ut peculiaris Novitiatus Hibernis juxta Urbem erigeretur, propter ſævam perſecutionem Ordinis & Fidei in ipſo Regno Hiberniæ. Deinde mutationes, & præſentem conditionem illius Eccleſiæ, & ſuppreſſæ Domus regularis Capranicenſis, quas proinde rogavit, ut Sua Sanctitas ad eum finem ipſi concederet. Igitur Alexander Pontifex ſua ſponte, & peculiari ſtudio intentus in illa, quibus Catholica Fides vel conſervari vel propagari poſſet, & ipſum Lucam operæ, quam in negotiis Catholicæ fidei plures per annos laudabiliter impendit, intuitu, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volens, edito diplomate, prædictum Conventum ſuppreſſum S. Mariæ de Plano, una cum ejus Eccleſia, ac pertinentiis, & dependentiis univerſis ad hoc, ut in domum regularem pro Novitiis Nationis Hiberniæ ad Ordinem recipiendis converteretur, Apoſtolica auctoritate perpetuo conceſſit. Hinc determinato gubernio, & modo recipiendi Novitios, & recipiendorum qualitate, & peculiari modo inſtituendi Domus Guardianos, pro hac prima vice Fratrem Maurum Matthæum ejuſdem Ordinis & Nationis, Sacræ Theologiæ Lectorem, ac prudentia, religionis zelo, & dexteritate commendatum, dictæ Domus, ſeu Novitiatus Guardianum eadem auctoritate conſtituit. Præterea eamdem Domum Novitiatus Provinciæ Hiberniæ univit, & incorporavit, aliaque conſtituit, quæ ad loci gubernium pertinent. Quia vero dicti Conventus ſuppreſſi fabrica valde modica, & imperfecta, neque Domui Novitiatus apta fuit, magnaque impenſa opus erat, ut in formam Domus Novitiatus ejuſmodi redige-

digeretur. Idcirco redditus & bona quæcunque ejuſdem Conventus ſuppreſſi fabricæ pro reductione illius in formam Domus Novitiatus faciendæ itidem perpetuo applicavit. Nec non iiſdem Lucæ, & Mauro Guardiano, ut poſſeſſionem Conventus ſuppreſſi prædicti, ejuſque Eccleſiæ, ac pertinentiarum, & dependentiarum univerſarum ad effectum præmiſſum apprehendere, ac per Syndicum ipſius Domus Novitiatus redditus & bona ejuſmodi meliori, qua fieri poterit, conditione vendere, & pecunias inde proventuras in eamdem fabricam, & non in alios uſus integre convertere libere, & licite poſſint, & valeant, quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, auctoritate & tenore prædictis tribuit, & impertivit. Atque hæc eſt ſumma diplomatis, quod cum aliis clauſulis ſolemnitatis, firmitatis, & non obſtantiæ datum fuit in Arce Gandulphi die VIII. Maii Anno Chriſti MDCLVI.

Lucas autem ineundæ poſſeſſioni diem dixit ejuſdem menſis Maii decimam quartam: & ad majorem ſolemnitatem actus, alium favorem adjunxit Pontifex, concedendo plenariam Indulgentiam omnibus perſonis rite diſpoſitis, qui intereſſent cum primum aperiretur Eccleſia. Aderat ipſe Lucas cum Guardiano Mauro, & aliquot Religioſis e Collegio vocatis, magna lætitia Cleri, populique tam ipſius Oppidi Capranicæ, quam vicinorum, ex quibus convenerat numeroſa multitudo, & educta ſupplicatione ex Eccleſia Collegiata S. Joannis proceſſum eſt ad Sanctæ Mariæ de Plano, quæ præmiſſis cæremoniis ad poſſeſſionem jure capeſſendam conſuetis, aperta eſt illis, poſſeſſionem ipſam Eccleſiæ, & reliquorum tradente Officiale ſeu Vicario Generali Epiſcopatus Sutrini. Hinc Archipresbyter & Canonici Summum Sacrum ad Virginis aram decantarunt, concinentibus in Choro Religioſis, ſermonemque valde laudatum ad populum habuit Pater Franciſcus Antonius Riccius Romanus e noſtris Fratribus Reformatis Sacræ Theologiæ Lector, omnes prius per Lucam ad id rogati: diſtributa deinde plurima exemplaria illius miraculoſæ iconis, quam Lucas ad augendam populi pietatem æneæ tabulæ incidi curavit. Poſt hæc ipſe Lucas, rei perficiendæ ſtudioſus, veſtes ad ſacrificia, libros ad ſtudia, reliquamque ſupellectilem primæ habitationi neceſſariam providit, quam non deſtitit augere dum vixit.

Mox litteris patentibus Generalium Superiorum Conventus Syndicum conſtituit D. Famianum Nardinum Capranicenſem, utriuſque juris Doctorem, ac Deiparæ, & Religioni devotiſſimum, qui deinceps uſque ad mortem non minorem habuit curam promovendi ædificii Conventus, quam rerum propriæ domus, cujus diligentia adjuncta induſtriæ Mauri Guardiani, directio-

ctionique & curæ Lucæ factum eſt, ut locus nunc duodecim Fratrum habitationi eum tot cubiculis, & aliis officinis ad Religioſas functiones neceſſariis aptus ſit, ac totum reliquum Cœnobii ædificium brevi abſolvendum ſperetur: in quem finem, novo nutu Pontificis, Mauri guardianatus ad alterum triennium prorogatus eſt. Habitant autem hactenus Sacerdotes ad minus ſex, & quatuor laici Fratres, & novitii aliquot jam educati ſunt, magnoque populi beneficio, & ſatisfactione Cleri, neque Altaribus ſacrificia, neque Choro publici officii diurni nocturnique penſum, neque populo bonum exemplum, aut ſedula Sacramentorum adminiſtratio deſunt. Quia vero ſumptus ædificii ex relictis illis priorum incolarum proventibus non tam facile depromi poterant, aliorum pietas auxilio fuit, præſertim Benedicti Cardinalis Odeſchalchi, qui competentem ſummam contribuit, & Nicolai Cardinalis Ludoviſii, qui ſuis pecuniis capacem hortum ad olera ferenda pro Fratrum victu neceſſarium adjunxit; reliquus a quotidiana Oppidanorum caritate, & aliis eleemoſynis Fratrum induſtria mendicatis provenit. Alexandri vero Pontificis in Hiberniæ Franciſcanos beneficii, & paſtoralis zeli ad Chriſti fidem, etiam inter Acatholicorum gladios flammaſque conſervandam, perenne monumentum Waddingus ſuper liminari ſaxo incidendum voluit, quod quia nondum poſitum eſt, ego ut beneficium Inſularum ultimis collatum, & patrocinium oppreſſis præſtitum leviora marmoribus folia ad clientes uſque perferrent, hanc ſaltem ejus memoriam non omittendam judicavi.

LXXIV. Fundatio Collegii Ludoviſiani Hibernicæ juventutis in Urbe.

POſt mortem Pauli V. Pontificis, & aſſumptionem Gregorii XV. ad Pontificatum, Ludovicus Cardinalis Ludoviſius Gregorii nepos, & negotiorum præcipuus Adminiſter, Archiepiſcopus Bononienſis, & S. R. E. Vicecancellarius non minori æſtimatione, vel affectu Lucæ virtutem colere cœpit, quam prius faciebant Burgheſius, & Millinus; nec deſtitit uſque ad mortem ſuam omni benevolentia, & beneficiis illum proſequi, quæ vel ipſi Lucæ, & Fratribus S. Iſidori ſolatio, vel ipſius Ordinis Minorum, aut patriæ Hiberniæ ad commodum, vel decus conducere percipiebat. Deinde vero poſteaquam Lucas Collegium Sancti Iſidori pro Fratribus Hibernis fundavit, & Ludovicus Cardinalis ab Urbano VIII. Pontifice Regni Hiberniæ Protector conſtitutus fuit, Lucas, qui non ſibi ſoli, vel Ordini ſuo, aut Patriis Minoritis tantummodo proſpiciebat, ſed corde per caritatem, fideique zelum erga omnes dilatato, ſæcularis etiam Cleri numero & virtute augendi ſtudio, & affectu juvandi juvenes Catholicorum Hiberniæ filios, qui bonarum litterarum, & virtutis amore contemptis graviſſimis pœnis, quas Eliſabetha hæretica Regina in hu-

hujuſmodi ſtudioſos ſancivit, ad ciſmarinas regiones peregrinabantur, & advertens in Cardinale Ludoviſio ardentem zelum fidei, in Hibernia præſertim propagandæ, & animum inſigniter liberalem, propoſuit illi rem, qua Cardinalis erga Hibernos protectio, ceterorum qui præceſſerant Protectorum utillima, & ſolemnis, æternaque fieret: nimirum ut ipſe Cardinalis pro Hibernica juventute in litteris & moribus educanda Collegium Romæ fundaret, quale nullum eouſque in tota Italia habuerunt Hiberni.

Nec difficilem invenit optimum Principem, quin etſi inſtigantibus quibuſdam ne faceret, ſtatim juſſerit e ſex juvenibus Hibernis, qui tunc forte Romæ reperti fuerunt, quatuor in Collegio Anglicano, ac duos alibi collocari, eiſque pro ipſorum victu & veſtitu menſtrua ſtipendia ex ærario ſuo conſtituit. Poſt duos vero circiter inde annos, Lucæ rationibus perſuaſus, & ipſa experientia doctus multo convenientius tum ſore, ut in una domo, uniuſque moris ſimul habitarent, & a ſuæ gentis hominibus regerentur, qui & naturalem ipſorum indolem noſſent, & a quibus ad res fidei poſtmodum in Patria tractandas rectius dirigerentur, illa opinione, qua Romæ tum valebat Lucæ gubernandi ratio, & profectus ſtudiorum, & regularis diſciplina Collegii ſancti Iſidori, ſtatuit Cardinalis juvenes ſimul in una domo e regione Collegii conducenda collocare, ſub cura & directione Patrum Collegii, & Conventus ſancti Iſidori, ad hoc, ut cum ſuperintendentia Patris Lucæ, & aliorum Guardianorum ſancti Iſidori, tanquam Seminarii Præſidum, & aſſiſtentia Patrum Diſcretorum Conventus, ſine quorum conſilio & aſſenſu nihil grave per Præſidem, aut Rectorem diſponi vel innovari poterat, regerentur juvenes, & per eoſdem Patres in moribus, litteris, & pietate educarentur. Deinde Cardinalis ipſe Protector conſtituit ipſis pro annuo ſtipendio domus, victuque & veſtitu, atque aliis ipſorum neceſſitatibus annuam ſummam ſexcentorum ſcutorum, ſeu ſcuta quinquaginta in ſingulos menſes, præter centum quinquaginta, quæ ad apparatum domus, & primam ſupellectilem comparandam pro prima vice tantum dedit. Atque hinc Lucæ commiſit, ut regiminis formam certis conſtitutionibus præſcriberet, quas ipſe Cardinalis poſtmodum approbaret, ea lege, ut Lucas, & alii Patres ſancti Iſidori obligarent ſe curaturos, ut his expenſis perpetuo aleretur ille numerus alumnorum ſex, cum uno Rectore, & uno famulo ſeculari; nec ſuſciperent vel dimitterent ullum, ſine prævio ſcitu & conſenſu ipſius Cardinalis fundatoris.

His ergo ita conſtitutis, & conducta domo, atque jam inſtructa rebus ad habitationem neceſſariis, Lucas aliquot capitulis conſcripſit formam regiminis, & cum ea formam juramenti, quod alumno-

alumnorum quilibet poſt ſex menſes ab ingreſſu Seminarii emittere debebant: quæ cum Cardinalis a ſe lecta approbaſſet, ipſo primo die anni MDCXXVIII. introducti ſunt alumni, ipſos e ſuo Collegio S. Thomæ comitantibus alumnis Collegii Anglicani, in quo, ſumptibus Cardinalis, eatenus alebantur, ac traditi ſunt tunc inſtituendi Collegii primo Rectori D. Eugenio Callanano Sacerdoti Hiberno, Protonotario Apoſtolico, & Archidiacono Metropolitanæ Eccleſiæ Caſſelienſis in Hibernia, qui ſub Lucæ & Iſidorianorum directione ipſos deinceps gubernaret. Sed cum Eugenius ſeſquianno tantum ſupervixiſſet, conſentiente Cardinale cum Patribus, Rector illi ſubſtitutus eſt R. P. Martinus Valeſius ex ipſo Conventu ſancti Iſidori ſacræ Theologiæ Lector; atque huic, poſtmodum ad ipſius Conventus Guardianatum aſſumpto, ſucceſſit R. P. Joannes Pontius etiam Theologiæ Lector, viri pietate, ſcientia, & auctoritate laudati, qui ut minus gravarent Seminarium, abſque regulari ſocio inter alumnos habitabant; ſed cum ipſos domo per Urbem exire oportebat, aliquem ex vicino Conventu ſancti Iſidori expectabant, quem Superior ipſis pro ſingulis vicibus concedebat. Hinc procuratum, ut Urbanus Pontifex edito diplomate ſpeciali gratia indulgeret hujus Seminarii alumnis, tunc & pro tempore exiſtentibus, ut abſque litteris dimiſſorialibus propriorum Ordinariorum, ſed cum teſtimonialibus Rectoris ipſius Seminarii, abſque alio titulo beneficii, præterquam Miſſionis in Hiberniam, & abſque interſtitiis ordinario jure deſignatis, minores, & majores ordines certis diebus, extra quatuor tempora, ſuſcipere poſſint a Vicario Pontificis in Urbe, vel alio Antiſtite per ipſum deputando, in eadem tamen Urbe exiſtente, dummodo tamen dicti alumni ad id idonei reperirentur.

Hac ergo ratione fundato Seminario, Lucas & alii Patres Collegii ſancti Iſidori ex ſolis illis quinquaginta ſcutis in menſem ſolvebant annuum cenſum domus quinquaginta ſeptem ſcuta, & per ſex annos continuos alebant in Seminario perſonas octo, hoc eſt Rectorem cum ſex alumnis, & communi famulo, quibus non parum ſubſidii ex ipſo Conventu miniſtrabatur: & Rectori ſingulis annis religioſa veſtis, ut reliquis Fratribus ipſius Conventus, non aliter quam ſi domi degeret, & pro ipſo Conventu laboraret. Præterea toto illo tempore Patres ſancti Iſidori ſuſtentabant tres, quatuor, aut etiam quinque ſtudioſos pauperes Hibernos, quibus, abſque ullis expenſis Seminarii, cubicula in vicinis domibus procurabant, & victum ex ipſo Fratrum Conventu miniſtrabant. Omnes autem tam alumni Seminarii, quam alii ſic prope conſtituti, abſque longioris viæ labore, vel temporis diſpendio frequentabant ſcholas ſancti Iſidori, & ex præſcripto in-

intererant quotidianis lectionibus, repetitionibus, ac diſputationibus Theologicis, & Philoſophicis reſpective, ſed omnes abſque reſpectu, vel differentia, caſuum conſcientiæ, & fidei controverſiarum exercitiis juxta primævum Inſtitutum Collegii ſancti Iſidori. Educabantur ex affectu amoris patriotarum, & zeli communis afflictæ Patriæ; atque exterorum commercio minus aſſueti retinebant cum acquiſita eruditione morum candorem, & innatam Patriæ ſinceritatem. In Eccleſiaſticis ritibus, tum per domeſtica præcepta, tum per uſum inſtruebantur, dum quiſque ſingulis diebus ſacro miniſtrare debebat, ac diebus feſtivis omnes ſimul aſſiſtere publicis officiis Eccleſiæ ſancti Iſidori, ubi etiam habebant Confeſſarium ſibi aſſignatum, & Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ Sacramenta ſemel in hebdomada ſuſcipiebant; atque ex conſuetudine Fratrum, nunquam hactenus intermiſſa, bis in anno per plures dies ſacrum receſſum, ſeu exercitia ſpiritualia inibant.

His autem exercitationibus pietatis, & litterarum ſic proficiebant, ut & Fundatori ſuo Cardinali Protectori honorem, & meritum, & Urbano Pontifici, reliquæque Curiæ Romanæ ſatisfactionem dederint multis actibus publicis, ſeu Concluſionibus ex Theologia, & Philoſophia in Templo ſancti Iſidori publice propugnatis, atque ſuæ Sanctitati, ipſique Ludoviſio Fundatori, aliiſque Cardinalibus, & Prælatis magno concurſu, & applauſu dedicatis. Dabant etiam ingenii ſui & eruditionis ſpecimina variis compoſitionibus, per quas gratum ſuum animum verſu, & proſa teſtati ſunt erga Fundatorem: & aliis in Urbe Principibus placuere viris. Interea Cardinalis Bononiam profectus, ex hac etiam vita migravit, condito teſtamento, in quo legavit Collegio prædium, quod ipſe habuit ad arcem Gandulphi quindecim circiter mille paſſus ab Urbe diſtantem, ac præterea redditus annuos mille ſcutorum, obligavitque hæredes ad hos perpetuo ſolvendos, ac inſuper emendam domum, in qua eſſet ſtabilis habitatio Collegialium. Quæ Nicolaus Ludoviſius Venuſæ & Plumbini Princeps, uterinus frater & hæres Cardinalis, ſtatim ab ejus morte executus eſt, empta in integrum eadem domo juxta Collegium ſancti Iſidori, in qua Cardinalis alumni eouſque locationis titulo habitabant, data etiam eidem Collegio, ſeu ejus alumnis poſſeſſione prædii, & ſoluta ſuis temporibus pecunia juxta voluntatem teſtatoris. His igitur animatus Lucas Collegium pro officio viſitavit, ampliori ſupellectili pro duodecim incolis, & ipſorum alumnorum numero auxit, eaque pro domeſtica diſciplina, & ſtudiorum, ac pietatis profectu ordinavit, per quæ poſſent juvenes in Collegio commode, quiete, & laudabiliter vivere, & vivebant ad magnam ſatisfactionem Principis, &

ſuam ipſorum. Propter quod opus magnæ multorum congratulationes, & applauſus factæ ſunt Lucæ, præſertim per Prælatos Hiberniæ, ex quibus Thomas Valeſius Archiepiſcopus Caſſelienſis inter alia ſcribit hæc verba: *Audire ex veſtra Paternitate meliora nova non poteram, quam de fundatione Seminarii, & ejus diſpoſitione in Collegio ſancti Iſidori. Spero fore ſanctam æmulationem inter ipſum & alia noſtrorum Seminaria, quæ curæ Societatis incumbunt. Per vulnera Dei curet V. P. ut creſcat, & ſtabiliatur opus, & proſperum ſucceſſum nobis promittit, quod ſit filiatio ſancti Iſidori.*

Sed quoniam Cardinalis, aliquorum ſuaſu, in ſuo teſtamento adjunxit clauſulam, qua commiſit, & tradidit fidei & curæ Societatis Jeſu hujus Collegii gubernationem, Patres Societatis virtute hujus clauſulæ Collegium, cum omnibus ipſi per Cardinalem legatis, ad ſeipſos pertinere, ſibique tradi debere poſt Cardinalis obitum contenderunt. Lucas variis rationibus teſtamenti verba aliter interpretatus, eam adhibuit operam retinendi regimen Collegii, quæ ad majora juvenum commoda vel neceſſaria, vel utilis ipſi videbatur: & cum hac ratione ſe ipſum quoque liberaſſet a macula negligentiæ in negotio, in quo eatenus pro communi Patriæ, & fidei bono abſque ullius temporalis emolumenti reſpectu, ſed cum certa notitia continuæ curæ & moleſtiæ ſuæ, & ſui Conventus ſancti Iſidori tam zeloſe, efficaciter, & fructuoſe laboravit, Collegium biennio poſt mortem Cardinalis cum erudita & morigerata juventute, cum omnibus poſſeſſionibus, & redditibus ad ipſum pertinentibus, ſuaque urbana domo, & rurali villa, abſque ullis debitis, aut alio gravamine, reliquit Patribus Societatis, poſtquam ipſum per annos octo a prima proviſione per Cardinalem facta pie procuravit, ſedulo promovit, ac tam laudabiliter gubernavit.

Ludovici vero Cardinalis benevolentiam erga Lucam, & zelum beneficiumque in Catholicam & calamitoſam gentem ſuæ protectioni commiſſam, Lucas ipſe publico teſtimonio profeſſus eſt in epiſtola, per quam titulo gratitudinis dedicavit Cardinali tertium volumen Commentariorum Angeli del Paz in Evangelium S. Lucæ, quod ego pro illuſtriori rei notitia, & ampliori fide narratorum huc deſcribendum duxi. Sic enim Cardinalem alloquitur: *Alienum opus, & meum affectum in uno hoc volumine veſtræ amplitudinis exhibeo conſpectui: alienum opus, ut quod meum non poteſt, hoc a ſuo Auctore, tum doctiſſimo, tum omnium votis a pietate & integritate commendato, eam ſortiatur dignitatem, ut tanto Principi poſſit offerri. Meum vero adjungo affectum, quo ſignificatum velim perennem in me vigere perennis erga noſtrates veſtræ benevolentiæ, & ampliſſimæ beneficeniæ memoriam. Neque illam deleri permit-*

mittit, ſed continuo auget perpetua beneficiorum ſeries, & quotidiana ſibi invicem ſuccedentia tuæ pietatis incrementa, eo majora & pulchriora, quo in gentem extorrem, exulem, diuturna & crudeli perſecutione ſuppreſſam, a qua nihil poſſit tanta munificentia dignum repoſci, generoſo pectore, & effuſa manu conferuntur. Merces tua tibi eſt, nam magnifici Principis virtus ſatis fructus, & lucri habet ſimpliciter apud ſe felici conſcientiæ teſtimonio gloriari; neque enim ſubjecta eſt externæ diſpoſitionis arbitrio, ſed in ſua propriæ puritatis majeſtate conſiſtens, ab indignioribus præmia non requirit. *Quæ illa poſſunt, non dico expectari, ſed neque excogitari ad tot, tantaque in gentem Hibernicam per te collata beneficia? O felicem illum diem, quo S. D. Urbano VIII. cælitus immiſſa cogitatio, te afflictæ nationis optimum præficiendi Patronum, & beneficum deſignandi Protectorem! Ab ipſo etenim a te ſuſcepti patrocinii die viſa eſt reſurrexiſſe ſpes noſtra, & quæ proſtitutæ erant Catholicorum vires, ſenſim ſuccreviſſe. Pauperes noſtrates alis, peregrinos ſuſcipis, adoleſcentes ſtudioſos foves, res noſtras conſilio dirigis, ſapientia perficis, & auctoritate confirmas. Collegium hoc noſtrum Patrui tui bon. & piæ mem. Pontif. Max. Gregorii XV. auſpiciis inchoatum, & in uſum noſtratum ſub Sanctiſs. D. Urbano VIII. ad fidem propagandam in Regnis Aquilonaribus translatum frequenter tua præſentia recreas, & perpetuis erigis ſubſidiis, cui nuper adjunxiſti Hibernorum adoleſcentum Seminarium a te erectum, & neceſſario alimento liberaliter proviſum.* In monte excelſo, & eminenti plantaſti illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, *uti jam in ſuis teneris promittit initiis. Cupimus, & ſperamus magnis hujus domus incrementis, & frequentibus alumnorum miſſionibus non inaniter tibi applicandum illud Propheticum:* Ædificabuntur per te deſerta ſæculorum, fundamenta generationis, & generationis ſuſcitabis, & vocaberis ædificator ruinarum, convertens ſemitas, ut ambulari poſſit in eis. *A pluribus annis ſanctuaria noſtra deſerta ſunt, & miniſtrorum Dei generationes defecerunt, quæ dum tu reſtauraveris, optimo jure noſtrarum ruinarum ædificator nuncupaberis, & convertes errantes ad ſemitas veræ fidei, ut fideles per eas poſſint ambulare. Felicitas hæc noſtræ afflictæ contigit Patriæ, ut etiam peculiarem, & potentem obtineret in Italia Patronum, qualem a ſæculis non habuit antiquis, qui neglecta adoleſcentum ingenia ad litterarum ſtudia ſua benignitate excitaret, liberalitate promoveret, & continuo patrocinio ad perfectum uſque perduceret. Habuerunt alii ſuos Mediceos, Farneſios, Eſtenſes, Cæſarinos, præſtantes viros, & fato quodam natos rei litterariæ juvandæ: noſtrum te regnum unum habet, qui noſtrorum ingenia ad ſacra ſtudia, animabus lucrandis inſtituta, benignitate tua excitare & poſſes, & maxime velles. Hæc tua in gentem Hibernicam ſub compendio relata beneficia, pro quibus gratias agere poſſumus, referre non poſſumus.*

Caſſiod. variar. lib.5. c.39.

Ezech.17.

Iſa.58.

Publica in alias gentes collata ſi enarrare velim, neque poſſem, neque tibi placerem, qui ad exemplum Chriſti Domini, iis, quibus abunde Matth.16.20. *ſuccurris & criſtiane benefacis, præcipis* ut nemini dicant.

. Hunc vero gratitudinis affectum continuavit Lucas uſque ad mortem ſuam erga Nicolaum Principem, Ludovici Cardinalis germanum Fratrem, totamque domum Ludoviſiam omni religioſo obſequio, & reverenti profeſſione beneficiorum, quæ ex illa domo continuo percipiebat. Nam & Princeps ipſe, & alter Nicolaus de Albergatis modernus Cardinalis Ludoviſius, ipſius Principis, & Ludovici Cardinalis ex materno fratre conſobrinus, nullam dimittebant occaſionem, qua ſe etſi non titulo, certe animo ſtudioque, & veros ipſius Lucæ, & Collegii S. Iſidori, totiuſque Nationis Hiberniæ Patronos, & Protectores comprobare poſſent, omnia, quæ Lucæ intereſſent, quaſi propria negotia tractantes, & opportune ſubminiſtrantes quæcunque illi neceſſaria eſſe cognoſcerent: necdum deſinunt Collegium, & nationem eodem affectu, & patrocinii promptitudine proſequi. Neque minus prompte Lucas ipſis quantum poterat inſerviebat.

LXXV. Alia Waddingi merita erga nativam Provinciam, & Regnū Hiberniæ.

DUlcis amor Patriæ cunctis innaſcitur, ſed in Luca Waddingo non inditus natura ſolum, ſed magis virtute nutritus fuit. Neque fatuo affectu, vel cæca furia in patriotas ferebatur, ſed ex animo judicioque, quibus poterat, benefaciebat, idque tam indifferenter, ut operam ſuam nulli unquam ſubtraxerit, quum vel juſta neceſſitas, vel prætenſionis honeſtas poſtularet; in illis præſertim perſonis, quas vel generis nobilitate, vel propria virtute dignas cognoſcebat. Ut neſcierim, quis alius Hibernus extra Patriam in calamitatibus, quas Hiberni, maxime poſt Henrici VIII. Angliæ Regis defectionem, propter Catholicam fidem hucuſque patiuntur, plus profuerit omnium Ordinum Hibernis ſeu domi afflictis, ſeu foris exulibus, quam iſte pauper Minorita: & propterea non inepte quiſpiam dixerit talem quodammodo Hibernis fuiſſe Lucam Waddingum in reliqua Europa, qualis fuit Hebræis Joſephus in Ægypto; etenim cum videret Deus Hibernos Hæreticorum violentia cogendos eſſe, ut vel domeſticis præjudiciis fidem Catholicam, & ſuas conſcientias tuerentur, vel quæ olim domi ſuæ, doctrinæ & pietatis munera aliarum gentium advenis, præſertim Anglis, cum vitæ ſuſtentandæ neceſſariis rebus gratuito miniſtrabant, hoc tandem ſæculo iniqua Pſ.104.13. vi perſecutionum tranſirent de gente in gentem, & de regno ſuo ad populum alterum, eadem repetituri quæ dederant, miſit ante eos virum, cujus virtute, & fama apud Principes, & populos melius haberent.

Etenim poſteaquam Lucas auctoritatem in Urbe adeptus eſt, ſic

ſic omnium Nationum hominibus in Curia ſerviebat, ut ejus nomine, & amore per omnes diffuſo, ſatis ad commendationem, ſeu Laico, ſeu Eccleſiaſtico Hiberno ubique foret, ſi P. Lucam noviſſet, ſi Romam veniens ipſum viſurus eſſet, ſi recedens vidiſſet. Neque nobilibus viris, Prælatis, & aliis, Eccleſiaſticis præſertim, qui Romæ aliquando fuerunt, gratius erat cum Hibernis advenis colloquium, quam de Luca Waddingo, & Collegio S. Iſidori. Quod ego inter ceteros magna mea admiratione per Italiam, Germaniam, & Belgium expertus ſum, & ab aliis, qui Hiſpaniam, Galliamque peragrarunt, frequenter audivi. Et ſane mihi conſtat Lucam ex impreſſorum operum ſinceritate, & gravitate, morumque integritatis ſama eruditis quibuſdam, Acatholicis etiam ita reverendum fuiſſe, ut ipſius ſeu lectis, ſeu auditis laudibus delectarentur, & in Anglia, & Hibernia, ſe familiares, & beneficos exhiberent illis Religioſis, quos noſſent præ aliis Lucæ conjunctos fuiſſe, vel frequentius commercium litterarum cum ipſo habuiſſe. Quantam autem æſtimationem, & affectum aliarum gentium in Hibernos univerſim ſuis operibus traxerit Lucas, præterquam quod res ipſa loquatur, plures apud me gravium perſonarum litteræ ex Hiſpania, Gallia, Germania, & Belgio, atque variis Italiæ partibus miſſæ declarant, & peculiaribus formulis teſtantur.

Et quanquam Hibernica natio Sedis Apoſtolicæ ſemper obſervantiſſima fuerit, ſic tamen ab almæ Urbis acceſſu, & omni commercio Curiæ Romanæ prohibita fuit ab illo tempore, quo Angliæ Reges illi dominari cœperunt, ut creſcentibus malis ſub Henrico VIII. Rege, Catholicæ fidei deſertore, ejuſque acatholicis Succeſſoribus capitale tandem, & læſæ Majeſtatis Regiæ crimen eſſet, & pro tali puniretur, atque etiam aliquoties punitum ſit, ſi quis ullam auctoritatem Romani Pontificis etiam ſpiritualem in Regis Angliæ dominiis agnoſceret, ſi Bullam, Breve, vel aliud Romanum Inſtrumentum, ſi piarum precum libellum, ſi Miſſale, Breviarium, Cathechiſmum, Sanctorum vitas ulla lingua impreſſas, ſi globulos Marianos, ſacra numiſmata, Agnum Dei, Chriſti Domini, vel Sanctorum imagines, aquam benedictam, aut aliud quidpiam hujuſmodi Regiis dominiis inſerret, vel illis uteretur, quorum benedictiones, aut uſus ullam Romani Pontificis mediatam, vel immediatam auctoritatem, vel poteſtatem repræſentarent. Inſuper ſi ulla perſona, ex ſubditis Regis, ab ejus dominiis ad Ultramarinas partes diſcederet, exceptis militibus, mercatoribus, & nautis, ſine expreſſa licentia Regis in ſcriptis obtenta, & ſubſcripta ſyngraphis ſex Conſiliariorum, & Secretarii Regii; aut qui ante diſceſſit, non reverteretur intra præfixum tempus, & præſtaret juramentum abrenuntiationis omnis

omnis poteſtatis, etiam ſpiritualis Romani Pontificis, & plenæ poteſtatis Regis etiam fœminæ, vel pueri in temporalibus, æque ac ſpiritualibus, tanquam unici in terris, & ſolius legitimi capitis Eccleſiæ Anglicanæ, ita ut non ſolum perſona ſic abiens, vel abſens ſubjaceret pœnis; ſed etiam parentes, & catholici conſanguinei illum mittentes, vel non revocantes, & quicunque alius per cambium, aut aliam quamcunque viam, aut modum pecunias, aut vitæ neceſſaria illi miniſtrans, donec reverteretur. Atque hinc factum eſt, ut in hac Urbe Roma omnium gentium domicilio, Hibernorum nobilium, vel nullus, vel rarus aliquis omnibus bonis exutus, & Patria exul compareret; ut propterea gentis nomen in Urbe, ante Lucæ adventum, vel oblivioni vulgo traderetur, vel æmulorum libellis, & calumnioſis rumoribus ita traduceretur, ut ipſa conſtantia fidei, & calamitates, quæ inde in gentem ab ipſis infliguntur, geminata injuria, vitio, & opprobrio vertantur, unde potius laudem, & virtutis præmium ab æquis æſtimatoribus expectare deberemus.

Sed poſtquam Lucas fundavit Collegium S. Iſidori, & in eo quotannis ſolemniter celebraret feſtum S. Patritii Hibernorum Apoſtoli: poſtquam Sanctum ipſum Romanis dypticis inſcribi curavit, dum Fratrum bonus odor per Urbem diffunderetur, & ipſorum multi ex Collegio per omnes Italiæ Provincias emitterentur, qui doctrinæ & pietatis opinionem ubique adepti ſunt: poſtquam Lucas ipſe gentis antiquam nobilitatem, fidem & patientiam, terræ qualitates & laudes in omni occaſione prædicavit, & alia fecit, quæ partim prædiximus, & partim dicturi ſumus, Hibernicæ Nationis nomen non innoteſcere tantum, nec in ſola Urbe, ſed per totam Italiam in honore, & amore haberi cœpit.

Viros nobiles, qui vel domeſticis gravaminibus a potentiori hoſpite conſtricti, vel aliarum gentium mores experiendi deſiderio allecti in Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, & Belgium militiæ titulo transfretabant, & ſub Cæſare, Regibuſque ſtipendia faciebant, per Summorum Pontificum, & Hiſpaniæ præſertim Regis Miniſtros ipſi plerumque addictiſſimos, ubique juvabat, quorum plurium epiſtolas habeo, & præ aliis Joannis Onelli Tyroniæ, & Hugonis Odonelli Tyrconeliæ Comitum in Hiſpania, Belgioque degentium: Eugenii item Onelli famoſi illius in bello Hibernico Ducis, dum adhuc in Belgio militaret, & poſtquam in Hiberniam rediit; aliorumque plurium Tribunorum, & præcipuorum Officialium Hibernorum in Germania, & Gallia, in quibus non cæremoniales gratias Lucæ reddunt ob utilia, & opportuna officia erga ſeipſos, ipſorumque clientes per ipſum prompte exhibita; & gravia ſua negotia ipſius fidei, & induſtriæ committunt,

tunt, & commendant. Mercatores, & Nautas non ſemel ad bonorum reſtitutionem, & perſonarum libertatem conſolatus eſt, opera ſua & aliorum interpoſita apud Regum Miniſtros, dum in Galliam navigantes a Cantabris, vel Dunkercanis, aut viciſſim Hiſpaniam petentes a Gallis capiebantur, & aliquos etiam tam Sæculares, quam Religioſos Hibernos ex Numidarum, Turcarumque ſervitute miſſo lytro liberavit. Nec minor illi cura fuit, ut alimenta ex Urbe, ac bonorum operum promptuario, haberent Religioſi viri Chriſti Confeſſores, qui in Londinenſibus ergaſtulis mortis expectationem, ſeu quotidianum panem cum aliis meritis etiam inedia condiebant.

LXXVI. Alia ſtudia pro fide in ipſo Regno per Franciſcanos in primis conſervanda.

SEd primum, præcipuumque Lucæ pro Patria ſtudium fuit, ut Catholica Romana Fides firma, & inviolata in ea conſervaretur & creſceret: cujus ardenti zelo ſancti Iſidori Collegium fundavit, ejuſque gubernium in hunc finem ſollicite dirigebat, & Capranicenſe tirocinium adjunxit, omnemque arripiebat occaſionem in idipſum adjuvandi Hiberniæ præcipue Minoritas, qui reliquis Regni Religioſis, abſque invidia, majori labore, patientia, & conſtantia, Catholici populi religioſis obſequiis inſudant, & cum Paulo Apoſtolo ſciunt abundare, & penuriam pati. Si quod ipſorum jus Romæ in aula Pontificia, in ſacris Congregationibus, vel apud Cardinales Religionis, & Regni Protectores, vel Generales Ordinis Prælatos tutandum erat, aut favor aliquis in Curia procurandus, ſufficiebat rem Lucæ per litteras indicare, qui his viſis juſta Patrum deſideria prudenter, & ſollicite complebat: cumque in optatis aliquid vel tempori, vel rebus minus expedire noſſet, ut erat prudens, & providus, id in alia tempora, vel alias occaſiones differebat, reſpondens interea candide quod eſſet, & quid pro rerum ſtatu expediret, aut facto opus eſſet; interim dum ipſe rei opportunius peragendæ invigilaret gravi quoque ſuo conſilio ſuadebat. In Romanis Comitiis Ordinis ſeu per ſe, ſeu cum aliis Collegii Patribus Miniſtrorum, ac Cuſtodum Provinciæ vices utilius, quam ipſi præſentes facerent, abſque ipſorum per maria terraſque, pœnoſis & periculoſis itineribus, & magnis expenſis, gerebat, cavebatque ne quidquam aliorum ſtudio, vel concedendo, vel conſtituendo Provinciæ juribus derogaretur, vel ullum fieret præjudicium, quod etiam Angliæ Patribus, dum ſuas ipſorum vices illi commiſerunt æque fideliter aliquando præſtitit.

Collegium ſancti Antonii Paduani, quod magno Hiberniæ, Scotiæ, Inſularumque adjacentium bono jam ab anno Chriſti MDCIX. in Univerſitate Lovanienſi per Philippi III. Hiſpaniarum Regis favorem, pro Hibernis Franciſcanis erectum fuit, Lucas

apud

apud Regis Miniſtros, & Belgicarum Provinciarum Superiores, per ſuas & aliorum litteras continuo juvabat, aliiſque favoribus proſequutus eſt: atque ipſo primo anno Romani ſui incolatus operam interpoſuit, & ſuam & Superiorum Generalium, ut Hiberni Fratres domicilium aliquod maritimum in Belgio haberent, unde commodius in Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ Regna transfretarent, & inde appulſi ſuſciperentur: extinctam vero ferme jam tum in Scotia & Hebridibus inſulis Catholicam fidem, reſtaurandi provinciam Hibernis Fratribus ex eodem Lovanienſi Collegio miſſis, gentiſque linguæ, & moribus aſſuetis committi curavit. Eamdemque miſſionem pluribus annis in Sacra Congregatione Propagandæ Fidei fideliter, & fructuoſe ſuſtinuit, ſed ejuſmodi fructus vere magnos exponendi alius erit proprius locus.

Fundationem Collegii Immaculatæ Conceptionis ad ſanctum Ambroſium, quod in Civitate Pragenſi Ferdinandi II. Imperatoris zelo & auctoritate, pro Franciſcanis itidem Hibernis erigebatur, adverſo plurium ſtudio, & fortiſſimis contradictionibus implicatam, Pragæ imprimis apud Eminentiſſimum Principem Erneſtum Adalbertum Cardinalem ab Harrach, loci Archiepiſcopum, & Petrum Waddingum Societatis Jeſu, & Ferdinandeæ Pragenſis Academiæ Cancellarium, Hibernum, ipſius Lucæ patruelem; ac deinde Viennæ cum P. Gulielmo Lamormaino ex eadem Societate, Ferdinando Cæſari a ſacris Confeſſionibus: cum Ferdinando III. Romanorum Rege, & Maria Regina, cum Apoſtolicæ Sedis Nuncio, & Hiſpaniarum Regis Legato, cum ipſius Ordinis in iis Provinciis Commiſſario Generali Antonio a Galbiato, per ſuas, & aliorum in Urbe zeloſas, & efficaces commendationes, preceſque ſuſtentavit, concurrente Bohemiæ Procerum ac præcipue Eminentiſſimi Archiepiſcopi Cardinalis ab Harrach & Jeroslai Borzitæ a Martinez Proregis, ſingulari erga noſtros pietate & benevolentia. Collegium deinde firmiter fundatum iiſdem favoribus, multiſque modis continuo promovebat Lucas, nec aliud malum exinde ſenſit, quam ubi aliqui ejus Rectores Lucæ directionem, & petita quamvis conſilia neglexerunt.

Ipſe porro Hibernos Fratres, qui extra Provinciam ſtudiorum cauſa mittebantur, nec in Collegiis noſtris locum inveniebant, aliarum Provinciarum Superioribus ita commendabat, ut ipſius intuitu in omni Ordinis Provincia ſtudiis applicarentur, & bene haberent: ſic vero juniores præſertim, & quos ipſe nondum videbat, commendare conſuevit, quod eorum cura haberetur, quouſque ſe bene gererent, ut hac ratione tum fidem ſuam liberaret, tum ipſis juvenibus protectionem ipſius amittendi pavor incumberet, quo fierent cautiores. Cunctos autem ſeu in Collegiis,

giis, ſeu extra ſalutaribus monitis inſtruebat, & ſingulari lætitia excipiebat bonum teſtimonium, quod Provinciarum Patres, vel alia gravis perſona de ipſis adſerebat, eaque opportunis ſavoribus remunerabat; cum ex adverſo juſtas quærelas perſonarum neglectu puniebat, quoadusque percipiebat non habituali affectu, vel malitia, ſed vel data cauſa, vel deceptione peccatum fuiſſe.

LXXVII. Alia pro aliis Religioſis, & Seculari Clero inibi propagando.

NOn exibat Roma Legatus Regius, vel Pontificius, aut Apoſtolicus Nuncius ad Provincias, in quibus degebant Religioſi, vel Sæculares Hiberni, cui iſti per Lucam commendati non eſſent. Conſiderabat enim Vir optimus quantas ærumnas, ſolius Catholicæ fidei & conſcientiæ cauſa, ſingulari conſtantia tolerarent Hiberni, & ipſis ex animo compaſſus procurabat ubique quidquid poterat levaminis, aut ſolatii: idque non ſuis Fratribus Franciſcanis tantummodo, ſed aliorum etiam Ordinum Religioſis, & Secularis Cleri, Laicique Ordinis perſonis; maxime ſi frugi homines, & vitio carentes eſſe cognoſceret. Eodem enim compaſſionis affectu, & zelo fidei & caritatis erga omnes ferebatur.

Æque prompte & efficaciter ſerviebat Hiberniæ Præſulibus, ac Eccleſiis ſuis, & Catholico populo in Patria intentis, ut aliquando duabus noctibus in eadem domo conſiſtere non auderent, ne a perſequentium ſatellitibus comprehenderentur: atque in primis Metropolitanis Hugoni Rellio Ultoniorum Archiepiſcopo Armachano, Regni Primati, Thomæ Valeſio apud Momonios Archiepiſcopo Caſſelienſi, Thomæ Flemengo Lageniorum Archiepiſcopo Dublinienſi, & Malachiæ Quellio Tuamenſi Archiepiſcopo in Conacia, quorum ſinguli pluribus litteris, & aliis inſtrumentis magnam ſuam de Lucæ prudentia, induſtria, fide, & integritate opinionem teſtantur; & aliqui ſimul cum ſuffraganeis Epiſcopis gravia ſua, & Eccleſiarum negotia illi committunt, omnem ſuam auctoritatem viceſque in Urbe larga poteſtate contribuunt, qua ille tam bene utebatur, ut cum obſtaculum ab aliis ipſius diligentiæ poneretur, propter quod ille cogitavit ſe ſubtrahere laboribus, quos alioquin nonniſi gratis & amore Dei & patriæ ſubibat, id intelligens Archiepiſcopus Tuamenſis, communi epiſtola ſubſcripta omniumSuffraganeorum ſyngraphis his ipſis verbis ad eum ſcribunt: *Ita de noſtra Republica benemerita eſt V. P. ut ei neminem in noſtris negotiis fideliter & ſedulo ad noſtra vota concludendis præferre debeamus, ſi nobis, quod abſit, ingratitudinis notam inurere non velimus. Quod ſi ſecus de V. P. quiſquam ſiniſter relator, aut detractor, quæ ſua ſunt quærens, & non quæ Jeſu Chriſti, in aliquo Eminentiſſimorum Cardinalium ampliſſimo conſeſſu, aut alibi retulerit, volumus per præſentes notum fieri, hoc a*

nobis nunquam proceſſiſſe, nec poſſe eſſe nobis gratum; quinimo in noſtræ Reipublicæ Eccleſiaſticæ damnum non ſingulare excogitatum. Quare rogamus V. P. ut ſpretis, quod decet, talibus adinventionibus, a bene incœptis, & perfunctis fidelitatis & amicitiæ officiis modo non deſiſtat, ſed communem noſtrum Procuratorem veſtræ fideli curæ per nos commendatum in hujus Provinciæ Tuamenſis negotiis tractandis, & ad optatum exitum perducendis non deſerat, ſed ſuo ſolito more promoveat. Quibus ſimilia ſcribunt reliqui tres Archiepiſcopi, & aliquot Epiſcopi, omnes eouſque gratitudinis progreſſi, ut ipſas dignitates, inſulaſque ſuas Lucæ acceptas referant.

Neque id quidem ſine cauſa; poſtquam enim Lucæ virtus & vita Curiæ Romanæ Principibus innotuit, nulla facta fuit Hibernicarum rerum proviſio, cujus ille magnam partem non haberet; maxime vero ab eo tempore quo Hiberniæ protectio per Urbanum VIII. Pontificem commiſſa fuit Ludovico Cardinali Ludoviſio, qui ut in ſchedis juridice depoſitis reperio, *in omni illius Regni negotio utebatur conſilio, & auxilio Patris Lucæ Waddingi.* Nec minus in ejuſdem Regni negotiis faciebat Cardinalis Antonius Barberinus, Ludoviſii in ejus protectione zeloſus ſucceſſor, aut in rebus Ordinis Franciſcus Cardinalis Barberinus ejuſdem Ordinis Protector, & Lucæ ſingularis perpetuuſque ſautor. Habeo epiſtolam cujuſdam Religioſi Hiberni alterius Ordinis, pro quo alii Romæ petebant Epiſcopatum, quem demum juvante Luca adeptus eſt; ſed cum forte prius intelligeret Lucam ipſius competitoribus pronius ſavere, ſic ad aliquem ſcripſit: *Quandiu habebunt Patrem Lucam Romæ in tanta æſtimatione poſitum, Matriti Archiepiſcopum Tuamenſem, & Bruxellis Comitem Tyroniæ, videtur impoſſibile illos in ulla re ſuperare; horum etenim quiſque plus habet favoris & fidei in qualibet ex dictis Curiis, quam reliqui omnes ſuæ nationis.*

Inter illa vero quæ Lucas Hibernorum Eccleſiæ præſtitit, unum erat, quod cum alii plerique per Europam Epiſcopi, poſt erectam ſacram Congregationem Rituum Eccleſiaſticorum, curarent ut ſuarum Diœceſum propria Sanctorum officia ad novi Breviarii formam redacta confirmarentur, dum Prælati Hiberniæ, peculiaribus & propriis Sanctis plenæ, continuæ perſecutionis, & bellorum diſtractionibus id facere non potuerint, Lucas nactus occaſionem noviſſimæ correctionis Breviarii ſub Urbano VIII. Pontifice, in qua ipſe Lucas non exiguam laboris partem ſubivit, proprio impulſu ſupplicavit ſuæ Sanctitati, & obtinuit ut ſanctus Patritius Hiberniæ Apoſtolus Breviarii dypticis inſertus proprio die decimo ſeptimo Martii Quadrageſimali feria præpedito, ſaltem antiphona, verſu, & oratione per univerſam Chriſti Eccleſiam coleretur. Deinde vero eodem anno, quo mortuus

tuus eſt Lucas fecit, ut ego ex omnibus Legendis ſancti Epiſcopi, eam ſelectæ hiſtoriæ ſummam excerperem, quam ipſe poſt in lectiones divideret, & adjuncta integra forma officii ſupplicaturus erat, ut approbaretur pro Collegio ſancti Iſidori, & Conventu Capranicenſi, in quibus feſtum Sancti quotannis tanquam Patriæ Patroni celebratur. Idipſum ſucceſſive facturus de officiis SS. Columbæ Abbatis, & Brigidæ Virginis, communium itidem totius Hiberniæ Patronorum; quemadmodum prius fecit de officio ſancti Iſidori Agricolæ, ipſius Collegii Titularis; ſed ne faceret morte præventus eſt. Eodem conſtantiſſimo fidei zelo, & erga Patriam pietate, majus negotium, in primis ultro ſibi aſſumpſit noſter Lucas, & poſtea impoſitum illi fuit, in quo continua corporis fatigatio, & mentis ſollicitudo moleſtiſſimæ illi forent, ſi utramque non ſublevaſſet magna ſpes, & ardens deſiderium quo flagrabat, juſtam nationis libertatem & Catholicæ Religionis liberum exercitium afflictiſſimis in utroque Hibernis reſtituendi.

LXXVIII. Cauſa belli Hibernici.

Etenim Hibernica natio ab initio ſemper libera fuit, ſuiſque patriis Regibus, legibuſque gubernata, donec propria ſponte ſe ipſam ſubdidit Romano Pontifici, & ejus Apoſtolicæ Sedi, quod anno MXCII. ſub Urbano II. factum referunt Annales Hiberniæ: ac deinde ab Adriano Papa IV. certis conditionibus tradita fuit dominio Henrici II. Regis Angliæ. Et quamquam deinceps a Regiis Miniſtris Anglicanæ nationis, illa ſuæ naturalis libertatis, honoris, fortunarum & famæ damna continuo tolerarent Hiberni, quibus aliquoties coacti ſunt, & a Regibus ipſis, & a Romanis Pontificibus remedia poſtulare, atque ex Regni proceribus nunc hunc, nunc illum, pro ratione gravaminum, quæ quiſque ſuſtinebat, etiam arma quandoque contra Miniſtros arripere; nunquam tamen communi ceterorum aſſenſu bellatum fuit, aut Hibernica natio receſſit a fidelitate, quam Regibus Angliæ propter Sedis Apoſtolicæ reverentiam ſemel promiſit, quandiu Catholica Romana, & unica ad æternam ſalutem neceſſaria fides illis libera relinquebatur, qua nihil Hibernis unquam carius fuit.

Verum cum Henricus VIII. Rex ab obedientia Eccleſiæ & Romano Pontifici debita receſſit, atque hujus ſchiſmatis occaſione variarum hæreſum colluvies Angliam & Scotiam occupavit, trecentas enim ſectas aliqui enumerant, ſic ſibi contrariæ; eſt Beelzebub, tunc Hibernis gravatum eſt jugum, præſertim ab anno ſecundo Regni Eliſabethæ, & pro ſumma criminum omnium, pœnarumque & ſuppliciorum ſufficienti cauſa in ipſis reputatur ſolum nomen Catholici. Hinc ab Hibernis exactæ gra-

ves mulctæ pecuniarum, confiſcationes bonorum, omnis Regii favoris, publicorumque munerum, vilium etiam officiorum in civitate vel caſtris, juris item ac juſtitiæ, armorumque tractationis incapacitas, privationes hæreditatum, nullitates contractuum & intruſionum, alienationum, plantationum præjudicia; Templorum Cœnobiorumque direptiones, & converſio in profanos uſus, & ſordidarum artium officinas, Eccleſiaſticarum perſonarum, & venerabilium Prælatorum, & Catholicorum his ullatenus faventium capturæ, carceres, ludibria, vincula, patibula, toxica, rogi, aliaque varia ſupplicia, & crudeles mortes, imo defunctorum cadaverum lanienæ, lixationes, aduſtiones, & publica expoſitio decollatorum capitum, ac partium diſcerptarum ad altiſsimas urbis portarum, turriumque pinnas.

Liberales artes ita interdictæ, ut nedum publicam ſcholam aperire, ſed nec Pedagogum quidem Catholicum educandis filiis domi alere liceret; imo vero nec ſervum, nec ancillam, qui hæreticas conciones non frequentarent, ſi non malit Catholicus Pater-familias, uti pro ſe ipſo, uxore, & liberis, ita pro ſervo, & ancilla ſingulorum Dominicalium dierum abſentiam a Sectariorum ſynagoga cuſi argenti taxata mulcta redimere. Bonorum & vitæ diſcrimen erat, ſi filio quidem in ulla Catholica Univerſitate, Collegio, vel Seminario alendo, ullum vitæ ſubſidium quacunque via, vel modo ferretur: ut mirum non ſit, ſi tot videantur ſtudioſi pauperes Hiberni extra Patriam, imo vero divinæ providentiæ miraculum exiſtimari poſſit, & manifeſtum indicium peculiaris curæ, quam Deus habet conſervandæ in illa Inſula Catholicæ Religionis, quod in tam gravi perſecutione, ac centum annorum diuturna, tot reperiantur etiam nobilium perſonarum filii, qui omni diſcrimine, damnoque contempto, malunt potius exules mendicare, ut ſinceram Religionem edocti, domeſticos in ea conſervare poſsint, quam animarum neglecta ſalute, & avita Catholica Religione, humanis rebus domi abundare. Unde factum eſt, quod a Sanctorum Hibernorum ævo, non doctior, non magis diſciplinata, non copioſior Sæcularium, Regulariumque Sacerdotum, & Prælatorum Eccleſia fuerit in Hibernia, non magis integer Hierarchicus Ordo, quam ab eo tempore, quo in ipſos ſæviri cœptum eſt, cum nec redditus nec requiem haberent. *Plures efficimur quoties metimur ab ipſis, ſemen eſt ſanguis Catholicorum.* (*Tert. cap. 50. Apolog. adver. gent.*) Hoc in Hibernica gente cum adeo longa experientia tot argumentis probaſſent illi diſcipuli Joannis Calvini, qui in Anglia & Scotia propterea Puritani dicuntur, quod infamis Magiſtri dogmatum fæces pro puroputo Evangelico venditare ſoleant, occultis machinationibus, & clanculari fœdere decreverunt, herbam tot ſectionibus raſam, ſed multiplicato germine fortius repullulan-

tem

tem funditus eradicare, totamque gentem Hibernorum, quam nulla vi, nullis artibus ad Catholicam fidem deſerendam compellere unquam potuerunt, flamma ferroque inopinatam opprimere, ac uno impetu penitus extinguere. Atque id quidem eodem tempore, quo Regem ipſum, & Proteſtantes Epiſcopos in Anglia perſequi cœperunt, ut hac ratione Proteſtantium ſectam, quam Rex in Anglia obſervabat, & Catholicam Religionem, quam Hiberni conſtantiſsime tuebantur, ſimul delerent, atque Monarchicum regimen, & Magnatum auctoritatem tollerent, quo facilius per populares tumultus totam Angliam Hiberniamque ad Puritaniſmum, in Scotia jam tum dominantem, reducere poſſent. Et re ipſa cum Parlamentum (ſic Regni Comitia vocant) eodem tempore Londini ſederet, inferior ejus conſeſſus, qui ex popularibus ad id electis coaleſcit, ut Regem & Superiorem conſeſſum Magnatum omni ſuffragandi libertate, candideque & æquanimiter tractandi ratione privarent, infimæ & ruſticanæ plebis tumultuariam turbam circa civitatem Londinenſem coegerunt, quæ hanc ab illis diſciplinam hauſerat, ut Comitiis primo ſupplicarent, deinde illa ipſa protegerent, mox etiam præſcriberent, poſtremo imperitarent, ac dominarentur; vocato etiam ſuæ ſectæ Scotorum exercitu, qui jam tunc Angliam ingreſſus contra Regem, & proceres ipſorum cauſam, etſi alio prætextu promovebat.

His interim in Anglia ſic agentibus appoſite correſpondebant ipſorum conſilii Sectatores Angli in Parlamento Hiberniæ: nam cum percepiſſent Catholicorum Commiſſarios ad Regem amandatos, cum aliquibus gravaminum remediis, reduces propediem Dublinii adſuturos, Parlamentum illico vi & minis prorogarunt, ne juſti Regis favores Hibernis impenſi in illo firmarentur: neque Miniſtri ſtatus ullatenus voluerunt Regis placita publicare; imo vero, ut Catholicorum patientiam irritarent, ſparſo rumore divulgabant leges in Londinenſi Parlamento contra Catholicos latas, in Dublinienſi recipi, ſtatuique oportere, quodque jam in proximo eſſet Scotorum Puritanorum exercitus, qui Hibernos omnes vi & armis compellerent ad abjurandam Catholicam Religionem, vel ad vitam ipſam cum morte commutandam.

LXXIX. Ortus, & approbatio.

CUm hæc omnes univerſim terrerent Catholicos, aliqui viri nobiles Provinciæ Ultoniæ, quibus malum a Scotis vicinius imminebat, perſuaſerunt ſibi compendium remedii fore, ſi quo ſtratagemate Dublinienſem arcem, tanti exterminii molitorum præcipuam ſedem occupare poſſent: verum cum id aggrederentur proditi fuerunt, & ipſorum parte capta, pars alia ſe in

acie

acie defendere ſtuduit, dum interim aliarum trium Provinciarum Catholici, quieti longaminiter expectarent, ut Rex ipſe remedium adhiberet, & ſeipſos offerrent ad motus facile compeſcendos, modo ipſis auctoritas & arma darentur. Sed Miniſtri ſtatus id illis negarunt, & palam profitebantur, malle ſe in ea, quam vocabant, rebellione decem Hibernos reos reperiri, quam unum, & ex Catholicis mille pro centum. Et quo ad id reliquos cogerent, aſtuto prætextu obſequii Regis, cui potius inſidiabantur, & reprimendæ rebellionis falſa neceſſitate, datis mandatis Carolo Coote, & ut credebatur, etiam Præſidi Provinciæ Momoniæ, non ſolum Ultoniam, ſed etiam Lageniam, & Momoniam ferro & flamma, prædis, & cædibus devaſtare cœperunt, nulla habita ratione ſexus vel ætatis, rei vel innocui, fidelis aut rebellis, modo Hiberni, & Catholici; nec parcitum Conaciæ quartæ totius Regni Provinciæ: quo impetu Catholica nobilitas minaci violentia contemptibiliter tractabatur, & propriis ipſorum ſubditis Anglis & vilibus inquilinis, arma bellica contra ipſos miniſtrabantur, cum ipſi domeſtici ad equitandum venandumque neceſſariis privarentur, quæ nobilibus ubique permitti ſolent; tanquam qui ſolo titulo Catholicæ profeſſionis, manifeſta calumnia, Regi infideles haberi deberent, cum potius nulla Novatorum ſecta unquam tam ſerio conſtanterque doceat, & obſervet: *reddenda eſſe, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*, quam Eccleſia Catholica Romana.

Experti igitur Catholici Proceres, & viri Nobiles Hiberni, non vanis terroribus, aut minis tantummodo ſecum agi, ſed ſecurim ad radicem, ſeu verius ad cervicem applicari, ut ſtirpitus delerentur; nec ullam habentes ſpem præſentis remedii a Rege, qui eaſdem Puritanæ factionis artes in Anglia & Scotia patiebatur, per quas tandem ad eum finem adductus eſt, quem reliquus Orbis miratur, & auſu, quem in ſubditis erga Regem haud quaquam approbat; tunc lege naturæ conſtricti ſunt, ad ſui ipſorum defenſionem armis, quæ non habebant, aggrediendam. Cumque aliquandiu, lapidibus, perticis, verubus & fuſtibus dimicarent, hoſtilia tela, & munitiones paulatim adepti, ſtatuerunt illam formam Reipublicæ, quam ipſi hoſtes pro occaſione optimam legitimamque faſſi ſunt. Nam in primis ne conſcientiæ zelo contra conſcientiam imprudenter agerent Hiberni, convocatis animarum Præſulibus, & qui Theologicis Juriſque facultatibus apprime pollebant, res graviter examinata fuit & in plena Nationali Epiſcoporum Synodo declaratum, bellum ob cauſas mox referendas juſtum, legitimumque eſſe; cauto interim, quod ſi quis vel odio, vel avaritia, vel alio inordinato fine procederet, vel juſtum finem injuſto medio quæreret, is graviter peccaret. Hinc publico omnium

nium Regni Ordinum fœdere, tacto Evangelio ſinguli jurarunt, ſe, etiam cum omnium fortunarum, atque ipſius vitæ diſcrimine, certaturos pro avita & antiqua, per mille trecentos circiter jam annos obſervata ab Hibernis, Catholica Romana fide, pro Regiæ Majeſtatis jurium juſtarumque prærogativarum, proque Nationis Hibernicæ defenſione a præſenti periculo exterminii, & ab injuſta & violenta oppreſſione naturalis ſuæ libertatis, & immunitatis Catholici Cleri populique, conſtituto ex electis, tum Eccleſiaſticis Præſulibus, tum e ſæcularibus Magnatibus & Equeſtris Ordinis, aliiſque conſultiſſimis viris, Magiſtratu, quod ſupremum Concilium confœderatorum Catholicorum vocabant, quoniam ſumma poteſtas in omnes confœderatos communibus ſuffragiis illi conceſſa & commiſſa fuit cum peculiari ſigillo. Conſtituerunt etiam quatuor Provincialia Concilia, quorum quodlibet ſuæ Provinciæ regimen tractaret cum libertate appellandi ad ſupremum Concilium, ac tot alebant exercitus, quot erant quatuor Provinciæ, cum quinto exercitu levis armaturæ, qui præſto eſſe debebat quocunque ipſum vocabat publicæ utilitatis cauſa, & juſſio Concilii. Atque hac ratione rem ſuam in tantis anguſtiis conſtituti diſpoſuerunt Hiberni, quoaduſque Rex ipſe a Scotis & Anglis agitatus in Hiberniam veniret, vel aſpirante in Anglia meliore fortuna, rem ſuavius diſponeret, & conſideratis fidelium ſubditorum Catholicorum extremis gravaminibus, remedium opportunum afferret, Regnumque ſic ad pacem, & quietem reduceret, ut Sectariis Catholicos ob Romanæ Religionis cultum perſequi, vel antiquiſſimis ſuis Templis privare non liceret. His vero cœptis poſtmodum acceſſit cum Romani Pontificis, tum aliorum Catholicorum Principum approbatio & applauſus, qui miſſis belli ſubſidiis & Miniſtris ſuis, ut Catholicorum Hiberniæ Concilio permanenter aſſiſterent, ipſorum cauſam ut juſtam ſanctamque juvandam, & promovendam declararunt.

LXXX. Quid illi contulerit Waddingus.

TOtam rei ſeriem ab initio per varias gravium virorum epiſtolas recte percipiebat noſter Lucas, & ratus omnino ſe quoque naturæ nexibus devinctum, ſi qua via poſſet periclitanti Patriæ, & Catholicæ fidei ſuccurrere, quamvis nullam inde tunc publicam auctoritatem ad id accepiſſet: quia tamen ſciebat quantum eſſet periculum in mora, & quod Hiberni per ipſos hoſtes ſuos variis artibus pecunia expilati, & armis exuti eſſent, proprio zelo effecit, ut ipſius induſtria pecunias, arma, & ſtrenuos expertoſque belli Officiales Hibernos prius domi ab ipſo ex Gallia Belgioque habuerint, quam petere cogitaſſent, nedum accipere ſperarent. Egit enim illico Lucas in Urbe cum ejuſmodi perſonis, quibus & fidei propagandæ zelum, & nationis compaſſionem,

nem, & contribuendi facultatem ineſſe cognoverat. Neque pecuniis tantummodo prima hæc auxilia miniſtravit, ſed miſſa etiam perſona, quæ certam exactamque rerum notitiam referret. Cumque his auxiliis omnium primis, & aliis ſucceſſivis Romanorum optimis & maximis, quæ Hiberni hac occaſione ab exteris acceperunt, rerum ſuarum rationes mire proveherent, ipſum deinde ſupremum Concilium gratias egit Lucæ pro tam zeloſa, & opportuna cura Catholicæ Religionis & Patriæ, ipſumque conſtituit ſuarum in Urbe, & per totam Italiam negotiorum Actorem & Procuratorem, per patentes litteras aliaſque clauſas, ambas ſingulorum ſyngraphis & ſui fœderis communi ſigillo munitas. Concilium autem alias ipſi publico nomine miſit ad primi ſubſidii largitores, ad Sanctiſſimum D. Urbanum VIII. tunc Pontificem, & ad ipſius Fratrem Cardinalem S. Onuphrii, eorumque digniſſimos Nepotes Franciſcum Cardinalem Barberinum præcipuum Apoſtolicæ ſollicitudinis adminiſtrum, ejuſque germanum Fratrem Cardinalem Antonium Regni Hiberniæ apud Sanctam Sedem ex officio, & affectu Protectorem. In quibus litteris rerum ſuarum conditionem expoſuerunt, Cardinalium patrocinium, atque per ipſos Urbani Pontificis benedictionem, & auxilium implorarunt, & ſimul noſtri Lucæ prudentiam, religionem, fidemque commendarunt, atque a ſe ipſis impoſitam illi rei pertractandæ curam ſignificarunt.

Hac igitur poteſtate præditus Lucas, & ſpe proſperi ſucceſſus animatus, rem cum Cardinalibus inſtantius urgebat, ipſumque Urbanum Pontificem ex officio frequentius adibat, obtinuitque in primis, præter alia beneficia, ut mitteretur in Hiberniam nobilis ac Reverendus vir, Petrus Franciſcus Scarampus, Presbyter Oratorii Romani S. Philippi Nerii, cujus zelum, prudentiam, ſuaviſsimam & Religioſiſsimam converſationem, & pietatem dignis laudibus efferre non ceſſant Hiberniæ Catholici, ut hic Apoſtolicam Urbani Pontificis benedictionem ipſis impertiret, ac pro vera Romana fide fortiter decertantes ejuſdem Pontificis benevolentiæ teſtimonio animaret confirmaretque, & Apoſtolicæ Sedis Miniſtros in aliis provinciis reſidentes opportune moneret, qua via & ratione catholicam cauſam juvare poſſent, quod ille ad omnium ædificationem approbationemque præſtitit.

Interea Lucas officio ſuo gnaviter inſiſtens, cuncta tum ipſi Pontifici, tum Cardinalibus per ſuam Sanctitatem ad id conſtitutis, ipſorumque adminiſtro Franciſco, nunc Cardinali Albitio, tunc Prælato, prudenter & opportune ſuggerebat, & prudentibus piiſque monitis, tum ipſum ſupremum Concilium Hiberniæ, tum ſingulares ejus perſonas, alioſque qui cauſam apud exte-

exteros Principes agebant, per litteras conſolabatur, & in agendis dirigebat; atque ſuis aliorumque commendatitiis litteris adjuvabat apud omnes, a quibus Hibernorum cauſam ullatenus dependere cognoſcebat, ut pro ipſorum catholico zelo, prudentia & poteſtate, ipſorum etiam quandoque ſpe, vel timore, & a proximo pariete periculo, vel ſecuritate in eam intenderent, ac tempeſtive ſerioque opitularentur. Nec falſo vel imprudenter ipſum aliqua præmonuiſſe, ſubſequens experientia declaravit. In Urbe vero, inter Cardinales aliquos & Prælatos, piam pecuniarum collectam pro Catholicorum ſubſidio propria induſtria faciebat, ex qua pro variis occaſionibus opportuna ſubminiſtrabat auxilia, ſed ſemper per publicorum Miniſtrorum manus, ita ut quo loco ſumma aliqua ipſi aſſignabatur, non alium eam inde accipere permitteret, quam aliquem noti nominis Collybiſtam, qui illam per litteras cambii ſeu in Belgio, ſeu in Gallia, juxta Sedis Apoſtolicæ in iis locis Miniſtrorum directionem, in eos Hibernorum Catholicorum uſus converti curarent: qui iiſdem Miniſtris pro rerum varietate maxime neceſſarii vel opportuni viderentur. Ipſe vero Lucas acceptæ pecuniæ tabulas, & expenſæ rationem ab ipſis exigebat, quatenus omni deinceps tempore conſtaret de ipſius fide & prudentia in diſpenſatione ſumptuum, quos pro tam pia & honorifica cauſa, tanto zelo & induſtria colligebat. Ejus etiam in hoc ipſo puncto bona ſors fuit, quod plerique fere omnes, qui vel hic in Urbe, vel in Gallia, Germania, Belgioque his rebus intimi fuerunt, ſuis deinde meritis ad ſummas dignitates evecti fuerint, vel prius in eis conſtituti, hodieque maxima parte viventes, atque omnes, qui litteris, qui voce, qui aliis indiciis, ante & poſt mortem Lucæ, clare profiteantur quantopere ſemper æſtimaverint ipſius in his, atque aliis rebus tractandis ſincerum zelum, prudentiam, & perpetuam integritatem. Neque vero ſuæ tantummodo famæ in hac re providebat Lucas, ſed aliorum quoque, qui eodem, quo ipſe Romæ, munere, in Gallia, Belgioque fungebantur, ac ſimul ipſi negotio expedite, ac ſine ambagibus aut murmure perficiendo: ſcribens enim Hugoni de Burgo Franciſcano, tunc Hibernorum in Belgio rerum actori, & deinde Epiſcopo Duacenſi in Hibernia, illum his verbis monet. *Veſtra Paternitas non nimium ſollicitet nummularios ad ſummam e veſtigio ſolvendam, ſed neceſſarium tempus ipſis concedat, pluſque utatur flegmate & prudentia, quam religioſo fervore & ardenti zelo illico ſuccurrendi rebus Patriæ. Supplico Veſtræ Paternitati quod in aliis jam ante ſcripſi, ut ita ſe hac occaſione gerat, idque prudentiæ ſuæ & rei bene gerendæ ſpecimen præbeat, quod iſti Domini, qui magnam hanc caritatem nobis exhibent & ſibi pro meritis obſecutos nos ſentiant, & noſtra in ulterioribus opera fidenter uti poſſint.* Erat etiam tunc ejuſdem

 ſupre-

ſupremi Conſilii Hibernorum actor in aula Regis Chriſtianiſſimi, cum P. Matthæo Hartegano S. Iſidori noſtro concive conjunctus, generoſus D. Galfridus Baronius, ipſius noſtri Lucæ ex Maria Waddinga ſorore nepos, eruditione, pietate, rerumque agendarum dexteritate, & prudentia ſpectabilis; qui ob zelum ſtudiumque ſuum in Catholicam cauſam a Cromuellianis deinde glorioſo ſuſpendio necatus eſt. Atque huic etiam Lucas eamdem res diſpenſandi regulam præſcripſit his verbis: *Negotium D. Emeri cito reſolvetur, ſed expenſæ mihi non ſuppetunt; quamquam etenim tot conſiderabiles pecuniarum ſummas pro Patriæ bono procuraverim, nunquam tamen permiſi, ut vel obolus in meam poteſtatem veniret, ad hoc ut vel in fine rerum, vel quocunque caſu, nec æmulus, nec inimicus calumniæ colorem in me habere poſſit, qua non facillimo negotio me liberare valeam. Tuque etiam exemplum hoc, & documentum ex me cape.*

LXXXI. Quorum id ſtudio, & beneficiis.

Accidit autem inter hæc res longe importuna votis Catholicorum Hiberniæ, cum quidam Principes Itali conjunctis viribus domeſticum bellum Eccleſiaſtico ſtatui inferrent; quo factum eſt, ut ab ipſiſmet nulla noſtris relicta fuerit ſpes auxiliorum, quæ alioquin expectari poſſent, & ſimul Urbanum Pontificem, ipſiuſque Nepotes, ceteroqui juvandis Hibernorum progreſſibus inclinatos ingentibus expenſis, & varia ſollicitudine diſtraxiſſent. At nihilominus tamen optimus Pontifex Urbanus, ut omnium Eccleſiarum ſollicitudinem gerebat, ſic Hibernorum cauſam non deſeruit, ut cum eorum neceſſitatem pro voto ſublevare non poſſet, quos ſui temporis Machabæos appellabat, certe Lucam noſtrum frequenter, hilariterque ad ſacros pedes admitteret, Hibernorumque fidem & in re difficillima fortitudinem fideliter exponentem, paternæ compaſſionis lacrymis exciperet, & cum ſinceræ ſuæ benevolentiæ, magnique deſiderii Hibernorum cauſam, quibus pro temporum injuria liceret, ſediſque Apoſtolicæ dignitati expediret, modis, adjuvandi ſignificationibus dimitteret. Deinde ad hunc finem in Urbe conſtituit peculiarem aliquot Cardinalium conſeſſum, qui de Hibernorum negotio juvando dirigendoque deliberarent, & Lucam ſemper ipſis in rebus tractandis aſſidere voluit, pro ipſius officio Reſidentis ſupremi Concilii Catholicorum, proque Patriæ, rerum, perſonarum notitia, & prudentia, qua pollebat.

Franciſci vero & utriuſque Antonii Cardinalium Barberinorum in hoc negotio pietatem, zelum, ſtudium, & liberalitatem ſic laudabat Lucas, ut diceret iſta, ſi cum præſentibus tunc circumſtantiis conferantur, nec verbis pro dignitate magnificari poſſe, nec ullis eorum quibus proderant precibus compenſari: & Fran-

Franciſcum alibi, præcipuum unicumque cauſæ promotorem appellat. Neque Bernardini Cardinalis Spadæ zelum ac diligentiam tacebat; hic enim præcipue apud Urbanum, & Innocentium Pontifices, illi vero non cum Pontifice ſolum operam ſuam interponebant, ſed cum aliorum Principum in Urbe Oratoribus, & cum Pontificiis alibi Nunciis, & Statuum Miniſtris, ut tam ſancto juſtoque negocio apud ipſos Principes, & Statuum Præfectos ubique faverent. Illi vero fuerunt in Hiſpania Roſpiglioſus, in Gallia Grimaldus, & Bagnius, in Germania Roſſettus omnes hodie S. R. E. Cardinales, & Fabius Chiſius hodie S. D. N. Alexander VII. quorum zelum & operam in juvandis Hibernorum in iis Provinciis actoribus, & cauſa ipſorum Principibus commendanda, tum ipſi actores ad Lucam, tum Lucas apud omnes pro datis occaſionibus magnis laudibus efferebant.

Inter ſubſidii Romani ſeu privatæ illius collectæ largitores, piis conſiderationibus frequentius laudabat Lucas, quos jam nominavi, Franciſcum & Antonium germanos Barberinos, qui & plus omnibus, & omnium primi contribuerunt, atque adeo opportune, ut Scarampus ad Lucam ex Hibernia ſcribens, deque Catholicis Proceribus & Prælatis loquens. *Non ceſſant* (inquit) *in omni ſuo, ſeu publico, ſeu privato diſcurſu præſentem Regni ſtatum attribuere opportuno illi ſubſidio in initio belli illis miſſo, abſque quo certiſſime omnes eſſent ab inimicis oppreſſi trucidatique*. Sed clara rei teſtimonia ſunt ipſa verba ſupremi conſilii in litteris, quibus utrique gratias egerunt. Ad Franciſcum enim: *Nullibi* (inquiunt) *opportuniora ſubſidia collata ſunt, quamquæ nobis graviſsimi belli mole laborantibus veſtra cura veſtroque ſumptu ſuppeditata. Intumeſcebant ſuperbi hoſtes, & trimeſtri tantum bello gentem & Religionem noſtram ſe radicitus evulſuros minitabantur, nunc inverſa alea & rerum vice apud nos in melius mutata, ſpe ſua, & animis pene ceciderunt*. Ad Antonium autem ſic ſcribunt: *Prævenit nos in benedictionibus ſuis Deus, & paterne nobis proſpexit, cum Hiberniæ protectionem Eminentiæ veſtræ commiſit, ſatis ſuit calamitates & ſummum, quo Religio catholica apud nos laborabat, diſcrimen ad pietatis & juſtitiæ tuæ aures perveniſſe, qui pro honore & cura tibi credita nunquam ceſſas de Eccleſia Dei bene mereri. Senſit Hibernia ſalutares protectionis tuæ ſavores, & pietatis ac magnificentiæ tuæ in opportunis ſubſidiis ſibi ſubmiſsis ſingulare accepit teſtimonium. Quo nomine nos, quibus Hiberniæ cura commiſſa eſt, ſummas Eminentiæ veſtræ agimus gratias, & ſpecialem Dei in hac re de nobis agnoſcimus providentiam, qui tibi hanc de Hibernia curam, & mentem injecit, priuſquam ipſa ad te accedere poſſet, & protectionis tuæ beneficium implorare.* Verum poſt hos duos Lucas Hibernorum progreſſus tertio quoque Barberino bona parte acceptos referebat, ipſorum patruo Antonio, Urbani Pontifi-

cis germano Fratri, ex Ordine Minorum Capuccinorum Cardinali S. Onuphrii, qui & Congregationis Hiberniæ Præſes ab initio fuit, & pecuniarum ſuppetias ex proprio miniſtravit. Hinc laudabat Lucas beneficia Marcelli Cardinalis Lanti, & ſingulari præconio celebrabat ardorem caritatis Joannis Baptiſtæ Scanarolæ, Epiſcopi Sydoniæ, & ut Lucas loquebatur, digniſſimi & exemplariſſimi Prælati, qui pro tenui ſua facultate inter liberaliſſimos eſſe magis quam haberi voluit. Gratos nos etiam cupiebat pro Hiberniæ ſubſidio Proſpero Fagnano, celebri in Urbe Prælato & fido Sedis Apoſtolicæ Miniſtro, ipſi ſemper amico, & in Hibernicæ nationis commune bonum addicto. Frequens erat occaſio loquendi & affectuoſa Lucæ ſermocinatio de Reverendiſſimo P. D. Hilarione Roncati, Ordinis Ciſtercienſis, Abbate S. Crucis in Hieruſalem, & celebri in Urbe Theologo, cum quo amicitiam olim Salmanticæ conjunctam, ita Romæ ad mortem uſque continuavit, ut cum uterque in iiſdem occupationibus Congregationum Urbis cum peculiari laude continuo verſaretur, Lucas Hilarionem ut patrem venerabatur & ut Fratrem diligebat, neque cum alio libentius aut fidentius omnia ſua communicabat, & Abbas viciſſim Lucæ nulla veri & ſinceri amici officia non exhibebat. Videns autem Lucæ zelum in cauſa Catholicorum Hiberniæ, atque ipſius cauſæ bonitatem agnoſcens, ſuo quoque zelo concurrere voluit, & præter bona officia, quæ pro cauſa tranſigebat, ut erat Religioſus obſervator ſui ſtatus, petita prius & accepta Summi Pontificis facultate, de propria portione ſibi ſubtrahens, plus contulit ſubſidii bello Hiberniæ, quam aliqui pinguioris proventus.

LXXXII. Qua ſua perſeverantia.

MOrtuo ſub id tempus Urbano VIII. & ad Summum Pontificatum aſſumpto Innocentio X. ſtudium ſuum in procurandis Fidei, Patriæque rebus continuavit Lucas. Sed hic iterum utilis fuit Barberinus, qui Pontificem ad promittendum Hibernis auxilia movit. Ut enim ſolent Cardinales poſtquam novum Pontificem elegerint, peculiares preces illi porrigere pro rebus, quas maxime ſibi conceſſas volunt, Franciſcus obnixe rogavit, ut Innocentius Catholicæ gentis Hiberniæ cauſam ſuſcipere, & opportunis auxiliis promovere vellet. Jamque Catholicorum res, tam proſpere procedebant, ut communi Chriſtiani Orbis & Urbis applauſu, victoriæ genti prius tam oppreſſæ, & omni armatura ſumptuque deſtitutæ, tot quodammodo miracula viderentur, majorique regni parte jam potiti eſſent, & Catholicæ Religionis publicum exercitium in locis, quos poſſederant, ubique celebrarent, & plures Hiſpaniæ, Galliæque Regum miſſos Miniſtros apud ſe reſidentes haberent, ipſique Angliæ Scotiæque

Pu-

Puritani rectum Reipublicæ ſtatum agnoſcerent: & quod Carolus Rex, qui ab initio deceptus, rebelles eos appellavit, nunc omnia cum ipſius Catholicorum ſubditorum titulo & nomine tranſigebat, & ipſi conſtantem fidelisſimamque obedientiam ſuæ Majeſtati profitebantur, dummodo Deum colere vera & avita Catholica Romana Religione permitteret, eamque Nationi libertatem adimi non pateretur, quam Scotis Angliſque, & quibuſcumque novæ Religionis figulis in tot ſectas diviſis concedebat; nec juſto Principis regali dominio ullibi terrarum, præterquam per modernos Britannæ Sectarios ipſius Regis hoſtes, præjudicare cenſetur.

Rebus ita conſtitutis, procuravit Lucas ampliori Catholicorum ſolatio, & obtinuit, ut Apoſtolici Nuncii honor, quo hoc Regnum Apoſtolicæ Sedi devotiſſimum, aliorum injuria, per aliquot ſæcula carebat, poſtliminio illi reſtitueretur. Ad ſubeundum autem hoc munus elegit Innocentius Joannem Baptiſtam Rinuccinum Archiepiſcopum & Principem Firmanum, quem generis nobilitas, & ipſius perſonæ in aliis rebus probata virtus eo munere dignum promittebant. Huic autem ex Urbe ad Hibernos abeunti, præter ſuppetias ab ipſo Pontifice conceſſas, curavit Lucas tradi viginti ſex millia ſcutorum ex illa collecta, quam ipſe pro pia cauſa faciebat, & poſt annum redeunti ex Hibernia Dionyſio Maſſario, Decano Firmano & Archiepiſcopi in Hiberniæ Nunciatura Auditori, dedit aliam ſummam in belli Catholici ſubſidium ad Nuncium deferendam. Quibus ſtudiis & auxiliis res tam feliciter pergebat, quod vel una tunc a Scotis Puritanis reportata per Hibernos victoria digna viſa fuerit, ut plurima ipſorum vexilla in prælio acquiſita, partim in Catholicis Hiberniæ civitatibus trophæi loco expoſita ſervarentur, partim huc Romam per Nuncios miſſa, ſancti Petri Vaticano Tholo aliquandiu affixa manſiſſent, ut revera Sectarii rem ſibi fere perditam exiſtimaſſent.

Neque diligentiam ſuam in hoc Fidei Patriæque negocio promovendo uſquam remiſit Lucas, quin & ſupremi conſilii Secretarium ad Pontificatum Innocentio congratulandum in Urbem deſtinatum, ipſius Pontificis commendatitiis litteris ad Italiæ Principes, & Status comitaretur, quamvis Florentiæ tantummodo profuiſſent: & Nicolaum Fernenſem Epiſcopum, Eccleſiaſticæ Synodi Cancellarium, & Nicolaum Plunkettum, Equeſtris Ordinis virum, ad rerum ſtatum Pontifici ex integro nunciandum, ab Hiberniæ Ordinibus miſſos, cum expreſſo mandato, ne quidquam inconſulto, vel diſſentiente Luca peragerent, honoribus Romæ per Pontificem augeri, Apoſtolica benedictione, & ejuſmodi inſtructionibus remitti curaſſet, per quas forſitan res tota, tum Regis, tum Catholicorum honore & ſatisfactione finiretur.

Sed

Sed interim ipſi Hiberni virtutum æmulatione inter ſe ipſos diviſi, dum alii, Religionis zelum præferentes, rem armis ad extrema proſequendam cenſerent; alii prætextu prudentiæ, certis conditionibus cum hoſte paciſcendum contenderent, & creſcente paulatim diffidentia, dum utrique diſperſis viribus diminuerentur, ſe ipſos & Patriam, occulto Dei judicio, in pejorem ſtatum deduxerunt, quam antea fuit; permittente Deo, ut Fidelium conſtantia adhuc fortius probaretur: qua rerum turbatione Nuncius in Urbem reverſus eſt, & Lucas rei ſtatum per variorum litteris edoctus, præteritam operam ſuam offerens Domino exercituum, ab ulteriori rerum procuratione ceſſavit.

LXXXIII. Quanta ſua laude, & modeſtia.

Quanta vero laude rem eatenus peregerit, huc uſque a nobis relata ſatis oſtendunt, & plurimæ ipſornm Hiberniæ Catholicorum litteræ conteſtantur; quarum omnium verba deſcribere, quemadmodum ego ſupervacaneum exiſtimavi, ſic non omnia ſine nota prætermittere neceſſarium. Pauca refero & in primis periodum epiſtolæ ſupremi Concilii Catholicorum, cui propriis manibus ſubſcripſerunt Vicecomes Mountgarett Concilii Præſes, Hugo Archiepiſcopus Armachanus, D. Baro Gormanſton, Joannes Epiſcopus Glonſertenſis, Emerus Dunenſis & Conorenſis Epiſcopus, Richardus Bellingus, Patricius Darcæus, Philippus Relly, Jacobus Cuſacus, Galfridus Browne, Gerardus Finellus, & Richardus Lombardus, cujus epiſtolæ verba ad Lucam noſtrum directa ſunt iſta: *Nos tibi nomine totius Regni, cujus res nobis commiſſæ ſunt, gratias ex animo reddimus propter providam curam tuam & efficacem ſollicitudinem, ex qua procedit quod nos in tanta diſtantia conſtituti acceperimus prima ſubſidia ab ullo ultramarino nobis conceſſa*. Separatas autem litteras ſcripſit Præſes Concilii, quas hoc modo auſpicatur. *Quid amici tui & Patria univerſa conceperit de R. veſtræ zelo & induſtria circa magnum negocium, quod præ manibus habemus, facile percipies ex occupatione, in qua curam tuam nunc requirunt. Fateri ſane nos neceſſe eſt, quod abſque te res noſtræ claudicarent*. Alias etiam Bellingus Concilio a ſecretis, ipſius Concilii juſſione, in hanc ſententiam dedit. *Non mediocrem locum in æſtimatione Patriæ tuæ meritus es, qui tam provide bene quidem electos illos paternos noſtros, noſtrarum rerum & calamitatum compotes effeceris. Porro ſollicitudinis tuæ in Patriæ cauſa, continuationis ulteriori ſtimulo nollem tua merita diminuere*. Et hæc ſane, quia publica auctoritate ſcripta, ad rem meam ſufficere autumo, tametſi penes me ſint, Archiepiſcoporum omnium, plerumque Epiſcoporum, & nobilium ſæcularium litteræ, omnium denique Ordinum, quibus ulla fuit occaſio ſcribendi; per quas Lucæ Waddingi pro Catholica cauſa zelum & induſtriam exquiſitis modis ma-

magnificant, & ſerio profitentur: & viva ſpe ſibi promittebant, vel ipſius maxime ſtudio, Catholicam cauſam optato exitu potitura.

Tantaque apud Hibernos repoſita fuit ipſius obſequii gratitudo, ut cum ipſorum res domi mirabiliter progrederentur, maximeque florerent, de Luca etiam ſummo, quo poterant, honore prœmiando ſolliciti, litteras totius ſupremiConcilii ſyngraphis & communi ſigillo munitas, per deputatam perſonam ex Hibernia miſerint ad Urbanum VIII. Pontificem & ad Franciſcum & Antonium Cardinales ejus Nepotes, per quas, ad ampliorem Eccleſiæ in Hibernia renaſcentis ſplendorem, & pro communi Catholicæ gentis ſolatio, ſupplices a ſua Sanctitate petierunt, ut condeſcendere dignaretur ad adſcribendum ſacro Cardinalium Collegio *Patrem Lucam Waddingum Natione Hibernum, natalium ſplendore & virtutum meritis illuſtrem, virum de Eccleſia Dei & Regno Hiberniæ bene meritum, cujus aliæ commendationes & merita Apoſtolicæ Sedi non ſunt incognita*. Atque his litteris ſubſcripſerunt omnes tredecim Conciliares, id eſt Archiepiſcopi tres, quinque proceres Regni ſæculares, Concilii Secretarius, & alii tres generoſi aſſeſſores inferioris Ordinis, & unus Epiſcopus, hominique a ſe miſſo in mandatis dederunt, ut effectum apud Pontificem & Cardinales procuraret. Sed quoniam hoc ipſorum deſiderium non habuit effectum, per me quidem omitti poterat, ſi prompta mihi non eſſet impedimenti ratio, quæ majorem demonſtrat amorem Waddingi erga Catholicæ fidei, quam ſui ipſius exaltationem, erga Patriam quam perſonam, & erga utriuſque publicum bonum quam erga privatam dignitatem: & ſimul ipſius inſignis prudentiæ, moderationis animi, & religioſæ humilitatis argumentum eſt. Habeo enim ipſius ad Concilium de hac re reſponſum hujuſmodi: *Optimi Domini mei, quantas ex corde poſſum gratias vobis habeo, & quas poſſum humillime reddo, pro exceſſivo honore perſonæ meæ per vos exhibito, proponendo me Suæ Sanctitati ad locum, qui & merita mea longe tranſgreditur, & humili conditioni meæ minuſque dignæ perſonæ non adeo conveniat. Non poſſum hanc veſtram gratiam & amoris argumentum erga ardens meum vobis inſerviendi deſiderium ex debito non agnoſcere; ſed etiam cognoſco rei difficultatem, timeoque ſi ſua Sanctitas petitioni veſtræ aſſentiri velit, concedendo vobis quod Summis Potentatibus aliquando negat, id vel obſtaculo vel diminutioni fore ſuppetiis, quas prope diem a ſua Sanctitate pro communi veſtra cauſa præſtolamur: quapropter D. Doctorem rogavi, ut a tradendis veſtris litteris, & ea de re tractando abſtineret, certoſque vos eſſe quam ſinceriſſime velim, pluris me ſemper feciſſe atque inpoſterum facturum quodvis mediocre ſubſidium ad vos mittendum, quam honorem, dignitatemve, quantumvis magnam, in me ipſum conferendam.* Hac ergo

ergo cauſa litteras Concilii ſuppreſſit Lucas, nec niſi poſt ejus mortem in ſcriniis repertæ nobis innotuerunt: cui Lucæ modeſtiæ & humilitati etiam Scarampus, omni exceptione major, ſuum nobis teſtimonium reliquit in litteris, quas ad alium amicum ſcripſit, atque hujus rei hanc fecit mentionem: *Ego jam binas litteras dedi in favorem Patris Lucæ, & neſcio qualiter ipſe etiam prima vice id perceperit, ut mihi pro ſua benignitate gratias egiſſet pro affectu, ſed pro ſumma ſua humilitate & modeſtia non curavit effectum*. Et ipſe Lucas iterum, ut opinor, ad Secretarium Concilii. *Erubeſcerem ſane maximopere* (inquit) *aliquid ejuſmodi pro me hic procurare, vel ullam diligentiam in ea re ponere*. Cum tamen nec talis promotio careat exemplo in Polo, Roffenſi, & Alano Anglis; qui eodem reſpectu, ſed forte minori cauſa creati fuerunt: nec adeo nova res Romæ videri poſſet (ac proinde nec tam exorbitans poſtulatio Concilii) cogitatio de Luca ad eam dignitatem evehendo; tanta enim erat erga ipſum Urbani Pontificis, ac Nepotum benignitas & benevolentia, tantaque apud reliquos Cardinales, alioſque magnos viros virtutum ipſius æſtimatio, & Pontificiæ in eum pronitatis opinio, quam etiam Innocentius tam verbis quam ſignis oſtendebat, ut ab aliquot retro annis vix ulla Cardinalium creatio facta ſit, quin de promovendo P. Luca publicus in aula ſermo eſſet & communis expectatio. Neque admodum difficulter fieret, ſi vel tantum ſtudii in eo poſuiſſet Lucas, quantum ſolent alii in rebus minoris momenti; præſertim hac occaſione, quando de Hibernorum fide & fortitudine communis erat omnium Orbis Catholicorum lætitia, & expreſſa poſtulatio Nationis de Apoſtolica Sede tam bene meritæ, niſi Lucas ipſe, Fidei Patriæque bona præferens, dignitati ſibi conferendæ poſuiſſet impedimentum. Præſens aliquando non ſemel eram, cum coram ipſo Luca Religioſorum aliqui deſiderium ſuum inter diſcurrendum verbis exprimerent, ut Ordini noſtro Patriæque hoc decus, & Lucæ virtuti prœmium aliquando veniret. Sed ille abſque ulla vultus mutatione, quam plerumque mens per ſpem, deſiderium, triſtitiam, aut gaudium in hujuſmodi rerum commemoratione mota cauſat, mitiſſime reſpondebat: Filioli mei, nec Ordo ſancti Franciſci, jam pridem hac dignitate majorique decorus, illa ex me indiget; nec parum illi divina clementia conceſſum, cum ego vetuſtam ipſius gloriam, veterumque in Curia oblitam, quocumque meo labore, eo loco ponere potuerim, quo alii Religioſi Ordines optarent Inſtituti ſui facta collocari: & vero Patriæ noſtræ Hiberniæ, quam ut ego capitis ruborem, quem jam dudum depoſui, canis meis denuo ſuperinduam, longe utilius eſt, & vere decorum in Urbe Roma filios ſuos tam commoda domo donatos eſſe, tantaque Principum, Populique Romani æſtimatione

tione

tione & amore haberi, ut ipſorum favore, benevolentia, & continuis beneficiis, cum religioſa quiete & conſolatione, pietati & litteris incumbere poſſimus, multaſque jam conſecutos eſſe, ac deinceps conſequi poſſe in cœlis purpuras noſtro ſanguine, Chriſti cauſa fuſo, fundendoque rubricatas, magnamque ſtipatorum catervam, quos verbo & exemplo nos ipſi ad cœleſtis aulæ gloriam perducimus. Hoc verum certumque Patriæ noſtræ & Religionis decus eſt filii mei; hoc virtutis meæ, ſi qua ſit, & laborum præmium expecto: Illi enim, non ſæculo, Deo ipſo teſte, operam meam ſemper locavi, qui potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus Judex: hiſque contenti Romanas purpuras relinquamus illis quibus Deus eas deſtinavit. Atque hac pia gravique meditatione Waddingus nobis junioribus religioſæ humilitatis, & modeſtiæ exemplum, virtutiſque ſtimulum præbebat, atque in ſeipſo, ſi quis irreperet, pro humana conditione, honorum ambitus, eum cohibebat. Et vero cum externæ Waddingi actiones, aut verba nullam ambitionis ſpeciem præ ſe ferebant, qualis fuerit interior animi præparatio, facile conjectari poſſumus ex ultimo paragrapho monitorum animæ ad Deum dirigendæ, quæ petenti gravi cuidam Prælato jam dudum præſcripſit, quem propter hanc ipſam cauſam, & quia præterea legentium alicui utilis eſſe poſſet, huc integrum tranſcribendum judicavi, ſic autem ſe habet: *Ultimo loco cupio ab Ill. D. Veſtra averſum malum tanto magis perniciosum, quanto magis blandum placidumque, quod falſa dulcedine decipit, & inſenſibiliter cruciat ſibi ſubjectos. Commune malum & ſpecioſum aulæ vitium eſt ambitio, & honorum appetitus, tantoque magis aliquos poſſidet, quanto ſuperiores dignitatis gradus & plures obſequiorum annos, quæ Principi bene præſtiterint, in ſeipſis recognoſcunt. Hæc enim magnos meritorum cumulos ipſis repræſentant, ſuadentque præmium, quod quiſque ſibi fingit, atque ex animi deſiderio ſibi ipſi adaptat, diutius retardari non poſſe; verum ubi vel ſpei prorogatio, vel deſiderii vanitas innoteſcit, ſic affliguntur, ut nonnunquam valetudinis intemperiem judiciique detrimentum incurrant. Negari non poteſt quin D. Veſtra diverſis Principibus per plurimos annos in graviſſimis maximique momenti negotiis aulæ ſervierit, poſſitque non ſine cauſa & gravi fundamento ſperare dignitatem aliis minoris meriti multorum admiratione, te neglecto, conceſſam. Nollem igitur, ut hæc tam bene fundata ſpes ſic menti veſtræ inhæreat, ut ſi quando fruſtrata, eam vel affligeret vel turbaret, cum potius rei ſucceſſum committere debeas providentiæ Dei, qui quid magis expediat utique melius novit: teque ipſum ſolare conſiderando quanta commoditate, dignitate, honore, & opinione te hodie habeat aula, quodque cum aulicam vitam auſpicatus es, & prætenſionibus tuis initium dediſti, maxime contentus eſſes, ſi illius te, & loci, & æſtimationis, & auctoritatis, quæ hodie poſſides, cer-*

certum ſecurumque tunc reddidiſſent. Bono igitur animo, alacri, liberoque eſto, omnemque bujuſmodi paſsionem procul pelle, quæ mentem obtenebrare poſſet, totamque tuam ambitionem eo converte, ut Cœlum acquiras, nam quæ mundus promittit, fallacia ſunt, & acquiſita citiſsime tranſeunt.

LXXXIV. De Waddingi obſequiis in Sacris Congregationibus Curiæ Romanæ.

Quoniam ex illis, quæ de Lucæ Waddingi rebus hucuſque narravimus, ſatis percipi poteſt, ipſum pluribus gravibuſque negotiis perpetuo occupatum fuiſſe; nunc reſtat, ut poſt ea, quæ Religioni ſuæ Patriæque præſtitit, exponamus etiam quid aliis. Nemo tamen ex me fruſtra deſideret, ut aliorum privata negotia referam, aut palam indicare velim; nam & ſingularis Lucæ in rebus tractandis diſcretio, & ſecreti tenacitas omnia fere nobis occultavit. Et ſane hæc ipſa cauſa ſecreti cum Lucæ exemplo, & graviſſimis documentis me monent, ne ſi quæ noverim, quantumvis ardua, atque ipſius virtute faciliter feliciterque peracta, nonniſi generalibus notis adumbrare, potius quam propriis propalare velim.

Publica vero munia, in quibus Lucas operam ſuam in Eccleſiæ obſequia impendebat, erant ea, quæ decebant prudentem doctumque Religioſum; quales in ſacris conſeſſibus Urbis, ſeu Congregationibus Eminentiſſimorum Cardinalium, a Theologicis conſiliis & conſultationibus inſervire ſolent. Adeo vero placuit Cardinalibus ipſius facilitas, doctrina, dexteritas, & modeſtia in tractanda Legatione Hiſpanica pro Immaculata Conceptione Deiparæ, ut jam tum a Paulo V. Pontifice in Congregatione ſancti Officii Generalis Inquiſitionis Qualificator declaratus fuerit, in qua quid deinceps in obſequium fidei præſtiterit, noverunt ipſi Eminentiſſimi Cardinales aliique Aſſeſſores, qui & ſacri illius Tribunalis arcana pertractant, & in omni occaſione ſemper indicarunt, ſe Lucæ perſonam, & partes æſtimare. Mox autem a Gregorio XV. ſacræ Congregationi Indicis Conſultor adſcriptus, non minorem laudem reportavit. Sed quia hujus etiam negotia ſecreto tractantur, quid peculiare in eis præſtiterit ille, nos id latere debet: ea tamen fuit ipſius apud Congregationem virtutis opinio, ut in ea conſcripti purpurati Patres non parvam laboris partem ipſi imponerent, nec parum deferrent ſententiæ.

In his quidem atque occurrentibus interim occaſionibus talem ſe præbuit Lucas, ut ab Urbano VIII. etiam Propagandæ Fidei conſeſſui adnumeratus fuerit, ac deinde generali Sacrorum Rituum Congregationi, & peculiaribus illis conſultationibus, & ſtudiis, quæ ipſe Urbanus pro Ritualium Eccleſiæ librorum, Romani Miſſalis, Breviarii, Martyrologii, Pontificalis, & Cæremonialis Epiſcoporum revidendis, reſtituendiſque conſtituit: in

in quibus Eminentiſſimi Cardinales majorem partem correctionum illi committebant, ut ipſi libri, Lucæ manu notati, & variæ harum rerum ſeparatæ animadverſiones in Collegii Archivio conſervatæ me docent. Ea demum fuit Urbani Pontificis opinio de Waddingi ſufficientia, & integritate, ut ſub ipſius Pontificatu paucæ admodum fierent Congregationes particulares, ſeu gravium rerum conſultationes, ad quas Theologi cenſores vocabantur, quin Lucas in primis intereſſe deberet. Quos honores ab Urbano in illum collatos ipſe acceptos referebat amicitiæ cum Franciſco Barberino olim ante Cardinalatum contractæ, ea ratione quam initio præfati ſumus; unde nata Urbani in ipſum benevolentia perpetuis deinde favoribus, & beneficiis creſcebat.

Diuturnior illi, & fere continuus erat labor ordinarius hujus ſacræ Congregationis Rituum Eccleſiaſticorum, in qua nimirum gravia, & quotidiana dubia ex omni plaga mundi miſſa diſcutiuntur: Servorum Dei acta, & proceſſus, alibi de illis compacti, examinantur, & Beatitudinis, vel Sanctitatis honor, juxta cujuſque qualitatem & merita, per Pontificem, ſi ita placuerit, illis conferendus decernitur: omniumque Regionum, & Religionum Eccleſiaſtica officia ad Dei Optimi Maximi Sanctorumque cultum compoſita vel approbantur, vel aptiori forma ordinantur, & Apoſtolica poteſtate recitari conceduntur. Quamquam autem noſter Waddingus non minimam partem in reliquis ſtudiis hujus ſacræ Congregationis ubique haberet; hunc tamen ordinandi Divinorum Officiorum preces illi plerumque committebant Eminentiſſimi Cardinales, & ille plurima, præſertim lectiones ſecundi nocturni Sanctorum multarum Eccleſiarum, tum Italiæ, & Inſularum, tum Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Germaniæ, Belgii, Galliæ & Hiſpaniæ, vel ex integro compoſuit, vel fidelius juxta veriora Sanctorum acta, vel puriora Eccleſiarum monumenta reſtituit, quæ in illis Eccleſiis ex auctoritate ſacræ Congregationis publice decantantur.

Pie vero & prudenter conſiderans Lucas quam tremenda, & reverenda res eſſet, cultus quo Deus in ſpiritu, & veritate adoratur, juxta præceptum Pſalmiſtæ: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, ut propterea nonniſi caſtigatiſſimis ritibus exerceri debeat, præſertim qui tanquam publici & canonici ab Eccleſia Romana pondus & auctoritatem habent, qui nihil humile, nihil neglectum, nihil inſulſum, nihil inconcinnum, nihil non ſumma gravitate, & majeſtate plenum, & pietate prægnans repræſentent; proinde per quam diligentiſſime, & ſolertiſſime ſatagebat, ut quæ ipſius cenſuræ, vel ſtudio commiſſa fuiſſent, ejuſmodi comparerent. Neque ſuo ſenſui in re tanta confidebat, quin omnes, quos acquirere poterat, libros impreſſos, qui de Ri- *Pſal. 2. 11.*

tibus univerſim tractant, & propria particularium Eccleſiarum, & regularium Ordinum Breviaria, & antiquiſſimas Liturgias, & Ritualia congereret, Sanctorumque vitas & approbatas Eccleſiarum hiſtorias, correctiones quoque Breviarii, & Miſſalis, diverſorumque Theologorum adnotationes, & cenſuras ſub aliis Pontificibus datas: ac præter has, & quas ipſe notatu dignas, attenta librorum lectione, & Rituum uſu animadvertebat, pluribus etiam piis doctiſque viris extra Urbem & extra Italiam commendabat, ut ſi quid ad rem notaſſent, ipſi mitterent, accipitque nonnulla, omniaque inter ſe mutuo conferebat, nec ulli parcebat labori vel induſtriæ, ut cuncta pro ſacræ Congregationis dignitate, ac pro decore domus Dei recte prodirent. Hanc ipſius diligentiam ipſa ſacra Congregatio publico teſtimonio profeſſa eſt in decreto extenſionis Officii ſancti Iſidori ad uſum noſtri Collegii a nobis ſupra deſcripto, quod ad Lucæ preces, *ob peculiarem erga eamdem Congregationem Oratoris Religionem*, conceſſerunt Eminentiſſimi Patres. Nec minorem diligentiam adhibebat Waddingus in aliarum Congregationum ſtudiis, non ſolum quibus ex officio ſerviebat, ſed aliis etiam, quarum plures & prolixas ſcripturas illi revidendas committebant Cardinales ipſis Præfecti, dum vel ipſi varietate negotiorum impediti non omnibus ſimul intendere poſſent, vel majori ſua ipſorum ſatisfactione, & ſecuritate reſolutionis Lucæ ſententiam audire cuperent, & cauſæ conditionem ab ipſo plenius explicari.

LXXXV. Et in aliorũ variis negotiis.

TAmetſi harum Congregationum occaſione quotidianus, & frequens eſſet ad Lucam concurſus eorum, quorum cauſæ in illis agebantur, ut vel ipſum plenius informarent, vel ab ipſo informarentur, vel pro feſtinantiori negotiorum expeditione rogarent, vel etiam apud Prælatos aut Cardinales interponerent; præterea tanta fuit apud omnes æſtimatio vel humanitatis & promptitudinis ipſius ad aliorum ſubeunda negotia, vel prudentiæ ad illa tractanda, vel gratiæ ad perſuadendum propoſita, vel favoris apud majores ad obtinendum, vel auctoritatis apud æquales ad ſuffragium, vel ſollicitudinis & ſinceritatis in executione eorum, quæ agenda ſuſcipiebat, vel perſpicacis ingenii, & experientiæ, doctrinæque ad præbendum conſilium, vel pietatis ad opera miſericordiæ erga indigos exercenda, ut omnis conditionis, ordinis, & nationis homines ad ipſum indifferenter confluerent: Pauperes, ut procuraret levamen inopiæ, vel puellæ dotem, vel parenti ſervitium, vel uxori tranquillitatem domus, vel viduæ vivendi ſubſidium, aut perſonæ & ſubſtantiæ patrocinium, vel pauperi clerico proventum officii, vel honeſto Curiali dignam conditionem, vel conditioni condignam perſonam, vel diſſiden-

dentibus concordiam, vel prætendentibus honeſta juſtaque deſideria.

Divites, ut conciliaret diſcordes, ut commercii pacta componeret, ut ultimæ voluntatis teſtamenta ad rectæ conſcientiæ divinæque voluntatis normam dirigeret, vel in Chriſto Jeſu pie vivere volentibus ejuſmodi vitæ formam præſcriberet; ut reliquas actiones in rebus difficillimis, abſque peccato abſque nominis periculo, vel Principis, vel proximi offenſa exercendas gubernaret. Nec a ſæcularibus tantum, ſed etiam a Religioſis perſonis & cætibus variorum Ordinum ad res ipſorum componendas vocabatur. Veniebant præterea Prælati & Cardinales, veniebant Nobiles, Barones, & Principes Romani, veniebant Regum & Statuum in Urbe Oratores, omnes indifferenter: & cum tempus, vel perſonæ indiſpoſitio non ſerebat, ut Lucas eos ampliori loco ſuſciperet, in anguſto loculo humiliter cum ipſo ſedebant. Et iſti quamquam a ſe mutuo quandoque caverent, nemo tamen ſibi cavebat a Luca, quin ſinguli æqualiter conſilium, ſolatium, obſequium ab ipſo expectarent, & acciperent. Erat enim ejus converſatio tam candida, ut judicium conſiliumqne rogatus, ſententiam ſuam nulli ſubtraheret; tam prudens & cauta, ut nunquam fuerit periculum, quod unius conſilia alteri per ipſum innoteſcerent, aut arbitrium alteri datum, alteri damno foret; erat adeo ſapiens, ut omnes inde diſcerent; adeo ſuavis & jucunda, ut recrearentur: nec ullus unquam acceſſit, qui vel diutius commorari vel quantocius crebriuſque redire non cuperet. Si inter contrarios, vel arbiter electus, vel mediator interpellatus erat, æque utriſque ſe contrarium oſtendebat, donec ipſius rationibus monitiſque ſubjectos utrinque ad pacem & concordiam reducebat, & quandoque etiam ad amicitiam. Et ſane in hujuſmodi offenſorum animorum reconciliatione peculiarem dotem a Deo accepiſſe viſus eſt: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* *Matth. 5. 9.*

Ardua negotia tam facile, tam proſpere perficiebat, quod dum hebdomadæ menſeſque illi ad rem deducendam concederentur, ille intra paucos hebdomadæ dies, aut paucas unius menſis hebdomadas quandoque factam referebat. Ipſi Pontifices ad aſperas vias complanandas, & facilitandum rerum progreſſum ipſius miniſterio nonnunquam utebantur. Et cum totos dies in his conſumeret, vidimus eum etiam obſcuris noctibus aliquoties ad hæc evocari. Vidi ſemel primam aulæ perſonam, fulminante cœlo & nimbis in rivos decurrentibus cum uno tantum famulo & auriga hnc ad Lucam volare, ut vehemens deſiderium Pontificis illi committeret, & ſerio commendaret; reſque ita conſtituta fuit, ut tam fortis voluntas Principis ſubdito manifeſtata non ſufficiebat ad obtinendum conſenſum; nec viſum Pontifici ſuprema

ma ſua poteſtate hominem compellere, ſed Lucæ ſuadela, & efficaci dierum aliquot opera, quanquam difficillime, deſiderium ſuum ſuaviter aſſecutus eſt.

Ejus vero nomen non tantum in Urbe, ſed etiam in remotiſſimis Provinciis innotuit, ita ut ex ipſis utriſque Indiis, & Inſulis, & ex univerſa Europa negotia ſua per litteras, & per ſuos Romæ rerum actores illi commendarent Principes, & Nobiles viri, Eccleſiarum Prælati, diverſorum Ordinum Religioſi, Sedis Apoſtolicæ Miniſtri, etiam Cardinales abſentes; Urbium, & Statuum Magiſtratus; neque quiſquam vel citius, vel felicius rem ſuam actum iri credebat, quam ſi Patri Waddingo vel commiſſa, vel commendata foret. Alii quoque dubia doctrinæ, alii politica ipſi ſolvenda mittebant. Audivi referri magni Principis magnum Miniſtrum, dum a ſuis conſiliariis in gravi aliquo puncto regiminis, & obſequii Principis diſſentiret, & rem ad Lucam per litteras referret, ſatis habuiſſe, ut Conſiliarios in ſuam traheret ſententiam, quod Lucæ reſponſales illi conformes in conſilio producere potuerit. Oportebat Lucam ſingulis reſpondere, oportebat cujuslibet mandata in Urbe exequi, quod ipſum efficaciter præſtare ſolitum, ipſæ ejuſmodi perſonarum litteræ, partim apud me ſervatæ, partim ipſius mandato laceratæ liquido teſtabantur, dum plures legerentur gratiarum actiones propter obſequia præſtita & expedita negotia, quam petitiones præſtandorum.

LXXXVI. Quibus mediis & modis res proſpere perficiebat.

MAgna ſemper erat Lucæ auctoritas, & ſpecialis confidentia præſertim cum Oratoribus, aliiſque Miniſtris Regiis Hiſpaniæ, quorum favoribus longe facilius reliquis inſerviebat. Et ex Cardinalibus peculiarem affectum in omni occaſione monſtrabant Scipio Burgheſius, uterque Ludoviſius, uterque Barberinus, ac præterea Bentivolius, Franciſcus Perettus Cardinalis Montaltus, Cardinalis Roma, Franciottus & Carpineus: ex quibus plerique dulci, doctoque ipſius conſortio adlecti, ipſum ſecum ad prædia ſeu villas extra Urbem a negotiis vacaturi ducebant, quo commodius, & magis continue poſſent ipſius converſatione gaudere. Reliquis notus & gratus erat, atque adeo etiam ipſorum Miniſtris, & famulis, quo cuncta promptius, & facilius aſſequebatur. Idque illi Deus gratia ſingulari conceſſit, quod cum novos ſibi quotidie faceret amicos, omnes uſque ad mortem in eadem erga ſeipſum benevolentia conſervaverit per continuos quadraginta annos, quos in Curia Romana vixit. Tanta morum ſuavitate cum omnibus tractabat, ut ipſius aſpectu lætarentur, in omni occaſione bene de illo loquerentur, nec ullibi inveniretur, qui de ipſo diceret verbum malum: atque hinc cum in aulis comparebat, Principum Miniſtri ipſum hilariter excipiebant, portas

tas aliis clauſas & Principum alloquium aliis majoris dignitatis viris, vel retardatum, vel quandoque denegatum, illi aperiebant, & accelerabant acceſsum, ita ut uno die plura negotia perficere potuerit, quam alius aliquis uno menſe.

Duas ipſe maximas in rebus tractandis obſervabat: alteram profundum ſecretum, ex quo nihil minus ipſum cogitare crederes, quam in quo ſumma ſollicitudine laboraret. Neque enim niſi jam peractum, & quantocius publicandum, vix incoeptum indicabat negotium. Quod cum aliqui tanquam diffidentiæ genus amice & familiariter cum ipſo expoſtularent, ſatisfacere ſolebat reſpondendo, ſecretum eſſe animam negotii, qua nimirum ſemel emiſſa, protinus perit, proinde ne quidem amiciſſimum quempiam ſeu conſilio, ſeu auxilio non plane neceſſarium propoſiti participem fieri debere; nihil quippe difficilius, quam ut rem amico communicatam, is alteri pariter amico, atque hic tertio communicare nolit; aulam interea, dum deliberat, plurium vocibus, variiſque ſenſibus, ut auram immutari: glorioſum eſſe ſi rem difficilem ſilentio peragas, turpe, & verecundum ſi publice cœptam perficere non valueris, tanquam *qui cœpit ædificare, & non potuit conſummare*. Luc. 14. 30. Hujuſmodi ſecreti ſtudio multos epiſtolarum corbes lacerabat Lucas, ne aliorum arcana, ſecretæ ipſius fidei commiſſa, vel poſteris quidem innoteſcerent, ex quibus alioquin multam ipſius virtutem reſque bene gerendi documenta, magnorumque virorum cum ipſo amicitias, & intimam confidentiam, eorundemque de ipſo æſtimationem, & laudes colligere poſſemus.

Altera ipſius in tractandis negotiis maxima fuit, quod nulla progreſſus obſtacula contemnebat; neque enim cæco impetu rem aggrediebatur, ſed ejus conſequentias, impedimenta, & remoras præmeditatus, omnia prius avertere ſtudebat, omnibuſque ſuperatis, & complanata via, tunc primum pergebat, & principale negotium aggrediebatur: ita ut ſi apud quem agendum erat, is quidpiam objiceret, promptus Lucas in ſe ſumebat remedium, cum nimirum ipſum jam prius applicuiſſet, vel certe ſi quidquam ſibi inſuperabile prævidiſſet, abſtinebat ab agendo, donec melior daretur occaſio, quam ille iterum vigilanter arripiebat.

Ad omnia pro voto obtinenda ſemper ipſi profuit, magnamque fidem & opinionem acquiſivit tam ſincera & libera rerum tractatio, ut cunctis palam eſſet, ipſum nec dignitatum ambitu, quas aulæ ſequaces plerumque venantur, nec lucri cupidine ſubire labores: ſtudebat ſane Lucas, ut ipſe dignitatibus dignus eſſet, ſtudebat & efficiebat, ut tam Eccleſiaſticæ quam Regulares aliis darentur, & minoris meriti, & majoris impedimenti. Unam ille Parochiam ſibi deſponſavit popellum S. Iſidori, quem ſummo ſtudio curabat, ut pius, doctuſque fieret, & multi inde Apoſto-

ſtolici viri prodirent: & huc lucrum ſuum omne reponebat. Si
aliquid a quopiam ſponte oblatum eſſet, aut ipſius induſtria pro-
curatum, id ſtatim in ſabricæ, vel melioris ſupellectilis augmen-
tum convertebat; nec indifferenter accipiebat oblata. A fide
dignis mihi relatum eſt, nobilem quemdam virum non infimæ
claſſis, cujus domus expenſæ, & æris alieni debitum ſuperabant
ordinarios proventus, & cui Lucas non ſemel ſervivit, quandam
pecuniæ quantitatem per honorarium ſuum ſamulum miſiſſe titu-
lo gratitudinis, & inquit, ut Pater Lucas hauſtum ſinceri vini
inde habere poſsit; ſed ille nummos cum gratiarum actione remi-
ſit, ac Domino deinde confidenter dixit, ſe illam ab ipſo tuta
conſcientia recipere non potuiſſe pecuniam intuitu caritatis,
quam aliis de rigore juſtitiæ debebat. Adhuc etiam Romæ in re-
ligioſa congregatione vivit vir doctus & pius, qui magno erga
jam defunctum Lucam devotionis affectu, iterato mihi retulit, ſe
ad ipſum aliquando miſſum, ut rogaret ejus interceſſionem apud
quemdam Cardinalem pro nobili pari conjugum, qui aliquid a
Cardinale prætendebant: & cum negotium expoſuiſſet, protu-
liſſe pecuniam, quam ab illis ad pios uſus deſtinatam dixit,
ipſamque ad Lucam miſiſſe, ut ad Conventus neceſſitates illam
apud Syndicum reponi permitteret, alioquin, ſaltem aliis dari
curaret, quos ea potiſſimum indigere noſſet. Ad quæ motus Lu-
cas, laborem (inquit) o Pater, mihi tuliſti, & hanc inſuper ad-
jungis ignominiam; ut ſi ego pro ipſis efficere queam, dicat qui-
ſpiam Fratrem Lucam opera caritatis vendere pecunia; ſi ne-
queam, iterum dicant, me ipſos pecuniis defraudaſſe, nec fidem
in obſequio ſervaſſe. Pecuniam ſuam ipſis referto, & ego quan-
tum potero pietatis operi non deero; ac re ipſa pecuniam referre
oportuit.

Solemne præter alia fuit indicium ipſius animi ab omni lu-
cri cupiditate liberi, quod cum quidam Cardinalis lecto decum-
bens illum vocaſſet, animæque ſuæ curam ipſius aſſiſtentiæ, &
ſubſtantiæ rectam diſpoſitionem ipſius judicio tradidiſſet, ſed ali-
quot aureorum millia deſtinaſſet, quæ a morte ſua per Lucam
ipſum ad quos pios uſus, pro ſuo arbitrio judicaret præſertim ſui
Collegii S. Iſidori applicari, ac diſtribui cupiebat. Lucas ita die
noctuque moribundi Cardinalis animam curavit, ut pecuniæ di-
ſpoſitionem ſubire nullatenus voluerit. Imo cum propterea Car-
dinalis eam teſtamenti tabulis alteri commendaſſet, & caviſſet,
ut prima & præcipua cura in ea diſtribuenda haberetur Patris Lu-
cæ Waddingi, & Collegii S. Iſidori, ſic ſe deinde geſſit Lucas, ut
quamvis nova Collegii ædificia adhuc imperfecta, & veterum
murorum ruinæ præmuniendæ eſſent, tam alienum tamen ſe ab
omni æris aviditate monſtraſſet, ut parua reſpective ſummæ por-
tio-

tione contentus, magnam ſuam gratitudinem tum erga defunctum Cardinalem, tum erga teſtamenti executorem ſemper deinceps oſtenderit: nimirum quem exiſtimavit recte feciſſe, ut pecunias a Cardinale relictas nobilis cujuſdam vetuſtique Templi reſtaurationi applicuerit.

LXXXVII. Cur tantis negotiis obnoxius?

PORRO Waddingus non accerſebat negotia, quippe ſtudiis ſuis ſatis occupatus, eorumque exercitio & aliis religioſis abunde contentus, ſed, ut ex ipſo alibi de ipſo ſcripſimus, ſe ipſi vel invito & cuncta declinanti; imo & pro viribus avertenti offerebant. Ex illis, quæ obedientia obſtrictus agebat, ipſius virtus ſæpe probata fuit: & illud, quod de ſancto Patre Franciſco canit Eccleſia: *Non ſibi ſoli vivere, ſed & aliis proficere vult Dei zelo ductus*, mirifice implevit. Sane Dei zelo ductus Lucas pietatis opera & afflictorum ſolatia tam prompte ſubibat, ac tam diligenter procurabat. Dei & Catholicæ fidei zelo ea Patriæ contulit beneficia, quæ prius explicuimus; eodemque zelo Collegia Romæ fundavit, & copioſam S. Iſidori familiam alebat: quæ cum abſque aliorum favoribus, ac beneficiis efficere non poterat pauper Minorita, hi viciſſim jure ſuo obſequia ipſius poſtulabant, nec ille, ſuis benefactoribus gratiſſimus, quidquam ipſis vel honeſte, vel juſte per ſe ipſum negari poſſe putabat, quod honeſte præſtari poſſet. Erga alios ipſum movebat religioſa urbanitas, & mutua officiorum correſpondentia, quam qui negligit, amicitiæ reus merito conſtituitur. Denique nomen auctoritatemque ſemel adeptam, quocumque labore ſuo, ſed aliorum honori, & emolumento conſervare oportuit; quam profecto multorum admiratione, magnaque laude ſui, per varias Urbis & Orbis viciſſitudines uſque ad conſummationem, & mortem egregie ſuſtinuit, quinque continuo Romanis Pontificibus, & utriuſque Ordinis aulæ Proceribus magis in dies, magiſque probatus & carus.

LXXXVIII. Extrema ætas Waddingi.

TAm juſta qualitatum ſymmetria conſtitutus erat noſter Lucas, ac tanta temperantia vivebat, ut ab utraque longam ac minime gravem ſenectam ſibi promittere poſſet: & quidem non obſtante perpetuo illo languore capitis & ſtomachi, quem ante deſcripſimus, non obſtante tam pertinaci diurni laboris & nocturni ſtudii contentione, & continua animi ſollicitudine, ætatem duxit ad annos plenos ſexaginta, tam negotiis omnibus, quam ſtudiis aptiſſimam. Sed anno Jubilæi & Chriſti MDCL. qui ipſi climactericus fuit, ideſt ſexageſimus tertius ætatis, circa æquinoctium autumnale corripuit eum longa & moleſta febris, qua omnino moriturus credebatur. Et quanquam evaſiſſet, ita tamen con-

tuſus, & contritus a morbo fuit, ut priſtinas vires nunquam deinceps recuperaverit, & laborum ſtudiorumque tædium & ſenectutis gravamina ſentire cæperit, ita ut pedum debilitate, & impotentiori frigoris & auſtralis flatus tolerantia, domo rarius exire cogeretur, & nonnunquam, ingruente neceſſitate, Cardinalis cujuſpiam, vel alterius amici rhedam adhibere.

Eadem tamen conſtantia, eodemque ſtudio ſerviebat ſacris Congregationibus, etiam poſtea conſtitutis, & octavum Annalium Tomum, me interim aſſiſtente, continuabat, abſolvitque impreſſionem anno MDCLIV. Fugiebat quidem quoad poterat varietatem negotiorum, ſed uſque ad mortem nunquam effugere potuit accedentium & interpellantium importunitatem; nec in Congregationibus unquam deſuit gravis & multiplex occupatio. Ipſe præter has (Annalium ſtudiis in me conjectis) aliqua ſua, & aliorum Opuſcula, jam olim compoſita, publicabat, ac deinde totum uſum privati calami, ſeu a Congregationum ſtudiis liberi convertebat in obſequium Deiparæ Virginis, cujus perpetuæ protectioni, & patrocinio quæcunque eatenus vel ſcripſerit, vel egerit, accepta referebat.

Advertebant interim aliqui, præſertim qui familiarius cum ipſo verſabamur ego & Frater Thomas a ſancto Antonio Religioſus Laicus, qui magna Lucæ ſatisfactione per multos annos illi pro ſocio ſerviebat, non multum vitæ tempus ipſi ſupereſſe; imo menſes omnes, præſertim hyemales, & æquinoctiales, & omnes mutationes temporum ipſi timebamus: nec in proprio ipſius ore frequentior, aut in alieno gratior ipſi ſermo verſabatur, quam de ipſius morte, quem variis virtutum actibus dilatabat, & interea precum officia, mortuorum præſertim, & Mariani Roſarii ſolito ſæpius ingeminabat. Quoniam autem ut erat ſedentariis ſtudiis intentus, præſertim hac ætate, qua pedes non adeo ſerviebant, ſic pituitæ valde ſubjectus erat, indeque timebat ne vel apoplexia præventus, vel catarrho ſuffocatus moreretur: ac proptèrea quoties de ſua morte loquebatur, dicebat optare ſe a divina clementia hanc gratiam, ut integris ſenſibus mori poſſet, & ita exauditus eſt, ut nec dolorem, vel pœnam in morte pateretur.

Hac vero valetudinis conſtitutione, & pertinaci ſtudiorum & laborum conſtantia ſeptem alios vitæ annos toleravit. Et ultimo anno per præceptum ſanctæ Obedientiæ coactus, ut Collegii regimen in ſe ſuſciperet, donec alius tunc electus Guardianus accederet, ſicut cum publica profeſſione inſufficientiæ & impotentiæ ſuæ, mandatum cum lacrymis ſuſcepit, ita tamen per annum integrum gubernavit, ut boni exempli, pro priſtino more, tenaciſſimus, omnibus communitatis actibus adeſſe non omiſerit, ubi actuali morbo non impediebatur; tametſi ſenectus ipſa morbus

bus illi fuerit. Et ſua prudentia & bonis diſpoſitionibus effecit, ut toto illo anno nihil neceſſarium nobis deeſſet, nec ullus noſtrum vel capitis dolorem ſentiret, cum publica lues totam Romam inficeret.

LXXXIX. Mortifera ægritudo.

VErum anno Chriſti MDCLVII. Alexandri VII. Pontificatus III. ætatis Lucæ ſeptuageſimo inchoato, & laborum in Curia Romana trigeſimo nono fere completo, cum Urbs eſſet a peſte plane libera, & Lucas, aliquot menſibus prius, Collegii regimen cum omnibus requiſitis circumſtantiis tradidiſſet novo Guardiano, ipſeque licet ætate & laboribus debilis, ſed animo vegetus, & corpore ſanus, die decima octava menſis Octobris, S. Lucæ Evangeliſtæ, ſui in Cœlo Tutelaris feſtivitatem conſueta pietate, ſolemnitatemque celebraſſet; ſequenti die, qui in dypticis Religionis B. Petro de Alcantara ſacer eſt, & eo anno fuit feria ſexta ſeptimanæ, invitatus fuit ad audiendum ſermonem Hiſpanicum de Beato Viro habendum in Templo Aracælitano. Et quanquam id ipſi non adeo commodum eſſet, propter ſuam tamen devotionem erga B. Chriſti Confeſſorem, & pro reverentia Concionatoris, a quo invitatus fuit, intereſſe voluit. Sed heu! non impune, nam aura vaſti frigidique Templi, per unam vel alteram horam, quibus initium & finem concionis expectabat, capitis dolorem ipſi concitavit, qui coryza creſcens, ad veſperum tandem in catarrhum deſivit.

Hunc vero tametſi non omnino neglexiſſet Lucas, non tamen ita curavit, quin pro ſua in amicorum ſatisfactionem ſolita facilitate, tertio inde die veſperi rogatus a quodam viro Principe, qui cum curru ad Collegii portam inopinate venerat, cum illo ſpatiatum aliquot millibus paſſuum extra muros jerit: quando ſeu motus ipſe, ſeu potius aura ſerotina, ſic affecit Lucam, ut media noctis hora domum reverſus, febricula ſe tentari ſenſiſſet; adeo lenta tamen, & fallaci, ut licet per aliquot inde dies detegeretur, poſtea tamen etiam Medicis ceſſaſſe viſa ſit, cum interim intus roderet; ſed iterum ſe foris manifeſtans, ægri vitam ſuſpectam illis reddidit. Circa vigeſimum autem infirmitatis diem acceſſit morbo ille fellis exceſſus, quem ante notavi, unuſque vel alter levior affectus. Sed notabilis fuit, quod duobus ante mortem diebus, dum ego ſolus ipſi aſſiſterem, inuaſit illum ſubitaneus, & vehementiſſimus totius corporis tremor, qui ſic me terruit, ut illum tunc animam agere credidiſſem, & elata voce vocaſſem Infirmarium ex proximo cubiculo; ſed Lucas non aliud quam *Jeſu*, *Maria*, Fili mi, tege me, tege me; & cum ipſe faciem & caput ſibi tegeret, ego me ipſum ſupra reliquum corpus extendi, & ſpatio unius orationis Dominicæ ceſſavit quaſſatio, ille-

que ad ſe reverſus iterum ſuſpiravit Jeſu Maria. Sed proh! dira mors hoc inſultu iniit poſſeſſionem; nam calor naturalis, qui illo impetu ad viſcera ſe retraxit, nunquam deinceps ultra genua deorſum reverſus eſt.

Interea vero, etiam ante hanc procellam, corporis vires continuo deficiebant, ſed tam procul ab omni alio dolore, vel moleſtia morbi, ut Lucas quandoque interrogatus quomodo ſe ſentiret? reſponderet ſe timere quod Deus ipſi ſuccenſeret, & cauſam timoris rogatus, diceret; quia morior abſque pœna, & omni cruciatu; vellem enim in me ſentire partem aliquam paſſionis Redemptoris mei. Deficiebat enim potius naturali ſolutione complexionis laboribus & ſtudiis conſumptæ, quam ulla violentia morbi. Et ſemper uſque ad mediam horam circiter ante mortem venientes amicos, Religioſos, Sæculares, Prælatos, Cardinales integris ſenſibus, viva memoria, perfecto diſcurſu & voce, quanquam debili, ſed clara tamen ſuavique excipiebat, & intimo dolore mœſtos, ac nonnullos etiam innatam gravitatem & ſeveritatem in lacrymas, gemituſque diſſolventes, ſolus ipſe liber & lætus, abſque ulla commotione dulciſſime ſolabatur. Cum iſto recolebat acceptos favores & beneficia, cum illo benevolentiam tot annis erga ſe conſervatam. Aliis pro ipſa viſitatione gratias agebat, cum aliis de communibus amicis, cum aliis de ſtatu ſui morbi, cum aliis de morte, mundi vanitate, de cœleſti gloria diſcurrebat: cum aliis miſcebat jucunda & recreativa colloquia tanto ſpiritu, & affectu, tanta vivacitate intellectus & memoriæ, ut nequaquam eo morbo moriturum crederes, ſi & medicorum judicium & corporis debilitas id non ſuaderent.

Cardinali Roſpiglioſo adeo ſingularia exultantis animi indicia monſtravit, etiam familiares diſcurſus ante multos olim annos cum ipſo habitos commemorans, ut Cardinalis ipſe pro ſua prudentia judicaſſet tantam vitam in emortuo corpore, non niſi naturæ extrema tentantis conatum eſſe. Quamvis etiam credi poſſit, tanti olim amici nunc ea dignitate & loco conſtituti benevolentiam & præſentiam infirmas vires excitaſſe: eoque magis quod ſua Eminentia S. D. N. Alexandri Pontificis Apoſtolicam Benedictionem attuliſſet; cujus vel ſonus nominis ſeu ſano ſeu ægro Lucæ ſemper jucundus & gratiſſimus erat. Sed Cardinalis quoque judicium alius caſus nobis comprobavit, nimirum allatæ Matrito epiſtolæ Joannis Robles, totius Ordinis tunc Vicarii Generalis, in qua cum Lucas ſubſcriptum ſaltem nomen lecturus, perſpicilia ſibi apponeret, nec apicem quidem legere potuit; illis vero depoſitis totam epiſtolam ſat longam; nec ſatis claro charactere conſcriptam ad ultimum verbum perlegit, cum per ſexdecim circiter annos prius, nec aliquid ſcribere, nec Miſſale, vel

Bre-

Breviarium ſine ocularibus legere ſoleret. Quæ revera extremas vires exerentis naturæ vehementia fuit, & Lucas ipſe intrepide dixit, non renovatæ juventutis lucrum, ſed abituri hoſpitis valedictionem fuiſſe.

Interea vero nullam dabat miniſtrantibus moleſtiam, nullius accuſabat ſeu tardum, ſeu ſiniſtrum obſequium, quanquam ceteroquin attentæ & exactæ conditionis, ſed etiam uſque ad hoc punctum venerandæ modeſtiæ & manſuetudinis. Si quid ſentiebat incommodi ſeu laſſitudinis, non alia ejus vox audiebatur quam lenia ſuſpiria, quæ per ſanctiſſima Jeſu & Mariæ nomina exprimebat. Si qua re indigebat, petebat humiliter: ſi quam offerebant miniſtri, vel jubebant Medici, quantumvis contra ipſius guſtum, obedienter tamen & prompte ſuſcipiebat. Eoque tandem debilitatis redactus eſt, ut non niſi liquidum alimentum, aliquot ante mortem diebus, admittere potuerit. Atque hæc ægritudinis ipſius integri menſis qualitas & ratio fuit.

XC. Mortis præparatio.

Diebus aliquot prius monitus Lucas de Medicorum judicio propinquæ mortis ipſius, non lætior alius intelligeret reſtitutam ſibi ſanitatem paratamque purpuram, quam ille hunc nuntium excepit: nimirum quem, etſi religioſa noviſſimorum recordatione, ſemper quidem, ſed peculiari attentione per ſeptem prius annos dietim expectabat; ſeu potius, ut ante dixi, mortem ipſam ſine præcedenti nuntio venturam timebat. Tanti intereſt pro tremenda hac hora, prævia & frequens ejus meditatio, teſtimonium conſcientiæ, virum probum fuiſſe, Deo ſincere ſerviiſſe, hominum nulli nocuiſſe, profuiſſe plurimis: *Qui enim de ſua ſpe & operatione ſecurus eſt, pulſanti confeſtim aperit, quia lætus judicem ſuſtinet: & cum tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilareſcit.* D. Greg. Hom. 13. in Evang.

Hinc illa noſtri Lucæ libertas & infractus ad mortem animus, quo revera *cupiebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Phil. 1. 23. Cujus bonæ vitæ ea quoque felicitas acceſſit, quod cum tam longe vixiſſet, interim tamen ad mortem uſque valuerit labores & ſtudia, tam ſibi honorifica, quam Reipublicæ utilia, conſtanter proſequi; & quod illo ætatis ad meritorum proemia vocatus ſit, quo hominum vita ſi protrahatur *amplius eorum labor & dolor eſſe conſuevit*. Pſal. 89. 10. Igitur his rationibus morte ſua contentiſſimus Waddingus, cum creberrimo uſu Sacramenti Pœnitentiæ, hoc eſt ſæpius bis, terve, quam ſemel per hebdomadam, conſcientiæ ſerenitatem conſervaſſet: id in primis nunc ſibi curandum cenſuit, ut ipſius anima Chriſti Sacramentis rite procurata ad Chriſtum ipſum e corpore migraret, & illa poneret media, quibus conſervaretur Collegii ſancti Iſidori diſciplina, quies & profectus; ac demum ut illa ſtudia

dia, quibus ipſe impalluit inſenuitque ad univerſi Ordinis utilitatem, continuarentur.

Quidquid ergo temporis adventantium colloquiis, aut neceſſariæ & per Medicos præſcriptæ corporis curæ ſibi reſervare poterat, id omne ſacris meditationibus impendebat, juſſo ut ad lecti pedem ante ipſius oculos appenderetur Deiparæ Virginis imago, quæ alibi in cubiculo pendebat; utpote cujus protectioni in hac hora mortis ſeipſum devote commendabat, & in cujus obſequiis majorem & meliorem vitæ ſuæ partem conſumpſit. Deinde ſingulari diligentia conſcientiam ſuam per Sacramentum Confeſſionis expiavit: Collegii Guardianum & ſeniores Patres convocavit, eiſque ſine ulla titubatione valedixit: ſe jam curſum conſummaſſe, fidem Religioni & Patriæ ſervaſſe; de Deo etiam ſibi propitio bene ſperare: locum ipſis in hac Urbe Roma paraſſe; eoque operis & opinionis deduxiſſe, ut cum ſui ipſorum commodo & laude, cum Patriæ & Religionis utilitate in eo vivere poſſent! ipſum ergo partem ſuam jam egiſſe; reliquum eſſe, ut ipſorum quiſque ſuam agat, pacem & veritatem diligant, mutuam in ſemetipſis caritatem continuam habentes; atque hanc illis unice teſtamento reliquit.

Poſt hæc petiit inexperti itineris Viaticum SS. Euchariſtiæ Sacramentum, quo allato ille in primis a genuflexis & collacrymantibus Religioſis omnibus, ſi quem unquam offendiſſet, veniam popoſcit, & a quibus offenſus eſſet, ſeu præſentibus, ſeu abſentibus ex animo condonavit, boni exempli curam, pacem & caritatem omnibus commendavit, pieque & affectuoſe rogavit ſingulos, ut frequentem ipſius memoriam in precibus ſuis & ſacrificiis haberent. Sumpto autem ſumma pietate SS. Sacramento, petiit etiam alterum extremæ unctionis, ad quod ſuſcipiendum, cum ſuo tempore allatum eſſet, ipſe ſua membra pari pietate per ordinem ungenda porrigebat; atque tunc, ac dum ipſius animam præſcripto ritu commendaremus Deo, ad ſingulas invocationes Litaniarum, & Pſalmorum, precumque verſiculos, clara voce, tantaque attentione reſpondebat, ut cum unicum, reſpirationis forſitan aut ſalivæ cauſa omiſiſſet, & ego ad caput genuflexus vocem tunc paulisper elevaſſem, ille apprehenſam meam manum ſtrinxit, ut indicaret ſe nihil negligere, & reliqua integre uſque ad finem clara voce proſequutus eſt; ac deinde biduo, quo ſupervixit Religioſorum ſingulos, prout occaſio ferebat, ſingularibus monitis erudiebat & ſolabatur.

Collegii vero ſtatum & proſperitatem commendabat curæ & patrocinio Cardinalium, Franciotti in primis & Ludoviſii, ac Prælatorum, qui ipſum viſitabant. Et quoniam inter Cardinales, Franciſcus Barberinus totius Ordinis protectionem ex officio gerit,

rit, ipſumque Collegium non abſque favore ſuæ Eminentiæ per Urbanum VIII. Pontificem, ejus patruum fundatum fuit, & utriuſque deinceps, atque Cardinalis Antonii beneficiis continuo promotum & auctum; propterea ſpecialem ipſius curam illi commendavit, idque in primis cum ipſum a Cardinale miſſus viſitaſſet Agapitus Colorſius Eminentiæ ſuæ, in iis etiam quæ ad Ordinem pertinent, a ſecretis, ipſique Lucæ familiaris, & carus, ut eum proinde rem ex animo ſuſcepturum non dubitaſſet: quamobrem longo ſermone aperuit illi quidquid ſeu per ipſum, ſeu per Cardinalem ad Collegii quietem, & conſervationem fieri cupiebat, eaque gementi, & lacrymanti Colorſio, repetitis amplexibus & oſculis commendavit: ac venienti poſtmodum ipſi Cardinali Protectori cuncta repetiit, debitoque affectu & confidentia, ipſius zelo, fidei ſtudioque concredidit & commiſit: nec deinceps complendo Lucæ deſiderio defuit aliquando Barberinus.

Quoniam autem Collegium utilius nulli committi poterat quam Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro Pontifici, ſeu Sanctitatis Suæ ſupremam poteſtatem, ſeu zelum in illis, quæ ad Catholicam fidem conſervandam propagandamque pertinent, ſeu benevolentiam & gratiæ pronitatem erga religioſa Lucæ deſideria reſpiciamus; idcirco pari diligentia rogavit, ut per Cardinalem Roſpiglioſum, per Sfortiam Pallavicinum nunc Cardinalem, per Proſperum Fagnanum, & Virgilium Spadam Prælatos, & per D. Hilarionem Roncatum Abbatem ſanctæ Crucis in Hieruſalem, quos omnes ſciebat ſibi in primis addictiſſimos eſſe, & frequentem atque opportunum acceſſum ad Pontificem habere, Collegium ſancti Iſidori Suæ Beatitudini, tum pro gratia ſua, tum pro ſuprema hac Lucæ ſupplicatione deſiderioque commiſſum commendatumque foret: quod & ab ipſis præſtitum, & a Sua Sanctitate ſuſceptum ſecuti hactenus effectus nobis comprobarunt. Denique de ratione ſtudiorum ita mecum egit, ut indicaſſet quænam opera finitis Annalibus, quos præ manibus habebam, vel utilia maxime, vel neceſſaria Religioni forent: quid in his atque illis conſcribendis curandum, quid cavendum eſſet: quid ipſe in aliquibus jam editis, vel monumentorum defectu, vel aliis caſibus omiſiſſet, qualiterque ſupplenda, vel quæ alio modo diſpoſita cuperet: & ad hæc, atque vitam meam religioſe degendam ſaluberrima ſane documenta dedit; detque Deus, ut per me rite ſerventur. Denique unum vel alterum librum, quos ille mutuo quondam accepit, juſſit ut ſuis Dominis reſtituerem.

XCI. Mors ipſa, & funus.

CUm in his ita conſtituendis biduum, triduumve tranſiiſſet, & Lucæ corporis vires continuo decreſcerent, ultimo tandem die Dominico mane, qui fuit decimus octavus Novembris, & ipſius

& ipſius morbi trigeſimus ſecundus, hora circiter decima, matutina, ſeu ſecunda ante meridiem, cum nativus calor jam etiam foemora defereret, & reſpiratio non amplius moveret ventrem, ſed tota ad pectus collecta fuiſſet, infirmus non poterat ita loqui ut audiretur, ſed ſemper ſic ſibi præſens, ut caperet quæcunque dicerentur, & perſonas dignoſceret. Cumque tunc adveniſſet Princeps Ludoviſius & ad lectum genuflexus Lucæ benedictionem pro filio, quem adduxerat, cum lacrymis petiiſſet, tunc Lucas extendens manum ſuam filii manum apprehendit, eo ſignificans, ſe illi benedicere & optimo Principi valedicere, cujus favoribus & benevolentiæ multum in vita debuit, ac medio circiter quadrante horæ poſt, oculis ſemper vivacibus, & in Deiparæ imaginem firmiter defixis abſque ulla turbatione, vel minimo motu oris, oculorum, aut ullius partis corporis, reſpiratione ſenſim deſinente, dulciter expiravit: & aliquot ſacra ad id reſervata, ſtatim pro ipſius animæ requie celebrata fuerunt. Aperto deinde quinque circiter horis poſt mortem corpore, repererunt pulmones & unum ex renibus bona ſui parte conſumptos, atque in veſica fellis duriſſimum lapidem magnitudine nucis avellaneæ, & alterius veſicæ collum humoris acrimonia corroſum, quam cauſam judicarunt ſanguinei lotii quod infirmus aliquoties reddidit: cor autem inſolitæ magnitudinis, ac tot poſt mortem horis recenti, fluidoque ſanguine plenum.

Exta in communi Fratrum ſepulcro condita fuerunt, & corpus Religionis habitu indutum, ſic ad tertium diem, in aperto Cœnobii loco, adventantibus expoſitum fuit. Die vero martis ad Eccleſiam deportatum, & convenientibus amicis ſummum ſacrum pro defuncti requie cantavit Reverendiſſimus Pater Hyacinthus Libelli, Ordinis Prædicatorum, ſacræ Congregationis Indicis a ſecretis, & funebrem orationem latine habuit P. Franciſcus Matthæus, ejuſdem Ordinis, ab ipſius Ordinis Generali ad id conſtituti, non ſolum ob communem nexum utriuſque Religionis ab ipſis Fundatoribus contextum, ſed propter ſpecialem etiam ipſius Lucæ, toto tempore ſui Romani incolatus, cum Dominicani Ordinis Præfectis, & præcipuis Patribus amicitiam, & quam cum præſenti Reverendiſſimo Patre Joanne Baptiſta de Marinis, non Romæ primum, ſed olim Salmanticæ contraxit, & ſemper deinceps continuavit.

Abeuntibus deinde, qui ad honorarium hoc funus convenerant, populum etiam Templi foribus excludere neceſſe fuit; tanta enim viris fœminiſque inſederat opinio probitatis Lucæ, ut & Franciſcanam ejus chordam uſque ad nodum cincturæ, & habitum ipſum uſque ad genua ſurſum carptim, certatimque ſibi abſciderint, quiſque particulam ſuam pietatis cauſa ſervaturus, ut

ut neceſſe fuerit corpus alio habitu veſtire: ſicque indutum hora circiter quarta pomeridiana ligneo loculo incluſum, in egeſta terra ſepultum fuit, quarto loco poſt Hiquæum, Cavellum, & Benignum, ſub aſpectu genuflectentis ad angulum ſacelli ſancti Antonii verſus altare majus.

Et cum ab ipſius morte jam tranſiiſſent horæ circiter quinquaginta quatuor, dum ego cum aliis, tam exteris, quam domeſticis, qui aderant, ejus manus oſculari vellem, cunctos digitorum ipſius articulos in pugnum contrahere, extendere, flectere tam facile poteram quam proprios meos, notavimuſque per candidam cutem turgentes venas cæruleo colore, quas dum premerem, illæ cedebant, dum digitum elevarem ita redundabant, ut ſi aperirentur, crederem ſane fluidum ſanguinem reddituras; nec ullum interea dabat ſignum corruptionis, nec alia vultus forma, vel ſpecies fuit quam vivi, & clauſis oculis aliquid meditantis, vel ſuaviter ſoporati eſſe ſolebat.

Mirum ſane quam univerſalis in Urbe luctus fuerit, quanta Lucæ præconia poſt ejus mortem, ut Cardinalis quiſpiam, tum ſua dignitate, tum obitis pro Eccleſia muneribus conſpicuus, dixerit velle ſe & purpuram, & alia ſua cum tam illuſtri vita tam glorioſa morte coronata commutare, qualis contigit Patri Waddingo. Neque enim ab infimo bajulo ad Summum Pontificem ullus fuit, vel ſemel aliquando Lucæ locutus, qui non aliquam ejus laudem cum dolore mortis ipſius exprimeret. Plebei memorabant gravem Ordinis Patrem, virum celebrem, a Magnatibus tanti habitum, nihilominus adeo comiter, adeo humiliter ſine faſtu, vel ficta feſtinatione ſecum ipſis converſari, lamentationes audire, ærumnis condolere, piis monitis conſolari, indigentiæ ſumma cura & caritate providere ſolitum. Opifices, & Inſtitores ipſius animam benedictionibus replebant, qui vel mercium pretio, vel operantis mercedi ſic nihil unquam detraxit, quin potius ampliorem abſque dilatione tribuens, ab opere laſſos, & aliunde forſitan mœſtos hilari ſuo vultu, & affabili ſermone recrearet. Alii officia & beneficia per ipſius operam in ſe collata referre, aliorum quiſque pro ſua experientia variam ejus virtutem laudare, quam bene ſe diverſis occaſionibus olim geſſerit, quanta confidentia, quanta opinione, quanta benevolentia apud Pontifices, Cardinales, alioſque Principes viros valuerit, commemorare. Principes ipſi, in ejus morte occidiſſe magnum lumen Curiæ Romanæ, ſe quidem antiquum optimumque amicum, in laboribus levamen, in deſideriis efficax inſtrumentum, in dubiis certum fidumque conſiliarium, in adverſis rebus ſolatium amiſiſſe. Omnes, & calidis multi lacrymis, virum integrum, probum, doctum, prudentem, & in omni re bona verſatiſ-

ſimum, Religioſum exemplarem & probatiſſimum prædicabant. Atque hæc Romanis per aliquot a Lucæ morte ſeptimanas communis colloquii materia fuit, neque uſque ad hodiernum diem, quinto jam poſt mortem anno, pro incidenti occaſione deſiſtunt. Imo vero neque Scriptores etiam, qui poſt ipſius mortem ſcribunt, ejus laudes prætermittunt, ex quibus aliquot elogia inter aliorum de ipſius virtute teſtimonia reponenda decerpſi: unde apparet eos etiam, qui illum in vita laudarunt, id vera meritorum

Eccli. 1. 13. ejus æſtimatione feciſſe. Etenim, *timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.*

Sepulcri lapidem aliqui potentiores amici ponere voluerunt, ſed præventi fuerunt ab Advocato Hercule Ronconio, viro propter virtutem, ac integritatem in Urbe noto, & caro, Lucæ etiam defuncto, dum Hercules ipſe vixit, addictiſſimo. Has autem lapidi notas incidi voluit vel ipſe, vel neſcio quis alius. Ego unam vel alteram dictionem pro meliori diſpoſitione ad alias lineas tranſtuli, quam in quibus a lapidario inciſæ fuerunt.

D. O. M.
R. A. P. F. LUCÆ WADDINGO HIBERNO,
VIRO ERUDITO,
VIRTUTIBUS ORNATO,
DE ECCLESIA, RELIGIONE, ET PATRIA
BENE MERITO,
LECTORI JUBILATO;
TOTIUS ORDINIS MINORUM CHRONOLOGO,
PATRI, AC FUNDATORI
OPTIMO, ET AMPLISSIMO
COLLEGIUM MOERENS POSUIT,
ÆRE D. HERCULIS RONCONII
IN URBE ADVOCATI,
EJUS VERI AMICI.
OBIIT
XVIII. NOVEMBRIS. M. DC. LVII.
ÆTATIS LXX.

Poſt hæc etiam apud Capranicenſes in illa Lucæ nova fundatione parentatum illi fuit, habita pariter oratione latina, quam in defuncti laudem bene compoſuit P. Franciſcus Junius ſacræ Theologiæ Lector hujus Collegii alumnus. Et quanquam totius Ordinis Provinciarum Patres erga Lucam bene affecti & ipſius tum litterariis, tum aliis laboribus ita obſtricti eſſent, ut ejus animæ ſuffragari vellent; nihilominus Reverendiſſimus Pater Sebaſtianus a Cajeta, tunc totius Familiæ Ciſmontanæ Commiſſarius

Ge-

Generalis, circulares litteras ad omnium ſibi ſubjectarum Provinciarum Miniſtros miſit, quas quia breves ſunt, ac tam digni Religionis Prælati, de Luca teſtimonium, opinionemque continent, placuit huc ex Italico exemplari integras transferre. *Cum ad meliorem vitam tranſierit Pater Lucas Waddingus communi planctu totius hujus Curiæ, & omnium Religioſorum Ordinum, ſed ſpeciali noſtri, qui tantum virum amiſit, moneo P. V. & quantum debeo etiam onero, ut quemadmodum dictus Pater uſque adeo illuſtravit Ordinem, ſic in hac veſtra Provincia ea ſuffragia offerri facias, quæ tam boni Patris meritis debentur: tametſi credere debeamus, quod ille, uti per longum vitæ ſuæ curſum ſemper erat optimi exempli Religioſus, ita nunc fruatur æternis cœli bonis. Datum Romæ* XXII. *Novembris* MDCLVII. Sicque per totam hanc Familiam juſta illi ſoluta ſunt, & ut audio, ſingulari pompa in Cœnobio Neapolitano ſanctæ Mariæ novæ, curante altero Sebaſtiano a Neapoli tunc illius Provinciæ Miniſtro, nunc Regularis Obſervantiæ in tota Ciſmontana Familia Vicario Generali.

Idipſum in Germaniæ quoque, Belgii, Galliæ, Hiſpaniæ Provinciis factum, partim certa notitia percepimus, partim nos credere jubet communis omnium erga Lucam affectus, & opinio meritorum ipſius. Multi deinde tum intra, tum extra Urbem ipſius imaginem expetierunt, & ſtudio Fratris Thomæ ſocii ipſius in tela vivis coloribus depicta quibuſdam communicata fuit. Sed quoniam nec ſic multitudini ſatisfieri potuit, is idem ſocius curavit, ut duplici forma ex æneis laminis papyro impreſſam plurimi accepiſſent. Verum, ſeu nimia feſtinatione, ſeu alia cauſa factum, ut impreſſarum neutra venerandum Lucæ vultum ad vivum exprimeret. Prima & originalis, quæ Herculis Ronconii cura ex ipſo corpore depicta fuit, in ipſius quondam, nunc Nicolai nepotis Muſæo ſervatur, ex qua ego delineari deſculpique feci, quam huic ipſius vitæ præfigo, peritorum judicio, veriorem ejus effigiem.

Lucæ Waddingi corporis ſtatura juſta fuit, nec deſpicienda ſui parvitate majoribus, nec minoribus vultus projectu ſuſpicienda, ſed magis parvitati quam excreſcenti moli vicinus. Corpus totum compactum, nec obeſum, nec niſi in ſenectute, ac tunc extremis tantum partibus gracile: forma decora, vultu leonino, ac juniori ætate pleno capillitio, plenaque barba & ſuperciliorum pilis unicolor, totus aureus, cuteque candida, & rubicunda cum Davide Propheta *Adoleſcens rufus, & pulcher aſpectu.* Senem ore pallidiori, calva fronte, & pilorum niveo candore, alii barba tonſa S. Bernardino Senenſi; alii, eadem promiſſiore, ſancto Philippo Nerio aſſimilabant: ſed dum ſanguis, ſeu hortandi,

XCII. Corporis conſtitutio.

1. Reg. 16. 12.

di, diſputandive fervore, ſeu juſto zelo movebatur, toto capite purpureus evadebat. Frons ampla, magiſque rotunda quam plana, ſemper ſerena, & paucis rugis leniter contracta, omni ætate ſua gravis, & grata: ſupercilia piloſa & recurva, duobus ſinubus ab intercilio digitum lato diſtincta: oculi leucophæi, nec prominentes, nec nimium cavi, ſinceri, conſtantes, & modeſti, atque ad annum fere ſexageſimum viſu perſpicaciſſimi; inde ſtudiis debiliores, artis perſpicilia ad libros requirebant. Naſus nec excreſcens nec deficiens, recto ductu protenſus, tranſverſo ſinu ab intercilio ſeparatus, & in medio, atque ſenſim in aquilinam formam declivi cuſpide moderate latus. Nares liberi, & orbiculati. Labra juſta. Mentum nec latum, nec acutum, ſed rotundum. Barba, cum aliquot ſeptimanis excreſceret, quadra, & a mento intactis genis ſurſum porrecta. Tempora ſeni cava. Genæ nec depreſſæ, nec ultra menſuram elatæ. Aures quoque compoſitæ, juſtæque magnitudinis, inſerne ſuperneque ſufficienter a capite ſejunctæ. Labia & maxillæ, defectu dentium ad eorum loca in ſenectute contracta. Collum juſtæ proportionis. Manus longæ & æque ac pedes nervoſæ, & cute utrobique candidæ. Caro tota delicata & mollis.

Senſus omnes habuit vivaciſſimos; ſed ut viſum, ſic etiam auditum, citra ſurditatem, obtuſiorem reddebat ſenectus. Odoratum uſque adeo vividum, ut leviſſima quæque objecta ſentiret, ſciretque ex odore perſonas, quæ ante ipſum vel tranſiiſſent, vel ſubſtitiſſent in loco: ſed acutis, & vehementioribus objectis offendebatur. Et cum dentes non haberet, adeo tamen diſtincta & integra erat ejus locutio, ut nullam ſyllabam non diſtinctiſſime pronunciaret, propriamque vim, & ſonum ſingulis conſonantibus tribuebat, quod in edentulis rarum eſt. In ipſius ingenita humorum temperatura dominabatur ſanguineus; verum atræ bilis tantum illi conceſſit natura, ut ſanguinis aëream levitatem juſto pondere cohiberet, & inconſtantem fluxum terrea ſua ſiccitate ſolidaret, ingeniumque clarum rebus gnaviter intentum, & cum morum facilitate in omni actione geſtuque ſerium, & citra moroſitatem ſeverum redderet. Flegmaticus humor, ſanguineo cognatus, adeo moleſtus Lucæ fuit, ut ſenilibus præſertim annis a gutturis & palati pituita inopinatum exitium perpetuo ſibi timeret. Sed divina providentia remedium, quamvis origine periculoſum, ac deinceps etiam pœnoſum adhibuit, intimum ignem flavæ bilis, qui tantum humorem decoqueret, non tam innata conſtitutione, quam caſu generatum.

Cum enim Lucas in Hiſpania anno ætatis ipſius vigeſimo ſecundo ſtudiis incumberet, & ſequenti die publicas Theſes propugnaturus, ut commodius noctu ſtudere poſſet, ardentes prunas cu-

cubiculo induxit, & in lecto jacens ſtudebat; inde obdormiſcens ignei vaporis hauſtu vires paulatim amittere, donec Dei nutu ipſa ſui ſuffocatione expergefactus, parietem cui adjacebat ſine voce vix tundere valuit: quo accurrentes Religioſi ſemivivum extraxerunt, atque ita in exteriori ambitu humi ſtratus apertis feneſtris ad ſe rediit; ſed ſemper deinceps remanente illo flavæ bilis exceſſu, quem ante deſcripſi. Quanquam autem hinc factum ſit, ut Lucæ flegmata non aquoſa crudaque, ſed cocta & coagmentata eſſent; mirum tamen quantum abundarent in viro temperatiſſimi victus, diurnoque motu ſemper agitato: ſi æque intempeſtus non eſſet nocturnus labor ad libros, qui vitales animaleſque ſpiritus paulatim abſumendo, humanæ vitæ caſtrum, obſidenti humori tradunt: corporis quidem blandi proditores, ſed animi, ſi pie, prudenterque tractentur, æterni fidique cuſtodes.

XCIII. Ingenium, & affectus animi.

CUM autem ejuſmodi fuerit conſtitutio corporis Lucæ Waddingi, meliorem animam ſortitus eſt, moreſque ſuaviſſimos; ingenium acre & in agendis providum, ſed circumſpectum, quietum, & rebus utilibus contentum: atque ad eas inveniendas tam ſolers & induſtrium, ut ſive legendo, ſive meditando, cito illi occurreret, & facile apprehenderet ipſe, quod ad quamcumque rem propoſitam apte faciebat. Judicium in inventis diſcernendis, diſponendiſque clarum & ſolidum, quod in ejus operibus multi notarunt. Memoria lectarum, auditarumque rerum tam fertilis, & prompta mater, quod ex adverſo, propria quorumdam ſeu locorum, ſeu perſonarum nomina, alioquin familiaria, reminiſcendi tarditas, qua etſi raro ſub vitæ finem laborabat, inter alia propinquæ mortis ipſius præſagia nobis fuerit. Inſitam habuit moderatam quamdam animi celſitudinem, & naturalem excellentiæ poſſeſſionem, qua vilia cuncta, ſordida, ſiniſtra, inordinata, inepta & alicujus perſonæ ſtatu, vel conditione, loco etiam, ſocietate vel tempore indigna dedignabatur, & primo aſpectu diſcernebat; rebuſque nitidis & rite diſpoſitis, ac in omni caſu dignis, ac decentibus delectabatur, & complacentiam quamdam in iſtis monſtrabat; maxime cum ad publicum decus, vel divinum cultum conducebant.

Hinc iterum, ut omnia ſua ſuorumque, tum ſibi ipſis impœnitenda, tum aliis irreprehenſibilia eſſent, valde cupiebat, & conabatur; unde perſonarum ſelectum ad publicas ſunctiones officiaque abſque omni affectu, vel alio, quam decoris publicæque honeſtatis, & utilitatis, reſpectu faciebat: neque per Collegii diſcipulos Concluſiones etiam ordinarias ad ſcholarum valvas affigi, vel Sermonem etiam in privato triclinio haberi permittebat, quin ab aliquo Patrum prius approbarentur; nec publicas Theſes, aut

aut epiſtolam dedicatoriam, ſeu proluſionem diſputationi præmittendam non ſatis prævifam diſcuſſamque admittebat: & his etiam minora, quæ aliorum ſenſibus, atque adeo cenſuræ exponenda eſſent, ſuis primum experiri ſatagebat. Inde quoque naſcebatur, ut non confeſtim aut palam ſemper agnoſceret, ſe per adverſi judicii quempiam victum eſſe; ſed dum ſapienter cederet rationi, providebat etiam plerumque, ut id humanitate potius quam neceſſitate facere videretur; ut cum diceret: res quidem bene ſe habet, ſed quoniam tu aliter cenſes, ſaltem tui gratia aliter diſponam: atque his, vel ſimilibus verbis auctoritatem ſuam abſque intimæ humilitatis diſpendio, vel opinionis pertinacia, ſeu contentione dextre tuebatur, ſeque ſuaviter accommodabat alieno judicio. Imo vero quandoque tametſi non cederet verbo, re ipſa tamen rem alieno potius quam priori ſuo diſponebat arbitrio; omnino ratus, prudentis eſſe mutare conſilium. Proinde, qui hanc ejus conditionem experti fuerunt, non multum cum ipſo contendebant, ſed ſententiæ ſuæ rationem tanquam aliud agentes exponebant, certi nimirum ſufficere pauca ſapienti, nec Lucam neglecturum reflexionem.

Etenim in rebus agendis nulla cupido finis illum ultra deliberationem rapiebat, in qua potius nonnunquam tardus videbatur, ſed illo ſecurior, ac deinde velox & efficax reſolutionis executor. Sed uſque ad aſſecutionem effectus inter ſpem & metum conſtituto, ingruens obſtaculum, vel optatis potiundi difficultas non tam dejiciebat animum, quam acuebat induſtriam, & concitabat diligentiam; ſed adeo diſcretam, ut quando negotii qualitas concedebat moram, ille libentius captabat opportunitatem, quam anxie, vel importune quærebat: cum ex adverſo nulla ſpecies facilitatis, vel ſui aut aliorum confidentia ſecurum redderet; ut nonniſi parce, pavide & conditionate promitteret optatum ſucceſſum. Ut vero in rebus humanis nihil nimis vehementer cupiebat, ſic in adeptis, aut feliciter confectis non effundebat lætitiam; neque fruſtrata ſpe ſtudiove, quod raro contingebat, nimium triſtabatur. Congratulantium applauſus & veram juſtamque laudem non fatue, vel ruſtice rejiciebat, ſed humiliter & religioſe aliorum favoribus, Deique in primis & Sanctorum gratiæ, & protectioni referebat: ſe quidem conatum eſſe, quod juſtum honeſtumque videbatur, ſed initium finemque deberi Numini, *ſine quo nihil poſſumus facere, neque cogitare quidem aliquid ex nobis*. Laudabat etiam illos, quorum operam favoremque ſibi utilem in re feliciter deducenda ſentiebat; & hac ratione gaudium ſuum cum amicis modeſte communicabat. Vanam autem adulationem, & ſuperfluas quorumdam cæremonias, quanquam ſemper odiſſet, ne perſonas tamen confunderet, non temere retundebat, ſed prudenti di-

2. Cor. 3. 5.

ver-

verſione transferebat ad utiliores diſcurſus. Condolentibus ipſi vel de ſuo ipſorum adverſo caſu quærentibus dicebat, ſatis nobis eſſe, ut quod noſtrum erat egerimus, quodque tam Deo, quam hominibus vere reſpondere poſſimus, per nos non ſtetiſſe bonum rerum eventum: ſæpe melius eſſe non adipiſci cupita, nec decere Dei bonitatem ſic noſtras audire preces, vel dirigere conatus, ut ſemper quod velimus, ſed potius ut quod velle deberemus id nobis eveniat. Atque per hæc ipſe ſua ſorte contentus alios etiam ſolabatur, uſurpans cum doctrina ſententiam Sancti Auguſtini: *Multis propitius Deus non tribuit quod volunt, ut quod utile eſt tribuat. Novit enim Medicus quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus, & ideo contraria poſcentis non facit voluntatem, ut faciat ſanitatem.* *De Unitat. Eccl. c. 19. In Evangel. Jo. tract. 73.*

Is animi candor inerat noſtro Waddingo, ut non ſolum quæ in Dei providentiam referre poſſet, ſed quæ etiam ab hominum diſpoſitione dependebant, quantumvis ipſius captui contraria, ſemper tamen in meliorem ſenſum interpretaretur, ut vel inveniret ipſe, vel latere diceret cauſam aliquam, ex qua alterius dictum factumve, alioquin malum, excuſari poſſet. Eademque animi ſinceritate res dubias explicatione magis declarari, quam abſoluta ſententia vel damnari, vel abſolvi cupiebat. In eos, quos erga ſeipſum ſincere benevolos, vel beneficos aliquando probavit, tanto gratitudinis affectu ſerebatur, ut nullum refugeret incommodum, ubi id requireret utrorumvis obſequium, vel officium reciprocæ humanitatis. Imo vero ſatis ad ſui obligationem exiſtimabat, ſi alius abſque beneficio, vel benevolentia, ſeu proprii emolumenti, ſeu alienæ commendationis confidentiam in ipſo ſincere collocaſſet. Elegantibus quidem, amœnis & acutis ingeniis delectabatur, ſed ab aſtutis & fraudulentis abhorrebat: ſunt enim aliqui ſeu natura, ſeu conſuetudine ita comparati, ut nec obſequium, nec donum, nec juſta ipſa merces operis illis placeat, ſi hæc fraude & mendacio non ſubripiant. Sed Lucas quos ejuſmodi eſſe cognoſcebat, vel etiam ſimulatores, adulatores, jactabundos; mendaces, maledicos, ingratos, infidos, inſidiatores, non mutuo vitio ſuperare, *nec æmulari in malignantibus, aut zelare facientes iniquitatem* ſtudebat, ſed quantum poterat evitabat aut *vincere in bono malum*. Et ſane ad alienos manifeſtos horum vitiorum actus alterato vultu erubeſcebat, non ſecus quam ſi ipſe in illis deprehenſus eſſet, & pro perſonarum ratione ſincere, & libere, ſed prudenter, & modeſte monebat errantes. Dicebatque hæc eſſe adulteria naturæ humanæ, quam Deus rectam, & ſocialem creavit, cuique ſingularem illam loquendi facultatem ideo tribuit, ut ſermo ipſe animi imago eſſet, & quiſque ſenſus animi ſui ſincere aperiret, nec alioquin conſiſtere poſſe hominum ſocietatem. *Pſal. 36. 1. Rom. 12. 21.*

Ipſius

Ipſius vero Lucæ ſermo parcus & purus, honeſtus & verax erat. Nihil nimis aſſeveranter affirmabat, nec recordor me unquam ipſum jurantem audiviſſe. Nihil hyperbolice laudabat, nec aggravabat vituperia, præſertim perſonarum, quamvis eis dignæ eſſent, ſed omnium famæ vigilanter cavebat. Bona ſua, cum occaſio requireret, modeſte & verecunde referebat. Sermo communis illi nec lentus, nec præceps, neque vocem ultra gratum præſentium auditum extollebat; in Diſputationibus autem & publica exhortatione, ſic citra auditorum offenſionem quandoque elevabat, ut ſuaviter penetrando conciliaret attentionem. Adventantium captui guſtuique ſic ſe accommodabat, ut cum eruditis erudita, cum religioſis piiſque viris pia & religioſa, cum Principibus publiciſque perſonis publica, cum privatis privata, cum fabris denique fabrilia tam experte dextreque tractaret, quod in ſingulorum profeſſione veteranus eſſe videretur. Sic etiam cum diverſarum gentium hominibus, cujuſque proprium aliquid & proprio ſæpius ipſorum idiomate diſcurrebat, ut facilem ſe gratumque omnibus reddidiſſet, & magnam ſibi conciliaſſet omnium opinionem, & benevolentiam. Flere illum aliquando pietatis aut alienæ compaſſionis cauſa vidi, ſed tacitis lacrymis abſque ejulatu vel gemitu. Ridere etiam oculis quidem ſæpe, ſed auribus nunquam percepi; labiis etenim leniter breviterque diductis, abſque ullo cachinno vel dentium detectione, monſtrabat affectum.

Animi relaxationes non facile admittebat, quæ aliquam eruditionis, vel caritatis non haberent conjunctam utilitatem; ſibi contentus illa corporis exercitatione, quam dabant ipſa negotia per Urbem agenda, eaque animi delectatione, quam capiebat ex diverſorum diſcurſibus, quos eadem occaſione cum obviis, plus quam cupiebat, aliquando miſcere debebat. Præterea vernis præſertim diebus, matutino tempore, ſeu in horto, ſeu extra vicinam portam civitatis, ad morulam ambulatum ibat, ſed interim orando. Et ſemel ſaltem in anno, cum aliquo Cardinalium, per paucos dies, ad ipſorum ſatisfactionem, invitatus ruſticatum ibat. De cetero domeſticas, etiam Fratrum, recreationes declinabat, nec Templorum muſica, vel ullis ſpectaculis ſeipſum a meliori bono diſtrahi, vel detineri ſinebat. Atque hi quidem ſunt Lucæ noſtri mores, quos mea mihi ſuggerit memoria. Id ſolum addiderim nunquam me noviſſe virum, in quo ſic abundaret ſanguis, & flava bilis, adeo ſedatæ mentis quam illum, aut qui præſentius aut potentius illo dominaretur iis animi ſui affectibus, qui ex his humoribus nati humanam rationem in aliis maxime perturbant: eorum enim naturales, & neceſſarii effectus in illo nobis manifeſtati erant, ſed eodem ipſo tempore liberos, & qui morum vitio verti poſſent, peculiari ſtudio, judicio, & virtute, non abſque occul-

occulto quodam rationis & naturæ certamine, cohibere cernebatur: Ut illum proinde virum, non fortem tantum, ſed iſto meliorem pronunciare non dubitem, ſi verum ſit, quod certum eſſe neceſſum eſt: *Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore Urbium.* Prov.16.32.

XCIV. Quotidianæ vitæ, & victus ratio.

NUnc vero ut oſtendam quanto rectæ rationis dominio Lucas noſter hanc ſui corporis mentiſque conſtitutionem gubernaſſet, quotidianæ vitæ rationem primo loco expoſiturus, incipiam a veſpertino tempore, quo in primis poſt commune penſum orationis mentalis, quæ a Completorio ſemper in Choro habetur, aliis ad collationem, aut cœnam pro ratione temporis, abeuntibus, ille ad cubiculum ibat, hora, quam toto anno obſervamus, ſeptima circiter pomeridiana: & quando nocturnis officii divini horis in Choro ſe defuturum ſciebat, eas tunc ſimul cum canonicis laudibus privatim recitabat; prævidebat enim quantis diſtractionibus ſequenti mane, vel ſe ipſum ad forum parando, vel adventantibus domi ſuſcipiendis expoſitus foret, quas proinde prævenire malebat, quam a Dei obſequio per ipſas præpediri. Inde admittebat Patrum viſitationes, vel ipſe, cum Superior eſſet, vocabat procuratores, alioſque domus officiales, quibuſcum aliquid pro ſequenti die diſponendum, aut pro præterito diſcurrendum erat. Hinc ad horam undecimam incumbebat ſtudiis, & quandoque, quod ante notavi, mediam noctem incautus in iis prætteribat; ac hyeme non raro manibus pedibuſque inadvertenter ita congelatis, ut calamus manu excideret, nec niſi parietibus innixus ex Muſæo ad cubiculum abire poſſet.

Ceteroquin hora undecima, ſtudiis cum aliqua mentis in Deum elevatione terminatis, ad conciliandum ſomnum, ſpirituſque refocillandos coctam herbæ plantulam aceto conditam, vel ovum, tantillo panis, & odore potius, vel ſapore quam hauſtu vini ſumebat. Poſtea Virginis nocturnas horas & coronam recitando totum Cænobium ſilenter perluſtrabat, ut experiretur vigilantiſſimus paſtor, an cuncta ſe recte haberent. Media nocte ad ſomnum ſe comparabat, & quidem Salomonis effatum in ſeipſo certum ſentiebat: *Dulcis eſt ſomnus operanti ſive parum, ſive multum comedat.* Etenim tam laſſus, & inchoato quadantenus jam ſomno, lectum conſcendebat, ut æſtate totas quinque circiter horas, hyeme ſex, aut dum a morbo convaleſceret, etiam ſeptem abſque ulla interruptione, corporis motu, vel turbis phantaſmatum continuo dormiret: quod in ſene rarum eſt, & ipſe ſpeciale Dei donum agnoſcebat, quo magis quam cibo ſpiritus vireſque ad labores alacriter iterum reſumendos reſtaurabat. Expergefactus, poſt matutina Chriſtiani hominis erga Deum officia, Eccl.5.11.

quæ flexis genibus exolvebat, recitabat ſaltem illam diurni penſi horam, quam Primam vocant, & quæ peculiaribus hymni, orationum, aliarumque precum formulis, quibus conſtat, illi diei tempori appropriata eſt: & cum exire domo oporteret, Miſſæ quoque Sacrificium prius offerebat, quod nullo die, niſi lecto hærens, omittebat. Si domi manebat reliquum tempus uſque ad prandium tum ſtudiis, tum rebus domeſticis, tum excipiendis advenis impendebat, a quibus nunquam liber erat.

In prandio tam parvam ſimpliciſſimi victus quantitatem ſumebat, ut hominem, præſertim diurno per Urbem motu exercitatum, illa ſuſtentari poſſe vix crederes. Si quid apponebatur amplius, id in alios diſtribuebat, eos præſertim quos ipſe prius pro officio ſuo, & Religionis conſuetudine vel reprehendebat, vel aliqua vini ciborumue abſtinentia mulctabat: vel etiam juniores quorum doctrinæ, vel pietatis profectum, aut communis obſequii actum, vel activitatem, & officioſæ urbanitatis religioſam promptitudinem his ſignificationibus gratam ſibi teſtari volebat, ut & in illis religioſæ correctionis acrimoniam hoc unguento liniret quo ſe placatum oſtendebat, & in iſtis virtutem æſtimatione & qualicumque hoc ejus teſtimonio promoveret. Non raro & binis quandoque, terniſque continuatis diebus abſque omni potu ſe reficiebat, paucis aliquot pulmenti cochlearibus cibi potuſque loco contentus. Appoſitum interea purioris vini paululum ad ipſius uſum, ab aliquo benefactore ſpecialiter miſſum, aſſidentibus Patribus infundebat, vel mittebat alicui ſeni, vel non recte valenti, aut alioquin abſtemio, quo illi recreabantur, & iſte meritum abſtinentiæ in meritum obedientiæ convertebat: quod ſæpe notavimus in meo quondam, utinam tam ſinceri ſervi Dei, religioſiſſimo condiſcipulo Fratre Michaele Duvino a Sancta Maria, qui poſtea SacræTheologiæ profeſſor apudGenuenſes cum opinione ſanctitatis, & miraculorum fama deceſſit.

Ceterum Lucas cum æſtivis diebus urgente ſiti maxime bibax eſſe voluit, non vinum aqua, ſed aquæ cruditatem minimo vino ſanus & conſiſtenti ætate temperabat, neque ſic quidem ordinarii vitri quantitatem duabus, vel ſummum tribus vicibus diviſum una refectione ſuperabat: quod ſi interdiu neceſſitas urgebat, palatum & linguam ſine hauſtu refrigerabat. At vero poſterioribus annis ob ſtomachi debilitatem Medicorum imperio aquæ uſum dimittere debuit, ſed vinum eo parcius bibebat. Eo tandem hac abſtinentiæ conſuetudine devenit, ut pluribus ante mortem annis nullo ciborum, aut condimentorum varietate, vel quantitatis augmento, nullo novorum fructuum refrigerio, niſi forte raro & levi guſtu, ſe abſque periculo valetudinis oblectare poſſet: ſed ſolemnes ipſius dapes ſemper eædem, ſimplex & in-

con-

conditum juſculum; deinde ovum, nunc ſorbile, nunc frixum, aut tres circiter unciæ carnis, ob molarium defectum prius tritæ, & ad flavæ bilis ardorem temperandum ſucco limonis quandoque inſperſæ. Qui frequentius illi miniſtrabant, notarunt illum cum optime biberet & comederet, totis viginti quatuor horis nunquam exceſſiſse omnis edulii uncias duodecim, nec potus ſex; imo octo unciis, aut minore etiam quantitate ſine omni potu ſæpe contentum fuiſſe.

A prandio, per quadrantem circiter horæ, animum colloquio relaxabat, alterumque quadrantem, ſeu mediam quandoque horam, vel in ſede, vel frigoris languoriſve cauſa in lecto ſedens, & humero parieti innixus, quieti concedebat; quam ſi quando omittere cogeretur, certus illi capitis dolor fuit & periculum ordinarii motus flavæ bilis. Poſt quietem uſque ad veſperas, quæ ſecunda poſt meridiem hora apud nos habentur, ſeu præcedentes officii horas, ſi quæ perſolvenda reſtabat, ſeu Virginis, aut mortuorum officia recitabat. Communibus Chori veſperis nunquam ſanus aberat, niſi domo prius exire oportebat. Finitis veſperis viſitabat plerumque ſi quis erat lecto hærens infirmus, quærebatque diligenter ſi quid neceſſarium deeſſet, ſi valetudinarii Præfectus officio ſuo recte fungeretur, ſi quid amplioris ſolatii cuperet infirmus, quod per Medicum liceret, eumque paucis dulciter ſolabatur, & ad patientiam inſtruebat, cunctaque cum omni caritate miniſtrari curabat, ſeu auctoritate ſua dum gubernabat, ſeu ſecus, hortatu & monitis, aut propria ſua procuratione. Poſt hæc ſi domo diſcedendum non erat, quidquid ab advenarum domeſticorumque ſatisfactione ſupererat temporis, uſque ad Completorium ſtudiis tribuebat, ſed fere ſemper exeundum erat. Atque hæc ordinariæ ipſius vitæ ratio fuit, quam vel negotiorum inſtantia, vel inconſtantia valetudinis aliquando variare cogebat.

XCV. Fides, Spes, & Caritas erga Deum.

TAmetſi hucuſque conati ſimus eas tantum Lucæ Waddingi partes deſcribere, quas vel natura, vel ars illi concedere viderentur; hæc tamen ipſa in Chriſtiano & Religioſo viro tam connexa fuerunt cum ſupernæ gratiæ donis, quibus Deus illum, tum ad animæ ſuæ ſalutem, tum ad aliorum utilitatem cumulavit, quod horum plura in præcedentibus miſcere nos oportuerit, ut ſane ex iiſdem ipſis, quæ ſparſim & leviter attigimus, non obſcure videri poſſit, quanta cœlitus collata, vitæque uſu conquiſita virtute Vir iſte polleret. Verumtamen tum juvandæ memoriæ meæ, tum ampliori lectorum ſatisfactioni, tum ut res ipſa ratione, & ordine tractetur, viſum eſt, Chriſtianæ & Religioſæ pietatis ipſius pauca quædam argumenta ſeorſim explicare. Neque tamen animus mihi eſt, proceſſum quem vocant de virtutibus no-

noſtri Lucæ per ſingulas earum ſpecies inſtituere; quamvis meo ſane arbitratu, nulla ipſius conditioni ſtatuique conveniens ſit, cujus eximios actus ille non frequenter, & conſtanter exercebat. Sed ut paucis exponam, quanta religione erga Deum, & Sanctos vixerit, quanta obſervantia regularis, & monaſtici ſtatus, quamque Chriſtiano, & Religioſo cultu vitæ civilis, & caritatis in proximos, in quibus Chriſtianæ profeſſionis perfectio, & æternæ vitæ repromiſſio eſt: ad quam cum ille tanto ſtudio contenderet, ſic tamen ſeu divinarum, ſeu humanarum rerum nihil ſibi tribuebat, ut ſanctæ humilitatis & ſui ipſius religioſi contemptus nobili colophone tam probam laudatamque vitam & virtutem confirmaſſet.

Et vero quanto divini amoris ardore & cultus ejus propagandi zelo flagraſſet, in primis nobis indicant quos exantlavit labores pro Catholica Romana *fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, aut verum Dei cultum amoremue habere. Sed cum eam Lucas tertia vitæ ſuæ luce ex divini Baptiſmi, & Confirmationis Sacramentis ſuſcepiſſet, & ſedula parentum educatione, a primis balbutientis linguæ vocabulis, doctus fuiſſet; ſic eam deinceps in ſe ipſo augere ſtuduit, ut non ſolum rudimenta ſeu articulos, quorum notitia ad propriam cujuſque ſalutem neceſſaria eſt, ſed altiora quoque & recondita myſteria ad aliorum inſtructionem utilia, & ut rationem illius, quæ in nobis eſt, fidei, cum Apoſtolo reddere poſſimus, addiſcendo explicandoque totam vitam inſumpſerit, continua lectione & meditatione ſacri codicis utriuſque Teſtamenti, Sacrorum Canonum, & Eccleſiæ Doctorum, in quibus adeo verſatus fuit, ut ex præteritæ lectionis memoria, vel etiam ipſa phraſi ſermonis dignoſceret quis ex Patribus lectæ, vel auditæ ſententiæ auctor eſſet, quove vel Scripturæ, vel Canonum loco haberetur, in quibus exacte citandis, nimis religioſus quibuſdam videbatur; ſed ille ſundate ſcribere, & loqui cupiebat, & ſententiam ab alio non recte, vel non integre, aut præter auctoris ſenſum adductam reſtituebat, ſuo auctori vindicabat, & ad veram ejus mentem, & contextum ex memoria ſua explicabat. Nec de alia re libentius diſcurrebat, promptas ipſe ſententias ad omne propoſitum appoſitas proferens. In omnibus ſuis operibus ubicumque de Infidelium, Hæreticorum, aut Schiſmaticorum caſu, erroribus, converſione, aut Martyrum victoriis ipſi agendum erat, illorum deteſtationem, & horum lætitiam cum Catholicæ fidei & Eccleſiaſticæ auctoritatis zelo ubique ſpirabat. In quibus rebus ita conſcribendis multos procul dubio eximios fidei actus eliciebat, ut ſæpe vidimus elicere cum nuntiaretur ex Hibernia, vel Anglia ſupplicium alicujus fidei pugilis; eductis enim ex imo pectore ſuſpiriis dicebat, o beati illi qui pro Chriſti fide mori merue-

Hebr. 11. 5.

fuerunt, & compendio ad æternitatem volantes nos miſeros in hac lacrymarum valle reliquerunt! Adverti ſæpe Lucam, dum Athanaſii ſymbolum in officio Breviarii, vel Nicænum in Miſſa recitaret, erumpentibus quibuſdam indiciis, abſcondere non potuiſſe, quanto affectu mentis in verborum ſenſum ferretur, & ſenſibili quodam guſtu illa recitaret. Et ne hic longior ſim, non repeto quæ fuſius ante narravi ipſum præſtitiſſe pro obſequio Fidei in ſacris conſeſſibus Urbis, ejuſdemque conſervatione, augmento, & libertate in ſua Patria Hibernia, & vicinis regionibus: ad quem finem in fundatione Collegii S. Iſidori expreſſum voluit, ut fidei Controverſiæ in eo docerentur, ac deinde quam diu vixit exacte ſervari curavit, & ſingulari diligentia ad hoc ſtudium tantam contulit vim librorum, in quibus ejuſmodi Controverſiæ tractantur, ut non exiguam Bibliothecæ claſſem conficiant. Cumque hos Lucæ in Catholicæ fidei negotiis impenſos labores, tum alii multi, tum ipſi S. R. E. Cardinales & Summi Pontifices agnoverint, variiſque animi ſui ſignificationibus approbarint, S. D. N. Alexander VII. qui Eccleſiam nunc feliciter gubernat, ſuo quoque teſtimonio confirmare dignatus eſt, cum in Bulla fundationis Conventus Capranicenſis inter alia motiva ſuæ conceſſionis dicit: *Nos ipſum Lucam, operæ, quam in negotiis Catholicæ fidei plures per annos laudabiliter impendit, intuitu, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes &c.*

Ex hac viva Fide in Luca naſcebatur continua quædam ſubmiſſio ſui ſuarumque actionum erga Deum, tamquam ſibi in omnibus præſentem, magnaque ſpes & fiducia præſentis auxilii divinæ gratiæ, cujus ferventi & fidenti invocatione ſic inchoabat omnia, ut ex Apoſtoli præſcripto *omnia quæcumque faciebat in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti faciebat, gratias agens Deo, & Patri per ipſum.* Coloſſ.3.17. Ita enim hæc obſervabat Lucas, ut non tantum in verbo, aut in opere, ſed etiam in exprimendis affectibus doloris, tædii, terroris, admirationis non aliis paſſim interjectionibus uteretur, quam ſanctiſſimis nominibus *Jeſu & Mariæ*. E lecto ſurgens ac decumbens utebatur precula, quæ incipit, *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſurgo, vel cubitum eo &c.* Divinum officium inchoaturus præmittebat ſemper oratiunculam ab Eccleſia præſcriptam: *Aperi Domine os meum &c.* Si ſtudere vellet, prius recitabat precationem S. Thomæ, *Creator ineffabilis &c.* quam a pueritia mente retinuit: ſi domo exibat, genuflexus primum ad portam Templi, Chriſtum in altari poſitum adorabat, & ſurgens iter ſuum commendabat Beatiſſimæ Virgini per illam orationem: *O Domina mea ſancta Maria me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam &c.* & Angelum Cuſtodem paucis invocabat. In omni re ſignaculo ſanctæ Crucis, & Sanctiſsimæ Tri-

Trinitatis invocatione ſe muniebat, illique familiare fuit dicere, *Spiritus ſancti gratia illuminet ſenſus & corda noſtra*.

In ipſius Annalium Tomis communes præfationes tot Numinis invocationes ſunt, eædemque doctæ ac devotæ: & ſingulos Tomos cum affectuoſa gratiarum actione, perorationis loco, claudebat, quam per beatam Virginem & ſanctum Franciſcum ad Deum dirigebat; cumque Sancti alicujus acta conſcriberet, peculiarem aliquam orationem ad ipſum dirigebat: & ubi ſpecialem aliquam difficultatem ſentiebat, aliorum etiam poſcebat preces. Quoties alicujus anni narrationem complebat, ſtatim in ipſo Muſæo genuflexus recitabat Hymnum, *Te Deum laudamus &c.* cum verſu *Confirma hoc Deus &c.* & oratiuncula pro gratiarum actione. Atque mihi hæc ad ædificationem referens (quamvis ipſe quandoque teſtis fuerim) eumdem in continuandis Annalibus morem devote commendavit, promiſitque certo meis conatibus hac ratione dirigendis non defuturum Deum, aut Sanctos; ſicut (inquit) mihi nunquam defuerunt, quin vel me ipſum illuminari ſentirem, vel codicem aliquem, vel monumentum abſconditum, vel deperditum inopinate detegerem, quo me a præſenti difficultate liberabam. In omni aliorum anguſtia ipſi communicata, inter alia ſolatia, quæ peculiari gratia dabat, illud primum ultimumque ſemper erat: Amice rem tuam Deo & Matri gratiæ commenda: non deerit clementiſſima Virgo devoto clienti, nec poterit Filius deeſſe Matri: Dominus providebit: *cum iratus fuerit, miſericordiam faciet*. Et ſane raro admodum falſus eſt, quin imo vera promiſiſſe monſtrabant ſecuta ſolatia. Luculentum quidem argumentum certæ ſpei Lucæ, ac divini pariter amoris fuit longa illa mortis expectatio, intrepidus ac lætus ad eam animus, ac deſiderium, quo cupiebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto, quod fuſius ante explicuimus.

Tob. 3. 13.

Sed amoris plura fuerunt indicia: perpetuus timor amatum Deum offendendi, quem Lucas ita in ſe conſervatum cupiebat, cum ipſius juſſu piæ quædam ſententiæ, tamquam virtutum ſtimuli, cellarum portis in Dormitorio affigerentur, ipſe hanc ſibi elegit: *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum*. Qui effectus divini timoris in ipſo clare viſi ſunt: nam cum longitudinem dierum adeptus eſſet, neutiquam tetrica, vel triſtis erat ejus ſenectus, ſed libera, læta, & ſerena; ſollicite namque fugiebat, vel minores offenſas divinæ Majeſtatis, quæ conſcientiæ ſerenitatem offuſcant, ſpiritus libertatem tollunt, & triſtitiæ nebulas toti homini obducunt. Aliquando vidi, cum ille gravi occupatione detentus acceſſum advenæ dare non poſſet, ſic ſocio dixiſſe: vade fili, me dextre & humaniter excuſa, ut ille contentus abeat; ſed cave ne mentiaris. Et reſpondenti

Eccli. 1. 12.

ſo-

ſocio leve peccatum eſſe, ſi quis abſque alieno damno, ſed proprio commodo ſalſum dixerit, repoſuit Lucas, ita equidem per miſericordiam Dei leve peccatum, ſed peccatum eſt, & offenſa tremendæ Majeſtatis, cui nos ingrati convincemur, & majora nobis merito ſubtrahet, ſi tam libere ipſum etiam leviter offendemus, qui tam liberaliter gravia quoque nobis dimittit, & omnibus tam amanter nos cumulat bonis. Hinc frequens illa ſacramentalis confeſſio Lucæ, per quam levia ſua & quotidiana piacula doloroſe expiabat; hinc etiam extrema illa ſollicitudo, qua cupiebat Chriſti paſſionibus per majores moleſtias ægritudinis in ipſo mortis ſuæ tempore communicare, ut hoc pignore certior fieret gloriæ reſurrectionis.

XCVI. Zelus divini cultus.

ERga SS. Euchariſtiæ Sacramentum tanta Religione ferebatur, ut eo die non haberet ſolatium, quo, caſu aliquo, non offerret ſacrificium. Atque hæc illi, etſi non ſola, ſed magna cauſa fuit, cur ſecretum ſacellum intrà Sacriſtiam erexiſſet, ut nimirum, cum extimæ tempeſtatis, aut intimi humoris intemperies ipſum, vel alium cohiberet a Miſſa in Templo facienda, tunc haberent, ubi ſine valetudinis detrimento celebrare poſſent. Imo cum extremis annis vitæ experiretur, ſe nec illuc quidem impune, quoties vellet, accedere poſſe, alium invenit modum, quo etiam ægrotus, modo non lecto ligatus, nullo die ſacrum facere præteribat. Et cum aliquis, tamquam ſuperfluam diligentiam, & valetudinis periculum, id ipſi diſſuaderet, Lucas reſpondit illis verbis Venerabilis Bedæ: *Sacerdos, non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo eſt, privat ſanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio, & ſeipſum medicina & remedio.* Quibus omnibus (inquit Lucas) cum ego maxime debitor ſim, vereor ne gravius alibi mihi reddendum ſuperſit, quod hic facilius exolvere poſſum. Sic vero ſe ad ſacrificium præparabat, ut præter examen conſcientiæ, flexis genibus prævia meditatione, & præſcriptis ab Eccleſia precibus ſacri myſterii devotionem in ſeipſo concitaret, ſed frequentius præmiſſo Sacramento confeſſionis. Sacrum ipſum tanta rituum gravitate & reverentia, tam clara & affectuoſa voce, & expreſſa devotione, nec velox, nec prolixus faciebat, ut adſtantes etiam ad attentionem pietatemque concitaret, quod ego in me, dum junior illi miniſtrarem, expertus ſum, & aliorum etiam confeſſione didici.

Si quando notaſſet alium vel non præmiſſa præparatione, vel inconcinno paratu ad aram accedere, aut Miſſam feſtinanter, vel minus devote facere, intimo ſenſu dolebat, & nacta opportuni-

nitate monebat ne faceret. Et quidem hoc illi quandoque publicæ exhortationis argumentum erat, ut ſuaderet ſacerdotibus digne ac decenter Miſſam celebrare. Quidam junior Sacerdos fratrem ſuum levi verbo offendit, & ſequenti die per Sacriſtiæ Præfectum feſtinanter vocatus, quamvis præmiſſa confeſſione, ſed ſine petita ab offenſo venia Miſſam celebravit: quod cum percepiſset Lucas tunc Superior, hunc Sacerdotem in publico Conventu zeloſe reprehendit, tamquam qui non potius ex Evangelii præſcripto, ſe prius reconciliaſſet fratri habenti aliquid adverſus eum, quam munus ad aram obtuliſſet. Deinde ferventi ſermone declaravit, quanta animi præparatione, quanto timore & reverentia, quanta tranquillitate mentis, & puritate conſcientiæ ad Chriſti menſam accedere oporteat, ne judicium ſibi quis inde manducet, aut bibat. Ipſe demum Lucas Templi portam exterius nunquam non genua flectens tranſibat; neque Chorum unquam intravit aut exivit, quin etiam humi poſtratus coram ſanctiſſimo Sacramento terram oſcularetur; & eumdem adorationis ritum a reliquis exigebat. Neque alia ipſi cauſa fuit, ut aulæ ſcholaſticæ tam amplum deſignaſſet ſpatium, quam ut publicæ diſputationes in ea teneri poſſent, ne contentioſa & clamoroſa concertatio, riſui etiam & ſtrepitibus nonnunquam obnoxia, haberetur in Templo coram divina Majeſtate corporaliter præſente; vel certe, quod ad vitandam irreverentiam fiebat, Deus ipſe domo ſua privaretur ad privatum Sacriſtiæ ſacellum deportatus, interim dum durabat exercitium diſputationis.

In reliquis quoque ſacris ritibus, & officii divini recte perſolvendi partibus exactiſſimus fuit. Cum ipſe privatim recitabat, id ſumma reverentia faciebat, & interdum etiam ſolus altiori voce expreſſis affectibus internæ devotionis; tanta etiam attentione ad ipſa verba, ut nullam ſyllabam ſocio excidentem, vel non recte pronunciatam non illico corrigeret. Et tamquam totum Breviarium memoriter ſciret, aliquas proprias Sanctorum orationes, quas toto prius anno non viderat, ne initiis quidem aliunde acceptis, abſque libro recitabat. Et quod ſæpe miratus fui, dum officium cum illo facerem, ſi quis inopinate vel occurreret, vel adveniret, qui illum longiori colloquio detineret, ille poſtea eumdem ipſum Pſalmi verſiculum reſumebat, quem ultimo loco pronunciabamus, ac ſi nihil aliud in illo colloquio cogitaſſet; cum tamen & negotio & cæremoniis, ſeu officiis humanitatis exacte correſponderet: tam firmam Dei præſentiam animo conſervabat. Eamdem curam in officio rite perſolvendo aliis etiam ſuæ vel curæ, vel confidentiæ Religioſis opportune, importune, arguendo, obſecrando, increpando, ſed in omni patientia, doctrina & caritate perſuadebat. Ibam cum illo quodam die ſummo

mo mane ad Palatium Vaticanum, ubi ad certam horam promiſſus illi ſuit acceſſus ad Urbanum VIII. Summum Pontificem, cum quo grave aliquod negotium illi tractandum ſuit. Sed cum e Conventu exiremus, advertit Lucas, quod Fratres in Choro diurnas horas paulo velocius recitarent, e zelo divini officii accenſus, quamquam alioquin ſeſtinaret, ac timeret ſe Pontificis alloquium eo die amiſſurum; in Conventum tamen regreſſus eſt, Chorum ſubiit, & uſque ad finem officii permanſit, ſecitque ut officium ipſum alte, lente, reverenter, ac devote recitaretur. Eoque finito Guardianum adiit, Patrem Thaddæum Dalæum, tunc ſe in cubiculo parantem ad lectionem theologicam in ſcholis immediate prælegendam, cujus ceteroqui zelum cum innata ſuavitate, & gratia conjunctum ſemper æſtimavit Lucas: rem ipſi retulit, & pro zelo ſuo rogavit, ut vigilantiorem ageret curam decoris domus Dei, & exercitii ſanctæ orationis, cui ex documento ſancti Franciſci, & lectiones, *& reliqua temporalia deſervire debent.* Matth.6. 33.
Quærendum in primis Regnum Dei, & pro munere junioribus invigilandum; atque his dictis, Guardiani benedictionem denuo accepit, & abivimus. Verum Lucæ zelum alia benedictione compenſavit Deus: nam ſi prius ad Vaticanum iviſſet, alia erant impedimenta, per quæ Pontificis acceſſum diutius præſtolari deberet; cum quando intravimus procetum, ſeu antecameram (ut vocant) tunc recte exibat a Pontifice quidam Legatus, & poſt eum ſtatim introductus eſt Lucas, ſuumque negotium ſeliciter cum Apoſtolica benedictione reportavit.

XCVII. Devotio erga Dei Matrem, & Sanctos.

LUcæ pietatis, & religionis objectum poſt Deum, primum & præcipuum erat Beatiſſima Dei Mater Virgo Maria, omniaque ſua ejus interceſſioni & patrocinio devotiſſime commendabat: proſperumque ſeu ſtudiorum, ſeu negotiorum ſucceſſum illi præcipue acceptum reſerebat. Quod cum ipſe in omni occaſione tam calami quam linguæ, ad Virginis gloriam profitebatur, mihi ſaltem viſum eſt aliquod rei ſpecimen hic exhibere, præfatiunculam ſolius Tomi quarti Annalium, quam ille his verbis concepit: *Superatis difficultatibus plurimis, quæ in tertio Annalium Tomo paſſim offerebantur, jam quartum inchoamus, illius confiſi patrocinio, cujus auxilium huc uſque felici operis incremento ſumus experti. Mariæ Deiparæ ope, opus ſumus aggreſſi, illius adjutorio proſecuti, illius favore complendum ſperamus. Hujus gratia, quæ gratiam omnem humanam excedit, non temere, neque arroganter illa uſurpaverim verba:*
Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit ſeliciter: Prov.30.29.
ita enim illius auxilio tria priora abſolvi volumina, ut benevolis lectoribus, doctiſque Hiſtoricis probata videantur, & bene huc uſque abſque bonorum offenſione gradiantur: quartum vero, non diffido, feliciter

incedet, dum cæleſtis Magiſtra viam docuerit, & prava in directa, atque aſpera in vias planas direxerit. Ita certe aſſequar quod intendo Bern. in med. ſuper Salve Reg. *& poſſidebo quod ſpero*; ipſa enim eſt ſpes noſtra. Profecto ego in te firmiter ſpero Virgo ſanctiſſima, quoniam novi nomen tuum, & non derelinquis quærentes te Domina. Qui ſperant in te mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ut aquilæ, volabunt & non deficient. *Te adjuvante hoc quartum volumen, non modo feliciter incedet, ſed & proſpere volabit, ut ad omnes fines terræ tibi addictorum ſervulorum nomina evehantur; & Franciſci*, qui per te concepit, ac Bonaven. in leg. cap. 3. & 9. peperit ſpiritum Evangelicæ veritatis, *renovata ſub hoc tempore progenies appareat glorioſior*. In te præcipue poſt Chriſtum, *Præceptor hic noſter* confidit, teque ſui ac ſuorum advocatam conſtituit. *Eja ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad me converte, & calamum dirige, ut quæ in tuum, tuique filii obſequium in hoc Sodalitio pie geſta ſunt, digne valeam enuntiare.*

Noti ſunt, & a nobis ante notati litterarii labores, quos Lucas ad Virginis honorem elucubravit, ſed majus erat ipſius ſtudium, ut eam animo, quam calamo coleret. Apud me adhuc extat parva, & ſimplex tincti ligni corona Mariana, qua tot annis uſus eſt, ut ejus globuli Lucæ digitorum attritu ex rotundis quadrati ferme facti ſint, & pro ſucceſſive deperditis, alii ex oſſe, ex vitro, ex ligno, prout ad manus veniebant, ſuppleti. Eo demum quotidiano uſu reducta fuit, ut illam anno ante mortem, aliorum ſuaſu, pro meliori commutaret. Præterea parvum Virginis Officium, & Litanias quotidie recitabat ipſe privatim, & in Choro ſancti Iſidori, ſeu ab omnibus, ſeu ſaltem a junioribus cum ipſorum Præfecto indiſpenſabiliter recitari faciebat. Cumque omnes Deiparæ feſtivitates digno cultu, & peculiari devotione celebraret, ſed præcipua ſolemnitate feſtum Immaculatæ Conceptionis, cujus puritatis myſterium tot annorum ſtudio & labore promovebat, eo die ipſe Officium in Choro, & Sacrum ad Altare cantabat, lautioremque refectionem Fratribus in triclinio procurabat, omniaque convenientia devotionis, & religioſæ lætitiæ, quæ poterat ſigna, monſtrabat. Idemque faciebat pariter quotannis in feſto ſancti Lucæ, cuique ut homonymo, ſic ſancto Tutelari devotiſſimus; ſed ut ipſe dicebat nulla ratione magis, quam quia idem Evangeliſta præ ceteris & ſcribendo, & pingendo Deiparæ devotionem, cultumque propagavit.

Poſt hæc peculiaris Lueæ noſtri devotio in ſanctum Franciſcum ferebatur, cujus nomen in Ordinis profeſſione priori ſuo Lucæ nomini adjunxit, ut deinceps a ſancto Franciſco nominaretur: & cujus honoris defenſionem in ipſo Religionis tirocinio ſuſcepit, ut §. 6. hujus vitæ fuſius expoſuimus; ac deinde dum vixit egregie præclaris ſuis operibus præſtitit: ipſoſque labores

ſuos

ſuos inchoandos Seraphici Patris patrocinio commendabat, & perfectos eidem acceptos, Deoque offerendos referebat. Sancti Patritii Patriæ, & ſancti Iſidori Templi noſtri Cœnobiique Patronorum feſta, pro hujus tituli dignitate, ſpeciali celebritate colebat, & eos utrique honores peculiari ſuo ſtudio procuravit, quos ante ſatis declaravimus. In horum autem & aliorum Sanctorum ſolemnitatibus ſumma cura ſatagebat, ut omnia in Choro, in Sacrario, in Templo nitida, ordinata, & ſanctorum cultu, noſtraque ac populi debita devotione digna forent. Nec raro ipſe propriis manibus ſacra Sacerdotum aliorumque Miniſtrorum veſtimenta adaptabat, ne quidquam (uti dicebat) appareret, quod populi devotionem a divinis diſtraheret. Si Sacerdotem ad offerendum Sacrificium, aut Confeſſarium ad miniſtrandum Sacramentum in Templo deeſſe percipiebat, ipſe, quamquam omnium occupatiſſimus, omni hora paratus, aliorum ſupplebat tarditatem: cumque pro Superioris officio ſubditos ad iſta tardos ipſorum officii publice moneret, jubebat etiam Præfecto Templi, ut in quocumque ſimili defectu ipſummet a quocumque ſtudio, ſocietate, vel occupatione ſtatim avocaret, potius quam continua ſacra, vel alia officia in Templo deeſſe, vel ad momentum deſiderari permitteret. Et aliquoties, cum Sacerdos in Sacrario ad miſſam paratus forte expectaret miniſtrum, viſus eſt ipſe Lucas accepto miſſali & cereo illum ad Altare ducere, & accenſis luminibus reliqua miniſteria exhibere celebranti. Ceterum ad explicandam optimi Waddingi chriſtianam pietatem, non repeto, quæ fuſius ante ſcripſi de variis modis divini cultus, quos ipſe in communem uſum Collegii induxit, & exemplo ſuo, continuaque vigilantia conſervavit: neque quæ tot annis in ſuis Annalium Tomis, & in ſacra Congregatione Rituum pro Sanctorum gloria & veneratione laboravit. Ex quibus omnibus quo zelo & ſollicitudine Dei & Sanctorum cultum in ſe & aliis promovendi, quantoque Dei amore & vera Religione polleret, manifeſtum eſt: unum ipſius erga Sanctos pietatis & reverentiæ monimentum addo. Erat alicubi in Collegio cælitis cujuſdam imago aliter picta, quam per Lucam in ſuis Annalibus deſcripta fuit; & aliquis ſeu ſerio, ſeu joco ad Lucam converſus dixit: cur permittimus P. A. R. hanc picturam ſic apud nos exponi, quin potius aliquis ſcalpello abradat, quod contra hiſtoriæ veſtræ veritatem appictum eſt. At Lucas graviter & religioſe: ego quidem quod ſcripſi ſcripſi, & etiamnum hodie ratum habeo; ſed ſcalpello cum Sanctis ludere, nec ipſe auſim, nec aliis conſuluerim, aut conſenſerim.

XCVIII.
Obſervantia regularis.

Lucæ Waddingi Religionis erga Deum, & perpetuæ innocentiæ non ultimum argumentum eſt, quod tam tenera ætate, quam ante retulimus, nulla alia cauſa, quam divini amoris & contemptus mundi, fugæque periculorum ejus, & ferventi deſiderio acquirendæ perfectionis, ſeipſum in peculiarem Domini ſortem tamquam holocauſtum Deo conſecraverit, ſub tam arcta & aſpera Religione, quam notum eſt eſſe Ordinem ſancti Franciſci: & quod vel amicorum dehortationibus, aut illis argumentis, quæ adoleſcentulum gratia & ingenio pollentem & litterarum avidum non difficulter avocare poſſent, vel ipſius Ordinis duris probationibus, quas jam ante indicavimus, ita nunquam cedere voluerit, ut potius illa in ferventioris zeli & amplioris ſtudii ſtimulum, & iſtas in documenta pariter & merita ſibi converterit: talemque Novitiatum, inter has duas tentationes, toto anno coſtanter pertulerit uſque ad emiſſam profeſſionem. In quo quam ſuavem probaverit eſſe Dominum, & quam ſolidum, firmumque conceperit ſpiritum Religionis, indicio inter alia mihi eſt, quod illius tirocinii nunquam recordatus fuerit, quin devotionis teneritudine ſuſpiraret, & ſanctam illam ſocietatem beatumque tempus benedictionibus repleret: & ne illius unquam non recordaretur, primæ veſtis capitium Romam uſque tulit, & plurimis annis retinuit, vetuſtumque Breviarium, ex quo divini Officii formam & ordinem tunc diſcebat, quamvis ipſa ſua vetuſtate & abſoletis ritibus inutile, nunquam tamen uſque ad mortem voluerit non coram oculis expoſitum habere, tamquam perenne monimentum ſuæ primæ vocationis, ut cum beato Petro de Alcantara ſingulis diebus dicere poſſet, *ecce nunc cœpi*; & cum hac voce perfectionis etiam propoſitum renovare.

Emiſſa profeſſione quantopere de virtute ad virtutem úſque ad ultimum longæ vitæ terminum profecerit, etiamſi ex illis, quæ hucuſque narravimus manifeſtum ſit, nunc tamen ſpecialius nobis declarandum eſt, quam fuerit ſollicitus & cautus religioſi ſtatus ſui zelator & cuſtos. Communis enim ipſius zelus & beneficia tam calami quam operationis Ordini per ipſum præſtita, tam publicata, & probata ſunt, ut ſuperfluum exiſtimem aliquid illis addere, quæ in hanc rem alibi docuimus. Cognitioni vero ſui ſtatus & obligationis ita ſemper incubuit, ut Regulam ipſam, quam a primo tirocinio ex memoria totam recitare poterat, piis doctiſque Commentariis, inter alia ſancti Franciſci Opuſcula, illuſtraverit, ejuſque in aliis quoque rite ſervandæ zelo, aphoriſmos in eamdem meditabatur, ad eliminandas multorum imperitas expoſitiones, quæ timoratis, & infirmis conſcientiis graves ſcrupulos ingerunt, quamquam aliis laboribus, & morte præventus non

non fecerit. Porro Ordinis conſtitutiones, quas etiam, ut ante diximus, peculiari opere illuſtrare cupierat, & omnia ejus monumenta ita percalluit, quod tam ipſi Ordinis Patres, quam Romanæ Curiæ Judices, aliique omnes, qui Ordinis negotia tractabant, in gravioribus dubiis ad ipſum tamquam ad oraculum recurrere ſolerent. Ipſe vero ne ſubditorum quiſpiam harum rerum ignorationem ad excuſationem tranſgreſſionis prætendere poſſet, regulam ipſam cum teſtamento ſancti Franciſci ſemel in ſeptimana & Pontificias declarationes, & conſtitutiones Ordinis cum recentiorum Pontificum decretis, quæ ad Regulares pertinent, præſcriptis temporibus in communi Refectorio Fratribus indiſpenſabiliter ex alto legi curabat. Quod autem ad propriam ipſius obſervantiam attinet, cum Regula ſancti Franciſci, præter tria vota cum ceteris religioſis Ordinibus communia, multa habeat præcepta, quæ ſine gravi reatu violari non poſſint, Lucas omnia tam caute ſervabat, ut etiam admonitiones, & mera conſilia quæ continet ſingulari diſtrictione cuſtodiret.

Sanctæ Obedientiæ votum ita proſecutus eſt, ut magna reverentia tam in ſignis externis, quam in prompta executione mandatorum, ſeipſum Superiorum nutibus ubique conformaret: nec ulli ſuo incommodo parceret, ut ipſis, etiam ſine obligatione, placeret, quod utinam non probaviſſemus in occaſione mortiferæ ipſius ægritudinis. Quoties domo exibat, toties vel ipſe adibat Guardianum, & flexo poplite petebat benedictionem, itidemque quoties redibat, vel aliquo caſu impeditus mittebat ſocium, cum tamen perſonæ qualitas ipſum ab eo rigore liberaret. Dum ipſe Guardiani munus obiret, non prius exire ſolebat, quam vel per ſe, vel per alium id indicaſſet Collegii Vicario, aut alteri ſeniori Patri, tum ut hujus obſervantiæ exemplum ceteris præberet, tum ut regiminis curam in abſentia ſua illis commendaret: quo multa vitabat incommoda & confuſiones, quæ ex ignorata Superioris abſentia naſcuntur. Quæcumque officia, vel alia munera per totam vitam in Religione geſſit, non ambitione ſua, vel dominandi cupidine, ſed Superiorum propriis motibus, & ipſius meritorum intuitu, nonnunquam etiam reluctanti, impoſita fuerunt, cujus aliquot jam dedimus exempla. Præterea aliqua nullatenus acceptavit, malens alieno imperio ſecure ſubeſſe, & majori Ordinis bono, quam perſonæ titulis intendere, & non ſine periculo præſidere.

Oblatum illi aliquando fuit officium ſat honorificum Commiſſarii Generalis in tota illa Natione, qua ex uſu Religionis Belgicam vocant, quamvis Superioris etiam Germaniæ magnam partem ab Alpibus ad mare Balticum, & Oceanum majoriſque Britanniæ, & Hiberniæ Provincias contineat. Sed Lucas conſiderans

rans inde ſibi neceſſario relinquendum eſſe ſtudium Annalium, quod tanto Ordinis bono & Orbis applauſu continuabat, ab acceptando officio ſe excuſavit. Aliqui quoque graviores Italiæ, ſeu Ciſmontanæ Familiæ Patres totius Ordinis Generalatum a ſe ipſi deferendum promiſerunt, modo ſe ejuſdem Familiæ membrum faceret, ſeu (ut loquuntur) ſe in illam incorporaret. Sed ille hanc dignitatem uſque adeo ambivit, ut reſpondiſſet, numquam ſe nobilem Familiam Ultramontanam in qua natus, ad Ordinem ſuſceptus, & educatus fuit, ullius dignitatis ambitu deſerturum. Poterat etiam aliquoties ab Ordinis obedientia ad Epiſcopalem dignitatem tranſire: ut ea, quæ prius indicavi, & ipſæ litteræ oblatoriæ & poſtulatoriæ ipſius ad plures Cathedrales, & Metropolitanas Eccleſias teſtantur. Sed adeo promptus erat aliorum obedientiæ ſubeſſe Lucas, ut ſemper elegerit Ordinis Generales, & Eccleſiarum Præſules facere potius, quam fieri; nam in utrorumque promotionibus non parva pars ab ipſo eſſe ſolebat. In Fratribus Collegii tam diſtrictus erat exactor obedientiæ, ut non ſolum Superioribus promptam & reverentem ab omnibus exhiberi faceret, ſed ipſis etiam inferiorum officiorum Præfectis, in iis, quæ ad cujuſque munus pertinebat: Et inter ipſos Fratres exigebat, ut Religionis habitu junior obſervantiam ſeniori humiliter, & religioſe exhiberet.

Evangelicam paupertatem, cujus peculiarem obſervantiam profitetur Ordo Sancti Franciſci, zeloſe colebat Lucas. Etenim in earum rerum uſu, quæ perſonæ ſuæ ſuſtentandæ neceſſariæ viderentur, quam nemo illo pauperior fuerit, ex iis, quæ ſparſim jam ſcripſimus, quiſque ſibi facile perſuadebit. In aliorum autem gubernio ſic nulli quidquam neceſſarium deeſſe ſinebat, ut nihil permitteret ſuperabundare. In rerum adminiſtratione frugalitatem ita condiebat elegantia, & res ita compoſite diſponebat, ut ipſius nitida parcimonia, & utilis anguſtia plus omnibus placeret, quam alterius inanis vaſtitas, & incondita ſuperfluitas. Cumque nec in procurandis eleemoſynis avidus, aut importunus, nec in expendendis avarus, aut miſer unquam viſus fuerit; ſic bono ipſius animo reſpondebat providentia divina, ut ad tantas res opportune perficiendas neceſſarii ſumptus nunquam illi defuerint. In iis vero maximopere curabat in primis, ut benefactorum extaret perpetua memoria; deinde ut in eis accipiendis diſpenſandiſque recte ſervarentur modi in Regula Sancti Franciſci, in declarationibus Pontificiis, & Ordinis conſtitutionibus præſcripti; & ut hæc ipſa omni tempore conſtare poſſent, accepti & expenſi rationes, cum nominibus benefactorum, in libris ad id conſtitutis cum Syndico Apoſtolico Conventus teneret: ex quibus omnium rationem per ſingulos menſes reddebat Patribus Collegii Di-

Diſcretis, ſine quorum conſilio & aſſenſu nullos faciebat ſumptus extraordinarios. Invigilabat ne quid utile projiceretur, aut negligenter periret. Leve forſitan alicui videbitur quod, inter alia multa, produco hujus rei exemplum, ſed in cœlitum actis, tamquam actus voluntariæ paupertatis, alicubi notatum: nimirum Lucas epiſtolarum, quas ipſi ſcribebant, nec alba tegumenta, nec ampliores margines perdi permittebat, ex quibus poſt alios uſus tantum chartæ ſupererat, quod mihi pro totius operis Epitomes, & ipſius vitæ compoſitione ſuffecerit: nec alia charta pro prima ſcriptione uſus ſum.

Excandeſcebat zelo ſi quis rumor de foris adferretur violatæ ab aliquo Franciſcano hujus virtutis, quam ſanctus Franciſcus Dominam ſuam appellabat, & ut loquitur ſanctus Ambroſius, *primam beatitudinem uterque Evangeliſta poſuit; ordine enim prima eſt, & parens quædam generatioque virtutum*; nec eam volebat Lucas noſter ullo prætextu, vel privilegio Fratribus relaxari. Cujus zeli ſui egregium documentum edidit in ſacra Congregatione Propagandæ fidei, dum aliquis cuperet Franciſcanis Terræ Sanctæ ſtabilem aliquem proventum provideri, quod Lucas diſſuaſit, ac deinde ſcripſit Tomo VII. Annalium, unde libuit verba deſcribere, quibus & ipſa res & religioſus Lucæ animus plenius exprimuntur: *Tanta erat viri* (ideſt Vicarii Generalis Obſervantum) *ſollicitudo, & anxietas procul faciendi omnes redditus ab illis ſanctiſſimis locis, eorumque habitatoribus, quibus ſane neque ſecundum ſuæ vitæ normam qualeſcumque licet habere, neque ſecundum boni regiminis prudentiam, neque etiam juxta providentiæ humanæ rectum dictamen expedit admittere. Nuſquam enim vidi abundantius Franciſcanos vivere, quam ubi nihil volunt poſſidere. Quo longius illi a paupertate recedunt, eo pauperiores ſunt, & miſerabilius aluntur. Omnes enim putant* iniquiſſimum, pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere, *manumque retrahunt a ſuæ profeſſionis deſertoribus. Franciſcus indixit pecuniæ odium, hoc profeſſus eſt, hanc perſonam induit; agenda eſt. Bonum eſt Minoritis, præſertim Hieroſolymitanis, adhærere Domino, & ponere in Domino Deo ſpem ſuam, ut annuntient omnes prædicationes ejus in portis filiæ Syon. Etenim ſi per fiduciam bonorum temporalium ſe ab eo elongant, peribunt, & perdet eos Dominus, ſi per hos illicitos & meretricios amores fornicantur ab eo. Neque enim habebunt, qui eleemoſinas, aut pias collectas tranſmittant; Turcarum Imperator tributum, & jugum aggravabit, nec Deus iis ſui ſanctuarii cuſtodiam permittet, qui in ſponſione ſibi facta non ſunt inventi fideles. Ita anno* MDCXXXVI. *expoſui RR. DD. Cardinalibus Propagandæ Fidei Præfectis, dum ingentem collectam pecuniarum ex Hiſpania Fratribus, qui ſunt Hieroſolymis, tranſmiſſam, quidam vellent negotio committi, & lucrum ſeu fructus annuos in Fratrum ſubſidium exhiberi. Alienum a re*

Lib.5. in Luc. cap.6.

Anno 1477. n.19.

no-

noſtra conſilium & noxiam ſuggeſtionem hanc judicarunt Cardinales, probantque ſatis ardentes litteræ Vicarii Generalis.

Caſtitati noſtri Waddingi & converſationis honeſtati illud ex me teſtimonium ferre poſſum, quod cum quatuor circiter annis, ſingulis noctibus ad duas horas ante mediam noctem ſolus cum illo juvenculus in Bibliotheca ſtuderem, atque his & ſex aliis annis maturiori ætate uſque ad mortem ipſius intra & extra Cœnobium familiariter cum ipſo converſarer, nullum interea verbum inhoneſtum ex ore ipſius unquam audierim, vel notaverim actionem incompoſitam, aut indecoram. Idemque mihi dixerunt, qui diutius & familiariſſime cum ipſo verſati ſunt. Sæpiſſime etiam, & mane & meridie ipſum adhuc in lecto jacentem acceſſi, nec unquam deprehendi aliter, quam pro honeſtiſſimi & obſervantiſſimi Minoritæ more, juxta Ordinis conſtitutiones decenter jacere, & integre veſtitum habitu, chorda & capitio. In ipſa mortis infirmitate, quando Medici judicarunt, corpus adeo debile & febri æſtuans neque quieſcere, neque ſanari poſſe in tam craſſa & rudi veſte, in qua neque caput abſque incommodo huc vel illuc vertere poſſet, præceperunt, ut depoſito habitu jaceret in lineo induſio. Obedivit ille quamquam ægre, ſed vix medio quadrante horæ ſic inter linteamina jacuit, cum impatienter queri, & habitum repoſcere cœpiſſet, ac reſtituere negans valetudinarius non potuit illi ſatisfacere, donec, luſtrato communi veſtiario, inventa veteri tunica talari levioris panni ſupra induſium veſtitus fuit, & ſubtiliori chorda præcinctus; ſed cum commodum capitium non inveniretur, Lucas non ceſſavit uſque dum abſciſſo ejuſdem obtritæ tunicæ limbo, regulare capitium inde ipſi conſuerunt, & hanc veſtem uſque ad mortem non dimiſit.

Legit multa Lucas de cura honeſtatis tum in actis ipſius ſancti Franciſci, tum aliorum Sanctorum, ſcripſitque in ſuis Annalibus exempla terribilia aliquorum Fratrum, qui habitum, alioquin licitæ voluptatis, ſeu capiendæ tantum auræ, vel refrigerii cauſa dimittentes, male perierunt. Legit etiam & ſcripſit multas benedictiones a Deo & ſancto Franciſco promiſſas ſacræ hujus veſtis obſervatoribus, ſtatutumque aliquibus pro pœna & indicio læſæ Divinæ Majeſtatis, quod abſque habitu morerentur. Per quæ tanta ſacræ veſtis devotione in ſe ferebatur, ut abſque illa nec mori, nec momento vivere voluerit. In reliquis regularibus obſervantiis, quemadmodum ipſe fugiebat omnem ſingularitatem, & in aliis ipſi ſuſpecta erat; ita dum illi per valetudinem licebat, communes Ordinis & Conventus auſteritates veſtis, ſilentii, orationis, jejuniorum, flagellationis, & alia mortificationis, humilitatiſque exercitia ita ſervabat, ut peculiarem quamdam, non affectatam tamen aut ſimulatoriam, ſed erumpentibus

ex

ex interno ſpiritu flammulis, devotionem in ſeipſo exprimebat & accendebat in aliis. Quanta vero vigilantia & diſtrictione diſciplinæ regularis vitæ perfectionem in aliis conſervare, & promovere ſtuduerit, per me ante, de ipſius gubernandi modo curaque boni exempli, ſatis declaratum eſt: certe id ſemper curabat, bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam in Fratribus promovere & perficere; & ſi cui unquam in hoc minus gratus fuit, is ipſius ſollicitudinem arguebat, non remiſſionem.

Neque hic mihi repetenda cenſui, quæ ideo prius, anacephalæoſi quadam indicavi potius quam enarravi, bona Waddingi in proximos officia, tum quod caritatis opera ſic exercere conſueverit, ut non ſciret ſiniſtra ejus quid faceret dextra, tum ne perſonas propalarem. Et quamquam pauper Minorita aliorum pauperum calamitates de proprio ſuo ſublevare non poſſet, tanta tamen illi inerat ærumnarum compaſſio, ut divites ad corporalia miſericordiæ opera ſedulo & efficaciter excitaret. Et ſane, in illis quæ poterat juxta ſtatum ſuum, etiam non deerat; unde procedit, ut cujuſcumque Ordinis Provinciæ Fratres Romæ hoſpites a ſancti Iſidori menſa nunquam excludantur, & mira Dei providentia, cum ſæpe quatuor, octo, duodecim, aut etiam plures ad horam prandii nonnunquam inopinate compareant, dilatatis ſpatiis caritatis, pauca ſane, & neceſſaria quodammodo portio, ſolis domeſticis parata, his atque illis ſufficiat. Neque hac ſolum caritate illos excipiebat Lucas, ſed hilari quoque vultu, blando ſermone ſingulos, vel ante, vel poſt menſam interpellans de Patria, de aliis Patribus, de negotiis interrogans, & juſta, & honeſta, quæ petebant ſolatia promittens & perficiens: adeo prudenter tamen, ut Collegium recollectioni & ſtudiis deputatum noluerit nocturno aliorum Hoſpitio patere, quam illorum, qui Collegio ipſi incorporati, communibus ſtudiorum & precum exercitiis cum ceteris occuparentur; ſed juxta generalia Ordinis ſtatuta, etiam Hiberni Fratres, qui aliis cauſis, aut negotiis in Urbe ſe detinerent in Aracœlitano, vel Tranſtyberino Cœnobio ſuſciperentur; nihilo reliquæ religioſæ caritatis illis conveniente, pro Lucæ, vel Collegii poſſibilitate, unquam denegato. XCIX. Caritas erga proximum.

Specialem gerebat affectum erga illos Collegii janitores, quos peculiari ſtudio & exquiſita caritatis induſtria pauperibus ad portam inſervire cernebat, eoſque laude & hortatibus ad continuanda caritatis opera conſortabat. Domeſticis ſeu bene, ſeu male valentibus, jam diximus quanta caritate cuncta providebat; ſed paupertatis profeſſio majorem illi permittebat occaſionem animabus, quam corporibus ſubveniendi. Dum Superior eſſet nihil ſine monitione, & ubi opus eſſet, aut Ordinis uſus obtine-

ret, etiam ſine pœna tranſibat, nullius inordinatæ actionis, aut verbi rationem ſuo loco & tempore exigendam non habebat, ſed abſque ira & indignatione. Caſtigatos deinde ſolabatur, præſertim quos vel naturali conditione ſimplices & ſiniſtros eſſe notabat, vel ſecus cum ignorantia, vel data occaſione peccatum eſſe cognoſceret. Omnes humiliter & familiariter erudiebat: & ſi quis aliunde triſtitiam concepiſſet, multimode ſolabatur, etiam cum incommodo ſuo. Aliquando noſtri Scholares auræ captandæ gratia ad campum ierunt, Lucas Guardianus cum duobus, vel tribus Fratribus laicis domi manſit, ut ſe præpararet ad ſacram aliquam Congregationem Cardinalium ſequenti mane habendam, pro qua ſerio & laborioſe illi ſtudiis incumbendum fuit. Latebat interim domi in communi aliquo labore ex ipſis ſtudentibus juvenis quidam, & de aliorum exitu nihil ſciens, totus gravatus labore & æſtu Lucam in ſtudiis ſuis abſorptum poſt horam adit, exponit neceſſitatem ſuam, & petit licentiam exeundi ſpatiatum: reſpondit Lucas, crediidiſſe, ſe illum cum ceteris exiiſſe, jam non ſupereſſe ſocium, præter aliquos laicos domeſticis officiis alligatos, condolere interim & ſolari laſſum. Sed videns quia vere laſſus erat, ac timens ne ſorte morbus aliquis inde naſceretur, depoſito calamo, relictiſque libris ac ſtudiis, quibus paucæ horæ poſtea reſtabant, ipſe cum Fratre exivit extra Portam Piam uſque ad ſanctæ Agnetis, trium ad minus horarum deambulationem. Talia revera erant viſcera Waddingi erga Fratres curæ ſuæ, & gubernationi commiſſos, ut cum ſancto Paulo vere dicere poſſet: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Conſiderabat enim pius, & prudens Waddingus teneram juventutem longiſſimis itineribus terræ mariſque Romam ex Hibernia, Hiſpania, Belgio, Gallia venire ſine pera, ſine pecunia, pedeſtri itinere, ceteriſque conditionibus Franciſcani rigoris, ut hic ſcientiam, & pietatem edocti, ſani & utiles in Patriam remitti poſſint; proinde quemadmodum ſtudebat, ut docti & diſciplinati eſſent, ſic etiam curabat, ut corporis valetudo in alieno climate illis conſervaretur, nec aliquid ad hanc neceſſarium deeſſet.

2. Cor. 11. 29.

Quamquam autem in ceteris partibus Chriſtianæ caritatis ſemper laudabilis fuerit Waddingus, in eo tamen maxime enituit, quod maxime laudandum eſt, patientia & manſuetudine, ut adverſos caſus forti conformitate voluntatis ſuæ cum divinis diſpoſitionibus nunquam non æquanimiter toleraverit. Et cum nihil illi doloroſius accidere poſſet, quam inanis exitus conatuum Catholicorum Hiberniæ, ſic tamen ſe deinde geſſit, ut ſolum diceret, Deum ſcire quid agat, omnia ſuæ divinæ providentiæ commendanda, & relinquenda eſſe. Non mirum ſi Hiberniam, quamvis

vis olim Sanctorum Inſulam, ſcientia & ſanctitate celebrem, Hæreticorum graſſationibus, & depopulationibus permittat, qui Patriam ſuam, & ſanctam Civitatem Hieruſalem ubi natus, educatus, verſatus, pro omnibus liberandis paſſus, & mortuus eſt, a Turcico jugo liberare nolit; cum etiam ad hanc, quam ad illam liberandam Romani Pontifices, & Chriſtiani Principes multo plus ſtudii, & ſumptuum impendiſſent. Aliquorum inſolentiam manſuetiſſime ſuſtinebat, & aliorum indigniſſimam ingratitudinem, procul omni odio & vindicta, dignis pœnis compenſare, nunquam voluit, cum tamen plus omnibus poſſet.

Hujus virtutis ſingulare exemplum nobis reliquit in illa ſua venerabili, diebusque, & bonis operibus plena ſenectute; cum aliqui, quos magnis malis liberavit, multiſque bonis impertivit, in ipſius honorem & quietem conſpiraſſent. Nam cum nonniſi humiliter & modeſte ſe ab ipſis defenderet, alii ſuadebant, ut juſtis pœnis, & eorum indignitate dignis eos affici curaret: ſed ille, nullam inveniens in ſe hujuſmodi ipſorum malevolentiæ cauſam, ſecure reſpondebat: divina ſapientia ſcit quid facit, permittamus Deo ſuarum Creaturarum diſpoſitionem, ipſimet poſtea pœnitentiam agent, vel a Deo ipſo punientur; mihi interim Dei Miniſtri ſunt, per quos humilitas, & patientia mea exercetur in tanta rerum proſperitate, qua per Dei gratiam hucuſque vixi, ne vel aliquid mihi tribuam, vel alios contemnam. Patientia mea nulla eſſet, ſi nullam haberet adverſitatem: nunc ejus uſus eſt, nec omittenda bona occaſio. De cetero tarde venerunt, ut bonorum opinioni de me detrahant: ſe ipſos potius lædunt. Quod ad me attinet offenſam illis ex animo condono, Deumque precor, ut pariter ipſis ignoſcat, eoſque ſic illuminet, ut & ſibi ipſis prodeſſe, & aliis non obeſſe valeant. Et ſane in hoc ac ſimilibus remiſſionibus injuriarum dicebat ſe ſingulare ſolatium percipere, cum nimirum hac ratione fidenter Deo dicere poſſet, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Matth. 6. 12.

Præſens ipſe aliquando fui cum ab aliquo indigniſſime pateretur; ſed abſque ulla commotione nihil aliud referret, quam ut diceret, heu fili mi! Quid facis? & ad patrem, qui adſtabat, converſus: timeo, inquit, quod iſte pauperculus amiſerit uſum rationis: erat enim alioquin humoris obſcuri & melancholici. Sed illud in Luca perfectius fuit, quod nunquam deinceps prætererit ullam occaſionem ejuſmodi ſuis malevolis benefaciendi. Sed qui dixit *mibi vindicta, & ego retribuam*, miris juſtitiæ ſuæ effectibus poſtea oſtendit, quantum ſibi placuerit manſuetudo Lucæ, quod non juvat amplius explicare. Rom. 12. 19.

Multa ſane mihi de reliquis Lucæ Vaddingi virtutibus exaranda ſuppeterent, ſed Typographus folia de manibus rapit. Id

ſolum adjunxerim, Lucæ virtutes in altiſſima humilitate ſemper fundatas fuiſſe, & ſumma prudentia gubernatas: nihil enim fatua ſimplicitate, nihil ſimulatione, vel hypocriſi, nihil ad auram inanis gloriæ faciebat: cujus vel illud unicum argumentum nunc promere ſufficit, quod cum tot volumina, tanta omnium approbatione vulgaſſet, nunquam tamen paſſus eſt, ut aliorum compoſitionibus in ipſius laudem ad librorum frontes appendendis publicarentur. Habeo litteras, per quas ex Gallia inſtanter petierunt graves, doctique Viri, ut Lucas imaginem ſui pro ipſis depingi permitteret, ut eam in ſuis gallicis Bibliothecis inter eruditorum icones appendere poſſent, ſed nullis precibus ad id flecti potuit. Et ſane cum ego crederem, atque ipſe cuperet, ut mea Epitomes ante ipſius mortem evulgaretur, vellemque ut præfixa ipſius effigie illuſtrior eſſet; id tamen ab ipſo, quamvis amiciſsimis ipſius, & quibus nihil ab eo negari poſſe videretur, interpoſitis, nunquam obtinere potui, ut permitteret, ſed *humilem* Prov. 29. 23. *ſpiritu ſuſcipiet gloria*.

ILLU-

ILLUSTRIUM VIRORUM ELOGIA

DE LUCÆ WADDINGI VIRTUTE ET PERSONA.

URBANUS VIII. *Pontifex*
Ad Concilium Catholicorum Hiberniæ.

Ceterum dilectum filium Religioſum Lucam Waddingum, egregiis dotibus nobis apprime carum, negotia veſtra differentem, quoties opus fuerit, peculiari propenſione audiemus, &c.

INNOCENTIUS X. *Pontifex*
Ad idem Concilium.

2 Nos, adhibito etiam perſæpe dilecto filio Luca Waddingo, veſtræ gentis viro Religioſo, virtute, ac doctrina nobis probato conſtitutum habebamus, &c.

ALEXANDER VII. *Pontifex*
In Bulla fundationis Conventus Capranicenſis.

3 Nos ipſum Lucam, operæ, quam in negotiis Catholicæ fidei plures per annos laudabiliter impendit, intuitu, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, &c.

Eminentiſs. Cardinales S. Congregationis Rituum
In Decreto extenſionis Officii Sancti Iſidori.

4 Inſtante P. Luca Waddingo, ob peculiarem erga eamdem Congregationem Oratoris religionem, gratiam petitam indulſerunt, &c.

Rota in Romana computorum
10. Aprilis 1630. coram Reverendiſſimo Merlino

5 Inſignisque integritas P. Fr. Lucæ Waddingi locupletiſſimi fidejuſſoris loco fuit, jure merito, apud Albertum, &c.

Concilium Catholicorum Hiberniæ
Ad Urbanum VIII. Pontificem.

6 Patrem Lucam Waddingum, natione Hibernum, nobili oriundum familia, cujus aliæ commendationes & merita Apoſtolicæ Sedi non ſunt incognita, &c.

Ad Franciſcum Cardinalem Barberinum.

Reverendum Patrem Lucam Waddingum, natione Hibernum, natalium ſplendore, & virtutum meritis illuſtrem virum, de Eccleſia Dei, & hoc Regno bene meritum, &c.

Ad Cardinalem Antonium Barberinum.

Reverendum Patrem Lucam Waddingum, natione Hibernum, generis nobilitate, & virtutum meritis conſpicuum virum, &c.

Hugo Cavellus, Hibernus, Archiepiſcopus Armachanus
In Præfatione ad lectorem librorum Scoti de Anima.

7 Quæſtiones Scoti de Anima diu deſideratas, ſæpius diligenter quæſitas, taudem inveni apud R.P. Lucam Waddingum Hibernum, Sacræ Theologiæ Profeſſorem, & antiquitatis Franciſcanorum magnum indagatorem, &c.

Thomas Flemegus, Hibernus, Archiepiſcopus Dublinien.
In litteris ad Lucam datis Anno 1629.

8 Deo gratias ago maximas, qui tibi & deſiderium, & facultatem dedit, Ordinem tuum, Patriamque doctiſſimis & acceptatiſſimis tuis operibus exornandi. Annales tui, ipſis etiam Proteſtantibus, gratiſſimi ſunt, ut Pater Strongus latius tibi ſignificat.

Scipio Agnellus Maphæus, Italus, Epiſcopus Caſalen.
In litteris ad Lucam datis Anno 1635.

9 Ego pro tot favoribus P. V. infinitas refero gratias: & quouiam amplius non valeo, ſingulariter admirabor ſingulares dotes, zeli, doctrinæ, eruditionis, quæ in ipſa reſplendent; & ſpiritum non Eliæ, ſed Cyrilli, Damaſceni, Hieronymi, & aliorum defenſorum immaculatiſſimæ Virginis, & piiſſimæ Advocatæ, ac Dominæ noſtræ, quem Deus in te duplicavit.

Henricus Spondanus, Gallus, Epiſcopus Apamiarum
Tom. I. ſuorum Annalium pag. 123.

10 De quibus videndi præcipue Annales F. Lucæ Waddingi, quos ipſe, ceteris longe accuratius, ſumma fide conſcripſit, & notationes ejuſdem in Opuſcula S. Franciſci.

Idel-

Ildephonſus Brizenus, Peruanus, Epiſcopus Nicoragæ,
In præliminaribus Commentariorum in Scotum.

11 ETiam ſequens eximium rerum noſtrarum vindicem Lucam Vaddingum, probatiſſimum, & celebrem Chronologum.

Joannes Tomcus Marnavitius, Dalmata, Epiſcopus Boſnen.
In ſacra Columba pag. 48.

12 ACcepimus illam a præclaro Eccleſiaſticarum rerum indagatore, ſacræque hiſtoriæ eruditiſſimo profeſſore, Luca Waddingo, Minoritanæ æque familiæ, ac Hiberniæ ſuæ patriæ ocello.

Ambroſius Landuccius Senenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Congreg. Ilicetanæ, Epiſc. Porphirienſis, Sacrarii Apoſtolici Præfectus, & Sacelli Pontificii Aſſiſtens
In Præfatione libri de origine Templi Romani S. Mariæ Populi.

13 UT admirabilia, ſic reverenda ſunt ſtudia P. Lucæ Waddingi, qui dum propalat mundo ſtupenda opera, quæ Deus in ſua Seraphica Religione, & in magna Virgine incarnati Verbi Matre operatus eſt, ſibi ſane æternæ famæ Coloſſus erit.

Ludovicus Donius d'Atticby, Gallus, Epiſcopus Eduenſis
In Floribus hiſtoriæ Sac. Collegii Cardinalium Tom. 3. pag. 88.

14 IDque eo fidentius aſſero, quod nos docet Ferdinandus Ughellus ex auctore anonymo vitæ ipſius Cardinalis Quinionii, quam ſcribit eſſe penes Lucam Waddingum ejuſdem Ordinis Minoritani profeſſorem, & Chronographum clariſſimum, ac Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcrutatorem diligentiſſimum, ſcriptoremque ornatiſſimum.

Angelus Manriquez, Hiſpanus Caſtellanus, Ord. Ciſterc. in Hiſpania Generalis, Epiſcopus Pacenſis.
Tom. 4. Annalium Ciſtercienſium pag. 109.

15 GRatulamur & nos inſigni viro Lucæ Waddingo, multiſque nobis alias colendo titulis, quod Minorum Annales orbi dederit adeo copioſos, adeo ex fide ſcriptos, atque tali judicio concinnatos, ut nullo alio eguerimus in hac materia; imo non alium habere potuerimus, cui vel tutius credere, vel in quo uno videre, conferre omnes, atque de ſingulis exacte judicare, etiam ſupra noſtrum, concederetur.

Petrus Manero, Hiſpanus, Aragonus, ex Miniſtro Generali Ord. Minorum Epiſcopus Taraſonenſis
In diſtributione Voluminum hiſtoriæ Ordinis.

16 VIr celeberrimus Annaliſta Ordinis A.R.P. Lucas Waddingus Annales texuit Minorum, tum ſolemniſſimo apparatu, tum ſolerti induſtria, ampliſſima indagine, tam integro judicio, tam modeſto verborum candore, tam exacta rerum congerie, tam gravi, & venerando ſtilo, quod vix poterat Religio ea, quæ unus homo tentavit, invaſit, & perfecit, digna cedro, lauro æternitatis.

Valerianus Caſtiglioneus, Italus, Ordinis S. Benedicti Abbas Caſſinenſis, S. Inquiſit. Conſultor, & Ducum Sabaud. Hiſtoriographus
In litteris ad Lucam datis Anno 1642.

17 LEgendo pulcherrimos Annales tuos captus ſum improviſo faſcino amoris, & vivi ſenſus reverendi ſemper meritum feliciſſimi tui calami, & hiſtorici talenti.

Rochus Pirrus, Siculus, Abbas S. Eliæ de Ambula S. Officii Conſultor
Tom. 2. notit. Eccl. Siciliæ pag. 86.

18 SEd P. Lucas Waddingus, ſui Ordinis rerum ſcriptor accuratiſſimus.

Conſtantinus Caetanus, Italus, Abbas Caſſinenſis & Præſes Collegii Gregoriani Ord. S. Benedicti in Urbe
In reſponſione Apologetica pag. 17.

19 TEſtimonia hiſtoricorum non multiplicabo, fulmine enim agam non grandine, duos tantum producens; at Heroes illos, & primæ claſſis. Alter erit Lucas Waddingus in Franciſcana hiſtoria primus, in Eccleſiaſtica inter primos.

Ferdinandus Ughellus, Italus, Florentinus, Ord. Ciſterc. Abbas SS. Vincentii, & Anaſtaſii
Tom. 1. Italiæ Sacræ col. 163.

20 CUjus quidem diffuſe meminit amicus meus, doctiſſimus Lucas Waddingus Hibernus, in ſuis de Ordinis Minorum Annalibus. Is ille, qui noſtrum hoc de Epiſcopis Italiæ opus maturius, quam ipſi decreveramus, ſuis vel adnotationibus, vel ſtimulis in lucem prodire compellit.

Ga-

Gaſpar Jonghelinus, Belga, Abbas Eiſſertaten. Ord. Ciſtercien.

In Præfatione Elogiorum Pontificum, & Cardinalium Ord. Minorum.

21 HIs omnibus, auctoribus, ſerie licet temporis poſterior, reliquis tamen anteponendus Lueas Waddingus Hibernus, ſui Ordinis Hiſtoriographus generalis in Anualibus Minorum, quos aliquot voluminibus eruditiſſime, ac laborioſiſſime deſeripſit, quotidie plura meditans.

D. Hilarion Roncati, Italus, Mediolanenſis, Ord. Ciſterc. Præſes Generalis, Abbas S. Crucis, Romanæ Inquiſit. & variarum Congregat. Conſultor

In Approbatione Libri Waddingi de B. Petro Thomæ.

22 VIdi, & attente perlegi, quæ hoc libello continentur, Vita B. Petri Thomæ, & ad eam notæ, quæ conſuetam auctoris ſui redolent pietatem & eruditionem: eam ſcilicet, qua jam ditavit tot Annalium volumina, poſt quæ & hic liber tuto, & utiliter imprimi, & legi poterit.

Joannes Bona, Pedemontanus, Monachorum reformatorum S. Bernardi Abbas Generalis, & Sacrorum Indicis, ac Rituum Congregationum in Urbe Conſultor

In Cenſura noſtræ Epitomes.

23 IN doctiſſimo & clariſſimo viro P. Luea Waddingo eluxerunt mirabiliter omnes probi, & Chriſtiani hiſtorici partes & munera; ſingularis ſcilicet modeſtia, judicium incomparabile, ſtudium indefeſſum, ſolida pietas, amor veritatis, ſtyli gravitas, exactiſſima rerum antiquarum indagatio, & fideliſſima earumdem enarratio.

Franciſcus Bordonus, Parmenſis, Italus, Tertii Ordinis S.F. per Italiam Generalis, & Romanæ Inquiſitionis Qualificator

In Deciſionibus Miſcellaneis deciſ. 55.

24 DE hac re volui edoceri a P. Luea Waddingo viro integerrimo, Chroniſta ſui Ordinis eruditiſſimo.

Nicolaus Riccardius, Italus, Ord. Præd. Sac. Palatii Apoſt. Magiſt.

In Approbatione Tom. 2. Annalium Min.

25 SApientiſſimus auctor R. A. P. F. Lucas Waddingus reſpondet inchoatis in priori Tomo. Omnia ſunt digna præconiis; & cum eximia pietate, ſapientia minime fucata, diligentia operoſiſſima, complectuntur quidquid ad formandam vitam, & doctrinam Chriſtiani lectoris animam juvare poteſt .... ut ſunt omnia in feliciſſimo Ordine prçclara, ſortita ſunt etiam non imparem laudatorem, qui communione ſcribendorum illuſtrando ſuffieeret.

Leo Allatius Chienſis, græce & latine eruditiſſimus Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos

In animadverſione ad libros Alphonſi Ciccarelli pag. 319.

26 CUm de hiſce Joannis Capiſtrani monumentis ſermonem haberem cum doctiſſimo, & de Franciſcana Religione quam optime merito, & quo ſane in diſcernendis illius Religionis rebus uemo alius plus vidit, Luca Waddingo.

Carolus Cartharius, Italus, Urbevetanus, Advocatorum Conſiſtorialium in Urbe Decanus, & Archivii Apoſt. Molis Adriani Præfectus

In Syllabo eorumdem Advocatorum pag. 4.

27 A Doctiſſimo, integerrimo, & pretioſis voluminibus editis celeberrimo Luca Waddingo in Aunalibus Minorum.

Joannes Baptiſta Lancellottus, Italus, Picenus, Soc. Jeſu, Alexandro VII. Pontifici a Sacris Confeſſionibus

In Annalibus Marianis Anno Chriſti 58. num. 14.

28 MUltum accipit roboris hæc doctrina ab elucubratione, qua typis vulgavit vir eruditus Lucas Waddingus, de ſacra ſui Ordinis Hiſtoria optime meritus, nec ita multo pridem ad plures appoſitus. Nam auctor, Deiparæ ſtudioſus, in primis bene probat, illam obiiſſe ex couditione mortalis, ac deſtitutæ naturæ; adeoque corporis mortem illibato ejus conceptui neutiquam adverſari.

Ægydius Gonzalez d'Avila, Hiſpanus, Caſtellanus, Catholici Regis Chronographus

In Epiſtola ad P. Waddingum ſcripta Madrito 1635.

29 AB *Alpha* & *Omega* legi Annales V. P. & iidem ipſi ſunt corona, & præmium illius, qui guſtat tam pretioſos & maturos fructus, plenos ſole & ſale. Pergat porro V.P. & noli laſſari impendendo optimam ſuam ſortem, qua vocatus, & electus eſt ad extollenda, ſuo exquiſito ſtilo, eorum acta, qui ſingulari paupertate ſeipſos famoſos, & in immortali gloria divites effecerunt.

Ra-

Ranatius Picus, Italus, Duci Parmenſi a Secretis

In Epiſtola ad Petrum Mariam Campi Placentinum anno 1629.

30 DIcere non valeo, nec verbis explicare Dominationis veſtræ, poſtquam accepi Annales P. Waddingi, oculumque in ipſos conjeci, quantam illa apud me adeptus ſit opinionem & fidem, propterea quod eruditione ſua, & ſtili nitore videatur tali loco poſitus, quod non facile poſſit ab ullo hujus ætatis ſcriptore dimoveri: & ego illi præcipuum locum inter maxime illuſtres, & eminentes ſcriptores noſtri temporis attribuo; atque ideo ipſum ſumma cum obſervantia proſequor, & plurimi mihi facio, ſi inter ejus ſervos numerari poſſim.

Odoricus Raynaldus, Italus Tarviſinus, Oratorii Romani Presbyter

Tom. 13. Annalium pag.161. 180. & 196.

31 HÆc cum aliis auctoribus Lucas Waddingus, qui de Sociis agit, quæ ſi cupias, ipſum conſule, cum Ordinis ſui Annales, magna apud doctos laude, accuratiſſime atque exactiſſime ingenti ſtudio litteris proſequitur.

Melchior Inchofer, Germanus, Societatis Jeſu

In Epiſtola ad Lectorem Annalium Eccleſiaſticorum Regni Hungariæ.

32 PLura de ſuis item Hungaris, paſſim in vaſtis & eruditis Minorum Annalibus celebris ſcriptor Lucas Waddingus.

Gabriel Butzlinus, Germanus, Monachus Benedictinus Cœnobii Weingarttenſis in Germania

Litteris inde ad Lucam datis anno 1630.

33 VUlgatô Annalium tuorum primo Tomo, vix primam libri intuitus faciem, argumentum deproperans, ejuſdem, & tui maxime amore exarſi, ut nulla tunc prior, atque inde frequentior cogitatio, quam tui, quocumque poſſem obſequio ſeu officio, demerendi. Coegit alterius Tomi publica ad regularem menſam lectio, & privata ejuſdem ruminatio, ut porro minime differrem, imo hac, quæ proxima ad manum, occaſione, amanuenſem me tibi, aut ſi malles a pedibus addicerem.

Joannes de la Haye, Gallus, Ord. Min. Doctor Pariſienſis, & Regius Eccleſiaſtes

In ſua Epiſtola ad lectorem præfixa Opuſculis S. Franciſci editionis Pariſienſis.

34 POſteritas ſemper grata tanto beneficio, ſe a R. A. P. Luca Waddingo, viro eruditiſſimo, hujus temporis altero Baronio, Ordinis noſtri decore, & ornamento ſingulari, accepiſſe teſtabitur, qui ſummo labore in unum collecta publici fecit juris, doctiſſimis illuſtrata commentariis.

Hieronymus a S. Joſepho, Hiſpanus, Carmelita Excalceatus, ſui Ordinis Hiſtoricus

In Litteris ad Waddingum Matrito datis 1629.

35 PRæclarus ille Annalium tuorum ſplendor circumquaque effuſus, latibula quoque noſtra penetravit, ſeſeque oculis, etiam non intuentium, ſe ſol infudit. At, Deus bone, quam pura, quam nitida in Waddingi Annalibus eloquentia! quam aptus ſermo! quam denique fulgens hiſtoriæ lumen! Dicam ne, quod dixi? quod apud alios ſæpe, apud me autem metipſum ſæpiſſime ſoleo proclamare? Audeam equidem, & tuam, & noſtram nonnihil lædens modeſtiam. Exiſtimo enim Annales Minorum a Waddingo digeſtos non inferiores Eccleſiaſticis a Baronio compoſitis.

Franciſcus Vivarius, Hiſpanus, Matritenſis, Sacræ Theologiæ Magiſter, & pro Obſervantia S. Bernardi Procuratoris Generalis in Curia Romana

In Apologia prima pro Chronicis Fl. Lucii Dextri pag. 30.

36 MAgnopere contulit S. Petri in Monte Aureo bibliotheca, in qua, velut in domo propria, benignitate auctoris ipſius quotidie fere labori meo incumbebam, conſilio & judicio adjutus R. A. P. Lucæ Waddingi Sacræ Theologiæ Prælectoris, ac totius Seraphici Ordinis Archichronographi: cujus bibliotheca ipſa eſt, & multa variaque opera, quæ partim edita, partim quantocius edenda præ manibus habet, ingentem illi parturiunt gloriam, & honorem.

Nicolaus Cichovius, Polonus, Soc. Jeſu

In Libello de opinione S. Thomæ circa Immaculatam Conceptionem B. V. pag. 34.

37 IN quo confirmor a doctiſſimo & piiſſimo Theologo R. P. Lucā Waddingo Ordinis Seraphici, qui in legatione Regis Catholici, oratione quarta, neſcio ſuo, an Illuſtriſſimi Legati ſenſu, diſerte ſcribit, S. Thomam primum inter Scholaſticos piam ſcriptis mandaſſe ſe ntentiam.

Joannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius Belgæ Soc. Jeſu

In Vitis Sanctorum 14. Januarii pag. 985.

38 MIſerum tunc Eccleſiæ ſtatum paſſim deſcribunt auctores, quidam invidioſe, breviter & nervoſe Waddingus.

Leo a S. Thoma, Luſitanus, Ord. Ciſterc. Monaſterii S. Martini Tibanenſis

In litteris inde ad Lucam datis anno 1641.

39 MEmini illius tuæ ſingularis modeſtiæ ac religionis, quæ, ſi non loco ac dignitate, exemplo ſaltem, cunctis jam aliis Seraphicæ Familiæ commilitonibus præerat. Memor ſemper ero, ceteris interim prætermiſſis, ingenii tui acuminis, Scoticæque in arguendo ſubtilitatis, qua jam peractutos quoſque longo ſuperabas intervallo.

Thomas de Herrera, Hiſpanus, Ordinis Erem. S. Auguſtini, Provinciæ Caſtellæ Prior, & Sac. Inquiſitionis Conſultor

Ad Lectorem Reſponſionis pacificæ.

40 FAteor mihi & curæ, & pœnæ eſſe, in oppoſitum ſtare tantum virum, Waddingum, quem pro familiari amicitia tenere diligo, pro regularis vitæ obſervantia ſumme veneror, & pro exquiſita eruditione & doctrina cum admiratione ſuſpicio.

Hyppolitus Marraccius, Italus, Lucenſis, Ordinis Clericorum Regularium Matris Dei

In Bibliotheca Mariana.

41 LUcas Waddingus Ordinis Minorum, natione Hibernus, patria Manapienſis, præclarus Eccleſiaſticarum rerum indagator, ſacræ hiſtoriæ eruditiſſimus Profeſſor, Minoritanæ Familiæ, ac Hiberniæ patriæ ſuæ inclytum decus, inter multa, variaque opera partim edita, partim edenda, quibus ingentem ſibi gloriam, honoremque apud poſteros parturivit, magnamque Marianæ Bibliothecæ ſpleudorem attulit, eximiæque in Deiparam pietatis ſuæ illuſtria documenta præbuit ſcribendo, edendoque.

Paulus Sherlogus, Hibernus, Societatis Jeſu Theologus

In Epiſtola data ad Lucam Salmantica 1629.

42 JAm habeo tres Tomos Annalium V. P. & conor etiam reliquos adipiſci; nam poſt Cæſaris Baronii opus, veſtrum mihi viſum eſt graviſſimum, optimeque diſpoſitum omnium, quæ noſtri diebus prodierunt; & puncta Theologica, quæ occurrunt, valde magiſtraliter ventilata.

Bartholomæus Cioccarellus, Juriſconſultus Neapolitanus

De Epiſcopis Neapolitanis pag. 211.

43 COnſuluimus quoque hac de re R. P. Lucam Waddingum Hibernum, qui profuſiſſimos, & exactiſſimos Annales Ordinis Minorum conſcripſit, quorum quinque Tomi hucuſque prodierunt in lucem; quique monumenta omnia ejus Religionis vidit, perveſtigavit & perluſtravit; & præſertim Romanorum Pontificum regiſtra, quæ in Vaticana Bibliotheca ſervantur, &c.

Joannes Colganus Minorita, Hibernus, Coloniæ Agrippinæ Sac. Theologiæ Lector

In litteris ad Lucam inde ſcriptis.

44 SEcundum Tomum veſtrorum Operum optatiſſimum, & in his partibus gratiſſimum nunc videmus. Si V. P. vel ex parte ſciret, quantum favorem & gratiam veſtræ Provinciæ Patribus & Fratribus, imo toti Nationi apud multos comparaverint iſta, non dubito, quin veſter labor in reliquo opere proſequendo alleviaretur.

Joannes Baptiſta de Groſſis Siculus, Sac. Theol. & U. J. D. Prothonotharius Apoſt. &c.

In Cathanea ſacra pag. 155.

45 QUæ de Gerardo exhibemus, non tam ſcribimus, quam exſcribimus ex doctiſſimo juxta ac eruditiſſimo P. Luca Waddingo, quæ auctor iſte nobis ætate & eruditione ſuperior elimavit, iterum, non tamen caſſo labore, repetimus.

Joannes Dameto Majoricenſis, J. U. D. & Regni Balearum Chronographus
In litteris inde ad Lucam datis 1636.

45 LEgi atque relegi, non ſine ingenti voluptate, fecundum tuorum Annalium volumen; primum enim, neſcio qua de cauſa, ad nos adhuc non pervenerit, in quo preter exactiſſimam, in perquirendis tui SS. Ordinis rebus memoratu dignis, diligentiam, & in deligendis atque trutinandis prudentiſſimum judicium, in referendis graviſſimam & nitidiſſimam elocutionem, illud maximopere ſum admiratus, quod ſcilicet, dum legentis mentem jucundiſſimarum rerum narratione paſcis, ſimul etiam affectum erga Chriſtianæ virtutis ſtudium, quaſi admotis facibus, mirifice accendis: in quem ſcopum, non vero ad inanis gloriæ umbram, utinam omnes, Eccleſiaſtici præſertim, ſcriptores ſuam induſtriam, laboreſque dirigerent.

Zacharias Boverius, Italus Ord. Minor. Capuccinorum Chronographus
Tom. 1. Annalium pag. 883.

47 PRimus eſt R. P. Lucas Waddingus, vir religioſiſſimus, atque inter Minorum de Obſervantia omni virtutum ac bonarum artium laude clarus.

Felix Ciattus, Italus, PeruſinusOrd. Min. Conv. S. T. Magiſter Miniſter Provinciæ S. Franciſci
In Epiſtola ad Lucam data Peruſia 1635.

48 PRimum tantum tuorum Annalium volumen evolvi, cetera ad manus non pervenere; ſtilus exuberans mihi placuit, eruditio vaſtiſſima ſummopere arriſit, doctrina illa ſingularis, tam concinne rebus hiſtoricis accommodata, in extaſim me ſuſtulit, dicta, ſententiæ, ſales, ſingularum rerum affabre diſpoſitarum concinnatas totum rapuerunt.

Joannes Baptiſta Roſſus, Italus, Soc. Jeſu
In Philomelam S. Bonaventuræ pag. 12.

49 PLura de ſapientiæ S. Bonaventuræ laudibus, vide in Tom. II. Annalium ab eruditiſſimo, ac religioſiſſimo P. Luca Waddingo digeſtorum &c.

Floravantes Martinellus, Romanus, in Bibliotheca Vaticana Scriptor
Roma Sacra pag. 131.

50 TEmplum S. Iſidori Agricolæ ſub Gregorio XV. ædificatum a Fratribus ſtrictioris Obſervantiæ S. Franciſci, auctum Conventu & horto, induſtria doctiſſimi viri F. Lucæ Waddingi Hiberni, Ord. Franciſcani Chroniſtæ, & Collegii Hibernici inibi fundatoris.

Andreas Victorellus, Italus, in Urbe Theologus
In receſſione.

51 LUcas, doctrina theologica, & alia imbutus eruditione, Seraphicos Annales ingenti labore, novo ordine, laudabili induſtria compoſuit.

Joannes Michael Vimbodinus
In hiſtoria Eccleſiaſtica Valentina.

52 WAddingus diffuſe, ac temporum ſervato ordine in Chronico Minorum Divum, *Ludovicum*, expreſſis coloribus pingit: vir laborioſus ac doctus, & de ſua Seraphica Religione, ob magnos in illius ſplendorem exantlatos litterarios labores, bene meritus.

Paulus Aringhus Oratorii Romani Presbyter
Tom. 1. Roma Subterranea pag. 174.

53 EX opuſculorum S. Franciſci libro, quem F. Lucas Waddingus Manapienſis Ordinis Minorum, olim apud Salmanticenſes Theologiæ Profeſſor, vir ſingulari prudentia, ac omni plane eruditione in Urbe conſpicuus, olim in lucem edidit, cujus ſententiæ plurimum deferimus, & cui nos plurimum debere fatemur; quippe qui noſtrum hoc ſubterraneæ Romæ opus perhumaniter recognoſcere dignatus eſt.

Baptiſta Piergilius Italus J. U. D.
In Vita B. Claræ a Cruce pag. 5.

54 FR. Lucas Waddingus Hibernus diligentiſſimus ſcriptor Annalium Minorum ſuccincte ſcripſit quidquid alii de hac Beata ſcripſerunt.

Maximilianus de Bouchorne Belga D. Petri & aulæ Brabantinæ Palatinus
In dedicatoria Hiſtoria legationis ad Philippum IV. Regem.

55 HUjus inclytæ legationis acta fideliſſime conſcripta, & doctiſſime a R. P. F. Luca Waddingo S. Theologiæ Romæ in Monte aureo Lectore, & legationis Theologo, nobis ab amico ad legendum tradita, magniſque viris oſtenſa, viſa ſunt eis digniſſima, quæ, ad majorem Dei, Divæque gloriam, in lucem publicam prodirent.

EPI-

EPISTOLA AUCTORIS
AD LECTOREM.

IMMENSUM aggredi opus, ultra Majorum præcepta, fecerunt & vetus noſtra gloria, & recentes aliorum calumniæ. Conſeneſcentem vidimus memoriam eorum, qui æternam meruerunt, & ſqualorem obduci oblivionis præclare factis in rei Chriſtianæ publicum emolumentum. His acceſſit aliorum æmulatio, qui ſuo honori detrahi putant, quidquid accedit alieno, nec proprias res laudari poſſe, niſi cum magnorum opprobrio. Infelicitas hæc pravi zeli eſt *in malum proprium bona aliena convertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorumque gloriam facere ſuam pœnam.* Bene dixit os aureum: *Invidentiæ alimenta ſunt alienæ famæ celebritates.* Celebre fuit, neque immerito, Franciſcanorum nomen ob res præclare geſtas in Eccleſiæ Catholicæ dignitatem, ob doctas editas elucubrationes in fidei Romanæ commendationem, ob vitas liberaliter profuſas in Chriſtiani nominis auctoritatem; ſed quanto ſucceſſu meliore profecit, tanto invidi in majus incendium livoris ignibus exarſerunt. A principio fuerunt, qui tantum ferre ſplendorem non poterant, quin mendaciorum, calumniarumque nebulas tentarent obducere; neque aliquando defuerunt qui promicantem undique ampliſſimi Inſtituti gloriam, obductis adverſæ vel diminutæ famæ tenebris, non attenuarent. Tolerabilis hæc infirmitas in mediocris nominis, atque inferioris conditionis viris: at ſuperioris, vel æqualis ſtatus hominem, alienam durius ferre dignitatem, gravius quidpiam eſt, atque ultra invidentiam reponendum. Namque

Cyprian. lib. de livore & zelo cap. 3.

Chryſoſt. lib. 6. de ſacerdot. poſt med.

Invidere alii bene eſſe, tibi male eſt, miſeria eſt.
Qui invident, egent: illi, quibus invidetur, rem habent.

Plaut. in Truculen.

Qui itaque abunde habent, nec tamen ferunt, ut alii minus habeant, aliunde quam ab invidia languent, profecto ægri vel affecti, imo infecti ſunt animi. Habuit multa & ſpecioſa nimis Minorum Sodalitium, ſed neque aliis Eccleſiæ Ordinibus magna defuerunt ornamenta: *Pulchra ſunt omnia tabernacula Jacob, & tentoria ſacra Iſrael, ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios irrigui; ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedros prope aquas.* Ipſe Dominus religioſos Ordines

Num. 24. v. 6.

Ezechi.37. v.26. nes *fundavit, & multiplicavit eos, & dedit ſanctificationem*
Iere.30. v.19. *ſuam in medio eorum in perpetuum; vere multiplicavit eos, & non minuentur, & glorificavit eos, & non attenuabuntur.* Habent omnes unde laudentur, multa eis ſuppetit in Domino gloriandi materia, abſque alterno vituperio. Gravior hinc injuria Patris Abrahami Bzovii Dominicani in Franciſcanam Religionem, cujus famam undique minuit, cujus infamiam, undique conquiſitam, adauget. In auctario, quod tentavit, Annalium Illuſtriſſimi Cardinalis Baronii, unici ſacrarum rerum vindicis, id dumtaxat voluiſſe viſus eſt, ut ſumme exaltaretur Dominicana, atque in imùm deprimeretur Franciſcana Religio. Vigeat, floreat, exaltetur, & digne commendetur, ſi fieri poſſit, omni laude major ſacra Prædicatorum Familia, cujus doctrinam, diſciplinam, dignitatem merito omnes attollant, ſed nemo ſufficienter poterit exprimere; at ut illa commendetur, oportebit ut Minorum Sodalitium vituperetur? An illius laus ex iſtius creſcit injuria? An magnitudo ex hujus humilitate? Sane veluti per hos gradus ad excelſa ſui Ordinis eſſet procedendum, ita attenuavit gloriam alienam, ita Minoribus fraterno vinculo conjunctis, Patrum ſuorum benedictionibus, & multo hortatu commendatis, ubique detraxit, ut præclara quæque paſſim tacuerit, plurima ſuis adſcripſerit; & quod graviorem reddit injuriam, vilia univerſa ex quibuſcumque Scriptoribus, abſque ullo veritatis examine, aut pietatis antidoto in eorum conglomeraverit contumeliam. Solus Bzovius inſtar omnium Franciſcanorum hoſtium eſt, pro omnibus unus ſufficit, imo omnes tranſgreditur, nam ad illorum injurias ſuas addit, ſtudioſius ampliando, exaggerando, & frequenter repetendo, quidquid minus æqui, minus pii finxerunt, vel mentiti ſunt Scriptores. Non abſque dolore hæc refero, extorta, ſed neceſſaria de tantæ Religionis Alumno hæc mea querimonia, atque eo rationabilior, quo clarius illa ſæpius proteſtata eſt per ſupremos ſuos Rectores, quibuſcum frequenter mihi de hac re ſermo, ſe nunquam id approbaſſe, ſed ultro condemnaſſe. Publico præconio hoc teſtatum & enunciatum velim, ne ſacra luat Religio, quod indigne peccavit Alumnus, atque ex corde oraverim, parcant honori tanti Inſtituti, qui ſuum læſum ſcriptis inſtaurant. Ego vel ipſi homini indulgeo, neque vices rependo: potius ferre offenſas, quam referre, multo minus inferre mecum decrevi, atque religioſæ cedere modeſtiæ, non contumeliæ. Quod diminute, quod confuſe,

quod

quod turbato ordine & tempore res noſtras retulerit, fortaſſe contigit ex humani ingenii imbecillitate, vel penuria noſtrarum hiſtoriarum, quas tamen pro boni & completi Hiſtorici munere debuiſſet acquirere,& diligenter examinare. At demus ita eſſe, quam quæſo præclaram obtendet excuſationem pro tot conſcriptis injuriis? Pro dignis encomiis defuerunt codices, pro indignis contumeliis viles quique ſuppetunt,& ſuperabundant Auctores? In eo ipſo crimine minor eſſet offenſa, ſi fideliter exſcripſiſſet, quod illi ſcripſerunt, nec vehementius ponderaret, vel injurioſius amplificaret, aut frequentius inculcaret, quod malorum depravatus dictavit affectus, aut ex atra bile infirmus ſtomachus evomuit. Id tandem longi temporis intervallo, quo vel adverſum affectum deponere vel hiſtoriæ errores potuit deprehendere, potiori jam ſpe & majori fiducia a religioſo viro ſperare atque humiliter petere audebo ipſis illis verbis, quibus ſuas Retractationes exorſus eſt Auguſtinus, *ut qui primas non potuit habere ſapientiæ, ſecundas habeat partes modeſtiæ, & qui non valuit omnia impœnitenda dicere, ſaltim pœniteat, quæ cognovit dicenda non fuiſſe*. Opportuna, licet illi, ut reor, importuna, nunc ſe offert occaſio,ut hoc præſtet atque ſuo honori caveat, & noſtrum reſtauret, dum in multiplici correctione, vel unius Tomi XIV. quam adhibere præceperunt Sanctiſſimus Dominus, & Illuſtriſſimi Cardinales huic negotio præpoſiti, in quo gravius læſit Sereniſſimam Domum Bavaricam, cujus etiam cauſam plus æquo nobis fecit communem, quæ in Minorum Sodalitium vehementius, acerbius, ne plus dicam, ſingulis paginis inculcat, tollere, corrigere, aut mitigare voluerit, & quos communi læſit vulnere, communi etiam curet remedio, aſperam per omnia ſcripturam, religioſa temperans & corrigens modeſtia, qua ſibi reconciliet offenſos, & juſte infenſos Sereniſſimos Duces, & fraternam revocet a longe repulſam cum Minoribus caritatem. Dum itaque non fecerit, æquum obſecraverim Lectorem, ut quæcumque rem Franciſcanam concernentia non ſine delectu & examine apud eum legat; neque fidem, quam in aliis plurimis rebus abſque injuria non præſtat, certe non debet, in his facile adhibeat, donec potiores aut ſinceriores conſulat Auctores. Neceſſarium duximus de his præmonere, ne quæ nos multo examine & longa indagine comperimus falſa & injurioſa, vera aut ſincera ſcripta quiſquam adjudicet, & pio affectui erga Minores prævaleat ſpecioſa auctoritas Annaliſtæ

Aug. in prolog. Retractation.

Eccleſiaſtici. Hoc ſane ſine præmonitionem hanc præfixiſſe facile videbit, qui hos noſtros legerit Annales, in quibus quam amice, quam candide, & abſque bile cum homine agimus, ubique perſpiciet. Neque enim injurias rependimus, neque acriter virum carpimus, ſed fundata narratione res noſtras ſtabilimus, multis in locis ejus parcentes nomini, in aliis abſque ulla commotione errorem refellentes, fraternam & Chriſtianam ſemper ſervantes caritatem, quia ut ſcopulus aſſilientes undas ſine motu ullo ſuo frangit, ſic nos offenſas univerſas ſine acerbitate ulla aut ira. Licet ille ad bellum provocaverit, tamen *reſpondimus laceſſenti tamquam non laceſſiti; refellendæ enim relationis, non exponendæ injuriæ nobis ſtudium fuit.* In eo tamen nos ei debere fatemur, quod noſtri Sodalitii Seniores & Rectores ad res ſuas dilucidandas excitaverit; neque enim quidquam minus curabant, quam ex majorum factis ſibi gloriam advehere. Optima quæque ſitum, aut cariem patiuntur niſi refricentur, atque ipſa illa ſumma *Evangelii veritas negligentius quæreretur, ſi mendaces adverſarios non haberet.* Non adeo noſtri humanam venabantur gloriam; at inglorii facti doluerunt, & priſtinam voluerunt redintegrare dignitatem. Hinc mihi commiſſa provincia, licet valde reluctanti, ut ab ipſo Religionis exordio hiſtoriam omnem repeterem, quod ita peragere conſtitui, ut ab ipſo limine ſacri Prædicatorii Inſtituti cauſas agam, & laudes præponam, ubicumque ſe offert, vel etiam undecumque peti poteſt occaſio ejus dignitatem extollens.

Ambr. lib. 2. epiſtolarum epiſt. 12.

Auguſt. de conſ. Matth. & Luc. in princ.

De hoc ſacro Sodalitio nonniſi præclara quæque attexo, at de meo refero etiam juxta rei veritatem, quæ fortaſſis plerique ex noſtris vellent taceri. Sinceram hanc narrationis rationem in omnibus ferme noſtris Scriptoribus notavi: virtutes Sanctorum, & vitia pravorum eadem fide conſcribunt; longe in hoc diſſentientes a quibuſdam, quorum hiſtoriæ dumtaxat encomiaſticæ, nihil aliud continent quam Conſodalium laudes & gloriam, quaſi pro humana fragilitate nullus unquam in univerſo deliquerit Sodalitio. Et meo quidem judicio conſultius illi fecerunt, qui commendabilia & corrigibilia retulerunt; præterquam enim quod ita lex hiſtoriæ præſcripſerit, & narrationis veritas expoſtulet, non aliter laudabilibus rebus fidem conciliaveris, niſi & reprehenſibilia ſubjunxeris. Hinc etiam Evangelii comprobatur veritas, nam *quod Apoſtoli eſſent timidi & puſilli animi oſtendit, qui de eis ſcripſit, & neque obſer-*

Chryſoſt. hom. 4. in cap. 1. epiſt. 1. ad Corinth.

obſervavit, neque tulit ut eorum tegeret vitia, quod quidem eſt etiam ipſum maximum argumentum veritatis. Quod ipſius narrationis ſeries & hiſtoriæ veritas expoſcit, ſincere referendum tum ad fidem, etſi duram, extorquendam, tum ad legentium, præcipue Religioſorum, profectum, ut in encomiaſticis habeant quod appetant, & in vituperabilibus quod fugiant.

Quam vero laborioſum opus aſſumpſi ſciunt antiquitatis vindices, & graves quique Hiſtorici. *Præterita perſcrutando indagare ac differendo monſtrare, quam ſit operoſum atque prolixum, & quam multis dignum voluminibus quis ignorat, qui hæc vel mediocriter cogitat?* Ego fateor me non ultro currentem, ſed præceptis impulſum ut opus aggrederer, in ipſa rei conſideratione hærentem timuiſſe, donec miniſtratis mihi neceſſariis ſubſidiis, & opera R. P. Bartholomæi Cimarelli Piceni, exactiſſimi antiquorum monumentorum indagatoris, quem ad hoc ipſum deſtinavit Reverendiſſimus Pater Benignus Genuenſis in Umbriam, Picenum, Tuſciam & Lombardiam Tranſpadanam, collectis pluribus codicibus MSS. & aliunde tranſmiſſis aliis, vires & animum aſſumpſi ad anteriora ſæcula luſtranda, & pluribus voluminibus univerſam hiſtoriam ad noſtra tempora deducendam. Præ omnibus opi fuit Mariani Florentini hiſtoria MS. quinque libris diſtincta, ſtilo pluſquam humili, imo frequenter barbaro, ſed ſincero deſcripta, quam mihi tranſmitti, iteratis præceptis, curavit ex Bibliotheca noſtra ædis Omnium Sanctorum Florentiæ, Reverendiſſimus Pater Bernardinus a Moncalvo, dum Vicarium ageret Generalem Familiæ Ciſmontanæ noſtri Sodalitii. Hanc dum ſæpius citamus nollem confundi cum hiſtoria Joannis Marianæ, qua etiam in rebus Hiſpanicis ſæpius uſi ſumus, nec ex nominis, vel cognominis ambiguitate decipi Lectorem, quem errorem ut caveremus, curavimus Marianæ Hiſpano ſuum nomen præfigi. In Chronologia filum prætulit, & plurima graviſſima monumenta miniſtravit (quorum præcipua inſeruimus ipſi narrationi, alia rejecimus in Operis appendicem) Regeſtum Vaticanum Summorum Pontificum, quod mihi videre licuit ex ſumma in me benevolentia Sanctiſſimorum Dominorum Gregorii XV. & Urbani VIII. Illuſtriſſimi item Scipionis Cobellutii Cardinalis, tituli ſanctæ Suſannæ, Bibliothecarii Sedis Apoſtolicæ, ſingularis mei patroni: & Reverendiſſimi Domini Nicolai Alemanni Bibliothecæ Præfecti.

Aug. 17. de Civit. cap. 1.

fecti. Alia conſuluimus Archiva, quæ multam ſubminiſtrarunt materiam: Aracœlitanum noſtrum, copioſiſſimum litterarum Apoſtolicarum tabularium: aliud Patrum Conventualium ad duodecim Apoſtolos in Urbe: duo item Aſſiſii ſacri Conventus ſancti Franciſci, & ſanctæ Mariæ Angelorum, ceteris, quæ vidimus, plurimum locupletiora. Ex multis Bullis & ſacris monumentis undique conquiſitis, unum hac noſtra æde apud nos repoſuimus in Bibliotheca ſelectis libris abundanter a nobis inſtructa, quod ſæpius citamus in litteris Pontificum. Circa Coſmographiam, Geographiam, & Topographiam præcipuos tam veteres quam recentiores conſului Auctores; neque ſumptibus parcitum eſt, quin Regionum, Rerumpublicarum, peculiarium Civitatum, & Eccleſiarum hiſtorias, quas invenire licuit haberemus. Circa Monaſteriorum origines & ſtructuras perfecte explorandas multum laboravimus, plurimas ex certis tabulariis & autographis membranis eruimus, alias ex Urbium monumentis, & peculiaribus hiſtoriis: ceteras ex Illuſtriſſimo & piæ memoriæ viro Franciſco Gonzaga, Petro Rodulpho & relationibus MSS. Provinciarum. Pro rebus Ordinis perfecte comprehendendis curavimus quaſcumque ejus hiſtorias colligendas: ita ut per omnia ſedulam adhibuerimus diligentiam, ne quidquam operoſum aut grave nos præteriret.

Ubi ex aliis narrationem deduco vel proſequor, ipſis eorum verbis pro ſinceriori concilianda fide ſemper utor, niſi quando ſtili humilitas vel barbaries mutandum monet. Neque tamen meum adeo politum vel comptulum offero, ut Rhetorum coloribus depingatur, aut eloquentiæ phaleratis alliciat ſermonibus. Sincera damus verba, non imponimus Lectori, nec ſub ſpecioſis verbis falſa vendimus pro veris. *Quapropter peto, ut non verborum elegantiam, ſed vim rerum expendendam lector putes. Aurea enim, ſicut Scriptura divina docet, eſt lingua ſapientium, quæ phaleratis dotata ſermonibus, & quodam ſplendentis eloquii, velut coloris pretioſi, coruſco reſultans, capit animorum oculos ſpecie formoſi, viſuſque perſtringit. Sed aurum hoc ſi diligentius tractes, foris pretium, intus metallum eſt. Volve quæſo, atque excute ſectam gentium, pretioſa & grandia ſonant, veri effœta defendant. Deum loquuntur, ſimulacra adorant.* Neque incongrue dixit ille ad Alexandrum, *facundiæ Oratorum & Rhetorum officium eſſe falſitatis ſermonibus figmentare mendacia, & innocentiæ fidem* con-

Ambr. cit.

Bracmann. epiſt. ad Alex. Magn.

conferre criminibus. Id etiam ex ſacrorum Doctorum reverentia nobis ſolemne eſt & frequens, quod *lubenter ubi mihi congruere video, verba Sanctorum aſſumo, quod vel ex vaſculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ in his Lectori appoſuerim*. *Bernar. ſerm. 3. ſup.* Miſſus eſt.

Ceterum poſt omnem præmonitionem id etiam fatendum, quantumvis omnem adhibuimus conatum non omnia nos attigiſſe, ſed multa ſtudium noſtrum ſuperaſſe, multa etiam diligentiam noſtram ſubterfugiſſe; neque enim tantum nobis tribui velimus, ut omne tulerimus punctum, & omnia noſtra dicantur incorrigibilia. *Scio enim quo modo, præter imprudentiæ caliginem, quæ me circumfundit, unumquemque fallunt ſua ſcripta, & aurem prætereunt, atque ut filii etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem mediocres ſermones ſui palpant. Incautius aliquid plerumque promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum: tum quia alieno examinanda judicio, non pro noſtra debemus magis, quam pro aliena opinione trutinare, & diſcutere omnes ſcrupulos malevolentiæ*. *Ambr. lib.8. epiſtolarum epiſt.63* Fecimus, diſcuſſimus, examinavimus, nec tamen plene nos errores caviſſe putamus in tanta rerum amplitudine & varietate; neque enim res heri aut nudiuſtertius, ſed ante quatuor ſæcula geſtas narramus; neque unius Oppidi, unius Urbis, aut Reipublicæ hiſtoriam concinnavimus, ſed ad magni Sodalitii per univerſum Orbem ſe diffundentis amplitudinem explicandam illuc ſequi oportuit, quo præceſſit, & omnium Regnorum, Provinciarum, Urbium, imo & mediocrium Oppidorum, maxime Chriſtianorum, ad quæ penetravit, monumenta, ut licuit, conſulere, nomina ſcire, Topographiam adhibere, fuit neceſſe. In his autem quis labi non timeat? Quis ſe omnia aſſequutum putet? Præſertim cum vel in ipſis nominibus optimi quique Geographi paſſim labantur: neque id mirum, dum *quotidie aliquid in hoc magno Orbe mutatur, nova Urbium fundamenta jaciuntur, nova gentium nomina, extinctis nominibus prioribus, oriuntur*; *Seneca de conſol. ad Albin.* imo *omnes quæ uſquam rerum potiuntur Urbes, ubi fuerint aliquando quæretur, & vario exitii genere tollentur*, *Idem epiſt.71.* atque adeo ut *pulvere vix tecta poterunt monſtrare ruinæ*; etenim *tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas*. *Lucan. lib.7.* *Æneid. 3.* Venia proinde digni ſumus, ſi tanta rerum vaſtitate aliter quidpiam diximus, quam ſe habeat; & pium obſecramus lectorem, ut non id pravo affectui, ſed humanæ caligini, & noſtræ tenuitati dignetur adſcribere;

bere; atque inſuper amice nos monere, in quibus erravimus, ut corrigamus. *Ego enim beneficio annumero, ſi quis mea legens ſcripta, dicat mihi, quo videatur moveri. Primum, quia & in iis, quæ ſcio, falli poſſum. Multa autem prætereunt, multa quibuſdam aliter ſonant. Pulchrum eſt, ſi fieri poteſt, cavere omnia. Deinde, quia non debeo moleſte ferre, ſi cum de Apoſtolicis, & ipſis Evangelicis Dominicisque verbis plerique multas quæſtiones ſerant, etiam in meis ſcriptis reperiant, de quo diſputandum putent. Plerique enim ſtudio indulgent ſuo.*

Ambroſ. lib. 1. epiſt. 8.

Aliud adhuc fortaſſis erit, in quo reprehendamur, vel noſtrum hoc opus diſpliceat, nimirum quod prolixiorem texamus hiſtoriam, quam quotidianæ occupatiunculæ ferant, aut hujus ſæculi brevitatis ſtudium facile commendet. Inſtituti tamen noſtri ratio facile apud benevolos veniam obtinebit, quæ non alia eſt, quam ut avolantem rerum geſtarum memoriam, quaſi per fimbriam veſtimenti, retineam, unde perfecte innoteſcant ampli res Sodalitii, & qui peculiares voluerint texere Provinciarum hiſtorias, habeant unde eas plene decerpant. Id ego ſpoponderim nullum Provinciæ, Nationis, aut Patriæ ſuæ Illuſtratorem diffuſionis aut prolixitatis nos accuſaturum in ſuis rebus enarrandis. Si ſinguli ergo legant, quod ſuum eſt, nullus tædioſum putabit opus, attrahente ſuarum rerum diſcendarum cupidine. Qui hac vero non ducitur, ſed faſtidiente ſtomacho plurima reſpuat, & voluminis molem exhorreat, admittat illud Martialis conſilium

Martial. lib. 4. Epigr. 31.

Si nimis eſt legiſſe duos, tibi charta plicetur
Altera: diviſum ſic breve fiet opus.

Vel ipſum audiat librum, tanto faſtidio placidum adhibentem lenimen

Id. lib. 10. Epig. 1.

Si nimius videor, ſeraque coronide longus
Eſſe liber; legito pauca, libellus ero.

Quanquam & ego judicaverim non delicatulorum, aut ſtatim ad ſingula folia capite dolentium, vel ad novas quaſcumque narrationes in fori deambulationes exurgentium opus hoc aut ſtudium eſſe; qui fundate, qui ſcite volunt res hiſtoricas excipere, oportet ut narrationi inſiſtant, & plene legant, donec ad originem res quaſque reducant, & quem ſortitæ ſunt exitum exacte dignoſcant. Patienter legendum, diu inſiſtendum eſt eis, *qui in immenſum hiſtoriarum pelagus ſolvere proponunt. Qui per tale mare iter ſunt facturi, neceſſe eſt non fatigatis, ſed integris remigibus viam capeſſant.*

Chryſoſt. hom. 3. in Iſaiam.

IN-

INDEX CODICUM MSS.

Quibus P. Waddingus uſus eſt in hoc Annalium opere.

Alexandri Aquilani Chronicon.
Angeli Clareni hiſtoria de ſeptem Ordinis tribulationibus.
Angeli Reatini Chronicon de rebus geſtis a S. Franciſco in valle Reatina.
Angeli, Ruffini, & Leonis S. Franciſci ſociorum Legenda ejuſdem Sancti.
Anonimus auctor vitæ S. Antonii Patavini.
Alius vitæ S. Guidonis Cortonenſis.
Alter vitæ S. Eliſabethæ Hungaræ.
Archiva varia Bullarum Apoſtolicarum.
Balduini de Brunſwicke Chronica Saxoniæ.
Bernardi de Beſſa hiſtoria de Ordinis Generalibus.
Cencius Camerarius de cenſibus Apoſtolicis.
Chronica primarum Provinciarum Religionis.
Chronica viginti quatuor Generalium.
Chronica monaſterii S. Michaelis Tiburtini.
Chronica monaſterii S. Luciæ Fulginatis.
Chronica Saxonica.
Compendium Chronicorum ante 100. annos exaratum.
Creſcentii de Jeſe Dialogi de ſtatu Franciſcano.
Ejuſdem vita B. Joannis Firmani.
Franciſci Fabrianenſis Chronica Marchiæ & Fabriani.
Franciſci Petrarchæ poema doctum de S. Franciſco.
Hugolini de Monte S. Mariæ tractatus de Provincia Piceni.
Jacobi Oddonis Peruſini Speculum Minorum, vulgariter *Franciſchina*.
Jacobi Guiſii Chronica Hannoniæ.
Joannes de Septimio vita B. Joannis Firmani.
Joannis Franciſci Nuño de origine reformationis Provinciæ Romanæ.
Joannis de Florentia opuſculum de Canonizatione S. Franciſci.
Legendæ tres B. Franciſci Fabrianenſis.
Marii Tarviſini recollecta Ordinis.
Mariani Florentini Chronica ab exoriente Religione uſque ad annum 1460.
Peregrini de Bononia recollectiones rerum graviorum Ordinis.
Proceſſus de vita & miraculis S. Claræ.
Proceſſus B. Simonis de Collazzone.
Regeſtum Vaticanum Summorum Pontificum.
Relationes MSS. multarum Provinciarum.
Roſæ Viterbienſis acta.
Thomas Eccleſtonus de progreſſu Minorum In Anglia.
Thomæ Celani Legenda antiqua.
Ejuſdem alia, dicta Gregorii IX.
Thomæ Jordanes hiſtoria Minorum in Aragonia.
Vita B. Antonii.
Vita B. Ægidii.
Vita Claræ Ubaldinæ.
Vita B. Gandolfi:
Vita B. Ludovici Regis Galliarum.
Vita B. Margaritæ Columnenſis.
Vita B. Rogerii de Provincia.

A P-

Digitized by Google

2.1.131

APPARATUS
AD
ANNALES MINORUM.
PRÆFATIO.

PULCHRAM, & terribilem dixit Eccleſiam in ſuo Epithalamio Vatum ſapientiſſimus; pulchram in ſplendoribus Sanctorum, terribilem in omni armaturâ fortium. Pulchra eſt in veſtitu deaurato, circumdata varietate juſtorum: terribilis in manu potenti, quam circumcingunt viri ad bella doctiſſimi ex fortiſſimis Iſraël. Gratam, & formidabilem reddit varietas; gratam in ornatu, formidabilem in conflictu. Non una ſors hominum Eccleſiam veſtit, non una natio defendit; tunicam habet polymitam varietate intertextam, & Caſtrorum aciem inſtruit variâ militantium conditione compactam. Multi pacificè floruerunt in Eccleſia viri ſanctiſſimi, multi etiam in bello pro ea validè dimicarunt. Horum memoria licet in benedictione ſit, & Eccleſiæ Antiquarii, ſolerteſque Scriptores, illorum nomen, & virtutem ad poſteros tranſmiſerint; non tamen omnes res ab illis fortiter geſtas adeò ſigillatim comprehenderunt, ut unaquæque hujus aciei legio ſuis non indigeat tabulariis. Sunt qui bellorum eventus, & Ducum virtutem accuratè perſtringunt, ſed ad ſtrenua uniuſcujuſque pugilis opera deſcendere vel negligunt, vel recuſant. Univerſalis Eccleſiæ partas de fidei hoſtibus victorias in generalibus vel nationum Conciliis, in quibus verè ſuorum Caſtrorum acies ordinare cenſetur, primorumque Ducum, ſuperiorumve Prælatorum vitas ſanctè, & piè tranſactas varii Auctores ſuis tabulis conſignarunt; ſed multorum florentiſſimorum Doctorum, qui fortiter pro Eccleſia dimicarunt, ſingulariumque virorum quantâvis ſanctitate ſpectabilium, multa præclara facta vel omnino præterierunt, vel leviter attigerunt. *Non omnia poſſumus omnes*, nec omnium Eccleſiæ San-

Cant. 6. Pſal. 44. Cant. 3. Bernard. ſerm. 61. in Cant.

ctorum ullus eſt, qui ſciat, vel poſſit virtutes enumerare.

Legiones ſunt aciei Eccleſiæ ſacræ Religiones; ſuos ſemper ſtatuerunt in campo, & aperto Marte ſtrenuos fidei pugiles, qui uſque ad ſanguinem, & extremum vitæ halitum contra Heterodoxos dimicarunt. Alios pepererunt milites, qui non tam ferro reſtiterunt, quàm calamo decertarunt; non tam ſanguine, quàm atramento in ſacro hoc bello ſpectatiſſimi evaſerunt. Alios demum procrearunt, qui litteras, perpeſſo martyrio, rubricarunt, atramentum, perfuſo ſanguine, miſcuerunt. Alii, non tam in campi aperto, quàm in cellæ abſcondito, Eccleſiæ veritatem, & decorem auxerunt: & ſi non terribilem, certè pulchram reddiderunt. Eâ tamen curâ, ut ſolus, qui videt in abſcondito, illorum rimaretur virtutes, qui dum ſpecioſis cingebant Eccleſiam monilibus, ſemet exhibere cupiebant inglorios. Ita ſuas exercebant in Eccleſiæ excubiis vigilias, ita ſupernarum rerum contemplationi inſiſtebant, ita optimis quibuſque incumbebant exercitiis; ut primum in eo ponerent ſtudium; ne extra Monaſterii ſepta, extra cellulæ anguſtias, tantarum virtutum ſuavis odor efflaret. Publicis Eccleſiæ Scribis, qui univerſales texunt hiſtorias, & quod in propatulo eſt, hinc inde connectunt, non potuerunt plenè horum innoteſcere virtutes. Exactiùs unaquæque Familia res ſuas deſcribit; ampliorem, & clariorem Regularium, qui ex ipſis ſunt Notarii, reddunt notitiam.

Iſai. 61.

Franciſcani Sodalitii nomen multi celebre reddiderunt Scriptores, ſed eorum, quos hucuſque viderim, ſuperavit induſtriam mira hujus Religionis amplitudo. Quidam peculiares Provinciarum, alii nationum, alii præfectorum, quidam cœnobiorum, unus vel alter univerſæ Societatis concinnarunt hiſtoriam, diminutam tamen, & mutilam, abſque temporis ſerie, aut annorum ratione, eo ſolùm contenti, quod ſimpliciter multa ex aliis tranſcripſerint, & in unum conglobaverint; nec ſua, ubi dubium ſe potuit offerre, ratione auctoritateve ſtabilientes; nec aliena, ubi in hujus Sodalitii contumeliam erraverint, probè refellentes. Ille mihi ſcopus, quicquid alii hinc inde ſparſim rectè, verèque dictaverint, ſuis locis adaptata coadunare; quod omiſerunt, qua poſſum curâ, connectere; noſtra ſufficienter probare; occurrentibus dubiis plenè ſatisfacere; aliorum in nos injurias non rependere, ſed refellere; multorum circa res noſtras ignorantiæ tenebras non tam propalare, quàm ipſa veritatis luce fugare. Et demum quicquid noſtri Sodales ab ipſius Ordinis incunabulis in Sacroſanctæ Eccleſiæ obſequium præſtiterint, adeò plenè & ſincerè per ſuos annos referre, ut nec prolixi laboris tædio cedat induſtria, nec hiſtoriæ veritati periculoſus prævaleat affectus. Faxit potens Deus, ut felix meum evadat propoſitum, idque perfectè aſſequar, quod fideliter intendo.

§. I.

§. I.

Quis rerum ſtatus, & quæ facies Eccleſiæ exorientibus Prædicatorum & Minorum Ordinibus.

Dei erga Eccleſiam providentia. *Ezech.* 48.

I. ELEGANTI, & proprio certè vocabulo Eccleſiæ Catholicæ nomen indicavit Propheta, cum dixit: *Nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem*, quaſi ex ipſo nomine continuam protectionem, & ſempiternam Dei curam circa univerſalem Eccleſiam ſignificare voluerit. Nec minus expreſſit ipſo Chriſti nomine divinum hoc patrocinium alter Vates, dicendo: *Vocabitur nomen ejus Emanuel*, ideſt, nobiſcum Deus, quia nobiſcum eſt ſemper in Eccleſia Catholica, eam ab adverſis defendendo, in tribulationibus protegendo, à malis liberando. Hujus perpetui ſubſidii per ſe, & per alios firmam dedit ſponſionem: *Ego*, inquit per Zachariam, *ero ei murus igneus in circuitu, & in gloria ero in medio ejus*. Et in apparitione in monte Galileæ, antequam cœlos aſcenderet: *Ego*, ait, *vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, quod reipſa probavit; nam nullam uſquam perpeſſa eſt Eccleſia tribulationem, in qua non ſenſerit Chriſtum ſecum eſſe, nullam unquam ſenſit afflictionem, in qua non experiretur Chriſti ſubſidium.

Iſai. 7. *Zachar.* 2. *Matth.* 28.

Magna Eccleſiæ calamitas ſub ortu Dominici & Franciſci.

At ſi, aliquando æterni hujus protectoris indiguit auxilio, tunc vel maximè quando duo illa Eccleſiæ lumina, & inconcuſſæ columnæ, Dominicus & Franciſcus prodierunt in mundum. Undique etenim quatiebatur, & fermè obruebatur malis, inter pericula, & tempeſtatum procellas duriùs laborabat, & laborans fluctuabat hæc ſacra navicula, ita ut penè mergeretur fluctibus. Multa, & longè gravior, quàm credi poſſit, qualis non fuit ab initio, illo inſurrexit tempore in ſanctam Eccleſiam perſecutio. Multis modis perſecutus eſt illam Diabolus, ſed nunquam ferè gravius, quàm tunc, quia nunquam fuit major perditio Chriſtianorum, nec liberior, nec ſecurior tranſgreſſio divinorum præceptorum. Eccleſiam incipientem perſecutus eſt per Tyrannos, proficientem per Hæreticos, & jam lætam, atque florentem per utroſque voluit opprimere. Carnem cruciavit in Martyribus, rationem perturbavit in ſimplicibus; at tunc & corpus gladio, & animam lethiferis occidit doctrinis. Undique horror, undique periculum, foris gladius, intus hæreſes, & corruptorum morum iniquitas.

Quæ tunc graſſabantur hæreſes. Waldenſium. *Prat. verb. pauperes de Lugduno. Caſtro cont. hæreſ. Wald. lib. Sacram. Sand. l. 7. viſib. Monarc.*

II. Graſſabatur tunc, & latè ſerpebat infeſta illa Waldonis civis Lugdunenſis ſecta, ab eo Waldenſium dicta, miris ſtultitiis, & putidis hæreſibus ſatìs famoſa, quæ obedientiam Romano negabat Pontifici; imò totum Romanæ Eccleſiæ ſtatum damnabat, contemnendos Summorum Pontificum canones, & decreta impudenter docebat, poteſtatem corporis Chriſti conficiendi, & à peccatis abſolvendi laicis tribuebat; aliaque hujus generis multa dogmata (quæ apud Prateolum, Caſtrum, Thomam Waldenſem, & Sanderum videri poſſunt) in magnam Chriſtianorum perniciem undique ſpargebat.

Humilium. *Paul. Æmil. lib. 6. de reb. geſt. Franc. ſub Phil. II.*

III. Huic accedebat alia peſtis quorundam perditorum hominum, nuncupatorum *Humilium*, qui humilitatis nomine, ut refert Paulus Æmilius, munia, quibus Curatores animarum Sacerdotes jure funguntur, ſibi arrogabant, confeſſiones arcanas audiebant, ac velut ipſi expiandi jus haberent, noxas ſolvebant. A liberalibus artibus cum abhorrerent, concionabantur tamen, & regimen animarum ſibi vendicabant. Sectam hanc Lucius III. Pont. Max. damnaverat, nec tamen omnino poterat extingui.

Albigenſium.

Cæſar. lib. 5. illuſtr. mirac. c. 21. 22.

IV. Tertia his perencioſior, & ſævior illuvies Albigenſium, quos alii Albigeſios, Albianos, Albienſes, & Albios, ex Albiga, ſive Albia Cadurcorum urbe in Gallia ad auriferum Tarnem, indiſcriminatim vocant. Diaboli invidia ſub Innocentio III. ut auctor eſt Cæſarius, horum hæreſes cœperunt pullulare, vel, ut verius dicatur, matureſcere. Multos errores ex Manichæis hauſerunt, alios prompſerunt ex Origeniſtis, plurimos ex inſano ſuo capite ſibi confinxerunt. Longè latèque graſſata eſt hujus inſaniæ virulentia, & adeò validæ erant hujus hæreſis vires, ut omne triticum fidei gentis finitimæ verſum videretur in lolium erroris. Miſſi ex Ciſtercienſibus multi, ex Hiſpania acceſſerunt alii, ut zizania raſtro Catholicæ prædicationis eradicarent; ſed obſiſtente homine inimico, qui illa ſeminaverat, modicum tunc profecerunt. Brevi temporis intervallo uſque ad mille infecit hæc peſtis civitates, & ſi non fuiſſet gladiis fidelium repreſſa, timebatur ne totam corrumperet Italiam. Indicibilia ſunt, quæ hi nebulones intulerint nomini Romano, & Catholico opprobria, & horret animus ſcribere, quæ de eis referuntur horrenda crimina, & turpiſſima ſcelera. Conſule, ſi placet, Cæſarium citatum.

Familiæ amoris.

Cæſar. ibid. c. 24.

Sever. 1. par. de Lugd. Archiepiſc. ſub Joan. I.

V. Fœdior his ſpurcitia, ſed nec parum periculoſa ob facilem carnis contagionem, prorupit ſub Lucio III. quando Veronæ, quorundam factionibus Roma pulſus, exulabat. Hujus contagii impudens inventor (de cujus nomine non plenè conſtat apud Auctores) ſæpe in domo ſubterranea mille pro concione eructabat blaſphemias; deinde, ut narrat Cæſarius, extinctâ candelâ, unuſquiſque ſibi proximam invadebat, nullam habens differentiam inter legitimam & ſolutam, inter viduam & virginem, inter dominam & ancillam; & quod horribilius eſt, inter ſororem & filiam. Hanc ſectam, quam cum aliis confundit Joannes Severtius, ipſe Lucius tanquam hæreticam condemnavit.

Almaricanorum.

Cæſ. lib. dialog. diſt. 5.
Gerſ. tract. 3. in Magn.
Prat. verb. Almaricus.
Antonin. 3. par. tit. 19. c. 1. §. 7.

VI. Poſtea ſub Innocentio III. in Gallia orti ſunt Almaricani, quibus, etſi litteralis, perſuaſio diabolica perverſum inſtillabat intellectum; quorum Almaricus natione Gallus, patria Carnotenſis, Pariſienſis Doctor, magiſter pravitatis fuit. Horum errores ſatis magnos & perverſos collegerunt Cæſarius, Gerſon, Prateolus, Antoninus, & alii. De ipſo Hæreſiarcha extra. de ſum. Trin. & fide Catholic. cap. fin. ita habetur: *Reprobamus, & condemnamus perverſiſſimum dogma impii Almarici, cujus mentem pater mendacii ſic excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica, quàm inſana ſit cenſenda.* Receperunt autem hi Novatores, cum ſuis ſequacibus, à Pariſienſibus Epiſcopo, & Doctoribus, ſuæ inſanæ doctrinæ, & miræ obſtinationis juſtum ſupplicium, ſuorum corporum, vel, ut aliis placet, oſſium refoſſorum incendium, & deinde cinerum per ſterquilinia diſperſionem.

Multi hæretici ſub Innoc. III.

Gual. ſecul. 19. Prat. verb. David Dinan.
Guag. lib. 6. de reb. Franc.

Chriſt. Helvic. in theatro hiſtor. ex Cent.

Cæſ. lib. 5. c. 24. Innoc. epiſt. 95.

VII. Sub Innocentio etiam III. emerſiſſe Davidem Dinantium ſcribunt Jacobus Gualterius, & Prateolus, qui Deum eſſe primam omnium rerum materiam aſſerebat, aliosque ſectabatur Almarici errores, cujus libri poſtea detecti, & examinati, Pariſiis exuſti, & perpetuò condemnati ſunt. Fuere præterea tunc alii litterati homines, inquit Guaguinus, qui ſingulis divinæ Trinitatis perſonis ſingula tempora per ſucceſſionem tribuerent, aſſerentes Patris omnipotentiam Chriſti adventu deſiviſſe; Chriſti verò doctrinam Spiritus ſancti acceſſu exoletam eſſe. Cujus hæreſeos Auctores, procurantibus Petro Epiſcopo Pariſienſi, atque Garino Conſulari viro, deprehenſi honoribus & dignitate privati ſunt, & qui ex laicali ſtatu erant, ignis abſumpſit. Circa hoc idem tempus incepiſſe, vel recruduiſſe, volunt alii, in Oriente Maronitarum, & Georgianorum hæreſes, & multas in Longobardia tunc exortas aſſerit Cæſarius, aliorumque ad hæc tempora meminit ipſe Innocentius, Catharorum, Patarenorum, plu-

pluriumque hujus fæcis ſectariorum, ita ut undequaque ſuos convocaſſe miniſtros videretur Diabolus, & omnem exercuiſſe contra ſanctam Eccleſiam poteſtatem, ut immaculatam, à Chriſto & Apoſtolis receptam, commacularet veritatem, vel, ad mundi finem duraturam, ſacram omnino tolleret doctrinam.

VIII. Alius etiam non modicus Eccleſiæ ſanctæ labor, ut ipſos, quos genuit, & ſupremo coronavit diademate, diros, & diuturnos haberet perſecutores. [Perſequitur Eccleſiam Fridericus I.] Fridericus I. Ænobarbus Alexandro III. ita adverſari cœpit, ut eum ad Francos fugere compulerit, & quatuor Antipapas, primò Victorem, deinde Paſchalem, mox Calliſtum, denique Innocentium, horum nominum tertios, in ejus odium ſacrilegè crearit. Horum ſeditionibus, inquit Bergomen. Eccleſia Romana ferè ſubverſa eſt; cujus ditionem, [*Bergom. lib. 12. ſupplem. ad annum 1153.*] pulſo Alexandro, Fridericus occupavit, & Pontificem verbis, ſcriptis, & armis, cunctoſque, ut habet Chron. Hirſaugienſe, cum illo ſentientes [*Trith. apud Genebr. ſub Alex. III.*] perſecutus eſt; ſed tandem morte deletis Pſeudopontificibus, Venetorum operâ, ad Pontificis rediit gratiam, ex diutinâ diſcordiâ factus amiciſſimus.

IX. Defuncto Friderico, ejus filius Henricus V. aliis VI. à Cæleſtino III. Imperatorio diademate coronatus, [Henricus V.] paucis poſtea annis Neapolitanum, & Siciliæ regna diris bellis divexavit. Siculos deceptos promiſſionibus [*Baron. an. 1194.*] juramento firmatis, præſidiis, & munitionibus ſpoliatos, diverſiſque cruciatibus afflictos mirum in modum exagitavit. Ipſum Regem puerum, Reginam matrem, proceres, Comiteſque regni, & plebejos multos, captivos ſecum duxit in Germaniam. Pro horum liberatione extat Pontificis Innocentii III. epiſtola, ſed parùm eâ profecit, nec obtinuit, ut Salernitanus Epiſcopus, quem maximè in ſuam ſedem optabat reſtitui, à vinculis liberaretur. Multâ prædâ, & pretioſâ ſupellectili gemmarum auri, & argenti à Tancredo Rege relictâ, centum quinquaginta mulos ferunt oneraſſe.

X. Diſſimulavit expeditionem in Terram Sanctam, ut ſecuriùs Teutones in Italiam duceret, & liberiùs ſtrages in Italiæ Principes exerceret. [Ejus crudelitates.] Capuæ invento Richardo Comite de Cerra in carcere, judicatum ad equi caudam per plateas fecit deduci, [*Chronic. foſſa nova.*] deinde per pedes appendi, donec in ipſo patibulo vitam exhalaret. Eâdem etiam ſimulatione trajecit in Siciliam, [*Arnol. Lubecen. lib. 1. c. 2.*] ubi quendam, qui tunc regnum ſibi uſurpaverat, coronari fecit diademate ex acutiſſimis clavis compacto, quibus & cerebrum transfixit. Filios variis ſuppliciis extinxit, Margarito Ammirato oculos effodit, & genitalia abſcidit. Tales, & tam enormes fuerunt hujus hominis crudelitates, ut ipſi Conſtantiæ Imperatrici, quam quinquagenariam & ultrà, ut ferunt, ex Monaſterio S. Petri Panormitano jam profeſſam, extractam duxit, horrori fuerit, & cauſæ ut Siculos in maritum fermè concitaret.

XI. Hoc extincto, Electores inter ſe diviſi ſunt, quorum pars Sueviæ Ducem Philippum Friderici primum filium, Henrici fratrem; [Otto IV. inſurgit in Eccleſiam.] altera verò Ottonem IV. Henrici Saxonis filium elegit in Romanum Regem, quibus inter ſe de Imperio digladiantibus, obtinuit non ſine ſanguine in Germania Philippus. Tandem, æmulo mortuo, coronatur ab Innocentio III. Otto anno MCCIX. [*Matth. Palmer. ad ann. 1209.*] qui juramenti præſtiti ſtatim oblitus, terras invaſit Eccleſiæ, quas ſolemniter promiſit defendere, propterea que ab eodem à quo coronatus, privatus eſt Imperiali diademate in publico Concilio. Pronunciavit in eum anathema, Pontificis juſſu, Sigifridus Archiepiſcopus Moguntinus, [*Gaſp. Bruſc. in annal. arch. Mogunt.*] ſed non impunè; omnem enim ejus ditionem devaſtavit, Eccleſias & Monaſteria ſuis bonis ſpoliavit, [*Chron. Hirſaug. Urſperg. Naucle.*] & hujus generis multa fecit, quæ non Chriſtiani Principis, ſed barbari tyranni facta videbantur.

Durius Fridericus II.

Volater. lib. 22. Anthropol.

XII. Hujus ſucceſſor Fridericus II. prædeceſſores vicit nequitia; oblitus enim tot beneficiorum à Pontifice Romano acceptorum, ſub cujus tutela enutritus eſt, infeſtus fuit, & moleſtus armis, & ſcriptis tribus Innocentii ſucceſſoribus Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. à quibus & ſucceſſione, & ſacris interdictus, & Imperio dejectus per ſententias fuit. Funeſtæ ejus impietates rei Chriſtianæ erant opprobrio, & talia ejus crimina, ut Cæſaris, & Chriſtiani nomine indignus cenſeretur. Favit Saracenis, ſpoliavit templa, perſecutus eſt Eccleſiaſticos, & Eccleſiaſticorum Caput, Cardinales in vincula conjecit, factiones Gibellinorum, & Guelforum, maximarum diſcordiarum ſemina, ad Italiæ exitium adinvenit, & adauxit, & quidquid mali ſuus genius ſuggerebat, ſuâ magnâ potentiâ exercebat, multis annis ſemper malus, ſemper potens.

Orientis & Septentrionis regna turbulenta.

Platina in vita Innoc. III.

Rogerius in annal.

Mariana lib. 11.

Bonfin. decad. 2. lib. 7.

XIII. Orientis etiam Imperium nihil minus Pontifices redigebat in anguſtias, ob iniquas quorundam cædes, & injuſtas in Imperio ſucceſſiones, ob multas Imperatorum impietates, vel ut ſceptrum obtinerent, vel obtentum retinerent. Nulla fides, nulla fiducia inter ipſos conſanguineos, inſidiantibus ſibi invicem, ut cum vitâ eriperent & regnum. Contra hos non ſemel fulminarunt Pontifices anathemata, nec tamen profecerunt, donec Imperium ad Latinos deflexit. Pulſi tamen ante annum MCLXXXVII. Latini Hieroſolymis, mortuo Balduino juniore, profanatis & deſtructis à Saracenis ſacris ædibus, & occiſis innumeris Chriſtianis, Philippus Galliæ, & Joannes Angliæ Reges mutuis ſe petunt armis. Nec his pacatiores Sanctius Navarræ, Alphonſus Caſtellæ, alius item Alphonſus Legionis Dynaſtæ, qui alterna invadentes dominia, plura depopulabantur oppida, & ſubditos dilapidabant. Emericum Hungariæ Regem ſuus frater Andreas hoſtili petit exercitu, multôque molitur aſtu è ſolio deturbare. Nihil uſquam ſonabat niſi bellum, nullibi pax, nuſquam quies, undique armorum ſtrepitus, & jacentia abſque anima corpora. Vero verius tunc illud Virgilianum:

Virgil. 1. Georg.

> *Quippe ubi fas verſum atque nefas, tot bella per orbem,*
> *Tam multæ ſcelerum facies: non ullus aratro*
> *Dignus honos: ſqualent abductis arva colonis,*
> *Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.*
> *Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.*
> *Vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes*
> *Arma ferunt; ſævit toto Mars impius orbe.*

Maxima tunc inter Chriſtianos vitia.

Gaguin. cit.

Ferd. à Caſt. 1. p. Chron. Prædic. lib. 1. c. 22.

Geneb. cit.

Bergom. lib. 13. ſupplem. ad an. 1217.

XIV. Tolerabilius autem hoc armorum bellum, niſi & aliud inferret virtutibus. Expulſi undique (tumultuoſi motus communis hæc ſequela) boni mores, & corrupti ſubintroducti, Reges omnem ſibi aſſumebant licentiam, voluntate pro jure abutentes; nihil ſibi interdictum putantes, quod infrænis ſuadebat appetitus. Anglus Joannes Eccleſiaſticos proventus ſex annorum ſibi uſurpaverat, Epiſcopos Angliâ truſit, propterea ab Innocentio diris devotus. Gallus Philippus etiam in Clerum ſæviit, pulſis è ſuis ſedibus Pontificibus, quorum aſſenſu eum Legatus Pontificius ſacris interdixit propter dimiſſam Ingebergam uxorem. Multi ex Hiſpanis proprio non contenti, alienum invadebant thorum, & ſuum adulteriis, illicitis conſanguinearum matrimoniis, abſque Pontificum relaxatione maculabant. Clericorum viluit ſtatus, Regularium evanuit diſciplina, Monaſticæ converſationis fervor in cunctis fermè locis tepuit. Et ut verbis utar Bergomen. increbuit tanta Clericorum, & improborum virorum licentia, ut nulla religionis facies in Eccleſia Dei cognoſceretur. Dixiſſes tunc omnes, non modo laicos Chriſtianos, ſed etiam Clericos, & Monachos in Italia, aut inquilinos fuiſſe, aut ex extrema omnium nationum fæce eò commigraſſe.

XV.

XV. Uſura, & dolus maximè regnavit, & in Judæorum, qui tunc, maximè in Gallia, has impunè exercebant artes, devenerunt poteſtatem ſacra vaſa miniſterialia templorum, quæ in ſordidos uſus admovebant, & reliquum quicquid ſacroſanctum erat, in profanum vendebatur, vel oppignerabatur uſum, ut non immeritò querulâ voce uſurparent Chriſtiani illud Davidicum: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.* Non ſolùm in Dei ſupellectilem, verùm etiam in ipſum ejus corpus ſuam explere rabiem miris facinoribus hi appetebant. Perfidæ huic genti impia conſuetudo erat, ſurreptum quotannis aliquem infantem Chriſtianum, in locum apud ſe ſubterraneum ducere, atque illum diù pœnis affectum, tandem die Veneris ſanctæ cruci affigere, contemnentes hoc ſuo immani facinore Chriſti mortem, & Chriſtianorum religionem ludibrio habentes. Apud Brayum Caſtrum, Chriſtianum quendam (quem furti, atque homicidii inſimulabant) captum, ſerto ſpineo coronaverant, deductum per oppidum, & multis verberibus affectum, tandem cruci affigentes interemerant, permittente loci Domina, quam ipſi muneribus evicerant; Sed Philippum Regem tandem ſenſerunt juſtum ultorem.

Uſura Judæorum. Gaguin. cit. Pſal. 78. In Chriſtianos rabies.

XVI. Sub his, atque aliis ſimilibus facinoribus, enormibuſque peccatis miſerè ingemiſcebat mundus, & aliàs immaculatæ deformabatur facies Eccleſiæ. Ventus erat validus tribulationis, tempeſtas magna perſecutionis, conculcantibus ſancta peccatoribus, & Eccleſiam ancillantibus Imperatoribus; laborabant in remigando Præſules; divinam implorabant opem, qui ex parte Dei ſtabant, Deum veluti in navis puppi dormientem, multa excitarunt prece, ne perirent. Diſtulit aliquantulum opem, laborare quantiſper permiſit, ut bello cædentibus ſe invicem peccatoribus, fierent ſibiipſis peccati ſupplicium; & juſti, tot malis perculſi, magis ipſum deſiderarent, atque longâ experientiâ humanum defeciſſe videntes, divinum efficaciùs implorarent, magiſque æſtimarent auxilium. Propterea etiam nec confeſtim periclitantibus Apoſtolis in mari ſuccurrit, ſed quartâ noctis vigiliâ, ut tandem liberati, amplius ſtupeant, & majores gratias agant, & quanto ſævior fluctuum tempeſtas, eò gratior & lætior appareat maris tranquillitas.

Eccleſiæ diu laboranti ſubvenit Deus. *Matth. 8. Matth. 14. Gloſſ. ord.*

XVII. Crevit autem tempeſtas, & intumuerunt fluctus in montes aquarum ſub Innocentio III. quando per utrumque hunc Ordinem tot malorum voluit Deus præbere levamen. *Hoc enim ſemper facit, ut quando urgentia mala expulſurus ſit, tunc graviora & terribiliora inducat. Hoc in Job factum fuiſſe videmus. Nam cùm tentationi finem allaturus eſſet, tunc moleſtiora fieri permiſit, non dico de liberorum morte, non de verbis uxoris, ſed de ſervorum atque amicorum opprobriis. Id etiam in Abraham factum non ignoramus. Ultima enim, atque terribilis illa tentatio fuit, qua immolatione filii angebatur.* Dei miſericordiæ in proximo adſuturæ ſignum eſt malorum immanitas; nec propior eſt Deus ſuccurrens, quàm cum potentior eſt Dæmon affligens. *Quando Diabolus palam in mundo dominatur, quando omnia membra ſua ſe exaltaſſe lætatur, tunc ille, qui dixit: Confidite, quia ego vici mundum: dat nobis certiſſimam fidem feſtinanter ſe Eccleſiæ ſuæ ſuccurrere, & Diabolum, & membra ejus omnino confundere. Antiquas enim & noſtri temporis conſiderantes permutationes, probabiliter invenimus dominium Diaboli tantò minùs duraviſſe, quantò magis viſum fuit exaltari & in Chriſtianam Religionem prævaluiſſe.*

Ante malorum remedium gravem infert tribulationem. *Chryſ. hom. 51. in c. 14. Matth. ad init. Gregor. VII. epiſt. 15. ad Wifred. Mediol. Joan. 16.*

Dominantem ergo, & latè hac tempeſtate triumphantem dum ſtatuit dejicere, duas in eum produxit acies, quæ viriliter impiæ reſiſterent tyrannidi, & ferali tot regionum deturbarent principatu. Variæ tunc inſtitutæ Religiones, ſed Prædicatorum & Minorum Ordines, velut præ-

Miſſi contra diabolicas acies Prædicatores & Minores.

prætoriæ cohortes turbulento jam bello, primi, & præcipui immiſſi in hoſtes, quorum operâ, & auxilio acies retunderetur adverſariorum, & Eccleſia fermè collapſa, vel certè conquaſſata firmaretur, & ſtabiliretur. Fulcra, & ſuſtentacula Eccleſiæ eſſe hos duos Ordines planè vidit, divinâ immiſſâ viſione, ipſe Innocentius, dum Dominicum & Franciſcum, ſuppoſitis humeris, collabentem fulſiſſe conſpexit. Verè copias eſſe auxiliares, quæ, ſociis defatigatis, & cæſis, infirmæ militiæ ſubſidiantur, & expeditæ in prima acie laborantibus ſuccurrunt, ferè omnes, qui illius temporis calamitates, & horum Inſtitutorum origines referunt, clarè confirmant. Quoſdam ex ipſis loquentes forſan audire placebit. Pauca ex multis profero teſtimonia.

Theodor. ab Apol. lib. 1. vita S. Domin. c. 12.

XVIII. Divinam erga Eccleſiam providentiam in inſtituenda utrâque hac Religione his verbis extollit Antoninus: *Equidem divina providentia, quæ perpetuâ mundum ratione gubernat, minus in neceſſariis deficiens, quàm natura, ſed omnia ſuaviter diſponens, unicuique opportuna tempore ſuo concedens, animadvertens, Pontifices loca tenentes Apoſtolorum, Parochialeſque Sacerdotes ſucceſſores ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quos ad prædicandum Dominus Jeſus Chriſtus eligens, deſtinarat per orbem, ab officio prædicationis quaſi ceſſare, & multo magis ab hæreſum extirpatione, & in zelo animarum tepeſcere, Eccleſiæ ſuæ ſacroſanctæ affluenter providit, ſuſcitando tempore illo Ordinem Mendicantium, qui his tam ſolerter, quàm ardenter inſiſterent. Hic Ordo bifariam diſtinctus invenitur, in Prædicatores videlicet, & Minores.*

Ant. cit. tit. 23. c. 1. Ut prædicarent & hæreſes evellerent.

XIX. In eandem ſententiam Bergomen. poſt relatas Chriſtianorum miſerias, inquit: *Chriſtianorum itaque Dominus Jeſus Chriſtus turpitudine & calamitate commotus, hunc potiſſimum Ordinem Prædicatorum & Minorum excitavit, ut collabentem Chriſtianam Religionem erigeret.* Tertium adduco teſtem Thomam Bozium, ut doctum, ita & ſincerum ſcriptorem. *Duo hi, Dominicus & Franciſcus, Ordinum religioſorum inter ſuos primi Auctores, & Inſtitutores, meritò vocari poſſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantia, de quibus in Apocalypſi; ab his enim verè dicta eſt Eccleſia Dei, domus ruinam quodammodo minans, Inſtitutis ſuis, & cæleſtis vitæ innocentia ſuſtentari.*

Bergom. cit. Ut labentem fulcirent Eccleſiam.

Bozius lib. 7. de ſign. Eccleſ. c. 1.

Apocal. 11.

XX. Horum virorum meritis, & certa ſpe utilitatis fundandarum ab eis Religionum continuiſſe Deum Opt. Max. manum ab extremo peccatorum tantorum, quibus tunc mundus efferbuit, ſumendo ſupplicio, præter alios teſtatur Joannes Garzon. Rem ita narrat: *Romæ, cùm Dominicus noctu ſanctis orationibus indulgeret, Chriſtum intuitus eſt in peccatores irâ commotum, quod eos de medio tollere inſtituiſſet: præter Mariam cæli Reginam illi poſſe reſiſtere neminem. Hæc precibus obſecrabat, ne quos ſuo ſanguine redemerat, eos perditum iret; unum eſſe Dominicum, cujus virtute, & ſanctimonia, plerique ſe ab erratis revocarent. Hæc quamquam ita ſint, nequaquam tamen*, inquit Chriſtus, *ſejungendus eſt Franciſcus, cùm omnium ſit virtutum ſimulacrum; hic eam provinciam minimè recuſabit. Jam nox in diem inclinabat, cùm Dominicus, quæ conſpexerat, cum animo ſuo conſiderans, ad templum iter ſuſcipiebat, fortè illi obvius fuit Franciſcus; confeſtim illum amplexus eſt, & deoſculatus, atque ita verba feciſſe fertur: Nos Chriſti Opt. Max. munere ſocietatem invenimus, illud oneris pro religione Chriſtiana ſuſcipiamus oportet, nec ullum defugiamus laborem, ut qui à Chriſto deficient, hos proſternamus, deleamuſque. Reprimenda erit eorum, qui præter rationem appetitui obtemperabunt, iniquitas, atque inſolentia. Acceſſit Franciſcus Dominici ſententiæ &c.*

Ut perituro mundo ſuccurrerent.

Garzon in vita S. Dominici.

XXI. Mundum per eos reformaſſe his ſcribit verbis Cornelius Muſſus Bitontinus: *Initio annunciationis evangelicæ, cum verbum Domini Judæis,*

Corn. Muſſ. Biton. to. 2. conc. Domin. 2. poſt Paſcha p. 1.

dcit, & Ethnicis prædicaretur, duo electi ſunt Apoſtoli Petrus, & Paulus: Cum mundus in tanta prolapſus eſſet vitia, & Dominus pietate motus illum voluit reformare, non elegit unum tantum, ſod duos; unum Cherubicum, alterum Seraphicum, Dominicum, & Franciſcum: duo corpora, ſed unam animam.

Hæreſes extirpaſſe argumento eſt, quod Albigenſes conſtanter, & [Hæreſes profligarunt.]
mire profligaverint. Primas in hac re tulit Dominicus cum ſuis; ſecun-
das Franciſcani, quos cum caris ſuis collegis Prædicatoribus ad Toloſa-
tes miſſos, ut in Albigenſes inquirerent, ſcribit Antoninus; ſatiſque [*Anton. tit. 24. cap. 9. §. 3.*]
in hac re laudat Surius multam Antonii Patavini operam, cui concionum [*Surius 13. Junii.*]
frequentia, miraculorum prodigiis, multas horum nebulonum reliquias,
Italia, Gallia, maxime Toloſa, depulerit. Waldenſium, & Humilium
Sectas tunc extinctas, & tamquam fidas, utileſque Eccleſiæ illorum loco
ſtatutas has invictas cohortes refert Æmilius. Hi ſaniores, inquit, Or- [*Æmil. cit.*]
dines viſi; illi priores hoc remedio ſublati. Illorum ſuppreſſionem, &
horum ſubrogationem largius refert Abbas Urſpergenſis, qui mundi ſe- [*Urſperg. ad annum 1212.*]
neſcentis renovatam, ut Aquilæ, juventutem per has duas Religiones
affirmat. Ciaconius contra Pauperes de Lugduno, & Albigenſes utrum-
que Patriarcham fundaſſe ſuos Ordines commemorat. *Contra has*, in- [*Ciac. ſub Inno. III.*]
quit, *duas Sectas ſancti Patres Dominicus Prædicatorum, & Franciſcus Minorum Ordines per hæc tempora fundarunt. Franciſcus quidem contra Pauperes de Lugduno, Dominicus contra Albigenſes, quorum oppugnationem, communicata opera, ſuſceperunt: & præſertim beatus Dominicus, qui peſtilentem hæreſim Toloſæ irrumpentem, ut Comitem ipſum Toloſanum inficeret, Innocentio III. procurante, ſuis concionibus, miraculis, & doctrina, & armis Comitis Montisfortis compreſſit, & jugulavit.*

XXII. Innocentium etiam ſub tantis malis ingemiſcentem, & laudabili [Innocentium in reformandis rebus adjuverunt.]
conatu Hæreticos profligantem, fera bella componentem, & vitia extir-
pantem magnum in modum adjuvaſſe hos Patriarchas, inſtitutoſque ab
eis Ordines referunt alii: *Juvere*, inquit Platina, *hujus Pontificis virtu-* [*Platin. cit.*]
tem, & doctrinam B. Dominici, unde Prædicatorum; & Franciſci Aſſiſinatis ſanctitas, unde Minorum Ordo tum originem habuit. Idem iiſdem ferme
verbis repetit Ciaconius, qui paulo ante exſcripſerat ex Carolo Sigo- [*Ciac. cit.*]
nio, quæ ſequuntur. *Hæc tempora, quæ tetris hominum flagitiis, diris* [*Carolus Sigon. de Regno Ital. paulo ante finem.*]
populorum inimicitiis, ac nefandis hæreſibus prope fuerunt infamia, hoc uno bono Dei beneficio floruerunt viri aliquot cum doctrinæ magnitudine, tum vitæ integritate præſtantes. Dominicus Calagurritanus Oxomenſis diæceſis in Hiſpania, Franciſcus, Joannes ante converſionem ſuam dictus, Aſſiſias in Italia per hoc tempus inſigni aſperitate vitæ, verum humanarum contemptu, & verbi divini prædicatione, hominum in ſe ora, oculoſque vertere incepere. De Dominicanorum virtute & præſtantia ſeorſum agens Caro- [*Tapia de relig. rebus c. 19. n. 1.*]
lus de Tapia Regens Neapolitanus ait: *Eorum prædicationibus, ac doctrinis, in ipſo ortu Ordinis collapſus jam vitiis, & ignorantia mundus, priori eſt reſtitutus candori, & in dies Romana Eccleſia, Chriſtianaque Religio magna ſentit incrementa.* Et alibi de Franciſco inquit: *Ejus meritis gaudeat* [*Idem c. 54. n. 1.*]
Eccleſia, exultet Chriſtiana Religio, quæ tanti Patris auxilio, ejuſque filiorum virtute indignationem effugit Domini, & priſtinum Religionis candorem recuperavit. De Religioſis ſui temporis Minoribus agens Æneas Silvius. [*Æneas Silvius epiſt. 412.*]
Quid, inquit, *hæc Religio aliud agit, quam quæ jubere novimus Evangelium? Sentes, ac tribulos ex agro Dominico divellit, ſemen bonum ſeminat, zizania, & lolium veritatis ſarculo præcidit, exterminat avaritiam, pellit libidines, fulminat illecebras, voluptates ſtrangulat, ambitiones & odia fugat, ignaviæ & ſocordiæ ſtimulum adigit, & aperiens in Eccleſia diebus ſingulis os ſuum pœnitentiam ſuadet, & viam Domini in veritate docet.*

XXIII. De primis autem Minoritis in ipſis Ordiuis incunabulis efflo-
reſcentibus pietate. & verbi Dei prædicatione, illuſtre exhibuit teſtimo-
nium illorum æqualis Jacobus a Vitriaco S.R.E. Cardinalis, qui ſanctum
Franciſcum in Ægypto ſe vidiſſe teſtatur. Ita porro, poſtquam de aliis
egit Religionibus, copioſius & honorificentius de Franciſci ſcribit Secta-
Vitriac. in hiſt. Occid. c. 32. toribus. *Prædictis tribus Eremitarum, Monachorum, & Canonicorum Re-
ligionibus, ut regulariter viventium quadratura fundamenti in ſoliditate
ſua firma ſubſiſteret, addidit Dominus in diebus iſtis quartam religionis
Regula Minorum Apoſtolica. inſtitutionem, ordinis decorem & regulæ ſanctitatem. Si tamen Eccleſiæ
primitivæ ſtatum & ordinem diligenter attendamus, non tam novam addi-
dit regulam, quam veterem renovavit, relevavit jacentem, & pene mor-
tuam ſuſcitavit religionem in veſpere mundi tendentis ad occaſum, immi-
2. Ad Theſſal. 3. nente tempore filii perditionis; ut contra Antichriſti periculoſa tempora
novos athletas præpararet, & Eccleſiam præmuniendo fulciret. Hæc eſt Re-
ligio vere pauperum Crucifixi, & Ordo Prædicatorum, quos Fratres Minores
appellamus. Vere Minores, & omnibus hujus temporis Regularibus in habi-
tu & nuditate, & mundi contemptu humiliores. Habent autem unum ſum-
mum Priorem, cujus mandatis, & regularibus inſtitutis reverenter obediunt
minores Priores, ceterique ejuſdem Ordinis Fratres, quos per diverſas mundi
Renovarunt primitivum Eccleſiæ ſtatum. Provincias, cauſa prædicationis & ſalutis animarum, ipſe tranſmittit. Adeo
autem primitivæ Eccleſiæ religionem, paupertatem, & humilitatem in ſe
reformare diligenter procurant, puras evangelici fontis aquas cum ſiti &
ardore ſpiritus haurientes, quod non ſolum evangelica præcepta, ſed &
conſilia, vitam Apoſtolicam expreſſius imitantes, modis omnibus adimplere
laborant, omnibus, quæ poſſident, renunciantes, ſeipſos abnegantes, cru-
Geneſ. 39. cem ſibi tollendo, nudi nudum ſequentes, relinquentes pallium cum Joſeph,
Joan. 4. & hydriam cum Samaritana, expediti currunt, ambulant ante faciem ſuam,
Ezech. 1. & non revertuntur poſteriorum obliti, in anteriora ſemper & paſſibus con-
Philip. 3. tinuis extenduntur, volantes ut nubes, & ſicut columbæ ad feneſtras ſuas,
Iſai. 60. *Jerem. 9.* ne mors per ipſas intrare valeat cum omni diligentia & cautela providen-
tes. Regulam autem ipſorum Dominus Papa confirmavit, & eis aucturi-
tatem prædicandi, ad quaſcumque veniunt Eccleſias, conceſſit; Prælatorum
Lucæ 10. tamen loci ob reverentiam requiſito conſenſu. Mittuntur autem bini ad
prædicandum, tamquam ante faciem Domini, & ante ſecundum ejus adven-
Matth. 10. tum. Ipſi autem Chriſti pauperes, neque ſacculum in via portant, neque
peram, neque panem, neque æs, ſive pecuniam aliquam in zonis ſuis, non
poſſidentes aurum, neque argentum, nec calceamenta in pedibus ſuis ha-
bentes, nulli enim hujus Ordinis Fratri licet aliquid poſſidere. Non habent
Monaſteria, vel Eccleſias; non agros, vel vineas, vel animalia; non domos,
Lucæ 9. vel alias poſſeſſiones; neque ubi caput reclinent. Non utuntur pellibus, ne-
que lineis, ſed tantummodo tunicis laneis capuciatis; non cappis, vel palliis,
vel cucullis, neque aliis prorſus induuntur veſtimentis. Si quis eos ad pran-
Lucæ 10. dium vocaverit, manducant & bibunt, quæ apud illos ſunt. Si quis eis ali-
quid miſericorditer contulerit, non reſervant in poſterum. Semel autem,
vel bis in anno, tempore certo ad locum determinatum Generale Capitulum
celebraturi conveniunt, exceptis his, qui nimio tractu terrarum, vel mari
interpoſito ſeparantur. Poſt Capitulum iterum ad diverſas Regiones, Pro-
Multi nobiles facti Minores. vincias, & Civitates duo, vel plures pariter a Superiore ſuo mittuntur. Non
ſolum autem prædicatione, ſed & exemplo vitæ ſanctæ, & converſationis
perfectæ multos, non ſolum inferioris ordinis homines, ſed generoſos &
nobiles ad mundi contemptum invitant, qui relictis oppidis, & caſalibus
& ampliſſimis poſſeſſionibus, temporales divitias & ſpirituales felici com-
mercio commutantes, habitum Fratrum Minorum, ideſt, tunicam vilis pre-
tii, qua induuntur, & funem, quo accinguntur, aſſumpſerunt. Tempore
enim

enim modico adeò multiplicati ſunt, quòd non eſt aliqua Chriſtianorum Provincia, in qua aliquos de Fratribus ſuis non habeant, qui in ſeipſis, velut in ſpeculo mundiſſimo, mundanæ vanitatis contemptum oculis reſpicientium repræſentant, præſertim cùm nulli ad Religionem ſuam tranſeunti gremium claudant, niſi forte matrimonio, vel aliqua religione fuerit obligatus. Tales enim, ſine licentia uxorum, vel præpoſitorum ſuorum, ſicut ratio exigit, nec volunt, nec debent recipere. Alios autem omnes in amplitudine Religionis ſuæ tantò confidentiùs abſque ulla contradictionis moleſtia ſuſcipiunt, quantò divinæ munificentiæ & providentiæ ſeſe committentes, unde eos Dominus ſuſtentare debeat, non formidant. Ipſi enim funiculum cum tunica venientibus ad ſe largientes, quod reliquum eſt, ſupernæ procurationi relinquunt. (Amplitudo ordinis Minorum.)

Adeò autem Miniſtris ſuis Dominus in hoc ſæculo centuplum reſtituit, & in via hac, qua gradiuntur, firmat ſuper ipſos oculos ſuos, quod in eis ad litteram completum agnovimus, quod ſcriptum eſt: Dominus amat peregrinum, & dat ei victum, & veſtitum. (Dei circa Minores providentia.) (*Deut.* 32.) *Felices enim ſe reputant, à quibus hoſpitalitatis obſequium, vel eleemoſynas ſervi Dei ſuſcipere non recuſant. Non ſolum autem Chriſti fideles, ſed etiam Saraceni, & obtenebrati homines eorum humilitatem, & perfectionem admirantes, quando cauſâ prædicationis ad ipſos intrepidi accedunt, grato animo, neceſſaria providentes, libenter eos recipiunt. Vidimus primum hujus Ordinis Fundatorem, &c.* (Grati etiam fidei hoſtibus.) Ubi largiùs refert quid ſanctus Patriarcha egerit in expeditione Chriſtianorum contra Saracenos ad civitatem Damiatæ, quod nos opportuniùs tranſcribemus anno MCCXIX. quo hæc evenerunt. Deinde convertens ſermonem ad ipſum Inſtitutum, ita proſequitur. *Hic eſt fratrum Minorum ſanctus Ordo, & Apoſtolicorum virorum admiranda & imitanda Religio, quos Dominus contra perditionis filium Antichriſtum, & ejus prophanos diſcipulos credimus in diebus noviſſimis ſuſcitaſſe.* (*2. ad Theſ.* 3.) *Qui lectulum Salomonis, tanquam fortes Chriſti milites, ambiendo, de porta ad portam cum gladiis tranſeundo, ſuper muros Hieruſalem conſtituti ſunt cuſtodes, diebus, ac noctibus à divinis laudibus, & ſanctis exhortationibus non ceſſantes, vocem ſuam quaſi tubam in fortitudine exaltantes, & facientes vindictam in nationibus, increpationes in populis, & gladios ſuos non prohibentes à ſanguine, mactantes & manducantes, circumeuntes Civitatem, & famem patientes ut canes; qui tanquam ſal terræ cibos ſuavitatis, & ſalutis condientes, carnes deſiccant, vermium putredinem, & vitiorum fætorem amoventes, & tanquam lux mundi multos ad ſcientiam veritatis illuminant, & ad fervorem charitatis accendunt & inflammant.* (*Cant.* 3.) (*Exod.* 32.) (*Iſai.* 62.) (*Iſai.* 53.) (*Pſal.* 149.) (*Jerem.* 48.) (*Act.* 10.) (*Pſal.* 58.) (*Matth.* 5.) *Hic autem perfectionis Ordo, & ſpatioſi clauſtri amplitudo, infirmis & imperfectis congruere non videtur, ne forte deſcendentes mare in navibus & facientes operationem in aquis multis, fluctibus procelloſis involvantur, niſi ſederint in civitate, donec induantur virtute ex alto.* (*Ibidem.*) (*Pſal.* 106.) (*Act.* 1.)

XXIV. Aliud expectabam hujus docti, & gravis Auctoris elogium Ordinis Prædicatorum Franciſcano æqualis, dum origines omnium ſui temporis Religionum in Occidente referebat; de quo nihil egiſſe, eſt cur miremur cum Franciſco Moſco Nivigellate ejuſdem Vitriaci elucidatore. (*Moſcus ad finem hiſtor. Vitriaci.*) Attamen alterius, illius etiam temporis, eruditi Chronologi Conradi Abbatis Urſpergenſis ſufficio teſtimonium. (*Urſperg. ad an.* 1212.) *Fratres Prædicatores ſtudio & lectioni ſacræ Scripturæ jugiter inſiſtentes, tantum in ſcribendo libros opus faciebant, & eos diligentiſſime à magiſtris ſuis audiebant, ut cum ſagittis, & arcu, & omni armatura fortium poſſent ingredi, & ſtare pro defenſione ſanctæ matris Eccleſiæ, & ex adverſo aſcendere, & ponere ſe murum pro domo Iſrael, dum fidem roborant, virtutes inſtruunt, ſtatuta Eccleſiæ docent, & collaudant, vitia hominum & pravitates redarguunt, & caſtigant; nihilominus ſedi Apoſtolicæ in omnibus obediunt, à qua auctoritatem præcipuam trahunt.* (*Cant.* 4.4.) (Prædicatores, propugnatores Eccleſiæ.) (*Ezech.* 13. 5.) De Minoribus item ille ſcripſit, cujus aliàs verba refere-

Paris in hiſtor. Anglic.

Weſtmonaſterien. in florib. hiſt.

Exercitationes Minorum.

Luca 10. 7.

mus, ſed luculentiùs Matthæus Paris illorum temporum prope æqualis ad annum MCCVII. ſub his verbis, quæ etiam repetit ad eundem annum Matthæus Weſtmonaſterien. *Sub his diebus fratres Minores, favente Papa Innocentio, ſubitò emergentes terram repleverunt, habitantes in Urbibus & Civitatibus deni, & ſepteni, nihil omnino poſſidentes, de Evangelio viventes, in victu, & veſtitu paupertatem nimiam perferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt. Diebus autem Dominicis, & feſtivis de ſuis habitaculis exeuntes, prædicaverunt in Eccleſiis parochialibus Evangelium verbi, edentes & bibentes quæ apud illos erant, quibus officium prædicationis impendebant. Qui in rerum cæleſtium contemplatione tantò perſpicaciores ſunt inventi, quantò a rebus præſentis ſæculi, & carnalibus deliciis comprobantur alieni. Nullum genus alimenti penes eos uſque in craſtinum reſervatur, ut paupertas ſpiritus, qui viget in mente, actu ſicut & habitu omnibus innoteſcat.*

Monachus S. Juſtinæ.

Uterque ordo mundum illuſtravit.

Num. 10. 2.

Dominicus & Franciſcus duæ tubæ Moyſis.

XXV. Communi eloquio utriuſque hujus Religionis multiplicem in Eccleſia fructum commendat N. ſanctæ Juſtinæ Paduanæ Monachus horum temporum fermè æqualis lib. 1. Chron. de reb. in Lombardia, & Marchia Tarviſina geſtis ſub iis temporibus, quibus Fridericus II. imperavit. Habetur hic Auctor inter rerum Germanicarum Scriptores. Ita porrò ad annum MCCXV. ſcribit. *Circa hæc tempora divina providentia protruſit ad ortum de miſericordiæ ſuæ theſauris duo magna luminaria, Ordines videlicet Prædicatorum & fratrum Minorum, quos Deus in firmamento Eccleſiæ ſtabilivit, & per ipſorum doctrinam lucidam & apertam, & honeſtæ converſationis ſplendorem, totum mundum errorum tenebris involutum mirabiliter illuſtravit. Horum Ordinum Præceptores fuerunt viri probatiſſimi, & multiplici decore virtutum plurimum inſigniti, Dominicus ſcilicet, & Franciſcus, qui, quaſi duæ tubæ Moyſi, dormientem mundum in vitiis & peccatis, terribili prædicationis clangore ad pugnam contra hoſtem triplicem excitarunt. In omnem quippe terram exivit ſonus eorum, & uſque ad fines Orbis eorum verenda Religio eſt brevi tempore dilatata. Unde tum conſideratione vitæ ſanctiſſimæ, multis miraculis approbatæ, tum intuitu doctrinæ cæleſtis, qua corda hominum rigaverunt, meritò tam ab Eccleſia triumphante, quàm militante ſunt in Sanctorum numero computati.*

Gomeſ. l. 2. fol. 36.

Succurrerunt rebus jam ferme perditis & deſperatis.

Gal. 5. 17.

XXVI. Addo his aliud Bernardini Gomeſii lib. de vita, & rebus Jacobi I. Regis Aragonum teſtimonium. *Quo*, inquit, *tempore duæ ſimiliter nobiliſſimæ, ſanctiſſimæque Sodalitates, Dominicana & Franciſcana ab earum Patriarchis, ſive Inſtitutoribus, Dominico Hiſpano, & Franciſco Italo, viris undecumque ſanctiſſimis, ac veris diſcipulorum Chriſti imitatoribus, inſtitutæ fuerunt; & à ſummis Pontificibus acceptæ, & approbatæ. Idque eâ ætate, quâ Chriſtianus populus, non tam ſpinoſis hæreſibus, quàm denſiſſimis ſuperſtitionum, atque ſuperbiæ & avaritiæ ſentibus tantopere ſqualebat, ut Chriſtiana Religio cùm penitus langueſcere, tum titulo ferè tenùs coli videretur. Quamobrem, divinâ miſerante clementiâ, quæ perditis, ac deſperatis rebus opportunè medicinam fecit, ejuſque cæleſti dono, hæc ipſa duo ſplendidiſſima prodiere lumina, quæ luce ſuâ tenebricoſum, valdeque languidum Chriſtianum populum non modò colluſtrarunt, verùm à tot ſubinde ignorantiæ atque effrenatæ libidinis malis, ſuo divino tum verbi, tum exempli medicamento ſanarunt. Ambo quippe, ſpiritu Dei acti, morbos, qui tunc præcipue ingraveſcebant, inter ſe partientes, curandos ſuſceperunt. Dominicus enim peſtilentiſſimas ignorantiam, atque edacitatem; hanc, quæ carnem ſemper incitat adverſus ſpiritum, interdicto ſibi eſu carniam; illam, quæ mater eſt cunctorum errorum, lectione, atque vocali divini verbi prædicatione ſanari docuit. Franciſcus verò peſtilentiores, avaritiam, & vitæ ſuperbiam; hanc, qua nihil eſt Deo odioſius, perhumilis, innocentiſque vitæ exem-*

exemplo; illam, quæ radix eſt omnium malorum, paternâ hæreditate ſpretâ domandam oſtendit.

1. Tim. 2. 10.

Plures ſunt, qui multiplicem, quam per hos duos Ordines accepit Eccleſia, utilitatem dignè commendant, & opportunam, quam tulerunt opem, celebrant encomiis. Multus eſt in hac re multis in locis Antonius Coccius Sabellicus, præſertim Enneade 9. lib. 6. Amplam, & diffuſam habet de ſolius Minoritani nominis commendatione orationem numero decimam ad finem tom. 4. Vincentius Bellovacenſis, & Antoninus inter vetuſtos Scriptores largius utriuſque facta recenſent: ille in Speculo hiſtoriali lib. 30. & deinceps; hic ad finem tertiæ partis hiſtorialis. Ceterorum nomina ſubticeo, nec plura ex candidis Scriptoribus affigo elogia, ne in ipſo limine plus laudandis Ordinum Conditoribus, quàm accommodis præſtruendis gravioris Hiſtoriæ fundamentis videar ſtuduiſſe.

Joannes Villan. lib. 5. cap. 23. & ſeqq.

ſ. II.

Quinam Franciſci ortum & inſtitutum prædixerant.

I. DESIDERATAM hanc Franciſci Hiſtoriam à piis Bonaventuræ verbis libuit incipere. *Apparuit*, inquit, *gratia Dei Salvatoris noſtri diebus iſtis noviſſimis in ſervo ſuo Franciſco, omnibus verè humilibus, & ſanctæ paupertatis amicis, qui ſuperaffluentem in eo Dei miſericordiam venerantes, ipſius erudiuntur exemplo impietatem & ſæcularia deſideria funditus abnegare, Chriſto conformiter vivere, & ad beatam ſpem deſiderio indefeſſo ſitire. In ipſum namque, ut verè pauperculum, & contritum tantâ Deus excelſas benignitatis condeſcenſione reſpexit, quòd non ſolùm de mundialis converſationis pulvere ſuſcitavit egenum; verùm etiam Evangelicæ perfectionis profeſſorem, ducem, atque præconem effectum in lucem dedit credentium, ut teſtimonium perhibendo de lumine, viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino prepararet. Hic etenim, quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, claris vitæ micans & doctrinæ fulgoribus, ſedentes in tenebris, & umbra mortis, irradiatione præfulgidâ direxit in lucem, &, tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ, ſignum in ſe dominici fœderis repræſentans, pacem, & ſalutem evangelizavit hominibus, exiſtens & ipſe veræ Angelus pacis. Secundum imitatoriam quoque ſimilitudinem Præcurſoris deſtinatus à Deo, ut viam parans in deſerto altiſſimæ paupertatis, tam exemplo, quàm verbo pœnitentiam prædicaret; primùm ſupernæ gratiæ præventus donis, dehinc virtutis invictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus ſpiritu, necnon & angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & ut vir Hierarchicus curru igneó ſurſum vectus, ſicut & ipſius vitæ decurſu luculenter apparebit, rationabiliter comprobatur veniſſe in ſpiritu, & virtute Eliæ.*

Bonaven. in prologo legendæ.
Franciſcus piis eſt exemplo.
Iſai. 66. 2.
1. Reg. 2. 8.
Pſal. 112. 7.
Dux lucis & pacis.
Luc. 1. 17.
Eccli. 50. 6.
Ibid. 8.
Luc. 3. 9.
Præco pœnitentiæ.
Ad annum 1210. 11.

II. Tanti viri ortum, ampliſſimamque ab eo inſtituendam Religionem, nihil mirum, ſi plures prædixerint Prophetæ. Etenim, ſi juxta Amos vaticinium, *Deus non faciet verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas*, magnique Eccleſiæ Viri, familiarumque Patriarchæ, quorum *editio plurimorum habet lætitiam, quia commune eſt bonum*, longè antequam orlantur communiter prænunciati ſunt, hunc tam fœcundæ prolis Auctorem, ante prædictum, quàm natum; & quas ſubjicio de ſancto Viro, ejuſque Inſtituto, Sanctorum, antiquorumve Vatum intelligendas eſſe prophetias, facilè credere licebit.

Prædicuntur magni viri.
Amos 3.
Ambr. lib. 2. in c. 1. Luc. 10. 3.

Sanctum hunc Patriarcham, optimumque ejus Collegam Dominicum Guſmanum præclariſſimi Prædicatorum Sodalitii Inſtitutorem, pluribus antequam naſcerentur ſæculis, prænunciavit Sibylla Erythræa, quam

Prænuntiati Dominicus & Franciſcus à Sibylla Erythræa.

Ba-

Lib. 3. Sybil. orac. To. 1. Bibl. vet. PP. edit. Col.

Babylonicam volunt quidam ex illis carminibus, quæ habentur lib. 3. Sibyllinorum oraculorum in fine:

Hæc ſunt, quæ moneo, Aſſyriâ Babylone profecta
In Græcos, &c.
Et tamen ex aliâ patriâ me Græcia dicet,
Ex Erythrâ natam, &c.

Lact. lib. 1. inſt. cap. 6. & de ira Dei l. 1. c. 22. Varro lib. 2. rerum divin. Clem. Alex. in Protrept. Aug. l. 18. de civitate Dei c. 23. Apollodor. apud Athe. l. 9. Piſan. lib. 1. confor. 15. Garzon in vita B. Dominici. Rodul. l. 1. hiſt. Seraph. Sedul. in elogiis D. Franciſci.

Sed Erythræam vocant Lactantius, Marcus Varro, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, ſuamque concivem probat Apollodorus Erythræus. Floruiſſe autem quintam in ordine Sibyllarum affirmat citatus Varro, & ſub Achaz, vel Ezechia Regibus Juda, & Romulo Romæ Conditore putat Auguſtinus vixiſſe; licet in fine illius capituli referat, quoſdam eſſe, qui eam ſub belli Trojani tempore fuiſſe ferant, quorum varias recenſet opiniones Ludovicus Vives ad citatum Auguſtini locum. Prædixit hæc plura de Chriſti adventu, de Eccleſiæ ſtatu, de noviſſimo judicio. Hæc ex ea referunt verba Bartholomæus Piſanus, Joannes Garzon, Petrus Rodulphus, Henricus Sedulius, & alii. *In ultima ætate humiliabitur Deus, & humiliabitur proles divina; jungetur humanitati divinitas, jacebit in fœno agnus, & puellari officio decubabitur Deus & homo, &c.* Deinde adnectit: *Erit autem beſtia horribilis ab Oriente veniens, ſtellæ quoque duæ ſurgent contra ipſum, & non obtinebunt, donec veniat abominatio, & voluntas Altiſſimi conſummetur.* Ubi per beſtiam horribilem Mahometem, per duas ſtellas, duos hoſce Patriarchas, qui, quaſi ſtellæ in medio nebulæ, claris vitæ, & doctrinæ micantes fulgoribus, orbem illuſtrarunt terrarum, citati intelligunt Auctores, quos ſequitur Joannes Villanus, & alii.

Villan. l. 5. c. 34.

Zach. 11.

Ant. 3. par. hiſt. tit. 23. c. 1. §. 1.

III. Prophetam etiam Zachariam de utroque Sancto illa eructaſſe verba: *Aſſumpſi mihi duas virgas; unam appellavi decorem; alteram funiculum, & pavi gregem*, probat Antoninus Florentinus, hanc ſubdens Joachimi Abbatis expoſitionem. *Virgæ duæ ſunt duo Ordines Mendicantium. Virgæ rectæ ſanctitate, exiles & graciles auſteritate, percutientes doctrinæ auctoritate. Decor eſt Ordo Prædicatorum per habitum decorum, quaſi Prælatorum deſignatus. Funiculus Ordo Minorum, quia funiculo manifeſto cinguntur.* Et ſequitur: *Et pavi gregem, ideſt, populum Chriſtianum, doctrinâ eorum.* Utriuſque hujus virgæ mutuam, & amicam excellentiam largiùs proſequitur Marianus Florentinus in prologo ſui faſciculi Chronicorum, quem & nos amplius ſuis locis declarabimus.

A Joanne Evangeliſta.

Apoc. 7. 2.

Bonavent. cit.

IV. Præclarum eſt illud Joannis Apoſtoli de Franciſco vaticinium, dum ſub ſexto ſigillo ait, ſe *vidiſſe alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi.* Subjungo hujus viſionis ex Bonaventura expoſitionem: *Apoſtoli & Evangeliſtæ Joannis vaticinatione veridicâ, ſub ſimilitudine Angeli aſcendentis ab ortu ſolis, ſignumque Dei vivi habentis, Franciſcus aſtruitur non immeritò deſignatus. Sub apertione namque ſexti ſigilli:* Vidi, *ait Joannes in Apocalypſi*, alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi. *Hunc Dei nuncium amabilem Chriſto, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, ſervum Dei fuiſſe Franciſcum, indubitabili fide colligimus, ſi culmen in eo eximiæ ſanctitatis advertimus, qua inter homines vivens, imitator fuit puritatis angelicæ, qua & poſitus eſt perfectis Chriſti ſectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter ſentiendum & piè, non ſolùm inducit officium, quod habuit vocandi ad fletum & planctum, calvitium, & cingulum facci, ſignandique* Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium, *ſigno pœnitentialis crucis, & habitu cruci conformis; verum etiam irrefragabili veritatis teſtificatione confirmat ſignaculum ſimilitudinis Dei viventis, Chriſti videlicet crucifixi, quod in corpore ſæpius fuit impreſſum, non per naturæ virtutem, vel*

Iſai. 22. 12. Ezech. 9. 4.

vel ingenium artis; ſed potius per admirandam potentiam ſpiritus Dei vivi. Nihil autem mirum, ſi Seraphicus Doctor ita intelligendum eſſe hunc locum indubitabili fide ſe colligere dicat, dum, ut refert Piſanus, id per revelatiooem ſibi factam in ædicula Portiunculæ apud Aſſiſium accepit. Nec ſibi ſoli, verum & aliis hoc certo revelatum eſſe teſtatus eſt in Comitiis generalibus Fratrum Pariſiis, ſi Bernardino Senenſi credamus. *Prædicans*, inquit, *in ipſo Capitulo cum maximo fervore, aſſeruit, ſe certiſſime ſcire per revelationes indubitabiles, & ſolemnes factas talibus perſonis, quæ de hoc non poterant dubitare, quod B. Franciſcus erat ſingulariter Angelus ſexti ſignaculi, & quod ad litteram de ipſo, atque illius ſtatu, & Ordine intellexit Evangeliſta Joannes, atque in ſpiritu eum vidit, quando protulit dicta verba, necnon & filiorum ſuorum, perfecte imitantium Chriſtum, Collegium in omnibus ſenariis libri Apocalypſis clarius intellexit.* Similiter viſionem hanc explicarunt Leo X. Jacobus a Voragine, & multi alii, quorum verba, & ſententias referunt Sedulius citatus, & R. P. Antonius Daza in ſuo de Stigmatibus libello.

Piſan. cit. & conſor. 51.

Bernardinus to. 2 ſerm. 60. in princ.

Leo X. in Bulla unionis. Ite & vos.

Jacob. a Vorag. ſer. 2. de S. Fran.

V. Demum Joachimus Calaber Inſtitutor, & Abbas Monaſterii Florenſis (Ordiois ſive Benedictioi, ut Trithemius aſſerit, ſive alterius, ut ſuſpicari videtur Poſſevinus, & mihi ex variis probatur litteris Pontificiis, quas io Regeſtis legi ſummorum Pontificum, & quem quidam beatum vocant) multa prædixit de his duobus Patriarchis; non centum & pluribus anois antequam naſcerentur, ut habent Guillelmus Pepio. & Sedulius, Auctor ſermonis 16. extraordinarii apud Bernardioum Seoeoſem to. 4. qui nec extitit per aliqua tempora ante Dominicum, & Franciſcum, ut putant Piſanus, & B. Antonious; ſed floruit ſub anno MCXCV. ſub quo jam vivebant hi Sancti „ obiitque anno MCCXIV. pridie Kal. Aprilis, nti ſcribit „ Jacobus Græcus Prior Florenſis ex Luca Joachimi diſcipulo, & Archie„ piſcopo Coſentino; refellitque Aloyſium Contarenum in ſuo Viridario „ de Viris illuſtribus, aſſerentem anno MCC. deceſſiſſe. „ Dono autem prophetlæ, quo fulſiſſe paſſim percrebuit, tribuendum eſt, quod antequam ſuos Ordines inſtituerint, multa de eiſdem prænunciaverit, tam in expoſitione prophetiæ Cyrilli presbyteri, montis Carmeli Anachoritæ, quam multis io locis Coomentariorum in Jeremiam Prophetam; quæ videre eſt apud Piſaoum citatum. Unum offero ex ejuſdem libro de concordia utriuſque teſtamenti. *Erunt*, ioquit, *duo viri, unus hinc, alius inde; qui duo Ordines interpretantur; unus Italus, & alter Hiſpanus, & poſt ipſos duos Ordines, veniet alter Ordo ſaccis veſtitus, ſub cujus tempore apparebit filius iniquitatis, qui dicitur Antichriſtus.* Et ſequitur: *Breviſſimum eſt tempus ipſius, ſcilicet tertii Ordinis, ſicut breviſſimi ſunt dies Antichriſti ſucceſſoris ſui. Ordo enim Minorum, uſque ad noviſſima tempora duraturus, per mare Aquilonare tranſibit, aſpera paſcua guſtabit. Regina Auſtri proteget & fovebit eum in amaritudine ſua. Flumen Euphratem tranſibit, & undam & impetum ejus ſua prædicatione mitigabit, aſpera reducentur in planum ſermone ejus. Terra ſalſuginis, ideſt Ægypti, ad Dominum convertetur per eum. In eadem terra ſecure Evangelium prædicabit; multæ gentes per ipſum Ordinem ad Dominum convertentur. Gens idololatra, cujus lingua ignorabitur, quæ de finibus terræ veniet, miſſa a Deo in adjutorium terræ promiſſionis; & ut ipſa agnoſcat Deum Patrem omnipotentem, & filium ejus unicum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ad fidem catholicam convertetur: futurum eſt etenim, ut Ordo Minorum viriliter ſe opponat contra mortis Angelum, & contra eum prædicando. Plures, & maxima multitudo de filiis ipſius Ordinis martyrio ad Dominum tranſibit, ſicut dictum eſt per David Prophetam*: Poſuerunt mortalia ſervorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. *Gaudebunt in canticis ſuis, ideſt,*

A Joachimo Abbate.

Trith. de ſcript. Eccleſ.

Poſſevin. in appar. Sac.

Pepin. ſerm. 2. de S. Franciſ.

Sedul. lib. 3. apol. c. 2. n. 5.

Piſan. & Ant. cit.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Græc. in Chronol. ſect. 56.

Vide Bellar. de ſcript. Eccleſ. & in Chronol. Guilelm. Eyſengren. de teſt. cath. verit. & Poſſev. cit.

Pſal. 78.

ideſt, in prædicatione omnes tribus terræ, & gens immunda Mahometica, quæ remanebit, & hi qui reſidui erunt ad Dominum convertentur. Plura etiam in Commentariis ad Apocalypſim prædixit de Ordinibus Mendicantibus, quorum veritatem rei probavit eventus.

Antique illorum Imagines Venetiis.

VI. Exprimi etiam curavit opere muſivo in æde D. Marci, Venetarum præcipua, ipſos harum Religionum futuros Fundatores, eo habitu & veſtitu, quem poſtea aſſumpturi, ſuiſque ſectatoribus præſcripturi erant; dum tamen adhuc nec quempiam illorum viderit, nec illic adhuc exceſſerint ex ephebis, vel recens ſuerint nati, vel breviter naſcituri. Communior eſt opinio harum imaginum præfigurationem illorum ortum præceſſiſſe, idque indicat Auctor horum carminum, quæ ex Rodulpho tranſcripſi: *Rodul. fol. 4.*

Atque prius fuerit, quam mundo exortus in æde,
Quæ Marci titulo nulli toto orbe ſecunda eſt.
Extat apud Venetos, longis expreſſus ab annis.

B. Dominico ſubſcripſiſſe hæc græca verba ἅγιος δομινικὸς, ait B. Antoninus: & B. Franciſco, poſtea a Chriſto recipiendas quinorum vulnerum plagas addidiſſe, habet Piſanus citatus, apud quem plura de his vaticinationibus prolixius licebit videre. Aliquas etiam referunt Joannes Garzon, & Joannes Antonius Flaminius in Vita B. Dominici. *Antonin. cit.*

§. III.

Franciſci ortus, progenies, & patria.

Quo anno natus Franciſcus.

Baron. to. 12. ad ann. 1182.

I. ANNO a Chriſto nato MCLXXXII. Lucii III. Pontificatus I. Friderici I. Ænobarbi, aliis Barbaroſſæ XXVIII. Alexii Comneni Orientalis Imperatoris anno II. luctuoſi mundi Deus miſeratus errores, & plane Eccleſiam ſuam, ut Purpuratorum Patrum vere decus affatur, in deterius declinantem, ac collabentem, jam depravata morum diſciplina erigere volens, in conflatorio divini ſpiritus Apoſtolicum hominem ſormavit Franciſcum, & velut novum ſidus, quod peccati, erroriſque tenebras depelleret, naſci voluit confuſo, tenebroſoque rerum humanarum, ac miſero Ordinis Eccleſiaſtici ſtatu, per quem e corruptæ vitæ vetuſtate, veluti novus renaſcenſve mundus exurgeret.

Circa hujus ſacri Infantuli nativitatis tempus, ſentio cum Illuſtriſſimo Hiſtoricorum Principe Baronio citato, qui Abbatem ſequitur Stadenſem, Franciſcanum mox effectum ſub ipſa Franciſci ætate, cum Marco Ulyſſiponenſe in limine ſuorum Chronicorum, cum Auctore compilationis Chronologicæ inter illuſtres Germanorum Scriptores, Jacoho Gualterio in ſua tabula chronologica ſæculo 12. col. 12. & ſæculo 13. col. 6. Fernando del Caſtillo in Chron. Prædicatorum lib. 1. cap. 6. Joanne Pineda 3. par. Monarch. Eccleſ. lib. 22. cap. 23. §. 2. qui cum aliis hujus ortus annum aſſignant MCLXXXII. Nec Marianum Florentinum, alias exactiſſimum rerum noſtrarum obſervatorem, alioſque horum annorum cenſores, qui natum aſſerunt anno MCLXXXI. ſequendos duxi; tum quod primum numerum obſervarim in antiquis Minorum legendis; tum quod cenſus annorum, quibus Franciſcus inter mortales degit, hanc exigat numerandi rationem. Etenim, cum totum vitæ curriculum quadraginta quinque annorum ſpatio cum S. Antonino communiter Scriptores claudant, & plane conſtet eum vita functum anno Domini MCCXXVI. neceſſe eſt, ut natum dicamus anno MCLXXXII. nam ſi alium priorem aſſignaveris, quadraginta ſex vixiſſe, quod communi obſtat opinioni, conſequenter affirmaveris, oportet. *Anton. 3. par. hiſt. tit. 24. c. 7.*

Qui, qualeſve ejus parentes.

II. Hujus tanti viri progenitores fuerunt Petrus Bernardoni, ita cognominatus a Patre, & honeſtiſſima fœmina Dominica Pica, inter Aſſiſiates

ſiates præcipui. Licet etenim mercaturæ pater intenderet, non exinde cenſendus ignobilis; cum plurimi per Italiam optimates, etiam ex iis, qui titulari fulgent dignitate, ſuos habeant apud exteros contractus, & opulenta cum alienigenis commercia. Adeo vilem vivendi artem quidam dicunt mercaturam, ut Ariſtoteles cenſuerit, mercatores non debere eſſe cives: vilis enim, inquit, eſt hujuſmodi vita, & virtuti adverſa. *Ariſt. 7. Politic. c. 4.* At non una eſt mercatorum conditio; ſunt quidam tenuis fortunæ, & gracilis ſubſtantiæ; alii opulenti, & quorum induſtriâ proſperatur Reſpublica, & ſummâ gaudet rerum abundantiâ. *Mercatura*, inquit Cicero, *Cicero lib. 1. de de offic.* *ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt; ſin magna & copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda.* Olim, ait Plutarchus, glorioſa fuit, cujus operâ eum Barbaris conſuetudo, amicitiæ cum Regibus conjungerentur, peritia multarum rerum *Plutarch. in Solon.* pararetur, ac nonnulli mercatores Civitatum magnarum Conditores extiterunt. Triobolarem non judicarim mercatorem Franciſci patrem, cujus ædes non humiles, ſed adeò amplæ, ut integro conſtruendo templo, & monaſterio ad votum Philippi III. Hiſpaniarum Regis, ſuadente Antonio Trejo Minorum Primicerio, & promovente fratre ejus Illuſtriſſimo Domino Gabriele Trejo S. R. E. Cardinali, ut doctiſſimo, ita & piiſſimo, *Ad ann. 1615.* de qua re ſuo loco, ſufficerent: cujus etiam non vile & tenue commercium intra patriæ fines; ſed cui tam ampla ſuppetebat res familiaris, ut in longinquas Galliarum regiones ſuos tranſmittere potuerit negotiatores, & præſens, in opulentiſſimis Francorum oppidis, ſuis lucris intereſſe. Cui etiam, velut Reipublicæ benefactori, & proviſori, ut Marianus teſtatur, in hujus Infantis nativitate, tam cives, quàm exteri oppidani ſuis *Marian. lib. 1. c. 1. §. 5.* muneribus curialiter ſunt congratulati.

III. Ex lineâ maternâ nullum hujus ſancti viri genealogiæ veſtigium *Ejus genealogia.* reperi. Paternam, non longè à Franciſci morte deſcriptam, accepi à nobili quodam Aſſiſiate antiquitatum ſuæ urbis indagatore, non valde alienam ab ea, quam in initio ſuæ hiſtoriæ Seraphicæ repoſuit Petrus Rodulphus. Avus paternus fuit Bernardonus Morico; pater, Petrus Bernardoni; fratrem habuit germanum unum dumtaxat, ſe juniorem, Angelum. Angelus duos habuit filios Picardum, qui integer, & ſine turpitudinis nota perpetuâ caſtimoniâ uſus eſt; & Joannem, qui Ciccolum genuit. Hic filios habuit Franciſcutium, Petrutium, Bernardum, & Antonium, quem Genealogia Aſſiſii Franciſcano Sodalitio nomen dediſſe, & Peruſii Theologiam, ait, profeſſum; ſed Rodulphus Angelum vocat, Pariſiiſque Lectorem fuiſſe dicit. At Franciſcutius, B. Franciſci veſtigiis inhærens, eundem induit habitum, plurimùm in Religione profecit, religioſus incola, & Guardianus cœnobii S. Damiani Aſſiſii. Petrutius cælibem egit vitam, Bernardus, ductâ uxore, Joannem procreavit. Duas etiam genuit Ciccolus filias, Franciſcanam, & Claram. Illa viro legitimè ſe copulavit; hæc remanſit innupta, Deoque ſuam ſacrans virginitatem, Abbatiſſa evaſit ſancti Angeli in Pantio.

IV. Hinc tabidæ luis colluvione, quæ civitatem Aſiſii lethaliter invaſerat, defeciſſe B. Franciſci genealogiam aſſerit Rodulphus; ſed in plurimos annos ad noſtra ferme tempora deductam, probant hæc teſtimonia authentica mihi ex Archivo civitatis Aſiſii tranſmiſſa.

PRIORES POPULI CIVITATIS ASSISII.

Omnibus & ſingulis has litteras inſpecturis primò ſalutem dicimus; deinde, cum audiverimus eſſe multos, non ſolùm ex privatis hominibus, ſed etiam nonnullos ex Regibus, & Principibus, qui ſcire cupiant, an ex Divi Franciſci ſtirpe aliqui ſuperſint: fidem facimus ſupereſſe filios

 duos

duos cujuſdam Joannis Franciſci Ricardi, jam defuncti; quos, quia paupertate premuntur, commendamus omnibus, qui Sanctum Franciſcum, & ejus ſtirpem diligunt.

PRIORES POPULI CIVITATIS ASSISII.

Omnibus & ſingulis præſentes noſtras litteras inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur, qualiter Antonius, & Bernardonus filii quondam Joannis Franciſci Ricardi de Aſſiſio, & eorum Pater, & aſcendentes ab annis X. XX. XXX. XL. *& ultra, & tanto temporis ſpatio, cujus initii non extat memoria in contrarium, fuiſſe publicè, palam, & ab omnibus indifferenter ſemper habitos, tentos, & reputatos pro hominibus, & perſonis de ſtirpe & vera cognatione Divi Franciſci de Aſſiſio, & pro talibus hodie dictos Antonium, & Bernardonum haberi, teneri, & reputari: & ita pro veritate atteſtamur. In quorum omnium fidem & teſtimonium has præſentes fieri, & noſtri ſigilli ſoliti juſſimus, & fecimus impreſſione muniri. Datum Aſſiſii die* III. *Februarii* MDXXXIV.

Stemma gentilitium B. Franciſci.

Pet. Rodulph. in princ. hiſtor. Seraph.
Vide Pierium lib. 24. Hierogl.

V. Gentilitium inſigne Moriconum tres erant anſeres, duo ſuperiùs, alter inſeriùs, ſubductâ in medio partitione, undis ſupernatantes. Non abſque myſterio, putat Rodulphus, B. Franciſci proſapiæ hoc contigiſse inſigne, cujus rationem ſubjungo. *Erant inſignia paternæ domus B. Franciſci tres anſeres. Neque id quidem fortuitò, ut exiſtimo, aut hominum judicio, & voluntate factum eſt; ſed Dei potius conſilio, cujus nutu cuncta diſponuntur. Unde per anſerem pictum, quidam cuſtodiam interpretantur; anſeri enim vigil eſt cura, & ad ea ſentienda, quæ latent, facile excitatur, & minimo quoque ſtrepitu expergiſcitur, nocturnas excubias celebrat, & vigilias ſuo clangore teſtatur, alis & ſibilo pro pullis decertat, dolet ſi perdit ſocium. Nullum animal, quod ſciam, tam hominem olfacit, quàm anſer, cujus inſidias præſentit. Unde apud Romanos in Capitolio publicè alebantur, qui, cuſtodibus omnibus ſopitis, Romanos ad defenſionem arcis excitaſſent, & Urbem ipſam, ſedem ac domicilium Imperii, à Gallorum vi ſervaviſſent. Hæc itaque avis, quæ clangore graviter obſtrepenti ferè ſemper clangit, ut etiam inter paſcendum ſilere nequeat, undiſque mirificè delectatur, divinum quiddam in B. Franciſco prætendebat, exemploque fuit humano generi, quod futurus eſſet pervigil, attentus, & devotus. Nam cùm Fridericus* II. *Siciliæ Rex, Eccleſiæ Romanæ, & Chriſti Vicarii hoſtis ferus, & immanis, frequentes admodum, & fortitudine præſtantes Saracenorum copias ſecum adduceret, cœpiſſetque templis, aris, & religioſis omnibus vim inferre, eo tempore B. Franciſcus, ut Dei nuncius ab alto ſubſidio miſſus eſt, qui, aſſumpto crucis vexillo, ita nequiſſimi, & improbiſſimi hoſtis robur eliſit, ut doctrinæ & vitæ exemplo omnes ad Chriſti ſectanda veſtigia induceret, cujus verba erant quaſi ſagittæ potentes de arcu divinæ ſapientiæ emiſſæ.... & adverſus Fridericum acerrimum Chriſtianæ fidei hoſtem, cujus exercitus civitatem Aſſiſii inſidiis circumvaſerat, ſe oppoſuit, & veluti anſer, alis & ſibilo pugnans, patriam ſuam à Barbarorum vi ſervavit. Beatus anſer, qui cœleſtibus undis mirificè oblectatus; hoſtium inſidiat & inſultationes præcavens, ſuis veluti excubiis cives ſuos defendit, & cunctis viam munivit ad beatam vitam promerendam.* Curioſa prorſus gentilitii ſtemmatis explicatio; at quando ita Franciſcus Friderico reſtiterit, mihi omnino incompertum.

Quæ Franciſci patria.

Tho. Walſing. in Ypodigm. Neuſtria ad an. 1212.

VI. Patriam ſedem obtinuit in Umbria, antiquiſſimâ & bellicoſiſſimâ olim Italiæ regione, licet Tuſcus quiſpiam, ad ſuæ regionis laudem, abraſerit in Mariani Chronicis nomen *Umbria*, & appoſuerit *Tuſcia*: & Thomas Walſinghamus ex errore Franciſcum *Tuſcum* nominarit; atque ex

ſimili

ſimili lapſu Cbronicon magnum Belgicum ex Alberico Ordinem Minorum in Tuſcia apud Aſſiſium ortum dixerit. Niſi velis eum Iſidoro Umbriam Tuſciæ partem dicere, & obinde Franciſcum Tuſcum cognominare; ſed modo regio illa, quæ Umbria dicitur, communiter diſtinguitur a Coſmographis ab Hetruria. Umbriam vero ita dictam ab Umbro fluvio vult Plinius. Alii, quod tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerit; quod velut fabuloſum non immerito rejicit Albertus Leander, cum præter Scripturæ ſacræ teſtimonium, etiam ex omnium Scriptorum monumentis conſtet, diluvium illud univerſale fuiſſe, nec ullam omnino terræ partem toto tunc orbe ſupereminuiſſe. Alii ab umbra dictam putant, quod ob montium altitudinem, & vicinitatem, regio ſit umbroſa. Leander regioni huic Umbriæ nomen a primis ejus incolis, Noë filiis, ex univerſalis diluvii imbribus ſervatis, & huc poſtea profectis natum judicat, & Umbros tamquam imbrios ἀπὸ τῶ ἄμβρων dictos, eorumque majores antiquiſſimos fuiſſe Janigenas, ab inundatione terrarum, & imbribus liberatos, quod ex aliorum ſententia confirmat. Undecumque vocetur ea regio, quaſi terminis clauditur Tiberi, & Anieno fluviis; illo a Meridie, hoc ab Oriente; & conſuetudinis inveteratæ neceſſitate, ut ait Blondus, Ducatus Spoletanus vocatur; & a plurimis ſæculis ditionis eſt Pontificiæ.

Chron. Belgicum anno 1207.
Iſid. lib. 14. Etymol. c. 4.
Plin. l. 3. c. 5.
Leand. 3. Italia regione.
Vide Merulam in coſmog.
Blondum in Ducatu Spoletano.
Volater. lib. 6. geograph.
Vide Marc. Anti apud Solinum in membranis c. 8.

VII. In bac porro regione, ad finem vallis Spoletanæ, arduo in colle ſita eſt Aſiſsia civitas ad radices montis Aſis, a quo nomen accepiſſe Scriptoribus familiare: Alii a vicino flumine, olim Aſio dicto, nuncupatam volunt. Varie appellatur a Coſmographis; a Ptolomæo, & Procopio Αἰσισιὸν; a Strabone Ἀσισιον; a Catone Eliſium; a Zacharia Lilio in ſuo orbis Breviario, Axis; ſimiliterque Propertius appellat, dum loquitur de eo, qui conſtruendo ejus urbis muro conſilium dedit, his verſibus.

Scandentiſque Axis conſurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Vulgariter vocabant Itali Aſceſii, ſicque memoratur a Dante Aligherio poeta, dum eam quam maxime laudat ex Franciſci ortu. Quinto ab Hiſpello, & decimo a Fulgineo diſtat lapide, a flumine Cbieſio, ſive Chiatio, olim Aſio, ad tria millia paſſuum recedit. Civilibus diſcordiis nunc propemodum interiit, adeoque quod magis a murorum circuitu, quam a populi frequentia civitas vocari poſſe videatur. Aëris ſalubritatem, & cœli temperiem laudat Rodulphus, dicens, quod nimis ſolis calore non læditur, nec diluvium patitur aquarum. Ibi cœli ſalubritas, nec aëris ſpiritus ulla paludum gravi nebula inficitur. Multis titulis a pleriſque commendatur; ab antiquitate, a ſitu, a magna ad ſanctam Hieroſolymorum civitatem ſimilitudine, ab aëre ſalutari; ſed nihil tam reddidit mundo notiſſimam, quam Franciſci editio, educatio, Ordinis Minorum, Clariſſarumque inſtitutio.

Civitas Aſſiſi.
Ptolom.
Procopius.
Strabo.
Cato.
Zach. Lilius.
Dantes cant. 11. de Parad.

VIII. Illud autem ſingulare in Viri ſancti ortu, quod per plures dies parturiente, magniſque cruciatibus laborante, nec fœtum edere valente feliciſſima genitrice, ad oſtium domus acceſſerit quidam, cœleſtis creditur nuncius, in ſpecie peregrini, dixeritque, non in pretioſo thalamo, ſed in ſtabulo parituram; nec prolem in ſericis, ſed in fœno edendam; conſuluitque, ut quamprimum tranſveheretur in ſtabulum, domui vicinum. Res licet nova, & ferme inanis videretur; attamen ut laborantis proſpiceretur periculo, ut nibil in hujuſmodi anguſtiis intentatum relinquitur, delata eſt in deſtinatum locum, ubi, mirum, abſque plurimo adjutorio, aut labore jacens in fœno, ſidus hoc edidit clariſſimum. O beatum puerum, qui ex primo vitæ limine ſuo aſſimilatur Creatori! Sta-

Paritur in ſtabulo Franciſcus.

bulum adhuc magno in honore haberi ipſe vidi, conſtructumque ibi Sacellum in viri ſancti honorem, vulgariterque vocari *ſan Franceſco il piccolo*, ideſt, S. Franciſcus parvulus, vel infantulus. Inſcripta habet in ſuperliminari oſtii lapide characteribus aureis, ſed vetuſtis, hæc duo inconcinni metri carmina.

Hoc Oratorium fuit bovis & aſini ſtabulum,
In quo natus eſt Franciſcus mundi ſpeculum.

Non longe diſtat ad finem ejuſdem plateæ ab ipſis ædibus paternis; ejuſque curam, & poſſeſſionem habent Patres Conventuales.

§. IV.

Franciſci educatio & adoleſcentia.

Baptizatus Franciſcus.
Auguſt. lib. de ſancta virg. c. 7.

I. NATO Franciſco fit in baptiſmo Chriſtianus, *neque enim naſcuntur, ſed fiunt homines Chriſtiani*, vocaturque Joannes, matre, velut altera Eliſabetha, ſuadente, patre in Gallorum finibus degente. Adfuit baptiſmali miniſterio Peregrinus, veſtitu, & inceſſu gravis, qui ultro elevando e ſacro fonte infantulo ſe obtulit. Sed, ut oblatum præſtitit obſequium, & myſterioſæ terminatæ ſunt functiones, a circumſtantium oculis diſparuit, relictis genuum, quæ ad altaris propitiatorium flexit, veſtigiis in marmore, quod uſque in hodiernum diem inter cæteras reliquias aſſervari, crate ferrea munitum, in Eccleſia Cathedrali S. Rufini, ubi res ſucceſſit, ad lævam ingredientis ipſe vidi; traditionemque hanc univerſalem eſſe per continua ſæcula in illa civitate, & æde ab omnibus accepi. Extat etiam adhuc in eadem Eccleſia Baptiſterium, in quo ſacro purgatus eſt lavacro Franciſcus, necnon, ut fertur, beata Clara. Forma eſt ſatis antiqua, materia rudis, duruſque lapis. Superfixam habet hanc Italicam inſcriptionem: *Queſto è il fonte, dove fu battizato il Serafico Padre ſan Franceſco.*

Legenda antiqua.
Vide Henric. Sedul. lib. 1. Apolog. c. 3. num. 4. Rodulph. lib. 1. fol. 14.
Monetur nutrix ut ei caveat a dæmonum inſidiis.

II. Ut domum jam Chriſtianus rediit, & nutricis geſtaretur in ulnis, venit velut ad ſtipem præ foribus alius, ſive ipſe idem Peregrinus, puerumque, ut videre & tangere liceret, efflagitat: quem, ut a nutrice ſuſcepit, velut alter Simeon cum gaudio ſacrum tenens pignus, brachiiſque dulciter amplectens, & blande oſculatus, ejus humero dextero crucis ſignum impreſſit, egregium mox futurum Chriſti militem; tamquam teſſera condecorans, & veluti jam ratione uſum amatoriis, & myſterioſis alloquitur verbis. Reddidit demum nutrici, & ut ſollicitam ejus gereret curam, commendavit: dicens: *Sciat infantulum, ut major evaſerit, magnum etiam coram Domino futurum, & ad eum perventurum perfectionis gradum, ut inter perfectiſſimos Orbis viros veniat connumerandus. Hanc ei, jam invident Dæmones, virtutem; cave ne tua negligentia vel illorum pateat inſidiis.* Hoc dicto citius diſparuit, nec diligenter perquiſitus in urbe amplius potuit inveniri.

Dæmonum invidiam revelat energumenus.
Indidem, & apud Marian. ait.

De invidia & malitia dæmonum planius poſtea conſtiterat, dum quidam Monachus energumenus multa ad exorcizantis Sacerdotis interrogata reſponderet, & inter cætera, quædam ultro de Franciſco effutiret. Dixit, in ejus nativitate commotos principes tenebrarum, quippe qui alicunde præſenſerint, quantam inermis hic infantulus, egregius poſtea futurus athleta, eis prædam eriperet; ſuaſque proinde exercuerunt artes, ut damnum hoc pueri morte prævenirent; ſed in vanum laboraverunt, quia Dominus, quem ipſe miſerat, cuſtodivit. Reſtitit tunc Sacerdotis exorciſmis Diabolus, nec ab obſeſſo diſceſſerat, permittente Deo, ut poſtea liberaretur a Franciſco, jam viro perfecto, qui Monachi miſera-

ctus, malo hoſpite miſerum aliquot annis oppreſſum corpus liberavit.

III. Tenere & delicate parentes hunc ſuum primogenitum enutriendum, iiſque curarunt imbuendum moribus, & artibus, quibus ſibi proſpiceret, & parentibus eſſet honori. Primis addicant puerulum litterarum rudimentis, mox Latio univerſalis Europæ ſermoni addiſcendo. Poſt aliqualem litterarum notitiam, lucrativis mercaturæ deputatur negotiis; quibus peragendis cum exteris Gallis, quibuſcum majoris commercii rationem pater inivit, Francorum idioma plurimum intererat. Illud, adhibito ſtudio, ingenii felicitate brevi perdidicit, ita ut ſtupori fuerit genitori, qui; ob facilitatem, qua linguam hanc Francicam apprehendit, Franciſcum nominavit. Ita plurimi volunt, e quibus unus Joannes Lorinus, mihi perquam ſpectabilis & amicus, non a patre, ſed a popularibus, ita vocatum dicit. In quo certe refragatur tam Bonaventuræ, quam aliis, tum veteribus, tum recentioribus Franciſci vitæ Scriptoribus. Joannes Marquez, male Bonaventuræ mente percepta, in baptiſmo Franciſcum vocatum putat, cum alibi clarius ſanctus Doctor aſſerat ad ſacrum fontem ad matris deſiderium appellatum Joannem. Alii in Chriſmate ſuſpicantur hoc inditum nomen. Ciaconius, & Chronicon Martinianum ſub Innocentio III. uſque ad converſionem Joannis retinuiſſe nomen, poſt vero Franciſcum vocatum indicant. Rodulphus citatus rem aliter explicat, putatque hoc nomine, quaſi divino inſtinctu exprimi ſancti juvenis ingenuitatem, libertatem ſpiritus, & audacem ad res arduas animum. Ita enim inter Italos hoc nomen *Francos*, quaſi liberos, vel audaces ſonare adjungit, juxta carmen illud.

Humanioribus addicitur litteris.

Unde Franciſci nomen accepit.

Lorin. in Acta Apoſt. cap. 16. verſ. 14.

Marq. de orig. erem. c. 21. §. 3.
Bonaven. in reg. Min. c. 1.
Idem in legenda minori.
Marc. Ulyſſipon. part. 1. c. 1.
Ciac. & Chron. Martinian. ms. ſub Innoc. III.

Etſi Pariſios dixerunt nomine Franci,
Quod ſonat audaces.

IV. Hanc cum aliis piis rationem affert Jacobus a Voragine, quam ipſius verbis ſubjungo. *Hujus mutationis nominis multiplex cauſa fuiſſe videtur. Primo, ratione miraculi connotandi; linguam enim Gallicam miraculoſe a Deo recepiſſe cognoſcitur: unde dicitur in legenda ſua, quod ſemper cum ardore Spiritus ſancti repleretur, ardentia foris verba eructans, gallice loquebatur. Secundo, ratione officii divulgandi: unde dicitur in legenda, quod divina providentia ſibi hoc vocabulum indidit, ut ex ſingulari, & inſueto nomine, opinio miniſterii ejus toti citius innoteſceret Orbi. Tertio, ratione effectus conſequendi, ut ſcilicet per hoc daretur intelligi, quod ipſe per ſe, & per filios ſuos multos ſervos peccati & diaboli debeat* francos, *& liberos facere. Quarto, ratione magnanimitatis in corde; nam Franci a ferocitate ſunt dicti, quia eis ineſt naturalis feritas, & magnanimitas animorum. Quinto, ratione virtuoſitatis in ſermone, quia ejus ſermo inſtar ſecuris vitia incidebat. Sexto, ratione terroris in Dæmonum fugatione. Septimo, ratione ſecuritatis ex virtute, & operum perfectione, & honeſtatis in converſatione. Ajunt enim,* Franciſcas *dici ſigna quædam, inſtar ſecurium, quæ Romæ ante Conſules ferebantur, quæ erant in terrorem, in ſecuritatem, & in honorem.*

Myſterioſũ nomen Franciſci.

V. Sed illa mihi verior opinio, quod ex Gallicano affectu, prompteque apprehenſa lingua Francica, filium ita ſæpius nominaverit pater, quaſi vellet innuere loquela adeo expedita, non tam miraculo, ut vult Genuen. quam ſtudio apprehenſa, penitus Francicum evaſiſſe. Veteres quippe Hetruſci, ut teſtis eſt mihi citatus Lorinus, & expreſſe habetur apud Joannem Villanum, *Franceſcos* appellabant, qui Latine *Franci* dicuntur, ſive Galli, nunc Italice *Franceſi*. Sed & Latine res Gallicanas *Franciſcas* dici ſolitas, colligi poteſt ex Aimonio monacho, vetuſto Gallorum Hiſtorico, qui ait, Carolum Calvum ad Concilium Pontigonen. intraſſe in veſtitu deaurato, & habitu *Franciſco*, ideſt Gallicano. Et lib. 1. cap. 12.

Villan. l. 2. c. 18. & alibi ſæpius.

Aimon. lib. 5. de geſt. Franc. c. 33.

Polid. Verg. hiſt. Angl. l. 1. pag. 13.

cap. 12. machætam Gallicam *Franciſcam* vocat. Quin & Polidorus Vergilianam Gallicam ab Italis dictam *Franciſcam* teſtatur: Necnon & linguam Gallicam, tunc nuncupari *Franciſcam* ſolitum eſſe, probat epitaphium Gregorii V. quod ex ſepulcrali lapide ex Baſilica Vaticana tranſcripſit Onuphrius Panvinius his verbis.

Panv. Comm. de Com. Imp. ſub Ottone III.

Uſus Franciſca, vulgari, & voce Latina,
Inſtituit populos eloquio triplici.

His ſubſcribit Joannes Pineda ſupra citatus, qui idem ſonare ait Franciſcum, ac Francicum, ſeu Gallicum: & Jacobus Mayerus ad annum MCCXXVI. Francicus, inquit, dictus eſt a Francis, & adjecta littera *Franciſcus*. Rem confirmant ſubſcripta carmina.

Fran. Maur. lib. 1. Franc.

Genitrix ortum, quem nomine primum
Dixit Joannem: ſed mox cunabula linquens,
Maternum amiſit, Gallaque e gente petitum,
Patre jubente, novum, ſupero ſed numine agente
Accepit nomen, Latiæque vocabula genti
Externa adjungens, Franciſcus deinde vocari
Maluit.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ Idque ipſum docet Baptiſta Mantuanus in ſuo carmine de ſancto
„ Franciſco, ubi ita præfatur:

„ *Quarta dies Octobris adeſt, celebrate Minores*
„ *Feſta Lavernicolæ nudis ſolemnia plantis.*
„ *Nomen Joannes veſtro eſt ab origine Patri:*
„ *Sed nova Franciſci traxit cognomina fando,*
„ *Dum ſtudet artifici Francos effingere lingua.*

Volater. lib. 22. anthrop. — *Rebello. 1. par. Chron. l. 1. c. 1.* — *Lorin. cit.* — *Bonaven. in leg. Min. in prin.*

VI. Illud in hac re peculiare, & mirum quomodo ad patris nomenclaturam ei adeo hoc adhæſerit nomen, quod, ut me priores alii obſervarunt, nullus eo prior geſsit, ut ſanctum, ac præclarum in baptiſmate ſuſceptum, penitus aboleverit? niſi id ſuo voluerit conſilio Deus, ut novi exercitus Dux novo & peculiari inſigniretur nomine, novuſque totus evaderet, & nihil quod a mundo accepit, penes ſe retineret. Monuit quidem Bonaventura, quod vocationis paternæ vocabulum tenuit, vim tamen materni nominis non reliquit. Etenim gratia, quam *Joannes* ſignificat, abundantiſsime ſuperfuſus, interius maternam, exterius paternam geſsit nomenclaturam.

Adoleſcens mercaturam exercet — *Aug. lib. 13. de civit. c. 2.* — *Leo ſerm. 2. de Quadrag.* — *Cicero lib. 1. de offic.* — *Legenda trium ſociorum.*

VII. Adoleſcentior factus, patris artes exercuit, ſed diſsimiliter valde; pater enim totus lucro & fœnori inhiabat, & communem genium ſequebatur mercatorum, qui, ut ait Auguſtinus, volunt viliter emere, & care vendere. Franciſcus vero inter cupidos mercatores, ut habet Bonaventura citatus, non ſperavit in pecunia, & theſauris, ſed animo minime avaro iis ſupererat rebus, quæ committebantur a patre. Ille, ut rem domeſticam augeret, emptionis, venditioniſque ubique iniens contractus, mille non tam corporis, quam animæ periculis ſe adſtringebat; quia ex magni Leonis ſententia, difficile eſt, inter ementis & vendentis commercium non intervenire peccatum. Hic mercaturæ præpoſitus officinæ, quæ, ut habet Cicero, quidquam non poteſt habere ingenuum, in ea ingenue ſuas exercebat functiones, nec damno iniquo afficiebat quemquam, nec aliquid dolo adnectebat rei ſuæ. Pater avarus & cupidus, filius a rerum terrenarum deſiderio adeo ſolutus, adeoque liberalis, ut ad publicos juvenum ludos adſcitus, omnibus plus pecuniæ erogaret. Hinc multoties ludorum Præfectus, ſpectaculorumque Prætor creatus, inter ſodales ſplendide expendebat magnam pecuniæ vim, in conviviis, muſica, aliiſque recreandorum animorum generibus, quibus ætas maxime juvenilis ſolet delectati: ſemper liberalis, ita ut a ſuis con-

conſodalibus, & paſsim per urbem, *flos juvenum* appellaretur.

VIII. Dolebant parentes ſuum his vanitatibus minui peculium, acriùſque adoleſcentulum reprehendentes, admonebant tam ſuarum facultatum vires, quam ſui nominis æſtimationem longè inferiores eſſe ſplendidis his expenſis, & vana oſtentatione; nec in tam ſuperfluis, adeoque magnis ſumptibus, mercatorum, quantumvis opulentorum, filium, ſed potentiſsimi cujuſdam Principis videri hæredem. Dolebat è contra filius, & veluti inſitâ animi nobilitate triſtabatur ad ſtatutas ſibi in erogatione rei pecuniariæ metas, & quam nihili æſtimabat, volebat pro acquirendo inter ſuos coætaneos honore ampliſsimè diſtribuere. Utcumque nobilem juvenis genium tolerabant parentes, quia divites, & tenerrime filium hunc primogenitum diligebant. Mater, cujus ſemper tenerior affectus, ſuſpiciebat, admirabaturque tantam in filio amplitudinem, multaque ejus verba, prænuncia futuræ animi libertatis, conſervabat in corde ſuo. Dum verò à familiaribus, viciniſque fœminis inviſeretur, notareturque ab adventantibus Franciſcus exceſſus in pretio veſtitus, & in ſumptibus inter ſodales, amica reſpondebat mater, ſe magnum quippiam prævidere in filio; & ſplendidum in rebus ludicris, ludiſque juvenilibus animum, qualis futurus provectioris eſſet ætatis, præmonſtrare.

Arguitur prodigi ſumptus à patre.
Indidem.

IX. Inter iſtas ſæculi vanitates, rerumque paternarum negotiationes, Deus juvenem, ut ait Bonaventura, *in benedictionibus dulcedinis benignè præveniens, & de præſentis vitæ periculis clementer eripuit, & cæleſtis gratiæ donis affluenter implevit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios juvenili ætate nutritus in vanis, ſupremo tamen ſibi aſſiſtente præſidio, inter laſcivos juvenes, quamvis effuſus ad gaudia, nequaquam poſt carnis petulantiam abiit*. Similiter aſſerunt Chronica Minorum, inter tot carnis incentiva, mundique oblectamenta, egregium juvenem, velut alterum Joſeph, impollutum evaſiſſe, nec ullatenus carnis appetitui ſe ſubjeciſſe, ſed pretioſiſsimum ſemper conſervaſſe virginitatis theſaurum. Id ulterius plures, à me ſtatim referendæ, confirmant antiquiores Legendæ.

Virginitatem ſervavit.
Bonav. in legen. majo. c.1.
Chron. Min. p.1. l.1. c.1.

X. Has non crediderim legiſſe Thomam Walſinghamum ſupra citatum, qui laſciviæ juvenilis ardoris deditum aſſerit Franciſcum, carniſque vitiis mancipatum inſinuat; nec Vincentium Bandellum, qui in tractatu de veritate Conceptionis, quam, ſuo ſuppreſſo nomine, dedicavit Comiti Petro de Gambara civi Brixienſi, immodeſtioribus, parumque piis verbis ſæpius dicit: *Franciſci corpus fuiſſe maculatum & deturpatum fœtore luxuriæ, & inquinamentis, & ſordibus multorum peccatorum mortalium*. De alio Prædicatorii Ordinis, tacito nomine, conqueritur in hac ipſa re Alexander de Aquila, quod verbis tranſcriptis ex Bonaventura, omiſsâ particulâ adverſativâ *nec*, dixerit, Franciſcum poſt carnis petulantiam abiiſſe; eoque modo ſe legiſſe affirmat in vetuſto Breviario MS. ejuſdem ſacri Ordinis.

Refelluntur qui contrarium affirmant.
Bandel. 3. par. tat.17. & alibi.
Aquila in Chron. ms. in princip.

XI. Neſcio ſanè, unde hujus tantæ maculæ inurendæ, & magnæ virginitatis excellentiæ tanto huic viro negandæ ſubrepſerit occaſio. Etenim quas hucuſque potui videre hujus ſancti Patris hiſtorias, tam luxuriæ inquinamenta in eo negant, quàm puritatis gratiam dignè commendant. Longum eſſet omnium verba referre, ſat erit aliquorum nomina indicare. Bonaventura, ejus ſocius Bernardus à Beſſa Aquitanus, Thomas à Celano in ſuis Legendis, Marcus Ulyſsiponenſis, Marianus Florentinus, Alexander Aquilanus in ſuis Chronicis, Jacobns Oddo Peruſinus in ſuo ſpeculo, Piſanus confor.7. & alibi; pluresque in peculiaribus tractatibus. Ex Bonaventura, Aloyſius Lippomanus, Laurentius Surius in vitis Sancto-

Illæſæ probatur virginitatis.
Bonaventura. Bernard. à Beſſa. Tho. à Celano. Marc. Ulyſſipon. Marianus. Alex. Aquil. Jacob. Odd. Piſan. Lippoman. Surius.

Bzovius. *Mateneſius.* *Franc. Gemma.*

ctorum, Abraham Bzovius, & Joannes Fridericus Mateneſius in ſuis Annalibus ad annum MCXCIX. Nuper id clariſsimè teſtatus eſt Franciſcus Gemma Capuanus cant. 7. in ordine illorum, quæ in Franciſci laudem concinnavit, ubi privilegium hoc his verbis expreſsit: *virgo caſtiſſimus vixiſti, Franciſce, uſque ad felicem tranſitum tuum.... Perpetuæ caſtitatis cingulo præcinxit lumbos tuos Dominus, ſepibus altis circumdedit caſtitatem mentis & corporis tui Dominus, &c.*

XII. Sed præ omnibus mihi ſufficiet teſtimonium trium ſociorum ipſius ſancti Confeſſoris, quorum unus erat ei à ſecretis conſcientiæ, qui expreſsè pudiciſsimum & caſtiſsimum fuiſſe integro vitæ curſu aſſeverant; nec ſolùm carnis ſpurcitias immaculato calle tranſiviſſe, verùm etiam impudica & laſciva verba abhorruiſſe audire, nec inhoneſtis viris, aut vocibus quicquam voluiſſe in juventute, aut adoleſcentia reſpondere ſubjungunt. Quibus obviam rejicitur, quod ex Vincentio Bellovacen. refert Antoninus, videlicet hunc adoleſcentem verbis & canticis deditum impudicis. Ad hæc, præter irrefragabilem tot Scriptorum auctoritatem, non levis ſupereſt Breviarii Minorum, in quo idem planè & aperte aſſeritur in officio ejuſdem Divi à Bonaventura compoſito, & à pluribus ſummis Pontificibus approbato.

Vincen. Bellov. in ſpec. hiſt. l. 29. c. 97. *Ant. 3. par. hiſt. tit. 24. c. 2.*

XIII. Confirmant non invalidè hanc ſancti Patris puritatem efficaces hæ rationes. Prima, quod ejus Confeſſarius fr. Leo teſtetur illum, quantumcumque de totius vitæ reatibus ſæpius ſe accuſaverit, nunquam carnis aliquod peccatum fuiſſe confeſſum. Secunda, quod idem Leo acceperit non indubitatam de hac re revelationem. Vidit enim in ſpiritus virtute ſanctiſſimum Patrem in monte excelſo conſtitutum, circumdatum pulcherrimis liliis, & vernantibus roſis, ipſumque geſtaſſe dextrâ floridiſſimum lilium, ſiniſtrâ verò roſarum faſciculum. Cujus viſionis dum myſterium ſcire pereuperet, cœleſti oraculo accepit, Franciſci deſignatam illo ſpectaculo puriſſimam virginitatem, & caſtiſſimam mentem. Tertia, quod non facilè credere licet, ſanctiſſima noſtræ redemptionis pignora in corpore polluto, laſcivientique carne depoſitanda, quæ puriſſimus, & innocentiſſimus Agnus dira pertulit in cruce, mundiſſimâque recepit in carne. Piumque & omnino rationabile eſt judicare, quod quem Deus prælegit ſuæ Eccleſiæ Reparatorem tam immenſæ prolis Patriarcham, ſuæ crucis Vexilliferum, memoriæ paſſionis Dominicæ, & Chriſti ſacrorum vulnerum ad frigeſcentis mundi corda inflammanda ferventiſſimum Renovatorem, non permitteret tam fœdè maculari, ut carnis ſe mancipares ſpurcitiis.

Marian. cit. §. 7. & Piſan. confor. 25. ad finem.
Rationibus idē ſtabilitur.

Modeſtè carpitur Bandellus.

XIV. Unde non poſſum non ſuccenſere prædicto Bandello, tum propter inuſtam viro ſanctiſſimo fœdiſſimam maculam, tum propter fœdiorem modum eandem ſæpius indignis verbis inculcandi, tum demum propter alias multas, quas paſsim in ſuis ſcriptis, rebus noſtris irrogavit injurias. Vices rependerem, offenſamque remetirer, niſi, quem gero ſummum in ſacrum Dominicanum Inſtitutum, affectus me detineret, & velim videri potius mala ferre, quàm referre. Chriſtianum, maximè religioſum, magna in dicendo decet modeſtia; hanc quam præ me fero, & in meis promitto, qualibuſcumque ſcriptis, in aliis etiam ſummè deſideraverim; præſertim cum de aliorum rebus, magnarumque familiarum Principibus, & viris illuſtribus pertractant. Si quid eſt in quo reprehendantur, ſi excuſari non poſſunt, Chriſtianè arguantur; veritatem aliquando, ſi non decet celare, minus decet convertere in contumeliam. Laudi amplior patere debet campus, quàm opprobrio; exaggerationis verba in encomio, quàm in vituperio tolerabiliora.

Bonav. c. 1. legen. major.

XV. Præter hanc caſtimoniæ virtutem, alia inerat juveni Franciſco, vi-

videlicet divinitus indita quædam ad pauperes miſeratio liberalis, quæ ſecum ab infantiâ creſcens, tantâ cor ipſius benignitate repleverat, ut jam Evangelii non ſurdus auditor, omni proponeret ſe petenti tribuere, maximè ſi divinum allegaret amorem. Cum autem ſemel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quendam pro amore Dei petentem eleemoſynam, præter ſolitum, vacuum repuliſſet, ſtatim ad cor reverſus, cucurrit poſt ipſum, & eleemoſynâ illi clementer impenſâ, promiſit Domino Deo, quod nunquam ex tunc, dum eſſet poſsibilitas, petentibus pro amore Domini ſe negaret: quod uſque ad mortem indefeſſâ pietate obſervans copioſa in Deum dilectionis, & gratiæ incrementa promeruit. Ajebat enim poſt, cùm jam perfectè Chriſtum induerat, quod etiam exiſtens in habitu ſæculari vocem divini expreſsivam amoris audire nunquam ſine cordis immutatione valebat. *Indita Franciſci liberalitas.* *Rom. 13.*

XVI. Porrò manſuetudinis lenitas cum elegantiâ morum, patientia, & tractabilitas ſupra humanum modum, munificentiæ largitas ultra ſuppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adoleſcens certis florere conſpiciebatur indiciis, quædam videbantur eſſe præludia, quod copioſior ſuper eum foret in poſterum futuræ benedictionis abundantia diffundenda. *Aliæ item virtutes.*

XVII. His virtutum præſagiis motus, vel, ut creditur, eruditus à Deo, vir quidam de Aſſiſio valde ſimplex, cùm aliquando per civitatem eunti obviaret Franciſco, deponebat pallium, ſternebat ipſius pedibus veſtimentum, aſſerens omni fore Franciſcum reverentiâ dignum, utpote qui eſſet in proximo magna facturus, & ob hoc ab univerſitate fidelium magnificè honorandus. *Ibidem.*

XVIII. Ad annum MCCI. invadente terras Eccleſiæ, & tyrannicè poſſidente, ſeu retinente in Piceno, Æmilia, & Umbria Marcomaldo, aliis Marquardo, Imperii Seneſcallo, civile erat Aſſiſiatibus cum Peruſinis bellum, in quo Franciſcus, cum quibuſdam ex ſuis concivibus, facti ſunt hoſtibus in prædam. Ille nihilo triſtior factus ex eventu, ſemper jucundabatur, animoque & facie ſemper hilari vinculorum ſuperabat moleſtiam. Quo nihil ægriùs ferentes concaptivi amici (moleſtum etenim eſt triſtibus ſocios videre jucundos, qui cunctos vellent ſuis condolere miſeriis) indignabundè dixerunt: quid, quæſumus, nobis collacrymantibus, & præ mœrore deficientibus, tu ſolus tam abundè lætaris? Si præ juvenili levitate tuam non ſentis captivitatem, ſaltem pro hominum urbanitate, noſtræ condoleas miſeriæ. Quibus reſpondit, veſtrum miſereor; mihi ſpiritu libero, etſi corpore captivo, gratulor. Quem etenim hic videtis vinculis conſtrictum, poſthac agnoſcetis toto Orbe venerandum. *Chron. Minor. & Marian. cit. Piſan. conf. 5.* *Conſtitia in adverſis.*

XIX. In ipſo carcere quidam erat ex ſociis valde ſeditioſus & diſcolus, cujus genius, & inclinatio cæteris ingrata, proptereaque ab omnibus derelinquebatur. Cujus Franciſcus miſertus, ei totus adhæret, ſolitarium comitatur, deſolatum conſolatur; & moribus aſperum ſalutaribus lenit conſiliis. Socios etiam ad miſeri excitat compaſsionem, rogatque, ut non tantundem vitioſos mores horreant, ut perſonam condemnent, à ſuoque conſortio rejiciant. Qua miſeratione, & derelicti relevavit triſtitiam, & ſociorum ſibi conciliavit amorem, qui in poſterum juvenis laudabant charitatem, ejuſque ſummopere deſiderabant amicitiam. *Ibidem.* *Miſeratio erga derelictum.*

§. IV.

De Franciſci Converſione.

Bonav. cit. legen. Greg. IX.

Immiſſa ei infirmitas.

I. QUAMVIS quæ diximus tantarum ſemina virtutum Deus juvenis Franciſci præcordiis indiderit, ignorabat adhuc circa ſe conſilium Dei, pro eo quod tam juſſione patris ad exteriora diſtractus, quàm corruptione naturalis originis ad inferiora depreſſus, nondum didicerat contemplari cœleſtia, nec aſsueverat deguſtare divina. Et quia ſpirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio, facta eſt ſuper eum manus Domini, & immutatio dexteræ excelſi, diutinis languoribus ipſius corpus affligens, ut coaptaret animam ad ſancti Spiritus unctionem. Dura hæc pravitatis humanæ conditio, quæ facilius ſuppliciis frangitur, quàm conſiliis flectitur, citius teritur, quàm lenitur. Ita duræ cervicis, & errabundæ ſemitæ populum, ut ad rectum reduceret tramitem Dominus, poſt multas, quas inaniter, voces effudit, multaque per ſuos Prophetas in vanum miniſtrata conſilia, hoc ultimum, luxurianti hominum generi congruum, excogitavit. *Ecce*, inquit, *ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inveniet.* Id multis peccatoribus familiare, ut ad virtutem potiùs cogantur, quàm alliciantur; & tunc incipiant reſipiſcere, cum jam amplius non liceat deſipere. Dum obſtructas ſpinis tribulationum ſemitas perditionis, quas terere ſolebant, inveniunt, tunc revertuntur ad cor, veritatiſque viam vel inviti ſequuntur.

Tribulationibus reducuntur peccatores.

Oſea 2. 6.

Brigit. in revel. extravag. c. 67.

Mente reſipiſcit & terrena faſtidit.

II. Corpore plectitur Franciſcus, ut mente ſanetur, nec per prolixum morbum licet jam ſequi, quod antea placuerat ſectari. De hac infirmitate intelligendus locus ille apud B. Brigittam, in quo B. Virgo Maria moribundam conſortans, dixit: *Sanctus Franciſcus diu fuit infirmus, & tamen tunc fecit fructum, & velle Dei; ſed poſtea ſanatus eſt, & fecit, & facit majora, quàm infirmus.* Paulatim tunc deſuevit vitiis, longis malis attritus, nec tunc cogitavit, quæ priùs vanè concupierat. Cùm verò paululum è doloribus reſpiraſſet, cœpiſsetque melius habere, ſurgens à lecto, infirmaſque vires baculi adjuvans ſubſidio, perrexit ad locum domui vicinum, unde circumadjacentes agros, florenteſque vineas, animi reſocillandi gratiâ, poſset intueri. Cœpit curioſiùs omnia circumluſtrare luminibus, ut quæ antea placebat, viridantis Provinciæ arrideret amœnitas. Sed rem fruſtra tentavit, nec enim ridentia prata illi arriſerunt, nec pulchritudo agrorum illi pulchra apparuit, nec quidquam delectabile, omnia jam faſtidientem, potuit delectare. Mirabatur ipſe ſubitam, & plenam hanc mutationem, & ad ſocios ſuos vanitatum coamatores, & cooperatores cogitatum convertens, eos ſtultiſsimos, & inſanos reputabat. Cœpit itaque ſibi ipſi aliquantum vileſcere, & in contemptu quodam habere, quod prius in admiratione habuerat, & amore. Non tamen plenè perverſæ vanitatis reliquias abſterſit, nec mundanæ ſervitutis grave jugum excuſsit. Difficillimum etenim eſt aſsueta relinquere, & animo altius impreſsa non abſque labore delentur. Recurrit animus, longo tempore aſsuefactus, ad blandimenta præterita, quorum non tam facilè obliviſcitur, dum plerumque aſsiduitate vitium vertitur in naturam.

Legen. Greg. IX.

III. Tentat proinde Franciſcus, jam robuſtior corpore, & firmiorem adeptus ſalutem, fugere divinam manum, & paternæ correctionis paulilſper oblitus, arridentibus ſibi iterum proſperis, cogitat quæ ſunt mundi, ac aliquantum ignarus conſilii Dei, ad ſæculi vanitatem mente, & cogitatu revertitur. Induit ſe cultioribus veſtimentis, & nobiliori elatus animo magna meditatur, quæ Deus jam jaciebat ſpiritualis magnitudinis oc-

occulta fundamenta, ad ſæculi referens honores magnum ſe Principem futurum, ſibi ipſi promittit. Crevit tamen in eo erga pauperes miſeratio, in quos aſsiduè liberalior; quoſcumque obvios vel pecuniâ juvabat, vel aliquâ ſui ipſius veſte donabat. Occurrit ei extra muros civitatis generoſus quidam miles, ſed pauper, laceràque veſte ſemicinctus, cujus ſortem miſeratus, ſuo ſe amictu exuit, & militem extritâ penulâ nudatum ſuo veſtimento conveſtit; ut ſimul in uno geminum impleret pietatis officium, quo & nobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis penuriam relevaret.

Pius in pauperes. *Bonav. cit.*

IV. Nocte verò ſequenti, eum ſe ſopori dediſset, palatium ſpecioſum & magnum cum militaribus armis, Crucis Chriſti ſignaculo inſignitis, clementia ſibi divina monſtravit; ut miſericordiam pro ſummi Regis amore pauperi exhibitam militi, præoſtenderet incomparabili compenſandam eſſe mercede. Unde & cum quæreret, cujus eſsent illa omnia, ſua fore, militumque ſuorum ſupernâ fuit aſsertione reſponſum. Evigilans itaque mane, cum nondum haberet excitatum animum ad divina perſcrutanda myſteria, neſciretque per viſibilium ſpecies tranſire ad contuendam inviſibilium veritatem, magnæ fore proſperitatis indicium æſtimabat inſolitam viſionem. Illud hic obiter admonuerim in eo erraſse Rodulphum, quod non Aſsiſii, ſed Spoleti hanc viſionem Franciſcum referat accepiſse.

Miſterioſa ei immiſſa viſio. *Rodulph. lib. 1. fol.6.*

V. Diſpoſuit itaque generoſus juvenis, divinæ adhuc diſpoſitionis ignarus, ſe conferre in Apuliam ad quendam inſignem, & liberalem Comitem, quem Gentilem vocant Rodulphus, & Marianus, & ex præcipuis cruce ſignatorum fuiſſe cenſet Marcus Ulyſſiponenſis. Sed ſub hoc tempore, quo paululum ante ſuam converſionem ſub anno MCCV. huic ſe accinxit itineri Franciſcus, nullius Apulæi Comitis, famâ celebris, vel armorum gloriâ inſignis, qui Gentilis vocetur, apud Chronologos mentionem invenio. Ego Comitem hunc judicem Gualterum à Brenna, quæ in Barro Comitatu urbs eſt ad Ariam fluvium ſita, Geraldi Comitis Brennenſis filium, fratrem verò Joannis Brennenſis, qui poſtea Hieroſolymorum Rex creatus eſt, & Tancredi Regis generum, quem Innocentius III. cum multo milite, & copioſo nummo miſit in Marcomaldum tyrannum, de quo ſuperiùs, Ducatum Apuliæ, & Siciliæ Regnum invadentem, ut ex epiſtolis 38. & 39. ejuſdem Pontificis exſcribitur, & quem, eodem annuente Pontifice, à Galliarum Rege Philippo II. Adeodato nuncupato, miſſum ait Pandulphus de rebus Neapolitanis, ut pro Sibylla Normanna, Tancredi Normanni uxore, Neapolitanum Regnum poſſideret, qui multâ obtentâ victoriâ totam ferme Apuliam in ſuam redegit poteſtatem. In hujus ergo (quem ex urbanitate, robore, morum præſtantiâ Itali *Conte Gentile* dicebant, quod Rodulpho & Mariano circa nomen dedit anſam errandi) obſequio ſperans magnum aliquod decus adipiſci militiæ, ut oſtenſa ſibi viſio prætendebat, nobilem quendam ſuum Concivem, qui ſub eodem Comite militaturus illuc pergebat, ut cum Bonaventura ejus ſocii, pluresque Legendæ teſtantur, voluit comitari. Hæc illius intentæ in Apuliam profectionis occaſio, non negotiationis causâ, ut ex Vincentio Bellovacenſe tranſcripſit Antoninus; nec proficiſcendi propoſitum ſequuta eſt prædicta viſio, ut illi autumant, ſed præceſſit. Parat ſibi fulgentia arma, ſplendidas veſtes, aliaque militiæ ornamenta; vultu plus ſolito feſtivus, & lætus ſuis valedicebat, ſui itineris, & lætitiæ rationem interrogantibus reddens, ſibi certò conſtare magnum ſe Principem futurum.

Rodulph. citatus. Marian. c.2. Mar. 1. p. l. 1. c. 2.

Arma tentat.

Supra §. 3. n.18.

Pand. lib. 4.

Vincent. & Antonin. citati.

VI. Iter aggreſſum, Spoletum perveniſſe referunt tres ſocii in ejus Legendâ, & Piſanus, licèt proximam civitatem non præteriiſſe dicat Bona-

Legen. 3. ſocior. Piſan. confor. 7.

Vide Mer. Blon. & Lean. citatos.

naventura, cùm Spoletum non ſit prima ab Aſſiſio civitas in via Flaminia, quâ tendatur in Apuliam; aliâ forſan inceſſit viâ, nec ullam ante Spoletum ingreſſus eſt civitatem, ita ut verum aſſeruerit Bonaventura, proximam hoc ſenſu vocando. Ancipiti narratione nullius civitatis factâ mentione, ait Marcus, unius diei dumtaxat iter perfeciſſe, quo tamen commodè ſatis Spoletum per xx. M. P. diſtans, perveniſſe potuit: communiter autem in hoc conſpirant Scriptores, ut in ipſa Spoleti urbe ab incepto itinere à Deo ſit revocatus ſequenti viſione. Vidit, & audivit in nocte Dominum familiari ſibi allocutione dicentem: Franciſce, quis poteſt melius facere tibi, Dominus, an ſervus? Dives, an pauper? Cui cum Franciſcus reſpondiſſet, quòd tam Dominus, quàm dives facere melius poteſt, intulit ſtatim; cur ergo relinquis pro ſervo Dominum, & pro paupere homine divitem Deum? Et Franciſcus, quid me vis facere Domine? Et Dominus ad eum: Revertere in terram tuam, quia viſio, quam vidiſti, ſpiritualem præfigurat effectum, non humanâ, ſed divinâ in te diſpoſitione complendum. Mane itaque facto, cum feſtinatione revertitur Aſſiſium ſecurus, & gaudens, &, jam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem.

Marc. lib. 1. c. 2.

Revocatur cœleſti viſione ab itinere.

Legen. trium ſocior.

Inter ludicra ſerio meditatur cœleſtia.

VII. Paucis poſt diebus eum convenerunt adoleſcentuli amici prateritæ vanitatis ſocii, primaſque offerunt in ludis, quos præparabant. Admiſit officioſè, ne contriſtaret amicos, quod offerebant, magnamque & lautam eis præparavit cænam, ut ſplendidè & cum honore eis valediceret. Cænâ factâ comitatur abeuntes; ſed exeuntem ſtatim præ foribus præoccupat meditatio cœleſtium, & ſeria conſideratio vanitatum terrenarum. Repentè viſitatur à Domino, tantâque repletur dulcedine, ut nec loqui, nec loco ſe potuerit movere. Adeò eum ſui juris fecit illabens ſpiritus, ut nihil aliud ſentire, vel audire viſus ſit, præter id, quod internè ſuggerebatur. Ipſe poſtea hujus illapſus ſeriem Confeſſario aperiens, faſſus eſt tantundem extra ſe raptum, ut vel in fruſta conciſo nihil poſſet ſenſationem cauſare. Hærentem, & loco immobilem, ut retrò aſpicientes perſpexerunt Sodales, revertentes horruerunt ad viri ſtuporem. In ſe demum reverſum, velut jocosè interrogarunt, quænam tam profunda meditatio eum occupaverit? Quidve tam altè ſecum cogitaverit? An forſan de ducendâ uxore tam hæſitabundus penſitarit? Quibus ille feriò, ab interiore motus ſpiritu, reſpondit; ſe pulcherrimam, & nobilem ſponſam, quâ nec pulchrior, nec nobilior alia, ſibi aſciturum. Verba hæc monent tres ejus ſocii, non à ſe, ſed à Deo inſpiratum dixiſſe, eoque tetendiſſe, ut, quam fundaturus erat in ſumma paupertate, nobiliſſima, & pulcherrima innueretur religio.

Antonin. & Vincent. citati.

Precibus explorat Dei voluntatem.

VIII. Ex tunc à publicæ negotiationis tumultu ſe ſubtrahens, ſupernam devotè precabatur clementiam, ut, quid ſibi foret agendum, oſtendere dignaretur. Quendam ſibi familiarem ad loca ſecretiora ſæpius evocabat, eoque deforis expectante, &, quid ageret, ignorante, quandam cryptam intrabat, ibique cum lacrymis cœleſtem orabat Patrem, ut viam ejus dirigens, ſuam ei pleniùs oſtenderet voluntatem. Cùm autem ex frequenti orationis uſu flamma deſiderii cœleſtis in eo vehementer ſuccreſceret, & jam pro amore ſupernæ patriæ terrena omnia deſpiceret, quaſi nihil, theſaurum ſentiebat ſe repperiſſe abſconditum, ac, velut prudens negotiator, margaritam inventam, excogitabat, venditis omnibus, comparare. Adhuc tamen, qualiter id ageret, ignorabat; niſi quia ipſius ſuggerebatur ſpiritui, quod ſpiritualis mercatio à mundi contemptu ſumat initium, Chriſtique militia ſit à ſui ipſius victoriâ inchoanda.

Matth. 13. 44.

Bonav. cit.

IX. Quadam itaque die, dum equitaret per planitiem, quæ ſubjacet civitati Aſſiſii, leproſum quendam habuit obviam, cujus inopinatus occur-

curſus ei non parvum incuſſit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente jam conceptæ propoſitum, & recolens quod oporteret ſeipſum primum devincere, ſi vellet effici Chriſti miles, ad deoſculandum eum, equo delapſus accurrit. Qui, cum manum ad ſtipem extenderet, eum protinus oſculo cum pecunia donavit. Exinde equum conſcendens, cum circumquaque in campo undique libero oculos detuliſſet, leproſum nuſquam conſpexit. Quod divinum ſpectaculum fuiſſe ratus, laudes cœpit Domino decantare devotè, & ad majora ſui ipſius victoriæ exercitia ſemet excitare.

Oſculatur leproſum ſubito diſparentem.

X. Solitaria proinde loca quærebat amica mœroribus (quæ etiam in ſua converſione magno ſuggerebantur Auguſtino, velut ipſe teſtatur, tamquam ad negotium flendi aptiora) in quibus, dum gemitibus inenarrabilibus inceſſanter intenderet, poſt longam precum inſtantiam, à Domino meruit exaudiri. Dum enim unà dierum ſic ſequeſtratùs oraret, & præ nimietate fervoris totus eſſet abſorptus in Deum, apparuit ei Chriſtus Jeſus, veluti cruci confixus: ad cujus conſpectum liquefacta eſt anima ejus, & memoria paſſionis Chriſti viſceribus cordis ipſius adeò impreſſa medullitus, ut ab illa hora, cum Chriſti crucifixio veniret in mentem, vix poſſet à lacrymis, & gemitibus exteriùs contineri, ſicut ipſe poſtmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei illud evangelicum ſibi dici: *Si vis venire poſt me, abnega temetipſum, & tolle crucem tuam, & ſequere me.*

Auguſt. l. 8. confeſſ. c. 12.

Orat in locis ſolitariis.

Apparet ei Chriſtus crucifixus.

Matth. 16. 24.

XI. Induit ex tunc ſpiritum paupertatis, humilitatis ſenſum, & affectum intimæ pietatis. Nam, cùm priùs leproſorum, non ſolùm conſortium, verùm etiam longinquum contuitum vehementer horreret, jam propter Chriſtum crucifixum, qui, juxta verbum propheticum, contemptibilis, vel leproſus apparuit, ut ſemetipſum plenè contemneret, humanitatis, & humilitatis obſequia leproſis beneficâ pietate præſtabat. Id vel ipſe dictum voluit in ſuo teſtamento illis verbis: *Cum eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos; ſed ipſe Dominus conduxit me inter illos, & feci miſericordiam cum illis.* Eò autem erga eos factus eſt liberalior, & benignior, quò clarius accepit in oratione à Domino hoc cœleſte reſponſum: Franciſce, omnia quæ carnaliter dilexiſti, & habere deſideraſti, oportet te contemnere, & odiſſe, ſi meam vis agnoſcere voluntatem, nec te terreat nova ſemita: nam ſi ea, quæ tibi antea placebant, modò amaricabunt; quæ antea diſplicebant, ſummè delectabilia, & ſuavia videbuntur. Ita ſe expertum ipſo eventu teſtatur in eodem teſtamento, dicens, *& recedente me ab ipſis*, ideſt à peccatis, *id, quod mihi videbatur amarum, converſum fuit in dulcedinem animæ & corporis*. Magnam ergo poſuit curam in vincendo, quem concipiebat, horrorem, viſis vel à longè leproſis, leproſorumve habitaculis, quæ averſis oculis, obturatiſque naribus ſolebat pertranſire. Illorum Hoſpitalia, vel Xenodochia ſæpiùs inviſebat, lectos verſabat, plagas fovebat, ſaniem exprimebat, erumpentemque tergebat vel lavabat, largiſſimas diſcedens erogabat eleemoſynas, & multò compaſſionis affectu manus eorum oſculabatur, & ora.

Iſai. 53. 4.

Leproſis propter Chriſtum obſequioſus.

Franciſc. in teſtam. in princ.

Legen. trium ſociorum.

XII. Pauperibus etiam mendicantibus non ſolum ſua, verum etiam ſeipſum cupiebat impendere, aliquando veſtimenta exuens, aliquando diſſuens, aliquando ſcindens, ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Cùm, abſente patre, matri aſſideret ad menſam, jubebat quamplures apponi panes, qui vel toti ſufficerent familiæ. Matri cauſam ſciſcitanti, dixit, id ſe proinde feciſſe, ut adeſſet, quod ſtatim pauperibus erogaret, nec ſe potuiſſe querulas mendicorum preces, abſque magno cordis dolore, percipere. Gaudebat in nobili juvene ſancta mater tan-

In pauperes miſericors.

tantam videre pietatem, libenterque patiebatur, ſe multoties ſolam in menſa derelictam à filio, dum per ſemetipſum volebat mendicis ad oſtium eleemoſynam tribuere, & à ſe ſumendum ferebat egenis infirmiſque ad ſuas ædes obſonium.

Sacerdotes quoſcúque honorat, & juvat ad cultum.

XIII. Sacerdotibus deinde pauperibus reverenter ſubveniebat & piè; præcipuè in ornamentis altaris, quò & cultus divini particeps fieret, & cultorum inopiæ ſupplementa præberet. Emebat pretioſas pallas, corporalia, aliaque linteamina, quæ agni immaculati incruentæ oblationi immediatiùs inſerviunt, atque ad pauperes tranſmittebat Eccleſias: & ſi quid inter miſſarum ſacrificia videbat deeſſe, vel indecenter, aut indignè reponi in altari, ſtatim Eccleſiæ Miniſtris ſuam offerebat opem, ut vel indigentiæ, vel indecentiæ poſſet occurri.

Viſitat limina Apoſtolorum.

Marian. c.2. §. 5.

XIV. Deſiderabat quam maximè in ignotam aliquam pergere regionem, ubi voluntariam, quam jam in corde ſuſcepit, poſſet ſectari paupertatem. Religioſâ demum ſtatuit devotione limina viſitare Apoſtoli Petri, ut Apoſtolicam ſectaturus vitam, ab Apoſtolorum erudiretur Principe, ſuumque affectuoſiùs ei commendaret deſiderium. Baſilicam ingreſſus aliquorum conſideravit tenues oblationes, alioſque, indonato ſancti Apoſtoli ſepulcro, recedere animadvertens, ſibi tacitus dixit: Itane tam frigida erga Apoſtolorum verticem devotio? quomodo non ſua, imò & ſemetipſos, homines non offerunt in loco, in quo tanti Apoſtoli ſacrum corpus requieſcit? & illam non magnificentiùs honorant Petram, ſupra quam totius Eccleſiæ machinam Chriſtus conſtruxit? Et ſtatim multâ extractâ pecuniâ, ad Apoſtoli tumulum magno fudit affectu. Devotè mox ſalutato ſacro limine, ſui cordis deſiderium, vota, & affectum beato Petro expandit, intentiùſque oravit, ut quod Deus in eo interius incœpit, ſuâ dignaretur adjuvare interceſſione, & quos corde concepit cœleſtes ignes, ſuâ prece foveret, nec aquis tribulationum extingui, aut terrenarum rerum curis ſuffocari permitteret; ſed in majores flammas divino flatu ſuccenderet.

Induit mendicum ad Vaticanas valvas.

Marian. citatus. Breviar. Placentin. in feſto Frãciſc. lect. 3. Petrus de Natal. lib. 8. c. 18.

Marc. c. 5.

XV. Ab oratione rediens, conſpectâ pauperum multitudine ante fores Eccleſiæ, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, uni ex eis magis egentibus proprias largitus eſt veſtes, & ſemicinctiis contectus illius, diem illum in medio pauperum, cum inſolita ſpiritus jucunditate, tranſegit; ut & ſæcularem gloriam ſperneret, & ad perfectionem Evangelicam gradatim conſcendendo perveniret. Factum hoc refert Marcus Ulyſſiponenſis aliquantum poſt primam viri converſionem, & aliquoto elapſo tempore, poſtquam renunciatâ hæreditate paternâ, jam apud exteras partes mendicitatem exercuit. Sed cæteri Auctores, qui exactiùs ſancti viri vitam deſcripſerunt, illud ejus converſioni præponunt, notantque præludium fuiſſe, & experimentum paupertatis, & mendicitatis poſtea obeundæ. Voluit imaginariâ illâ paupertate ad veram ſemet exercere, magnoſque priſtinos imitari viros, qui hujuſmodi præludiis ad magnam devenerunt perfectionem. *Certè bonus miles futurus, in media pace decurrit ſine ullo hoſte, vallum jacit, & ſupervacuo labore laſſatur, ut ſufficere neceſſario poſſit. Qui in ipſa re trepidare noluerit, ante rem ſemet exerceat.* Franciſcus pauperrimus mox futurus, pauperumque normam præſcripturus, ad paupertatem ſectandam aliorum utitur magiſterio, & inter ipſos mendicos primas probat mendicitatis exuvias.

Sen. epiſt. 18.

Valde concutitur à dæmone.

Legen. trium ſociorum.

Piſan. confor. 5.

XVI. Ad limen Petri felici omine primum trivit limen paupertatis, Apoſtolicam paupertatem mox ſectaturus. Primum hunc mendicitatis aggreſſum ſuaviorem expertus eſt, quàm ante cogitaverat, & valde placuit, quam prius horruerat. Totus ergo hilaris, reſumptâ veſte decenti,

in patriam revertitur, inſtanterque orat Dominum, ut per ſanctæ paupertatis ſemitas ſuos greſſus velit dirigere. At à ſancto propoſito, ferventique oratione eum deterrere ſæpius Dæmon intentat, timens ne altiores ageret in virtute radices, hominem antea delicatulum & comptum vario timore voluit illudere. Erat quædam in civitate muliercula, deformi gibbo monſtruoſa, ad cujus aſpectum antea horrebat Franciſcus. Deformem hujus vetulæ ſarcinam, Diabolus in oratione apparens, horribiliter, ſed ridiculè, minabatur ſe juveni impoſiturum, niſi à concepto propoſito reſiliret, & à precamine recederet. Sed novus tiro, jam fortior effectus, Diaboli minas irridebat, ferventiuſque precabatur in cryptis, & abditis ſpecubus, ut ejus inſidias tutus evaderet. Dehinc ardentiori quotidie ferebatur deſiderio, ut opere compleret, quod mente conceperat; majorique cruciabatur dolore ob adoleſcentiam ſine fruge tranſactam. Mortificationi deinde carnis invigilabat attentiùs, ut Chriſti crucem, quam interiùs ferre incepit in corde, exteriùs etiam circumferret in corpore, & totus Deo adhæreret, qui eo uſque mundo ſervierat.

Breviar. Placent. in feſto S. Franc. lect. 4. Jacob. Genuen. in vita Franc.

XVII. Agebat autem omnia hæc vir Dei Franciſcus nondum habitu, vel convictu ſequeſtratus à mundo, interioremque dumtaxat motionem ſpiritus ſequebatur in ſanctis iſtis præludiis; nec enim, ut docet Bonaventura, doctorem habebat aliquem in hujuſmodi, niſi Chriſtum, licèt Marianus aſſerat eum in aliquibus conſuluiſſe Dominum Guidonem ſuæ Civitatis Epiſcopum. Addidit autem Chriſtus ſuâ clementiâ eum in gratiæ viſitaſse dulcedine. Dum enim die quadam egreſſus ad meditandum in agro deambularet, juxta Eccleſiam S. Damiani, ad cccc. P. in ipſo collis declivio, diſtantem à mœnibus Civitatis, quæ minabatur præ nimia vetuſtate ruinam, & in eam inſtigante ſe ſpiritu, causâ orationis intraſſet, proſtratus ante imaginem Crucifixi, non modicâ fuit in orando ſpiritus conſolatione repletus; & ter ſequentem hanc oratiunculam, quam ego inter ſancti viri opuſcula Tomo primo repoſui, quanto potuit, recitavit affectu. *Magne, & glorioſe Deus & Domine mi Jeſu Chriſte, illumina, oro te, tenebras mentis meæ. Da mihi fidem rectam, ſpem certam, & caritatem perfectam. Fac ut cognoſcam te Domine, ita ut ego in omnibus omnia ſecundum tuam ſcientiam & veram voluntatem perficiam. Amen.* Cum verò lacrymoſis oculis intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipſa cruce dilapſam ad eum, corporeis excepit auribus, ter dicentem: *Franciſce vade, & repara domum meam, quæ, ut cernis, tota deſtruitur.* Tremefactus Franciſcus, cum eſſet in Eccleſia ſolus, ſtupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens divini virtutem eloquii, mentis alienatur exceſſu.

Bonaven. cap. 2. legen. maj.

Marian. c. 2. §. 5.

Orat in Eccleſia S. Damiani.

Loquitur ei Chriſtus crucifixus.

XVIII. In ſe tandem reverſus, ad obediendum ſe parat, & totum ſe recolligit ad perficiendum mandatum de materiali eccleſia reparanda, licèt principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Chriſtus ſuo ſanguine acquiſivit, ſicut eum Spiritus ſanctus edocuit, & ipſe poſtmodum Fratribus revelavit. Exiens verò Eccleſiam, invenit propè eam ſedentem ſacerdotem, nomine Petrum, qui ædiculæ curam agebat, cui ex tempore aliquantulam tradidit pecuniæ ſummam, ut ad majorem illius Crucifixi reverentiam coram lampadem appenderet, quæ continuò arderet in conſpectu ejus, ad cujus intuitum & vocem *ignis in eo exarſit grandis loquelæ*. Addiditque, ut exhauſtâ illâ pecuniâ, ſe conveniret, qui libenter quidquid habebat, in illius Eccleſiæ obſequium miniſtraret.

Parat ſe ad obediendum Chriſti voci.

Leg. Greg. IX.

Jerem. 11.

XIX. Ab illa itaque hora ita vulneratum, & liquefactum eſt cor ejus ad memoriam Dominicæ paſſionis, quod ſemper dum vixit, quæ Chriſtus in ſua ſanctiſſima carne ſuſtinuit, ille in ſaucia jam mente portarit. Flebat

Vehemens ei inſita memoria Dominicæ paſſionis.

bat adeò amarè Chriſtum paſſum, & quos pertulit dolores, adeò amarè recogitabat, ut non lacrymas, ſed ſanguinem effundere videretur; ita etenim rubebant oculi, cum ex oratione rediret, ut omnino ſanguinei apparerent. Dehinc ſacram & ſalutarem hanc memoriam magni cibi, & potus adauxit abſtinentiâ, & ut juveniles in ſe puniret exceſſus, nullum non excogitabat mortificandi corporis artificium.

Pro reparanda Eccleſia pannos vendit.

XX. Sed ne in longum protraheret, quod Chriſtum ex cruce præcepiſſe judicavit, ſigno ſe muniens Crucis, conſtanti animo pannos aſſumpſit venales, & ad civitatem Fulginei, Italis *Foligno* VIII. M. P. ab Aſſiſio, Spoletum verſus, diſtantem, feſtinus acceſſit; ibique venditis, quæ portaverat, equum, cui tunc inſederat, felix mercator, aſſumpto pretio, dereliquit: rediensque Aſſiſium, non equo, ſed pedes, ut habet Antoninus (qui tamen præpoſtero, & inverſo ordine venditionem hanc ſuperiori Crucifixi alloquio præpoſuit) Eccleſiam, de cujus reparatione mandatum acceperat, reverenter intravit, & invento illic prædicto Petro, ſacerdoti pauperculo reverentiam decentem exhibuit, & ad reparationem Eccleſiæ, pauperumque uſum pecuniam obtulit, & ut ſecum ſe morari pateretur ad tempus humiliter requiſivit. Acquievit ſacerdos de mora ipſius, ſed, timore parentum, pecuniam non recepit, quam verus pecuniarum contemptor in quamdam feneſtram, vel abacum projiciens, abjectam, velut pulverem, vilipendit. Prudens profectò conſilium, ut gravi ſe exoneraret pecuniarum pondere, illum ſequi proponens, qui *exultavit ut gigas ad currendam viam*. Vel ipſi Philoſophi malo ſe hoc onere levabant, auri, argentique talenta, aut projicientes, aut contemnentes. Democritus projecit divitias, onus illas bonæ mentis exiſtimans. Quin & Crates Thebanus, projecto in mare non parvo auri pondere; abite, inquit, peſſum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. Franciſcum expeditam, & liberam à rerum terrenarum cura mentem voluit habere, ut nihil amplius, niſi, quæ Chriſti erant, cogitaret. Projecit ergo has malas cupiditates, ne animum poſſiderent. Adhuc illa extat feneſtra hoc pecuniarum contemptu celebris, inviſiturque à Franciſci rerum indagatoribus, ad dextram ingredientis ædiculam.

Antonin. cit.

Pſal. 18.

Senec. de provid. c.6.

Hieron. l. 2. adverſ. Jovin.7.

Factum hoc calumniantur hæretici.

Alcora. Gennen. pag. 109. & 179.

Prov. 28. 24.

XXI. Hic obiter occurrendum Eraſmo Albero Germano Brandeburgen. infeſto Alcorani Franciſcanorum Auctori, qui dum, ſuæ ſectæ hominum more, omnia ſanctorum Minoritarum facta, dictaque calumniatur, etiam plura ſcelera eorum impingit Auctori. Inter cætera verò crimina, illud non leve exiſtimat, quod, inſcio patre, Franciſcus pannos vendiderit, pecuniaſque dilapidarit, ſatiſque convictum peccati judicat ex illa Salomonis ſententia: *Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & matre, & dicit, hoc non eſt peccatum, particeps homicidæ eſt*. Eo etiam major aliis videbitur hæc culpa, quod filiusfamilias minorem, vel nullam habet actionem proprio nomine in bona paterna, vel profectitia, quorum uſusfructus & dominium, ſeu proprietas penes patrem eſt; nec in adventitia, licèt illorum habeat proprietatem, nec regulariter in alia quæque, extra cauſam caſtrenſis, vel quaſi caſtrenſis peculii, ut doctè expendit Cujaccius; unde nec illa donare poteſt, ut docet Silveſter, nec etiam causâ mortis, niſi patre permittente; multo minus teſtamento legare, quantumcumque etiam pater conſentiat. Ergo accuſabitur Franciſcus, qui clam patris, merces alio tranſportarit, leviori forſan ære commutarit, equum alienarit, & in patris opprobrium humiliter repedarit, collectaſque ex bonis paternis pecunias, abſque patris licentia, liberè nimis ſacerdoti non tam obtulerit, quàm obtrudere voluerit, & demum prodige ſuper Fani feneſtram omnibus patulam profuderit.

Cujac. ad l.9. filiusfamilias. ff. de obligation. & donat.

Silveſter ex leg. etiam filius fam. de donation. verbo donatio 1. n.3. l. in ædibus. §. pen. de donat. l. qui in poteſt. l. filius famil. ff. de teſtam. l. ſenium. C. qui teſtam. facere poſſ. & Regia l. 13. tit. 1. par. 6. docetque Covarr. rubr. de teſtam. p.3. n.45. Cujac. ad 54. ff. de judiciis & communis in d. l. ſenium.

Sedul. l. 1. apolog. c.6.

XXII. Certè Henricus Sedulius, vir alias probus & doctus, cujus opera

opera ingenuam, quam in ipſo præſens expertus ſum, pietatem ſpirant, facilè hæreticorum ceſſit calumniæ, & abſque ullo negotio Franciſcum peccaſſe concedit. Mihi verò aliter videtur, & Dei virum non tam criminis reum, quàm laude dignum hoc facto evaſiſſe. Accepit à Chriſto, ſenſibiliter, & palam loquente præceptum, ut Eccleſiam repararet; & licèt aliò tenderet præcipientis intentio, attamen de illa æde reſarcienda injunctam ſibi curam intellexit. Perquam optimè novit Chriſtum impoſſibilia non jubere, intuliſque non improbabiliter, ut divino obſequeretur mandato, ſibi licere bonis ſe ingerere paternis, ſi propria non ſuppetebant, neque tunc mendicare fas eſſet, nec ſi ad ſtipem ſedere liceret, adeò facile, aut brevi colligi potuiſſe, quæ omnino neceſſaria erant, ut, quod accepit præceptum, exequi valeret. Quî ergo poſſet ruinoſam reædificare Eccleſiam, vel ejus imminenti ruinæ ſtatim occurrere, qui ſui juris nihil habebat? aut quomodo ſupremi Domini obtemperaret mandato, ſi paterni dominii jura omnino vellet illæſa? Non dubitavit, quod ipſe idem, qui filiis Iſrael Ægyptiorum pretioſa ſupellectilia licitè potuit concedere propter ſupremum, & excellens in res humanas dominium, ei etiam, qui ex privilegio hæredis, quaſi paternorum bonorum dominus eſſe exiſtimabatur, auctoritatem poſſit tribuere, ut ex bonis paternis Deo jubenti valeat miniſterium præbere? *Dei*, inquit D. Thomas, *ſunt omnia, & cui voluerit, tribuet illa*; quare etiam quæ velit in ſua non accipiat obſequia? Qui ergo ad Dei miniſterium, ad divinum delubrum patulo ipſius Dei imperio reparandum aliquid accepit, quod patris videbatur, non ſecundum illud Salomonis edictum, particeps eſt homicidæ, præſertim cùm aliunde, & ex multiplici, ancipitique illius loci ſenſu, tanti ſceleris communionem, aut pœnam poſſit Franciſcus evadere.

Liberatur à calumnia Franciſcus.

Exodi 11. & 12.
Vide Aug. q. 39. in Exod.
L. inſuis 11. de lib. & poſthum.
Tho. 2.2. q. 104. art. 4.
Vide pſeudo Hieron. & Salazar. in prædictum locum Prov.

Quid quod nec planè conſtat, an illa bona fuerint Franciſci caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia; de his etenim potuit liberè diſponere, & in Eccleſiæ ſtructuram ea licitè erogare. Licèt enim patri caſtrenſe peculium acquiri videatur, jure namque ipſo, ut docet Cujaccius, patri acquiritur; tamen ex conſtitutionibus, ut indidem docet, dantur quædam privilegia filio in peculio caſtrenſi, ut in eo ſit tamquam paterfamilias, & de eo poſſit teſtari. De rebus etiam ſibi à parentibus conceſſis, ut pro ſe lucretur, poſſe filiumfamilias donare conſanguineis, vel præceptori, quæ placuerit rationabilia, docet cum aliis Emanuel Rodericus, multò magis Deo ipſi præcipienti; unde autem ſciri poterit hæc Franciſci dona, ex hujuſmodi non eſſe peculio? Tertiò, poteſt pater, adhuc ſuperſtes, legitimam, vel eam, quæ filio contingit, bonorum ſuorum portionem liberè conſignare, ut doctè cum aliis probat Tellus Hernand. ita verò Petrum Bernardoni Franciſco filio dediſſe, non eſt omnino improbabile; præſertim cum Franciſcus, ab aliquot menſibus, magno ferretur deſiderio, ſæculo valedicendi, ſuaque pauperibus diſtribuendi, ad quos tacitos uſus forſan ſuam à patre petiit portionem. Quartò, qui mori voluit ſæculo, religioſamque aliquam habuit in mente vitam, potuit cauſâ mortis, habito, vel certo ſuppoſito patris conſenſu, aliqua donare, ut docet Cujaccius; imò & eodem conſentiente, de rebus adventitiis, licèt eorum fructus non ſit patri quæſitus, teſtari in piam cauſam, ut docet Covarruvias. Adde, alios eſſe caſus, in quibus, Silveſter ait, licere filiofamilias bona aliis donare, ut ſi habeat liberam peculii adminiſtrationem, & in aliis pleriſque eventibus.

Cujac. ad l. 1. §. ſi is qui bona. ff. de collat. bonorum.
Roder. in ſum. tom. 1. c. 79. n. 3.
Tellus in c. 21. Taur. n. 11.
Cujac. ad l. 2. ff. de leg.
Covar. ſupr. cit. & probat ex cap. licet. de ſepult. in 6. cui conſentit Cald. conſ. 10. tit. de teſt. Abb. ibid. n. 10. Dom. in d. c. licet. Angel. Salic. Rom. Alex. Dec. & Cornel. poſt Baldum in l. ſenium ſupra cit.

XXIII. Nec viam præcludit his ſolutionibus, apertiſque rationibus patrem bona hæc tamquam ſua poſtea repetiiſſe; proindeque videri nec caſtrenſia fuiſſe, aut potuiſſe Franciſcum de iis diſponere, patriſve ha-

Freder. conſ. 298. & cómunem eſſe aſſerit: Alex. l. 1. §. Hoc autem Senatuſconſult: ff. ad Trebel.

buiſſe in donatione conſenſum. Etenim eo uſque exardere potuit patris cupiditas, ut illa tamquam ſua repeteret, & quæ vel filio liberè donaverit ſibi reddenda vellet, vel quæ aliunde propria filii poterant eſſe, tam quoad dominium, quàm quoad uſumfructum ſibi acquiſita contenderet, & cuperet uno, vel altero titulo filium exhæredare, privareque omnibus, quæ privilegio hæreditatis, vel ei jam conſignaverat, vel eum contingere poterant. Gravem ſibi factam injuriam, & contumeliam tantâ filii deſpicabilitate judicabat, & populi cæcâ opinione in furorem verſum putabat; ſed utraque hac de cauſa Juriſperiti docent filium poſſe ab hæreditate ſecludi, & quæ accepit à patre, reaſſumi. Vel ergo cupiditate, vel injuſtis his cauſis, res illas tamquam ſuas repetebat, quas nec Franciſcus rerum terrenarum jam contemptor, proprias dicebat; ſed vel erogandas in Dei obſequium, vel importuno patri, & neceſſario hæredi veluti ſuas reddendas.

XXIV. Cum ergo tot modis poſſit excuſari Franciſcus in hoc pio donativo, nec conſtet certò illicitè feciſſe, tam impium erit ab Hæreticis criminis argui, quàm pium & æquum à probis viris, ſuiſve alumnis, juſtè defendi. Sed Hæreticorum conſuetudo hæc eſt, ut dum *non vident manticæ quod à tergo eſt*, ſanctum quempiam virum opprimant, *quia contrarius eſt illorum operibus*, & maledictis calumniiſque laceſſant. *Nihil in rerum natura tam ſacrum eſt, quod ſacrilegum non inveniat. Sed non ideo divina minus in ſublimi ſunt, ſi exiſtunt, qui magnitudinem multum ultra ſe poſitam non icturi appetant.* Non detrahit bonorum famæ, quod à malis male audiant, nec ſanctis Eccleſiæ viris nocet, quod ab Eccleſiæ inimicis vituperentur. Ut cœleſtia manus humanas effugiunt, & ab his, qui templa diruunt, aut ſimulacra conflant, nihil divinitati nocetur; ita quicquid fit in probos viros, protervè, petulantèr, ſuperbè, fruſtrà tentatur.

Sap. 2.

Sen. de conſtant. cap. 3.

Bonaven. & leg. Greg. IX.

Pater Franciſcũ perſequitur.

XXV. Non ſolùm ab his calumniatoribus malè audivit hoc facto Franciſcus, ſed graviora ſuſtinuit à patre, qui cum domum reverteretur, intellexiſſetque, quæ à filio facta ſunt, & quod apud prædictum ſacerdotem commoraretur, perturbatus animo, cum quibuſdam ex conſanguineis, cucurrit feſtinus ad ædem, ex ea filium cum indignatione deturbaturus. At ipſe, quia novus erat Chriſti athleta, cum audiret perſequentium minas, & eorum præſentiret adventum, *dare locum iræ volens*, propè Eccleſiam in ſacerdotis cubiculo ſe abſcondit. Supervenientis verò repente patris furiam declinare haud commodè valens, ut ad oſtium paternas minas audivit, ad portæ lævam, muro, qua potuit collectione membrorum, adhæſit, qui ultrò ſuos ſinus aperiens, timidum tironem in ſe recepit; ita ut duriorem invenerit patrem, quam parietem, muruſque hominem vicerit humanitate. Adhuc extat hæc muri concavitas in Monaſterio ſancti Damiani reverenter conſervata, cui ego, quo potui affectu, & reverentia, memet immerſi. Furens pater, conjectis hinc inde oculis, dum in camerula, quem perquirebat, minimè conſpicaretur, aliò eum inveſtigaturus divertit. Interim Franciſcus è latibulo, oportuniorem nactus occaſionem, prodiens, in quadam occulta fovea, quàm antea frequentare ſolebat, ſe abſcondit. In ea delituit per menſem integrum, conſcio ſolo fido amico ſervo paterno, à quo ſecretò, quæ vitæ opus erant, accipiebat. Rogabat interim Dominum inceſſanter lacrymarum imbre perfuſus, ut liberaret de manibus perſequentium animam ſuam, & pia, quæ inſpiraverat, vota benigno favore compleret. Tandem poſt longas preces, de ſua diffiſus virtute, ſpem ſuam totaliter jactavit in Dominum, ſtatimque exceſſivâ quadam completur lætitiâ, ut planè ſciret virtutem tunc propius adeſſe divinam, cum auxilium deſperatur humanum. Novas ſibi ſenſit vires ineſſe, audacioremque jam factum animum ad ardua.

Rom. 12. 19.

Legen. trium ſoci. & Antonin.

Latet per menſem in fovea.

dua. Cœpit ergo ſe de puſillanimitatis ignavia damnare, excuſſoque mentis pavore Civitatem verſus intrepidus perrexit.

XXVI. Novum militem ultrò ſe pugnæ offerentem, ut cives viderunt facie ſquallidum, & mente mutatum, inſenſatum judicantes, luto, lapidibuſque impetebant, & tamquam dementi, & frenetico inconditis clamoribus inſultabant. Famulus autem Domini nullâ fractus, aut mutatus injuriâ, ut ſurdus in omnibus pertranſibat. Perpendit ſecum Apoſtolos etiam ſtultos reputatos propter Chriſtum, quorum vitam, dum imitari voluit, ſanctæ ſtultitiæ non horruit ſpeciem induere. Ita in ſuis amandis vanitatibus cæcutiunt mundani, ut qui ad virtutis, & veræ ſapientiæ ſemitas à perditionis via deflectunt, ſtatim amentes, & ſtulti reputentur. Graviter Philoſophus: *Sapientiæ ſtudium ſuſcipere cupis, ſtatim te para, quaſi futurum ſit, ut deridearis, ut multi te ſubſannent. Sed ſi quid proficere vis, ne recuſa quominus ob res externas amens & fatuus habearis.* Non diſſimiliter Lactantius: *Teneamus innocentiam, teneamus juſtitiam, ſubeamus imaginem ſtultitiæ, ut veram ſapientiam tenere poſſimus.* Ut veram ſapientiam Chriſtum Franciſcus inveniret, imaginem ſubiit ſtultitiæ ſub qua tot ſuſtinuit opprobria à ſuis concivibus. Audiens autem pater apparuiſſe jam filium, totque ſpontè à petulanti plebe perpeſſum, accurrit ſtatim non ad liberandum eum, ſed potius ad perdendum, poſito omni miſerationis affectu, cum improperio domum pertrahit; deinde verbis, mox verberibus, demum vinculis affligit. Ille autem inflexibilis ad exequendum quod cœperat, promptior ex hoc, & animoſior reddebatur, verbum illud ſecum recolens evangelicum: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Vidi ego, non abſque pietate, angulum ipſum obſcurum, & tetrum, quo, ſub ſcala ædificii, arctâ clauſus eſt cuſtodiâ, ſervaturque ad hujus pii mancipii memoriam, in ipſa Eccleſia, quæ noviter conſtructa eſt in ædibus paternis, abſque ulla ſtructuræ injuria, vel elegantis ædificii deformitate.

Deridetur à concivibus.

1. Cor. 4. 10.

Epitect. in enchirid. 29.

Lactant. in epitom. divinar. inſtitut. c. 1.

A patre carceri mancipatur.

Matth. 5. v. 10.

XXVII. Poſt modicum tempus patre peregrè proficiſcente, mater viri factum non probans, & inflexibilem filii conſtantiam emolliri poſſe deſperans, à vinculis, quem tenerè amabat, abſolvit, & liberum abire permiſit. Libertati reſtitutus, gratias Deo ſolvit, & ad priſtinum ſacerdotis conſortium remeavit. Rediens autem pater, eumque domi non inveniens, conviciis illatis uxori, fremens cucurrit ad locum, ut ſi eum revocare non poſſet, ſaltem de provincia effugaret. Franciſcus verò confortatus à Deo, obvium ultro ſe obtulit patri furenti, liberâ voce clamans ſe pro nihilo ducere vincula, & verbera; inſuper & conteſtans ſe pro Chriſti nomine gaudenter mala omnia ſubiturum. Videns itaque pater quòd eum ad ſuum deſiderium revocare non poſſet, ad extorquendam pecuniam ſe convertit, quâ in feneſtella inventâ, aliquantulum furor ejus eſt mitigatus, avaritiæ ſiti utcumque per pecuniæ hauſtum temperatâ, ſed non expletâ.

A matre liberatur.

A patre denuo affligitur.

XXVIII. Avarus neſcit habere modum, nec ſitim extinguunt, quas haurit, ſed excitant, quas obtinere ſperat, divitiæ. Ultra acceptam pecuniam, dum plura Franciſci pater exoptat, cum urbis agit Conſulibus, ut filius vocetur in judicium. Requiſiti moleſtè, præconis voce, & perſonali citatione Franciſcum coram parere præcipiunt. Quibus magna ſpiritus libertate adoleſcens reſpondit, ſe jam alterius ordinis evaſiſſe, & per Dei gratiam è mundi liberatum ſervitute, nec amplius quicquam ſibi negotii cum mundo, mundaniſque principibus. Illinc credo intimaſſe eam ſe adeptum, immunitatem, & exemptionem à foro civili, quòd internè, & per revelationem acceperit à Domino ſe in ſortem Eccleſia-

Legen. trium ſoc.

Citatur coram Conſulibus Aſſiſii.

ſticorum jam vocatum, & à mundanis perfectè ſegregandum; licèt quo ad forum exterius, aut per leges externas, immutatis adhuc veſtibus, non eſſet, unde privilegium clericale ſibi potuerit vendicare; niſi forte primam jam habuerit tonſuram, per quam, & ſi habitu non inceſſerit clericali, eximebatur tamen à poteſtate ſæculari ſecundum communem opinionem. Conſules verò nihil non ſublime, & ſanctum de viro cogitantes, quem tam repentè & firmiter in virum alterum mutatum agnoverunt, acquieverunt reſponſo, & avido patri, ulterius de filio citando importune inſtanti, retulerunt ejus verba, nec hoc negotium in ſuo, ſed Epiſcopi tribunali peragendum. Videns autem ſe nihil profeciſſe apud Conſules, totus avidus pecuniæ, & bonorum ſi qua erant apud filium, eum ducere tentat coram Epiſcopo civitatis (non coram Fulginate Antiſtite, ut perperam ſæpius aſſerit Joannes Marquez) ut in ipſius manibus facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat. Ad querulas viri voces Franciſcum vocavit Antiſtes, ad quem adoleſcens, tamquam ad patrem animarum & dominum, dixit ſe ex tempore venturum. Statim ut ſe coram ſtitit, patriſque querimoniam & deſiderium agnovit, quoſcumque habuit ſuo uſui nummulos, ſtatim extraxit, dicens: Domine, non ſolùm pecuniam, quam rei ſuæ eſſe contendit, ei volo reddere libenter, verùm, & quæ mea ſunt, veſtimenta. Nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba facit, nec expectat, ſed continuò, depoſitis omnibus veſtimentis, ea patri reſtituit. Inventus eſt autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem ſub veſtibus delicatis, licèt Jacobus Genuen. & Petrus à Natalibus in hoc ſingulares, exutis jam veſtibus, factâque renunciatione cilicio ſeſe induiſſe aſſeverent. Inſuper ex admirando fervore, ſpiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, & conjiciens oculos in crudum patrem, abſque ullâ animi amaritudine præclaris his verbis eum affatus eſt: *uſque nunc te vocavi patrem in terris, amodò autem ſecurè dicere poſſum*: Pater noſter, qui es in cœlis; *apud quem omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpei fiduciam collocavi*.

Communis in c. unic. de cler. coi. 26. in c. qualiter & c. cler. de judic. & probatur in c. 2. de foro compet.

Marquez. lib. de orig. Eremit. c. 23. §. 8. & alibi. Piſan. lib. 1. confor. 12. in prin.

Rodulph. lib. 2. fol. 174.

Denudat ſe coram Epiſcopo.

An honeſtè ſe denudaverit?

XXIX. Verba hæc adeò egregia nullus erit, qui non probet; at forſan erit aliquis, qui factum improbet, vel aliquam ejus circumſtantiam condemnet. Moroſi cenſores, & delicatuli curiales exprobrabunt omnimodam in pleno circo coram probo Antiſtite adoleſcentis nuditatem, & quod membra, quæ ſagax ipſa natura ſecretioris corporis parte, & ſub imo condidit ventre, omnium expanderit conſpectui. Hæc vel ipſe Apoſtolus *inhoneſta* vocavit, & majorem ceteris membris dixit requirere, vel habere ab hominibus honeſtatem; quia, ut inquit Theophylactus, hæc diligentiùs & honeſtiùs tegimus, atque veſtimus, ut etiam ſi quis toto corpore nudus ſit, hæc tamen membra nudari non patiatur. Profectò ſi rem hanc humano dimittamus conſilio, calumniandam non dubito, quippe nec ſecundùm humanam rationem, aut civilem conſuetudinem liceret. Sed *multa facta*, inquit Auguſtinus, *quæ hominibus improbanda videntur, teſtimonio Dei approbata ſunt, & multa laudata ab hominibus, Deo teſte damnantur*. Et ipſe Franciſcus in epiſtola encyclica ad Cuſtodes ſui Ordinis ait, *multas eſſe res in conſpectu Dei nimis altas & ſublimes, quæ aliquando inter homines reputantur pro vilibus, & abjectis*. Multa dicunt & ajunt ſancti Dei viri, non tam humana ratione ducti, quam divino inſtinctu acti, quæ ſi judicio tantùm politico, & humano diſcutiantur, errata judicabuntur. Attamen dum Dei inſtinctu aguntur, bona non eſſe nequeunt, dum in iis ductrix non eſt ratio naturalis, ſed motrix eſt virtus divina, quæ non tenetur apicibus legum humanarum. *Si ſpiritu ducimini*, inquit Apoſtolus, *non eſtis ſub lege*. Probè Ariſtoteles,

1. Corint. 12. 23.

Theophyl. ibid.

Aug. lib. 3. confeſſ. c. 9.

Franciſcus epiſt. 14. ad Cuſtod.

Galat. 5. 18.

teles, & egregiè ſatìs pro naturali Philoſophi captu: *His*, inquit, *qui moventur per inſtinctum divinum, non expedit conſiliari ſecundum rationem humanam, ſed quod ſequantur interiorem inſtinctum, quia moventur à meliori principio*. Franciſcum autem ab hoc motum principio, & ex admirando ſpiritus fervore, ac ſpiritus ebrietate, quæ ſui juris hominem non dimittit, hæc feciſſe luculenter docet Bonaventura; & ſuam in ſuo ſervo actionem adeò Deus honeſtavit, ut potius in laudem communiter vertatur, quàm in opprobrium, juxta illud Angelici Doctoris: *Ille cujus ſcientiæ & poteſtati omnia ſubſunt, ſua motione ab ſtultitia, & ignorantia, & hebetudine, & duritia, & cæteris hujuſmodi tutos nos reddit, quando per ipſius dona ejus inſtinctum ſequimur perfectè*.

Ariſt. l. 7. moral. — *Bonav. c. 2.* — *Tho. 1. 2. q. 68. art. 2. ad 3.*

XXX. Ita planè Dei inſtinctui hoc Franciſci factum attribuit Epiſcopus, qui dum cerneret, & admiraretur tam excellentem in viro Dei fervorem, protinus exſurrexit, & inter brachia ſua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius & bonus, pallio, quo erat amictus, operuit, præcipiens ſuis, ut aliquid ſibi darent ad membra corporis contegenda. Myſterioſè mundum fugiens, & Eccleſiæ futurus athleta, ipſius Eccleſiæ tamquam ſecuri aſyli, caris ulnis excipitur, nec abs re ſervus Regis Altiſſimi nudus relictus eſt, ut nudum ſequeretur Chriſtum Crucifixum Dominum, quem amabat. Ita verè ſequendus eſt Chriſtus: *Nudus crucem aſcendit*, inquit Ambroſius, *nudum ecce video. Talis ergo aſcendat, qui ſæculum vincere parat, ut ſæculi adjumenta non quærat. Victus eſt Adam, qui veſtimenta quæſivit, vicit ille qui veſtimenta depoſuit, & talis aſcendit, quales, auctore Deo, nos natura formavit. Qualis in Paradiſo homo primus habitaverat, talis ad Paradiſum homo ſecundus intravit*. Sed Adam, ut pius habet Thaulerus, *ob amiſſam innocentiam tegere ſe, & veſtibus operire feſtinavit; Chriſtus vero nudatus eſt, eo quod integram, & illæſam ſervarat innocentiæ puritatem, nec ullo ei alio tegmine opus erat*. Dum Franciſcus non tam innocens, quam vanus mundi oblectamentis adhæret, & interiùs habet quod contegat, variâ & multâ exteriori ſe veſte circumdat, & dum malis ſe purgat, & perfectâ innocentiæ ſpecie ſe cohoneſtat, non retinet unde ſe cooperiat. Apparet jam omnibus nudus, qui à nullo habet unde reprehendatur. Ita jam repentè perfectus Chriſti ſectator & diſcipulus evaſit, ut nudum omnino nihil jam terrenum à Chriſti contuitu, niſi ſolus carnis paries ſepararet. Non immeritò dixerunt Jacobus Genuen. & Petrus à Natalibus, exutis veſtibus, renunciatiſque penitùs mundi facultatibus, ſic nudum ad Dominum convolaſſe: nihil etenim jam erat terrenum, quo ad cœlum tendens deprimeretur.

Nudus recipitur brachiis Epiſcopi. — *Ambroſ. lib. 10. in c. 23. Lucæ.* — Myſterioſa Fráciſci nuditas. — *Thaul. cap. 33. exerc. vitæ Chriſti.* — *Vincent. Bellovacen. cit. c. 93.* — *Jacob. Genuen. Petrus à Natal.*

XXXI. Athleta nudus & expeditus ab omnibus in palæſtram deſcendit, ut nudus luctaretur cum nudo, nec haberet unde teneretur, nec ſuccumberet. Cui, partâ jam de mundo victoriâ, oblatus eſt mantellus pauper & vilis cujuſdam agricolæ ſervientis Epiſcopo; quem ipſe gratanter ſuſcipiens, eum cæmento, quod ſibi occurrit, ad modum crucis manu propria conſignavit, operimentum ex eo formans crucifixi hominis, & pauperis ſeminudi. Sic utique ſe totum cruce munivit, ut animam ſuam ligno ſalutis committens, per illud de mundi naufragio ſalvus exiret. Proceſſoſas mundi tempeſtates evadere cupiens, crucis habitu ſe circumdans, ſalutiferæ ſe ligavit arbori, per quam ad veræ patriæ portum incolumis perveniret. *Arbor enim quædam in navi eſt crux in Eccleſia, quæ inter totius ſæculi blanda & pernicioſa naufragia, incolumis ſola ſervatur. In hac ergo navi quiſquis arbori crucis ſe religaverit, dulces mundi procellas non timebit*. Felix qui ſecurus pervenit ad portum. Felix rerum mutatio, ut pro mundi exuviis Chriſti veſtiret triumphum.

Format ſibi veſtem in crucis formam. — *Sap. 10. 5.* — *Ambroſ. ſer. 52. tom. 5.*

XXXII. Circa annum, quo hæc facta ſunt, mirè diſcrepant Auctores, de-

Volater. lib. 21. Antrop. Helwic. in theatro hiſtor. Petr. à Natal. cit. Jacob. de Verag. in vita S. Franc. Gonzag. par. 1. chron.

Quo anno converſus Franciſcus.

Anton. 3. p. tit. 24. c. 7. Martin. an. 1206. Sedul. in notis ad vitam S. Franc. c. 2. Palmer. ann. 1206. Pineda ſupra cit. §. 3. num. 1. Bonav. c. 2.

decimum octavum tunc ſuæ ætatis annum egiſſe Franciſcum, ait Volaterrannus, quem ſequitur Chriſtophorus Helvicus. Circa annum vigeſimum id factum dicunt Petrus à Natalibus, & Jacobus de Voragine. Vigeſimum ſecundum enumerat Illuſtriſs. Gonzaga in ipſo limine ſuæ Hiſtoriæ Seraphicæ. Anno à Chriſti nativitate MCCV. qui Franciſci computandus eſt vigeſimus quartus, converſum putant alii. Sed omnibus verius annum computant Chriſti MCCVI. Antoninus, Martinus Polonus, Sedulius, Matthæus Palmerius, & Joannes Pineda cum aliis plerisque. Cum enim vigeſimo anno à mundi contemptu communiter referatur vitâ defunctus, obieritque anno MCCXXVI. conſequens videtur, ut converſus dicatur anno Chriſti MCCVI. & XXV. ſuæ ætatis, ſub quo ad meliorem frugem redactum communiter dicunt Hiſtorici. Nos verò jam ſupra ſtatuimus, natum fuiſſe anno MCLXXXII. ſubductis ergo calculis exactè, numerabitur ejus converſionis annus MCCVI. ſaltem inchoatus.

§. V.

Quam egerit vitam Franciſcus poſt primam converſionem, donec ordinem inſtituerit Minorum?

Latrones eum adoriuntur in ſilva.

I. SOLUTUS exinde mundi contemptor à vinculis mundanarum cupiditatum, civitate relictâ, ſecurus & liber ſecretum ſolitudinis petiit, ut ſolus & ſilens ſupernæ audiret allocutionis arcanum. Dumque per ſilvam quandam iter faciens, laudes Domino linguâ Francorum vir Dei decantaret cum jubilo, latrones ſuper eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo eum pauperculâ lacernâ ſpoliantibus, & quis eſſet interrogantibus, vir Dei confidentiâ plenus, propheticâ voce reſpondit: Præco ſum magni Regis. At illi percutientes eum, in defoſſum locum nivibus plenum projecerunt, dicentes: Jace ruſtice præco Dei. Quibus recedentibus, exilivit è fovea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori cœpit voce per nemora laudes Creatori omnium perſonare. Et veniens ad quoddam vicinum Cœnobium, eleemoſynam petiit ut mendicus, & recepit ut incognitus & deſpectus. Protraxit in eo aliquot diebus moras, ſerviens ſimpliciter ſolo contectus indufio, humilibus in culina deputatus obſequiis. At ſentiens ſe parum ibidem inter offas, & ollas in ſpiritu profeciſſe, nec à Monachis ad ſpiritualia excitari, ſed ad ſervilia mancipari, illinc, cœnobii incolis humanè ſalutatis, brevi receſſit.

Legen. Greg. IX. Marian. cit.

Servit in quodam monaſterio.

Veſtitur ab amico Engubino.

II. Inde verò progrediens, devenit Eugubium, ubi à quodam amico priſtino agnitus, & ſuſceptus, paupere tunicula, ut Chriſti pauperculus, eſt contectus, ad quod alludit reſponſorium quintum officii diei feſti: *Amicum*, inquit, *quærit priſtinum, qui ſpretum in cœnobio tuniculâ contexit.* Ab hoc amico habitum illum eremiticum, quo per biennium uſum fuiſſe communiter ſcribunt Auctores, prædictam pauperem tuniculam ad tibias prominentem, cinctorium, aut corrigiam, quo circumductam veſtem colligebat, calceos & baculum accepiſſe, ſentiunt Marcus Ulyſſiponenſis, Ludovicus Rebolledo, Antonius Daça, & ante hos vetuſtus Chronologus Alexander Aquilan. idque confirmatum iri videtur, ex eo quod ſanctus Bonaventura, & qui ſancti viri vitam accuratiùs primitùs ſcripſerunt, poſt acceptam hanc à præfato amico veſtem, nullius alterius aliunde aſſumptæ ante ſecundam converſionem meminerint.

Marc. lib. 1. c. 5. Reboll. c. 4. Daça opuſc. de monachatu Sancti Franciſci. Aquilan. in chronic. ms. Bonaven. c. 3.

Unde deſumpta occaſio monachatus Auguſtiniani S. Franciſci.

At eo ipſo quòd priores Scriptores ſilentio involverint, ubi eremiticum induerit habitum; vel id clariùs non expreſſerint, nec à viro Eugubino traditum apertiùs aſſeruerint, ſunt qui ſibi illud vindicent honoris, quod religioſâ eum inſignierint cucullâ, Auguſtinique teſſerâ & do-

doctrinâ decorarint. Aſſerunt habitum eremiticum, quem omnes biennio geſtaſſe admittunt, non Eremitæ liberi, neque Anachoretæ veſtem, ſed religioſi Auguſtiniani habitum fuiſſe; eoque donatum ſanctum virum à beato Joanne Bono Mantuano, in ejuſque manibus profeſſionem ſolemnem, aliorum Religioſorum more, emiſiſſe. Plures ſunt Auguſtiniani, qui ita hominibus perſuaſum volunt, quos nos referimus, & apertè refellimus peculiari de hac re diſſertatione huic tomo ad finem ſuffixa.

III. Eremiticâ, & decenti hac veſte donatus, ut ſapiens architectus, inquit Auctor compilationis Chronologicæ, cœpit pœnitentiam agere, & altum præſtruere humilitatis fundamentum, glorioſumque ſuperædificare Dei & proximorum caritatis domicilium. Mirâ ergo tenellum affligens corpus pœnitentiâ, totius humilitatis amator effectus, quam antea induit leproſorum commiſerationem continuo auxit obſequio. Demum ſe totum eis devovit, frequens in Xenodochiis inter eos caritativè hinc inde diſcurrebat, omnium compatiens doloroſis gemitibus, diligentiſſimeque omnium occurrens neceſſitatibus. Lavabat ipſorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem, & ſaniem abſtergebat. Oſculabatur etiam ex admiranda devotione ulceroſas plagas ipſorum Evangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam eſt à Domino conſecutus virtutem, ut in ſpiritualibus & corporalibus morbis mirabiliter expurgandis occultam efficaciam obtineret. Referam unum de multis quod accidit, ut viri Dei famâ poſtmodum latiùs clareſcente. Cum enim cujuſdam de comitatu Spoletano os pariter, & maxillam morbus quidam horribilis depaſcendo corroderet, nec ſubveniri poſſet eidem aliquo medicinæ remedio, contigit ut propter ſanctorum expoſcenda merita, Apoſtolorum viſitatis liminibus, de peregrinatione rediens, ſervo Dei occurreret. Cumque præ devotione vellet ipſius oſculari veſtigia, vir humilis hoc non ferens, oſculari volenti pedes, oſculum ori dedit. Dum autem leproſorum ſervus Franciſcus, mirabili pietate, illam plagam horribilem ore ſacro contingeret; omni fugato morbo, ſubitò æger ille ſanitatem recuperávit optatam. Neſcio quod horum magis ſit meritò admirandum; an humilitatis profunditas in oſculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam ſtupendo.

Compilat. Chron. ann. 1206.

Bonavent. c. 1.

Marc. c. 5.

Leproſis miniſtrat officiosè.

Oſculo leproſum ſanat.

IV. Manſit per aliquot dies Eugubii his pietatis addictus obſequiis, nec in patriam volebat reverti, tum ut patris furorem non reſuſcitaret, nec dolorem refricaret, qui eum uſque adeò perſecutus eſt, donec à patriæ finibus expulerat; tum quia nullus eum patriæ jam affectus tenuerat, qui patri & patriæ omnino renunciarat, nec jam hic *manentem Civitatem, ſed futuram*, juxta Apoſtoli ſenſum, *inquirebat*. Qui nullum jam patrem ſe habuiſſe dixit in terris, ſolum ſupremum illum agnoſcebat in cœlis, æternaſque jam appetebat manſiones, qui lares ſprevit omnino paternos. Peregrino in hoc mundo nulla ſingularis eſt patria, omne ſolum patria eſt tranſeunti ad cœleſtia; nec, ſi ab hac, vel illa expellatur regione, conturbatur; neque enim quod amittit terrenum, expendit, ſed quod ſperat cœleſte, conſiderat; quo in loco conſiſtat, non curat, qui proprium hic locum non cupit habere.

Moratur aliquibus diebus Eugubii.

Piſan. confor. 6.

Hebr. 13. 14.

V. At poſt aliquale tempus diuturno virtutis exercitio fundatus jam in Chriſti humilitate Franciſcus ad memoriam reducit obedientiam ſibi à Cruce injunctam de ſancti Damiani Eccleſia reparanda, & tamquam verus obediens Aſſiſium rediit, ut ſaltem mendicando voci divinæ pareret. Depoſitâque omni verecundiâ propter amorem pauperis Crucifixi, civitatem ingreſſus cœpit per plateas, apertiſque in foris, tamquam ebrius, Dominum collaudare. Ut laudationem divinam in præcipuis urbis compitis Aſſiſiatibus intimavit, cum magna humilitate & confidentia inter eos men-

Redit Aſſiſium.

Leg. trium ſocior.

Mendicat inter ſuos.

mendicare cœpit, inter quos abundare ſolebat. Simplici & ſincerâ mendicitate, abſque efficta ſimulatâve pietate, à mendicandis incepit lapidibus, ſimplici hoc uſus ſermone: Qui pro reparanda ſancti Damiani Eccleſia unum mihi dederit lapidem, unam habebit mercedem, qui autem duos, duas habebit; qui verò tres, totidem accipiet mercedes. Alia adnectebat his ſimilia verba, miro ſpiritus candore & ſanctâ ſimplicitate, propter quam quibuſdam habebatur in deriſum, aliis in contemptum. Alii ſtupebant ad tanti viri mutationem & dejectionem, inter ſe repetentes: Hic ne ille juventutis Aſſiſiæ flos? hic venuſtus ille adoleſcentum primas, & in juvenilibus ludis ſplendidus primicerius? Euſque ſe dejecit, ut apud ſuos nec velit abundare, nec tantam celare penuriam? Alii pietate ducti in lacrymas prorumpebant, ſeriò ſecum conſiderantes, quòd tanta mutatio fuerit dexteræ excelſi; nec aliunde quam à Deo proveniſſe tantum, tamque egregium ſui contemptum, ut rejectâ ſæculi laſciviâ, mundique ſpretâ vanitate, ſciens & volens gravem, ſed meritoriam ſubierit paupertatem.

Deriſus à concivibus non movetur.

VI. Ille autem hominum judicia nihili pendens, intrepidus in incepto pergit itinere, neque eum excitant, aut pungunt bonorum laudes, nec retardant malorum irriſiones. Licèt eum inſanire quidam male ſani, etiam ipſi inculcarent, & aliis injuriis contemptibiliter impeterent, invictus animo patienter pertranſibat, memor aliorum, qui in præclariſſimis operibus ſimilem paſſi ſunt contradictionem. Ipſum noſtrum Magiſtrum pro ſtulto reputatum recordabatur, illiuſque eſſe illas in ſacro eloquio voces ad Patrem: *Tu ſcis inſipientiam meam*. Et iterum. *Tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adjutor fortis. Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*. Quem in Evangelio ipſi propinqui, quaſi mentis inopem, ligare cupiebant, & adverſarii ſugillabant dicentes: *Dæmonium habes, & Samaritanus es*, &c. Simili opprobriorum genere affectus eſt David Propheta, dum audiit: *Quid venit inſanus iſte?* Et nobiliſſima illa matrona Romana Paula, dum Hieronymi ſe tradidit diſciplinæ, de qua ipſe refert. *Novi ſuſurronem quemdam, quod genus hominum pernicioſiſſimum eſt, quaſi benevolam nunciaſſe, quòd pro nimio fervore virtutum, quibuſdam videretur inſana, & cerebrum illius dicerent confovendum*; cui illa reſpondit: *Theatrum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum. Sed ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus*.

Pſal. 68. 6.
Pſal. 70. 7.
Pſal. 72. 22.
Marc. 3. 21.
Joan. 8. 48.
4. *Reg.* 9. 11.
Hieron. epiſt. 29. c. 7.
1. *Cor.* 4. 9.
Indid. 1. 25.

A piis viris honoratur.

Leg. trium ſocior.
Marian. c. 3.

VII. Ita multi pii viri contemplati ſunt in Franciſci factis & converſatione magnum ſpiritus fervorem, & quam alii vecordes in eo ineptiam irridebant, hi ſummam reputabant prudentiam. Potiori, veriorique horum opinione non parvam obtinuit vir ſanctus in populo reverentiam, ita ut qui prius ei inſultabant, ſui errati humiliter veniam petierint; & quem antea multo habebant deſpectui, mox ſummo proſequerentur affectu. Obvius ei factus Præfectus illius Cœnobii, in quo, ſupra diximus, ſanctum virum humiliter deſerviiſſe, ejus jam odoratus virtutes, dignâ omnium opinione celebratas, reverenter & ſuppliciter eum rogavit, ut ſibi, ſuiſque Monachis ignoſceret, quod minus humaniter, quàm debuerint, inter ſe degentem, ipſo ſui contemptu latentem, tractaverint. Ille etiam, qui adhuc juveni ſuum in plateis proſternebat palliolum, ubicumque ſancti viri facta laudari audierat, propter præmonſtratam à ſe ſanctitatem, veluti jactabundus addebat: ſæpiùs ego vobis prædixi hunc hominem magnum evaſurum; en ſanctitatis primitias; magna videbitis incrementa: ſtupenda & mirabilia per eum deinceps operaturus eſt Chriſtus.

Supra n. 1.

Marian. cit. §. 8.

VIII. Franciſcus autem conſtanter in reparanda prædicta Eccleſia inſu-

inſudavit, neceſſaria rudera, lapides, & ſi qua alia opus erant undique conquirendo, propriiſque humeris ad fabricæ locum deportando. Attritum jejuniis corpus aſſiduo dum attenuaret labore, ei Petrus Eccleſiæ ſacerdos valde compaſſus, ut multo onere defeſſum refocillaret, quos poterat meliores cibos ei conquirebat, & condiebat. Cogitavit etenim adoleſcentem lautioribus aſſuefactum, ultra communem, dutioremque cæmentariorum, aut mendicorum victum, potiori cibo eſſe reficiendum. At novus Dei athleta poſt aliquot dies Presbyteri humanitatem ſecum conſiderans, ad ſe ipſum converſus, ait: Invenies tu, quocumque ieris, hunc ſacerdotem, qui tantam tibi præſtet humanitatem? non eſt hæc vita pauperis, quam elegiſti. Modò ergo ſicut pauperem decet, vade, & porta in manu paropſidem, oſtiatimque emendicata pro amore Dei cibaria in ea coadunare non erubeſcas. Ita voluntariè te vivere oportet pro amore illius, qui pauper natus, pauperrimus in ſæculo vixit, nudus & pauper manſit in patibulo, ſepultuſque eſt in alieno ſepulcro. Sequenti igitur die accipiens paropſidem, civitatem ingreſſus præ foribus mendicabat, & quidquid varii generis eſcarum erogabatur, in ſcutula conglomerabat. Poſtea in aperto ſedens loco coram poſitâ ſcutrâ ad prandium ſe parat; ſed delicatulus olim, & lautis ferculis, dulciculiſque potionibus enutritus, ad primam buccellæ intinctionem in paropſide, parumper exhorruit, manumque retraxit. Sanctæ autem paupertatis incenſus affectu, ſemet acriter objurgans, animumque ſibi addens, manducare aggreſſus, tantam in his emendicatis fruſtulis, & conglomeratis eſculentis ſenſit voluptatem, ut nihil in ſæculo dulcius, ſuaviuſque aliquando ſe guſtaſse putaret. Ex hoc inopinato guſtu tantùm exultavit cor ejus in Domino, quòd caro ipſius, licèt debilis & attrita, corroboratam ſe ſenſerit ad quæcumque amara, & gravia pro Domino hilariter toleranda. Gratias deinde egit optimo hujus pauperis cibi Conditori, quòd amarum in dulce converterat, & quod antea horrebat, placere voluerit, & quòd ex tenui cibo eum multipliciter confortarit. Ad ſacerdotem ergo reverſus, eum rogavit, ut de ſuo victu nihil amplius curaret, dicens optimum ſe jam invenisſe œconomum, egregiumque ciborum conditorem.

Piſan. confor. 6.

Reparat Eccleſiam S. Damiani.

Refugit lautiores cibos.

Dulceſcit ei emendicatus cibus.

IX. Pater verò filium videns ad infimæ paupertatis ſtatum declinaſſe, populique imperiti contemptui ſemet expoſuiſſe, tactus dolore cordis intrinſecùs, quippe quihujuſmodi mutationem, carnis, non ſpiritus oculis intuebatur, ubicumque ei occurrebat, aliò declinabat, quia ad tantam in filio dejectionem verecundabatur; & repente obvio aliquando maledicebat. Sed ad declinandas feri patris diras execrationes egregium excogitavit Franciſcus remedium. Hominem quemdam pauperculum, & deſpectum in patrem ſibi adoptavit, & in comitem aſſumpſit, rogavitque, ut quoties à patre ſuo malediceretur, ille è regione ſibi benediceret, ſignoque crucis muniret. Dum ergo deinceps ei pater mala imprecaretur, pauper vero bona deprecaretur, ad patrem dicebat: crede pater, quòd Deus poteſt mihi dare, & dedit patrem, benedictiones pro tuis maledictionibus elargientem.

Marian. cit. §. 8.
Piſan. confor. 5.

Pio occurrit remedio maledictionibus paternis.

X. Perſecutiones has paternas ceteris dicebat amariores, quo enim quis tibi ſanguine, vel neceſſitudine propinquior, eò moleſtior ejus injuria. At nec ſolus ei pater moleſtus, verum & germanus frater Angelus, qui juvenili amentiâ ad fratris facta, mundanis peregrina & inuſitata, cachinnabatur & ridebat. Videns eum aliquando in Eccleſia orantem paupere illa eremitica veſte contectum, & præ nimio algore trementem, ſuggeſſit irriſoriè ſocio, ut ad Franciſcum accederet, rogaretque, ut aliquantulum ſudoris ſibi vendere vellet. Ridiculo internuncio ſapienter

Rodulph. lib. 2. hiſt. Seraph. fol. 174.
Reboll. 1. p. l. 2. c. 16.
Mar. cit. c. 5.

Irridenti fratri prudenter reſpōdet.

vir ſanctus reſpondit, ſe nolle hominibus ſuum vendere ſudorem; carius, inquit, illum Domino vendam.

Dediſcit verecundari coram mundanis.

Marian. cit.

Piſan. conſ. 6.

XI. Magna facta eſt ei ſchola virtutis ſuſceptus ille pro ædificanda Eccleſia labor; nam ſervili exercitio corpus laſciviens edomuit, frequenti in eandem ingreſſu crebrâ Deum ſalutabat oratione, & quotidianâ mendicitate multâ ſe ſuperabat victoriâ. Quotieſcumque etenim ad alicujus noti, vel amici occurſum mundano adhuc ſuffundebatur rubore, ſeipſum reprehendebat, magiſque dejiciebat, protinuſque profunda cum humilitate eleemoſynam ſibi fieri expoſcebat, ut humiliori officio omnem mentis tumorem reprimeret. Reparatâ verò prædictâ Eccleſiâ curabat, ut coram ſacra effigie Chriſti crucifixi, quæ eum allocuta eſt, lampades duæ ſemper arderent; ſed cum oleum mendicaret, evenit, ut quandam ingrederetur domum, ubi multi convenerant ad ludendum. Subitâ perculſus verecundiâ ad tot concivium conſpectum, pedem retraxit; deinde quid fecerit, foris expendens, carpſit ſe vehementer, regreſſuſque ad publicam ludi aulam, ſuam mentis infirmitatem omnibus detexit, culpamque confeſſus magno cum fervore & fiducia, Gallico idiomate, ad majorem ſui contemptum, eleemoſynam petivit, pro fovendis Eccleſiæ luminaribus.

Piſan. conſ. 18.

Prædicit illam Eccleſiam futuram Monialium habitaculum.

Tomo 2. ad ann. 1253.

XII. Ipſo primo ſuæ converſionis anno prædictæ Eccleſiæ opus abſolvit, in quo illud memoratu dignum, quod dum ſtructuræ præeſſet, prætereuntes rogaret, ut ſuum ei conferrent pro illa fabrica adjutorium, propheticè annuncians, quòd illa Eccleſia foret monaſterium dominarum pauperum, quarum famâ & vitâ per totum mundum glorificaretur Pater cœleſtis. Non obſcuram hujus propheticæ aſſertionis mentionem fecit moriens ipſa harum dominarum primiceria Clara in ſuo teſtamento, ut ſuo loco legenti clariùs conſtabit.

Reſtaurat Eccleſiam S. Petri.

Leg. Greg. IX.

XIII. Sartâ & tectâ hac ædiculâ, ne otio defflueret, aut corpus torperet ignavia, ad aliam longiùs à civitate diſtantem, divo Petro ſacram reſarciendam ſe præparavit, propter devotionem ſpecialem, quam ad Apoſtolorum Principem ſinceræ fidei puritate gerebat. Brevi hanc reſtauravit anno MCCVII. nam creſcente ejus bona opinione, creſcebat etiam erga eum populi devotio: & eò libentius, largiuſque ei omnes ſubveniebant, quò fidelius viderunt diſpenſatas in ſancto opere alias ſibi erogatas pecunias.

Et S. Mariæ Angelorum.

Gonzag. in prov. S. Franc. Conven. 1.

Unde dicta Portiuncula?

Bonavent. c. 2. Marian. & Marc. cit. Piſan. conſ. 18. Illeſ. hiſt. pont. lib. 5. c. 33. Rodulph. lib. 2. fol. 251.

Specul. c. 55. alias 82.

Anno 1210. n. 26.

Gonzag. cit.

XIV. Tertiam reſtaurare aggreſſus eſt Eccleſiam ad DC. P. ab urbe remotam in rure ſuburbano, eo loco, qui Portiuncula dicebatur, ſitam, B. Mariæ Angelorum nomine aliquando celebrem, tunc autem derelictam, vetuſtate fermè collapſam, paſtoribus tempore nivis & pluviarum excipiendis, ut habet Gonzaga, tantummodo deſervientem. Ipſe autem ſitus, non verò Eccleſia primitus Portiuncula vocabatur, propter paucos agellos, & aliquot jugera terræ, quæ veluti terræ Portiunculam in ampla illa campi planitie poſſidebant Patres Benedictini. Ita notavit Legenda Gregorii IX. indicatque Bonaventura, Marianus, Marcus, Gondiſalvus Illeſcas, &, ex Bartholomæo Piſano, alii. Sed ex vico pauperrimo prope exſtructo hoc aſciviſſe cognomen, voluit Rodulphus. Ipſam Eccleſiam antiquitus dictam eſſe Portiunculam dicit ſpeculum vitæ Franciſci, non verò tractum illum agri Aſſiſinatis, quo nomine præfiguratum vel prognoſticatum ait, quòd foret aliquando mater, caput, & portio pauperum Fratrum Minorum. Alii inditum hoc nomen volunt ab ipſo Patre Franciſco, poſtquam ædiculam ſibi ſuiſque conceſſit Benedictinorum Abbas, de quo inferius ſuo loco; quaſi vellet ipſa voce ſignificare, ſe nihil aliud deſideraſſe in terra, præter illam illius tractus portiunculam, & hæc ſola illius fuerit portio in terra viventium. Ita Gonzaga

cum

cum aliis, quos ego in Commentariis ad epiſt. 17. ſancti Patris num. 4. ut idem ſentirem, ſecutus ſum. Arridet autem Henrici Sedulii conjectura, qua putat veram eſſe primam Piſani opinionem; nomen verò Portiunculæ, ab ipſo tractu agri Aſſiſinatis tranſiſſe poſtea ad Eccleſiam, & monaſterium, quod demum invaluit inter fratres piâ illâ Franciſci interpretatione. Vocabatur præterea ſancta Maria de Angelis, ut notat Speculum, & Bonaventura, quia olim auditi ſunt in eo concentus angelici, confirmatumque verò poſtea hoc nomen, propter magnam ipſorum cum viro Dei, ejuſque diſcipulis familiaritatem; licet Gonzaga cum aliis dicat, quod & ego alias loco citato ſenſi, hoc agnomen *de Angelis* ei poſt incolatum Minorum acceſſiſſe.

Sedul. in c. 1. vitæ Franc. §. 7.

Unde dicta de Angelis.

Bonav. & ſpec. cit.

XV. Hanc porrò Eccleſiunculam, cum vir Dei ſic derelictam conſpiceret, ob devotionem ferventem, quam habebat ad Dominam mundi, cœpit ibi aſſiduè pro ipſius reparatione morari. Sentiens autem, juxta agnomen prædictum ipſius Eccleſiæ, Angelicarum viſitationum frequentiam, pedem fixit ibidem propter reverentiam Angelorum, amoremque præcipuum Matris Chriſti. Hunc locum vir ſanctus amavit præ cæteris mundi locis. Hîc etenim humiliter cœpit, hîc virtuosè profecit, hîc fœliciter conſummavit; hunc in morte fratribus, tanquam Virgini cariſſimum, commendavit. De hoc Frater quidam Deo devotus, ante converſionem ſuam, viſionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percuſſos, facie in cœlum directâ, & genibus flexis, in hujus Eccleſiæ ſtare circuitu; qui omnes protenſis manibus in altum lacrymabiliter clamabant ad Deum, miſericordiam poſtulantes & lumen. Et ecce ingens de cœlo ſplendor advenit, ſe per omnia diffundens, qui lumen unicuique tribuit, & ſalutem deſideratam conceſſit. Hic eſt locus, in quo Fratrum Minorum Ordo à S. Franciſco per divinæ revelationis inſtinctum inchoatus eſt. Divinæ namque providentiæ nutu, qua Chriſti ſervus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit Eccleſias, antequam Ordinem inchoans Evangelium prædicaret; ut non ſolum à ſenſibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad majora, ordinato progreſſu conſcenderet; verùm etiam, ut quid eſſet facturus in poſterum, ſenſibili foris opere myſterialiter præſignaret. Nam inſtar reparatæ triplicis fabricæ, ipſius ſancti viri ducatu, ſecundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Chriſti triformiter renovanda erat Eccleſia, trinaque triumphatura militia ſalvandorum, ſicut & nunc cernimus eſſe completum.

Moratur in hac Eccleſia.

Bonaven. cit.

Plurima hujus loci commendatio.

XVI. His virtutum operibus ſe Franciſcus hoc biennio exercuit, ad majora quotidie aſpirans de virtute in virtutem aſcendit, & multis pœnitentiæ ictibus, crebriſque rigidioris diſciplinæ dolabellis ſcalptus & dolatus, magnus hic lapis in ſancto Eccleſiæ ædificio coaptandus evaſit. Duos duntaxat annos in habitu, victuque eremitico conſumpſiſſe communior, veriorque eſt ſententia Piſani, Marci Ulyſſiponenſis, Sedulii, aliorumque plurimorum; non vero quadriennium, ut perperam abſque ullo fundamento aſſeruit Volaterranus, cui ſolum adſtipulatur Aſturicenſe Breviarium apud ipſos Aſtures impreſſum anno Domini MDLX. ſub ejus Eccleſiæ Epiſcopo D. Didaco Sarmiento de Sotomajor, in officio B. Franciſci, lect. 4. Neque triennium ut inſinuare videtur, ſui immemor, Antoninus, dum primò converſum ait anno MCCVI. ſecundò verò anno MCCIX. Paulò autem ſuperiùs dixit, per duos tantùm annos habitum geſtaſſe eremiticum: ſi ergo anno MCCVI. ſecundum communiorem, & veriorem ſententiam domui abdicavit paternæ, & eremiticam induit veſtem, eamque ſecundum ipſum Antoninum duobus tantùm annis geſſit, non anno MCCIX. ſed MCCVIII. dicendus eſt eam religioſo, licèt pauperculo, quem ſuis ſectatoribus præſcripſit, habitu commutaſſe,

Quando ſecundo converſus Franciſcus.

Piſan. conf. 8.
Marc. c. 7.
Sedul. in princ.
Volater. lib. 21.
Aſtrop. tit. Franciſc.
Breviar. Aſtur.

Antonin. tit. 24. cap. 7. in princ.

Ita ſentit Marcus Ulyſſiponenſis Auctor Chronicorum antiquorum noſtri Ordinis, quæ in pergamen. MSS. mihi miniſtrata ſunt ex noſtra Bibliotheca Aracælitana. Nauclerus volum.2. generat.41. Chriſtophorus Helvicus in ſuo Theatro hiſtorico, & ipſa temporum ſupputatio id abundè confirmat; nam, ut ſupra non ſemel inculcavi, mortuum referunt omnes *Anton. cit. §. 6.* anno MCCXXVI. & Antoninus diſceſſiſſe tradit à ſecunda ſua converſione anno XVIII. ſed cum eodem menſe, quo ſecundò & perfectè converſus dicitur, etiam obierit, ad integrandum numerum octodecim annorum, poſteriorem hanc converſionem rectiùs computabimus anno MCCVIII.

XVII. Ab hoc ergo anno Annaliſtarum more ordiemur, proſequemurque ſingula Franciſcanorum facta per ſingulos annos diſtribuentes. Nec enim huc uſque licuit annorum ſequi ſeriem, cum difficillimum ſit, *Prov. 30. v.19.* ex ſapientiſſimi Vatis ſententia, diſtinguere aut ſcire *viam viri in adoleſcentia*; nec uſque ad XXV. & XXVI. annum plenè & diſtinctè conſtare potuerit, quid quoque anno egerit Franciſcus. Jam Franciſcani Inſtituti limen ſalutamus, in quo veneramur plenam & perfectam hanc Franciſci converſionem, & ſacram teſſeram, qua ad Evangelicum præſcriptum & ſe veſtivit, & nos exornavit. Eandem contexemus ſeriem ex Chriſti, Pontificum, Imperatorum Romanorum, & Minoriticæ Religionis Chronologia, quàm ad ſingulos annos noſtræ præfigemus narrationi.



AN-

ANNALES MINORUM.

ARGUMENTUM.

Franciſcus, audita ſacri codicis lectione, perfectè convertitur ad Chriſtum, paupertatem amplectitur Evangelicam, pauperculam veſtem ſibi obducit, cujus forma & figura latius deſcribitur. Homines invitat vir Dei ad pœnitentiam, pacem prædicat ubique, & paſſionis Dominicæ renovat memoriam.

I. ANTE omnia ad ſtabiliendum dicendorum ordinem, Pontificiorum, & Imperatoriorum annorum ſeriem clariùs aperire, & breviter ſtatuere, operæ pretium judicamus; ut ex hoc uno loco quam numerandi ſupputationem in ſequentibus obſervamus, liceat apprehendere. Innocentium III. Anagninum, antea Joannem Lotharium, Hernicorum nobili Comitum Signiæ genere in Campania natum, anno Chriſti MCXCVIII. creatum Pontificem volunt communiter Chronologi, Onuphrius, Ciacconius, Bellarminus, Palmerius, & alii, à quo ſi incipias, hunc Chriſti annum, Pontificis Innocentii computabis undecimum; licet Palmerius cum paucis cenſeat decimum, ea, ut arbitror, ratione, quia ipſum creationis annum ceteris non connumerat. Otto autem IV. Dux Saxonum, licèt in ſchiſmate Aquiſgrani eligeretur anno MCXCIX. contra Philippum Ducem Svevorum, & ab Innocentio confirmaretur, in Germania tamen Philippus obtinuit; unde donec, occiſo Philippo à Palatino Comite anno MCCVIII. Otto communi conſenſu electus ſolus regnare cœpit, ejus imperii annos communiter Hiſtorici non recenſent. Primum ergo hunc ejus imperii, propter communem electionem nos ſupputamus, licet ſequenti fuerit ab Innocentio ſolemniter coronatus. Deinde Religionis Minorum primum computamus propter rationes ſtatim aſſignandas. A ſtatutis his annorum ſupputationibus Pontificum, & Imperatorum Chronologiam per totam hanc hiſtoriam proſequemur, per quam ampliſſimi hujus Sodalitii geſta, eâ, qua licebit temporum obſervatione, dividemus.

Atque ut à novo Franciſci vitæ genere, admirabilique converſione enarrandis exordiamur; ut vir Seraphicus tertiam ſacratiſſimæ Virginis *Joan. 1, 14.*
ædem

ędem refecit, in ea devotè ſanctas protrahebat in divinis excubiis moras, in quibus apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratiæ, & veritatis, continuis inſiſtens gemitibus, ut fieri dignaretur advocata ipſius, meritis matris miſericordiæ concepit, ac peperit ſpiritum Evangelicæ converſationis. Dum enim in die quodam feſtivo ad ejus hortatum & preces, ut adnotavit Marianus, Petrus ſacerdos ille, quem ſuperius diximus præfectum Eccleſiæ S. Damiani, ſacrum celebraret in prædicta Virginis ædicula, illudque recitaret Evangelium, in quo Chriſtus Dominus diſcipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Evangelicam vivendi, ne videlicet *poſſiderent aurum, aut argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via; nec duas tunicas haberent, nec calceamenta deferrent, neque virgam*, attentiùs inſtructionem hanc audivit vir Dei, expletiſque ſacris myſteriis, clariùs ſibi intimari, & explicari rogavit à ſacerdote. Quorum perfectum, & litteralem ſenſum, ut pleniùs apprehendit, memoriæque commendans ſecum rumınavit, apoſtolicæ paupertatis amicus, indicibili mox perfuſus eſt lætitia, & hoc eſt, inquit, quod cupio, hoc quod totis præcordiis concupiſco.

Marian. cit. §. 10. *In apparatu §. 5. n. 8.* *Matth. 10. 10.*

Paupertatē amplectitur Evangelicam Franciſcus.

II. Diem, quo per Evangelium hoc apoſtolicam aure accepit, & cordi altiùs impreſſit diſciplinam, ſingulariter adnotavit Marcus Ulyſſiponenſis fuiſſe Evangeliſtæ Lucæ ſacrum. At ego judicarim Evangelici textus ſimilitudinem fefelliſſe candidum hunc Chronologum. Etenim licèt ex cap. 10. Lucæ in ejus die feſto recitetur forma vivendi præſcripta ſeptuaginta duobus diſcipulis, in ea tamen non prohibentur neque aurum, neque argentum, neque pecunia in zonis, neque duplicitas tunicarum, neque virga, quæ tamen Apoſtolis ad prædicandum miſſis Chriſtus indixit, Lucæ 9. Matth. 10. & Marci 6. Cum verò hæc omnia rejecerit Franciſcus, ut ſtatim dicemus, ex ſola Evangelica inſtructione in ſacris myſteriis percepta, ſingulorumque expreſsè mentionem factam in illius diei Evangelio dicant Bonaventura, Marianus, & alii; imò & de Apoſtolis Miſſam aſſerat Bonaventura celebratam, tam facilè colligere licet, non Divi Lucæ feſto hoc eveniſſe, quàm difficile ſcire quo certò die contigerit. Nec enim in ulla Apoſtolorum feſtivitate Evangelium, in quo omnia hæc interdicantur, cantatur, nec per annum recitatur, præterquam ex Lucæ 9. in feria quinta poſt Pentecoſten. Illud eſt refugij, quod forſan eâ ætate ab hac noſtra aliqua fuerit rituum diverſitas, nec iidem Evangelici textus; qui modo leguntur feſtivis Apoſtolorum natalitiis, tunc undequaque recitabantur. Unde forſitan in aliqua Apoſtolorum ſolemnitate; vel votiva miſſa, aut in die B. Lucæ, quem ex aliquo vetuſto codice credibile eſt ſignanter Marcum adnotaſſe, aliud tunc cantabatur Evangelium, in quo ſupradicta exprimebantur.

Marc. cit. c. 7.

Quo die vitam ſubiit Evangelicam:

Bonav. c. 3. legen.

III. Quiſquis ille fuerit dies, ſtatim Franciſcus executioni auditæ lectionis ſe parat, reſque neceſſarias, quæ ſatis paucæ erant, conquirit. Neque enim aderant in ipſa Eccleſia (in qua quidam nimis celeres hujus rei executores ſtatim, peractâ re ſacrâ, factam veſtium mutationem volunt) quæ ad novum requirebantur habitum; quamvis propriè dixerim novitatem aſſumendæ veſtis plus conſtitiſſe in ejectione, vel expoliatione veteris, quam in ſuperinductione novitiæ. Abjiciendæ res, non aſſumendæ erant juxta Evangelii tenorem, qui non habenda præſcripſit, ſed deponenda ſignavit. Obſequentiſſimum ſe, quam primùm licuit, Chriſti verbis hic magnus diſcipulus oſtendit; nam calceamenta ſolvit de pedibus, depoſuit baculum (quem contra omnium Scriptorum teſtimonium

Bonaven. cap. 3. *Marian. & Marcus cit.*

nium in hac converſione, & poſt ſemper retinuiſſe aſſeruit Hieronymus Romanus, eo, quo alias dixeram, fine) peram rejecit, pecuniam execratus, unâque contentus tunica, rejectâ corrigiâ, pro cingulo funem ſumpſit, omnem ſolicitudinem cordis apponens qualiter audita perficiat, & Apoſtolicæ rectitudinis regulæ per omnia ſe coaptet.

Roman. lib. 6. Reipub. Chriſt. cap. 14. In Apolog. de prætenſo monach. S. Franciſci. Vincent. & Marian. cit. Antonin.

IV. Illud præ cœteris advertunt Vincentius, Marianus, & Antoninus, non contentum virum ſanctum primæ tunicæ eremiticæ forma, ſed aliam ſibi conſuiſſe valde contemptibilem & incultam, quam paſtoritiam dixerat Volaterranus, & Petrus Galeſinius hunc ſecutus, ea dumtaxat crediderim ratione, ut etiam adnotavit Joannes Marquez ſæpius citatus; quia tunica erat rudis & hiſpida, capitiumque ad ſcapulas pendebat acuminatum: eo more, quo exterius tegumentum gerunt paſtores ad arcendas cœli inclementias, capitiſque illud largius ampliuſque obtegumentum ad veſtem conſutum habent, quo à ſuperveniente nimbo, aut nive defendantur. Quo habitus genere deinceps per totam vitam uſus eſt vir Dei, eâ ſolum admiſsâ non magnâ differentiâ, ut aliquando parumper longiorem, largioremque, ſecundum offerentium liberalitatem, vel tenuitatem, pannique menſuram portaret, & capitium aliquando magis vel minus pyramidale, aut acuminatum adſueret.

Volater. cit. Galeſ. c. 9. in vita S. Bonav. Marq. c. 4. §. 10. & 13. §. 18.

Qualis habitus Franciſci.

V. Id porrò conſtat ipſo, quos geſſit, habituum conſpectu, eteuim, ut ego vidi, & ante me adnotavit Sedulius, Aſſiſii in æde S. Georgii, quæ Monialium eſt ſanctæ Claræ, aſſervatur tunica ſancti Viri, & capitium quadratâ prope formâ parumper acuminatum. Ejuſdem formæ, alius eſt habitus in monte Alvernæ; itemque alter Florentiæ in Hetruria, quem ferebat quando ſuorum vulnerum numero, formâ, & dolore eum Chriſtus tam dignanter, quàm mirabiliter affecit. Hunc poſteriorem maxima habent in veneratione Sereniſſimi Hetruriæ Duces, chriſtallinâque obſervant in arca pluribus feris obſirmata. A qua extrahi multâ meruit prece præſentibus ipſis Sereniſſimis Ducibus, & integra Principum progenie, magno apparatu luminarium, dignâque veneratione R. P. Antonius Daça anno Chriſti MDCXXI. quando Commiſſarius Romanæ Curiæ deſtinatus eſt in Urbem. Vidit ad ſatietatem, & adnotavit qua potuit curioſitate explicati & tenſi in ſubſtrato oſtro, colorem, formam, & qualitatem, menſuſque eſt longitudinem, ex qua tamen perfectè conſtare non potuit, quod vir hic pius, curioſuſque deſideravit, quænam eſſet Franciſci ſtatura; dum refectis ob devotionem multorum Principum illac tranſeuntium, datiſque pro magno munere in venerandas reliquias tunicæ fimbriis, ad tantam redacta eſt brevitatem, ut nec ad genua mediocris ſtaturæ hominis perveniat. Color perfectè cinereus, qualitas ſagi vilis, nec tamen rudiſſimi, Hiſpani *Sayal* vocant, Itali *Panno rigato*. Strictioris obſervantiæ, & Provinciæ citerioris, ſeu Tarraconenſis Hiſpaniæ, Patres aſperiorem geſtant eâ, quam habui præ manibus, particulâ: ſtrictus nimis non eſt, nec pannoſus valde, aut præſegmina habet alterius panni, niſi ad imam lævam manicam, uno quo reſarciri indiguit loco. Lætatus ſum tam vaſtis ſæculis adhuc in plurimis Provinciis non tam ſuperare, quam ſuperari ſanctiſſimi Inſtitutoris, ſaltem in exteriori veſte, aſperitatem, conſciſſæque & laceræ undique reſarcitæ tunicæ in filiis augeri vilitatem. Forma paterni illius habitus ipſa eſt, quam in ſuo geſtant filii: manicas habet à cubito ad corpus laxiores, quam patiantur ſtrictioris hodiernæ obſervantiæ leges. In eo à communi Minorum obtegumento differt, quod capitium habeat quadratum abſque orbiculari illa parte

ad pectus pendente, & ſine rotundo, aut pleno illo capitis obvelamento, modo omnibus à Bonaventuræ tempore, ut ſuo loco dicam, conſuetudinario. Quadraturam hanc ita explicem, ut ſi ab habitu diſſuas capitium, & ſemel plices, vel latera jungas, duangulum efficiat inferius, alterum ſuperius; ſed hujus duanguli à parte poſteriori angulus acutior eſt, vel acumen majus aut prominentius.

Anno 1260.

Forma capitii S. Franciſci.

VI. Religioſiſsimi Patres Congregationis Capuccinorum plus ceteris ad hanc formam accedunt, ſi non excedunt; nec enim tam oblongum & acuminatum, ut illi ad ſcapulas demittunt, facilè judicaverim ſanctum Patrem geſtaſſe. Imagines certè antiquæ, quæ ſtatim à Franciſci obitu depictæ ſunt in multis Cœnobiis Hetruriæ, & Umbriæ, non valde prominuiſſe retro acumen capitii apertè probant. Verum eſt in abſidis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Majoris, & Lateranenſis demitti ad infimas uſque ſcapulas, in imaginibus ſanctorum Franciſci, & Antonii opere Muſivo expreſſis in Lateranenſi curâ Nicolai IV. in altera verò S. Mariæ ejuſdem & Jacobi Columnæ Cardinalis ad exitum deductis anno MCCVC. opifice Jacobo Torriti, ut in abſidæ angulo dextro habetur. Sed jam iſthoc tempore non parum laxior, & amplior evaſit noſtri habitus menſura; neque id mirum, ſi, adhuc ipſo vivente S. Franciſco, & coram agente, Elias & alii, de quibus non ſemel conqueſtus eſt ſanctus Pater, fimbrias dilatarunt, & menſuram à Franciſco ſtatutam tranſilierunt, ut expreſſe etiam in capitio longiori feciſſe Eliam, Franciſco apud Ægyptios agente, ſcribit Marianus: quod & in his ipſis vermiculati operis imaginibus planè probatur. Nam & adeò longum præferunt effigiati ſancti habitum, ut etiam ſubcinctus & colligatus ſupra cingulum, juſtam excedat, vel exæquet longitudinem veſtis, quam Franciſcus geſtabat, quamque illius menſuræ fuiſſe ſcribunt antiqui noſtri Legendarii, & ex his Rodulphus, ut ſubcincta abſque ulla hujuſmodi ſupra cordam collectione terram non tangeret. Diffluentibus autem fimbriis, quæ præcinctæ, vel correptæ in his conſpiciuntur effigiebus, ad unum vel alterum palmum per terram trahi oporteret. Si ergo adeò dilatatæ fimbriæ laxiori hujus temporis diſciplinâ, quid mirum ſi & excreverit capitii acumen, & forma alia aliquantulum evaſerit? Antiqui ſanè rerum noſtrarum Scriptores illius volunt capacitatis, aut longitudinis fuiſſe capitium, ut ex relatu trium ejus ſociorum ad ſancti viri conſilium, faciem cooperire poſſet, quo tamquam clypeo à malis incurſibus, periculoſiſque mundi ſpectaculis liberari faciliùs poſſent, qui ſuis oculis timent.

Rodulph. fol. 6.

Vide anno 1220. num. 20.

Marian. cap. 27.

Deſcriptio totius veſtis ſancti viri.

Legen. antiq. Rodulph. fol. 6.

VII. Totius verò Franciſci veſtis menſuram & qualitatem, ita Legenda antiqua, & ex hac Rodulphus citatus ita deſcribit: Tunica B. Franciſci fuit pallentis & cinerei coloris, qualem fuiſſe tunicam inconſutilem Chriſti quidam affirmant. Fuit quoque cruciformis, cujus longitudo terram non attingebat, latitudo verò manicarum ad extremos digitorum articulos perveniebat. Fuit ei veſtis unica, atque abjecta & ad pedes defluens. Nec turpe ducebat eam ferre, quamquam ei Principes conveniendi forent. Hac utebatur, ſive vis frigoris & hyemis inſtaret, ſive ardor æſtatis. Capitium quoque quadratum detulit, tantæ quidem longitudinis, quod faciem operiret, qualem habitum deferre conſueverunt agreſtes homines illius regionis, de quo quidam Vates aptè admodum, & eleganter cecinit carmine.

Franciſ. Maurus lib. 5. Franciſc. in princip.

Franciſcus verò donum lætabile agreſtis
Accipit, & formâ quam primum inſignit amatâ.

Texta

Digitized by Google

Texta crucis, conſuta de hinc ſimul aptat habenda
Tegmina dura ſibi.

Unde menſura ſui habitus latitudinem, longitudinem, qualitatem, deſpectionem & colorem verbo ſimul, & exemplo docuit, ſicut ſocii ejus ab eo accepiſſe teſtantur, quibus perſæpe dicebat.

Præterea mollis pretioſa licentia veſtit — Idem lib. 7.
Sit procul.

Tantæ latitudinis erat veſtis, quod ſubcincta abſque omni collectione ſupra cingulum terram non tangeret. Longitudo vero manicarum non excedebat, ut diximus, extremos digitorum articulos, unde totus habitus formam crucis inſigni quodam myſterio repræſentabat, & omnis mundanæ gloriæ, & ornatus contemptum, alta quadam deſpectione oſtendebat, ut eſſet dumtaxat nuditatis operimentum, neceſſitatis fomentum, veræ humilitatis indicium, & improperii crucis Chriſti Jeſu, quæ ſemper fixa erat in animo, ſingulare contra hoſtes remedium. Nam vir ſanctus virtute indutus ex alto plus interius, quam exterius igne calebat, & proinde eligens ſanctam paupertatem pro ſua domina, pro ſuis deliciis, & divitiis execrabatur multitudinem & mollitiem tunicarum; atque etiam tunicam ſuam aliquando ſacco conſuens aſpero, eos inſigni hoc exemplo redarguebat, quos humanis deliciis nimium intentos paulatim declinare conſpiciebat. Fatentur frater Leo, Bernardus, Ægidius, & Maſſæus ſocii B. Franciſci formam habitus accepiſſe à B. Patre Franciſco, quo & ipſi utebantur, ut pleriſque in locis hodie quoque tam perſpicue cernitur, ut negari non poſſit.

VIII. Addo aliam, ſeu ferme eandem deſcriptionem ex vetuſto ante tercentum annos auctore B. videlicet Angelo Clareno, cujus hæc in fine chronicorum ſeu operis de ſeptem tribulationibus ordinis, ab eo ſcripti & apud me MS. narratio: *Quoad materiam docuit S. Franciſcus, quod eſſet de panno vili, & coloris cinericii, vel pallidi, corporis Chriſti mortificationem repræſentantis: etiam talis groſſitiei, quod corpus foveret, & poſſet fratri ſano una tunica ſufficere, intus & foris repeciata. Tantæ longitudinis, quod ſuccincta abſque omni collectione ſupra cingulum terram non tangeret. Longitudo manicarum uſque ad extremitates digitorum perveniret, ita quod manus operiret, & longitudinem manuum non excederet; latitudo manicarum eſſet tanta, quod manus libere exire poſſent & intrare. Caputium quadrum, & tantæ longitudinis, quod faciem operiret.* Ita quod habitus crucis formam repræſentaret, & omnis mundanæ gloriæ, & ornatus contemptum ſua vilitate prædicaret, & Fratrem Minorem mundo crucifixum, & mortuum oſtenderet, & eſſet nuditatis operimentum, & neceſſitatis amatorum paupertatis fomentum, & profeſſorum humilitatis ſignum, & portationis improperii crucis Chriſti verum indicium. — B. Angelus Claren. in fine tribulat. 7.

IX. Hanc autem habitus, vel vitæ formam à nullo accepit, ut largiùs aliàs oſtendi, quàm ab ipſo Chriſto, cujus Evangelio obedivit. Id ipſe clariùs teſtatus eſt moriens, dum dixit: *Ipſe Dominus revelavit mihi, quod deberem vivere ſecundum formam ſancti Evangelii*. Quare non impropriè cum Paulo dixiſſet: Hoc noſtrum inſtitutum *non eſt ſecundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*. An non ex revelatione Chriſti prodiit hæc vita, cujus leges ex Chriſti tranſcriptæ ſunt Evangelio? An non Chriſti hoc magiſterium, dum nihil humanæ diſciplinæ in hujus ſodalitii regula, ſed totum emanavit ex Chriſti dictamine? An non Chriſti hæc militia, cujus teſſeram vel — In Apolog. de monach. S. Franc. — ad Gal. 1. 11.

vel ipſæ veſtes oſtentant? Crucis Chriſti paupercula, quam nobis præſcripſit, tunica typum habet, *ut ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum, ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* Cinereum etiam habet eundem cum Chriſti tunica colorem, ut perpetuæ philoſophiæ, & perenni mortis meditationi vacemus. Funis, quo cingimur, nos commonefacit vinculorum, quæ nobis injecere noſtra peccata; quibus ſolvendis ipſe filius Dei funibus, & catenis vinctus fuit. Pedes deteximus, ut Deo affectus aperiamus, nec malas foveamus ſub pectore concupiſcentias, qui animalium mortuorum tergoribus pedes renuimus operire.

Myſtica ſignificatio veſtis Franciſcanæ.

2. Cor. 4. 10.

X. Tam felici rerum principio cœpit vir Dei divino inſtinctu Evangelicæ perfectionis æmulator exiſtere, & ad pœnitentiam cæteros invitare. Erant autem ipſius eloquia non inania, nec riſu digna, ſed virtute Spiritus ſancti plena, medullas cordis penetrantia, ut in vehementem ſtuporem audientes converterent. In omni prædicatione ſua pacem annuncians dicendo: *Dominus det vobis pacem*, populum in ſermonis exordio ſalutabat. Hanc quippe ſalutationem, Domino revelante, didicerat, ſicut ipſe poſtmodum teſtabatur. Unde factum eſt, ut juxta ſermonem propheticum, & ipſe prophetarum Spiritu afflatus annunciaret pacem, prædicaret ſalutem, ac ſalutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui diſcordes à Chriſto, prius extiterant à ſalute longinqui.

Prædicat Franciſcus pœnitentiam.

Bonav. cit.

Iſai. 52. 7.

XI. Adeò perfectè Angeli pacis cœpit officium exercere, ut devotus quidam vir (quod cum tribus viri ſancti ſociis tamquam myſterioſum, adnotavit Marianus) qui eoùſque omnibus ſibi occurrentibus, & publicè in plateis hæc verba repetebat: Pax & bonum, Pax & bonum: apparente Franciſco omnino tacuerit, nec amplius in populo apparuerit. Quo ſignificatum volunt, quod vel Franciſcus perfectè pacem ſpiritualem ſuæ obduxerit patriæ, vel ipſe fuerit, quem pius ille præco ſuperventurum prædictis verbis vaticinabatur, quaſi ad Franciſci adventum, & pax & bonum oritura fuerint in poulo.

Marian. cit.

XII. Ad novum hoc vitæ inſtitutum altiùs impreſſit menti Dominicæ paſſionis memoriam, quam aſſiduè deflebat; & ſi quandoque in ſolitaria ſecedebat loca, cuncta replebat gemitibus & ſingultibus, magno Chriſtum propter ſe paſſum deplorans ejulatu. Ponè Eccleſiam Portiunculæ, dum ſemel in hujuſmodi planctus erumperet, quidam pertranſiens ſpiritualis amicus ad ejulatus acceſſit, & dum Franciſcum eſſe comperiit, totumque in lacrymas abiiſſe conſpexit, virilis animi, & verecundiæ eum admonuit, indignum judicans, ut homo provectus ita fleret ejulabundus. Cui Franciſcus: Paſſionem Chriſti mei defleo, pro qua non deberem verecundari alta voce per totum orbem lacrymari.

Piſan. conf. 12. Bern. Senen. t. 2. ſer. 60. a. 2. c. 2.

Deflet Chriſti paſſionem.

XIII. Hoc modo reſiduum illius anni percurrit vir ſanctus omnibus factus omnimodæ virtutis exemplar. Et licet hoc anno diſcipulos non habuerit, ſine quibus non poteſt dici inſtituta Religio, aliquale ei dedit initium, dum habitum, quem ſuis præſcripſit, jam ordinavit & aſſumpſit, & regulam conſcribendam jam ſua vita præoſtendit. Hac, quantum colligo, ratione, hoc anno incepiſſe Minorum Religionem plures ferunt Auctores, Chriſtophorus Helvicus in ſuo Theatro hiſtorico, Nauclerus volum. 2. generat. 41. Marc. Ulyſſiponenſis citatus & alii, & Antoninus cap. 7. in princ. ait quod eo tempore, quo Franciſcus duplicia depoſuit, ſecundum veriorem opinionem, in lapide iſto fundamentali Ordo Fratrum

trum Minorum initium & fundamentum accepit; cui eiſdem verbis ſubſcribunt Marianus, & Auctor chronicorum viginti quatuor generalium. Non ergo abſque omni prorſus fundamento primum hunc ſtatuimus hujus religionis annum, à quo omnem deinceps Franciſcanorum Chronologiam proſequemur.

ARGUMENTUM.

Adhærent ei tres viri perfecti, cum quibus habitans in derelicto tuguriolo, prædicaturus pergit in Æmiliam, & Marchiam Anconitanam. Regreſſus Aſſiſium plures admittit in ſodalitium, quos multis inſtruit diſciplinis. Deducit eos in vallem Reatinam, ubi condonatis ei priſtinis reatibus, revelantur futura Ordinis incrementa.

I. INNOTESCENTE porrò apud multos viri Dei tam doctrinæ ſimplicis veritate, quam vitæ, cœperunt ipſius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem rejectis omnibus habitu, vitaque conjungi; quorum primus extitit vir venerabilis Bernardus, qui vocationis divinæ particeps factus, beati Patris primogenitus eſſe meruit, tam prioritate temporis, quam privilegio ſanctitatis. Ejus converſionem diſertis verbis recenſet Antoninus citatus: *Fuit*, inquit, *vir venerabilis de nobilioribus, prudentioribus, & ditioribus civitatis Aſſiſii, cujus conſilio tota illa civitas regebatur*. Cui accinit Franciſcus Maurus etiam nominis mutationem ita indicans:

Converſio beati Bernardi à Quinta valle.

Inter primores fama notiſſimus urbe
Civis erat tota: genitor quem protinus ortum
(Franciſci primus quoniam florentibus agris
Vernaturus erat) perflatus numinis aura
Pectora vaticini, Vernardum dixerat olim.
At plebs Romanæ nimium tunc æmula linguæ
Turbavit vocem, Grajoque cacumine dempto,
Inſervit latium, primiſque aſſuevit ab annis
Surgentem puerum Bernardum dicere: donec
Paulatim nomen tota noteſceret urbe.
Hic validos artus jam firmus robore & ævo,
Connubiique expers, omnemque exoſus ab annis
Primævis venerem; quamvis ditiſſimus agri,
Atque Subaſigenum fortunatiſſimus eſſet,
Conſilio gravis, & lingua dictiſque diſertus;
Audierat vulgi plauſus voceſque ſonantis:
Audierat monitus, divinaque juſſa canentem
Franciſcum: attonituſque animo ſpectaverat illum,
Admirans oculis ignem, lucemque coruſcam
Afflatam, & toto fulgorem abſiſtere ab ore.

Maurus lib. 5. Franciſciad. ad med.

II. Hic prudenter conſiderans in B. Franciſco tantum mundi contemptum divino inſtinctu ipſum ad ſecum cœnandum, & dormiendum devote invitavit, ut ejus ſanctitatem, vel fatuitatem meliùs explorare valeret. Et cum poſt cœnam lectos, quos pro ſe, & B. Franciſco præparari fecerat, ambo conſcendiſſent, dominus Bernardus fortiter ſtertendo, finxit ſe profundiſſimè dormire. Tunc ſanctus Franciſcus & men-

Explorat Franciſci ſanctitatem.

te & vultu in Deum intendens, elevatis manibus totus ignitus cum indicibilibus lacrymis, & devota moroſitate hæc verba replicabat: *Deus meus, & omnia: Deus meus, & omnia.*

Rodulph. lib. 1. fol. 58.

Franciſcus donatur ſpiritu prophetico.

III. Per totam noctem hoc proſecutum breviuſculum & compendioſum alloquium, addidit Marianus, & extra lectum in pavimento poſitum, nihil aliud in tam longa meditatione dixiſſe. Recogitabat, inquit, vir devotus & humilis qualiter divina ſapientia per ipſum idiotam & ſimplicem tam ardua pro mundi renovatione, & hominum ſalute facere diſponebat. Spiritu enim prophetico (quo ſtatim ad perfectam hanc converſionem donatum ajunt etiam Jacobus à Voragine, & Petrus à Natalibus) illuſtratus prævidendo magnalia, quæ per ipſum & Ordinem ſuum erat Deus facturus, &, eodem docente ſpiritu, de ſe humiliter ſentiens ſuam inſufficientiam conſiderabat, & pravitatem virtutis; ideoque invocabat Dominum, ut quod ipſe non poterat, Deus ipſe perficeret. *Sanctis*, inquit Ambroſius, *omnia Deus eſt*, nihil ſuum putant, totum Deo tribuunt, virtutem, fortitudinem, ſapientiam, & ſi quæ ſunt alia, quæ ad rectè agendum concurrunt; ſibi adſcribentes imbecillitatem, miſeriam, & totius boni egeſtatem. Omnia habent in Deo repoſita, nec aliunde quicquam ſperant; nec defraudantur, quia verè hujuſmodi viris magnis, quorum portio Deus, ipſe omnia dat affluenter. Illis eſt Deus miſericors, & omnia largitur in virtute, ac magnificentia.

Sancti bona quæque Deo attribuunt.

Ambroſ. in annot. ad Exod. in fine.

IV. Pia hæc Franciſci verba, ut audivit Bernardus, & lampadis, quæ in cubiculo ardebat, beneficio religioſè poſitum conſpexit, brachiis in crucem actis, oculiſque in cœlum erectis, intra ſe compunctus dicebat; verè hic homo à Deo eſt. Sequenti aurora, ut habent Legendæ ſociorum, & Gregorii IX. humaniter confabulatus amicè hominem dimiſit; ſecumque altiùs ejus vitam expendit. Denique ſecundò & tertiò ſimiliter probata ejus ſanctitate, firmiter ſtatuit eum imitari, & quæ poſſidebat pauperibus diſtribuere. Qualiter autem hoc faceret, ipſum his verbis ſubdubiis interrogat: ſi quis, amice, à Domino ſua pauca, vel multa in plures annos reciperet, nolletque eis amplius uti, quid de hujuſmodi bonis tibi melius faciendum videtur? Cui ſanctus vir ex tempore reſpondit: ea Domino ſuo, à quo ea recepit, reddere debet. Cui denuo Bernardus: Franciſce, plura ego habeo bona, quàm meruerim à Domino; ea ſecundum tuum conſilium libenter reddam eo, quo diſpoſueris modo, nam te ſequi, tibique inhærere decrevi. Ad quæ verba exultavit in ſpiritu Franciſcus, jam mente videns opus ſuum voluiſſe Deum exordiri, & in tam egregio viro feliciſſima ſtatuiſſe primordia. Ad Bernardum autem converſus dixit: Domine Bernarde, illud eſt adeo arduum, ut à Deo neceſſe ſit requiri conſilium, idque multa prece efflagitandum, ut dignetur potentiſſimus Dominus nobis aperire, qualiter hæc perficere debeamus. Craſtino die ſummo mane conveniemus in Eccleſia ſancti Nicolai, cujus Parochus manifeſtæ eſt probitatis; eumque rogabimus, ut ſacra peragat pro noſtris votis exaudiendis; deinde orationi inſiſtemus uſque ad horam tertiam.

Legen. 3. ſocior. legen. Greg. IX.

Statuit Bernardus Franciſcum ſequi.

V. Placet Bernardo conſilium, & ſummo mane ad Eccleſiam præſignatam contendit, ubi Franciſcum jam orantem invenit. Audito ſacro, & præmiſſa longa & ferventi prece ad horam tertiam, cultor Trinitatis Franciſcus ter Evangeliorum librum aperuit (ita vult Bonaventura, quamvis Marianus, Antoninus, & alii dicant à ſacerdote apertum) trino expoſcens à Deo teſtimonio ſanctum Bernardi propoſitum confirmari. In

Trina libri apertione conſtat de Dei voluntate.

pri-

prima libri apertione illud occurrit: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. In ſecunda: *Nihil tuleritis in via*. In tertia verò: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Hæc eſt, ait ſtatim vir ſanctus, vita, & regula noſtra, omniumque, qui noſtræ voluerint ſocietati conjungi. Vade igitur ſi vis prrfectus eſſe, & perfice quæ audiſti.

Matth. 19. 21. *Marci 6. 8.* *Matth. 16. 24.*

VI. Scrupulum forſan injiciet alicui hujuſmodi in re adeò gravi ſortitio, vel eo maximè titulo, quod ſortilegia hæc, quæ in expanſis libris ſuperſtitiosè fieri ſolebant antiquitus, multo & vario jure prohibita ſint. Gentilibus *Virgiliana*, & *Prænestina* à Virgilii, vel Homeri librorum apertione, & primi obvii verſus obſervatione, ita dicta, communia erant. Gentilitiæ huic vanitati alia ſucceſſit inter Chriſtianos ſuperſtitio, ex aperto novo, aut veteri teſtamento, quid ſcire vellent conſultantes, quam impiè *ſortes Apoſtolorum*, vel *ſanctorum* nuncupabant. Frequens ſortium uſus erat in re Chriſtiana, donec ſeverioribus ſtatutis pœnis interdictæ ſunt in Concilio Agathenſi can. 42. in Aurelianenſi primo c. 32. in Antiſiodorenſi can. 4. & per Leonem IV. in epiſt. ad Epiſc. Britanniæ c. 4. per Gregorium lib. 7. epiſt. 66. ad Januarium Epiſcopum, & lib. 9. epiſt. 47. ex quibus plures decerpſit textus. Gratia. 26. 9. 5.

An licita ſint ſortilegia? *Vide Aug. lib. 4. conf. c. 1.*

VII. Novi quoſdam has, vel exinde probare ſortes, quod magnis etiam viris fuerint familiares, iiſque uſus fuerit Auguſtinus, & Gregorius Turonenſis, ſed Auguſtinus quales ſuæ fuerint, aperte oſtendit, & damnat, dicens ſe planetarios, & mathematicos libros conſuluiſſe, quos Chriſtiana, & vera pietas repellit; & quos ſe rejeciſſe, tamquam fallaces divinationes, & falſa deliramenta lib. 7. conf. cap. 6. teſtatur. Quamvis aliàs aliud ſortis genus probaret, dum ſortitione voluit terminari, juxta illud Sapientiæ verbum: *Contradictiones ſedat ſortitio, & inter potentes definit*. Dubium illud, quinam ex paſtoribus manere deberent in populo, quibuſve fugere liceret, imminente periculo? Gregorius verò Turonenſis dum mœſtus turbatuſque in oratorio propter Platonem Archidiaconum, & Gallienum conjectos in vincula doleret, Davidici carminis ſumpſit librum, eo dumtaxat fine, velut ipſe refert, ut apertus aliquem conſolationis verſiculum daret. Neque alii inculpati viri his ſordibus juſtè uſi ſunt, niſi vel in neceſſitatibus, & rebus gravibus in dubio poſitis, *melius enim Deus*, inquit Auguſtinus, *in hujuſmodi ambagibus, quam homines judicant*, & devota, ferventique oratione præmiſſa, ſicuti fecerunt Conradus, & alius pius ſacerdos, dum hæſitabant, an Dominicanorum ſe infererent Inſtituto. Quibus ſanè adhibitis conditionibus nihil timendum eſt in ſortibus. *Sors enim*, ut habet Auguſtinus, *nihil mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem, nam & ſortes miſerunt Apoſtoli, quando Judas, tradito Domino, periit, & cecidit ſors ſuper Matthiam*. In quæ verba Beda utramque à nobis præmiſſam conditionem exigit, & ſufficere docet; quem ſequitur Martinus Del Rio; & in univerſum probat, licet S. Thomas plures conditiones exigat, quæ tamen cum his ferme coincidunt. Harum autem conditionum neutra in hac Franciſci ſortitione defuit, nec in alia huic ſimili, quam adhibuit, Deo præmonente, ut ſciret ejus voluntatem circa ea, quæ ſibi omnino forent agenda. Eam refert Bonaventura cap. 13. legen. & commendat Del Rio citatus, de qua nos ſuo loco. Vide ſi placet apud Auguſtinum lib. 8. confeſſ. cap. 12. quomodo alia ſimili ratione referat ſe, & ſanctum Antonium Abbatem intellexiſſe, quodnam vitæ genus eligere deberent.

Auguſt. cit. Greg. Turon. lib. 5. hiſtor. Franc. c. 49. *Aug. epiſt. 180. fin. Prov. 18. 18.* *Aug. prox. cit.* *Vincent. Bellovac. l. 30. c. 68.* *Aug. in Pſal. 11. Act. 1.* *Beda in c. 1. Act.* *Del Rio l. 4. diſq. imag. cap. 2. q. 7. ſect. 1. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. in corp.* *Anno 1224. n. 9.*

Porrò de S. Antonio id largiùs ſcribit S. Athanaſius in ejus vita ſtatim in principio, ubi ait has ipſas ferme lectiones, quas accepit Franciſcus, ex ſacro audiviſſe eloquio, & opere ſtatim compleviſſe. Vide etiam alia exempla apud Nicephorum Gregoram lib. 8. hiſt. Rom. cap. 14. apud Metaphraſten agentem de Ghranno filio Regis Francorum, & Gregorium Turonenſem lib. 4. hiſt. Francif. c. 16. & 20. & lib. 5. c. 14.

VIII. Sacra & ſalutari hac ſorte edoctus Bernardus, res ſuas ſatis opimas, multo ære commutavit; pecuniamque ipſam aſportari fecit in aream ſancti Georgii, ubi, præceptore Franciſco, congregatis egenis, mendicis, peregrinis, orphanis, & viduis omnia liberaliter diſtribuit; completiſque Evangelii conſiliis, habitu, & vita Franciſco aſſociatus eſt

Quando primos accepit ſocios S. Franciſcus.

XVI. Kalendas Majas: quo die volunt quidam Chronologi humile hoc incepiſſe ſodalitium, Onuphrius in chron. Eccleſ. Ciacconius ſub Innocentio III. non verò anno MCCXI. ut Antoninus in annorum computo parum ſibi conſtans aſſeruit, cum ibidem dixerit inceptum hunc Ordinem anno MCCIX. alibi MCCX. & veriùs alio in loco dixerit mortuum Franciſcum anno MCCXXVI. annis decem & octo poſtquam fratres cœpit habere, quos ſi ſubtraxeris, recidet Ordinis primordium in annum MCCVIII. vel MCCIX. inchoatum.

Antonin. tit. 24. c. 7.
Tit. 19. c. 1. §. 4.
Tit. 24. c. 7. §. 6.

Converſio Petri Catanei.

IX. Eodem ipſo die humili ſua veſte donavit vir Dei Petrum Catanii Eccleſiæ Cathedralis Aſſiſiatis, Divo Rufino ſacræ, Canonicum, qui Bernardi motus præludiis, eum comitatus & imitatus eſt, donec eidem inſtituto una nomen dedere, prior Bernardus, poſterior Catanius. Priorem, ſuum primogenitum vocabat Franciſcus, magno venerabatur affectu, & frequenti ſæpius commendabat eloquio, dicens eum omni reverentia dignum, qui, ſuis liberaliter in pauperes erogatis, nudum ſe obtulit brachiis Crucifixi. Conſtantem & firmam ejus fidem ſæpiſſimè extulit, & moriens multiplici eum ſacravit benedictione. Poſteriorem commendavit non inferior virtus, cui vir ſanctus integræ Familiæ, abdicato à ſe regimine, curam injunxit, quem ſecum duxit in Syriam, cui notum fuit præſens Chriſti cum Franciſco colloquium de medendis peccatoribus ampla indulgentia, quam vocant Portiunculæ. Utrique amplior & commodior laus erit inferius.

X. Dum magna hominum admiratione hi duo notiſſimi in populo viri, mundo valedixerunt, abfuit vir quidam ſpectabilis, rectus, ac timens Deum nomine Ægidius; qui ſeptiduo poſt horum imitationem reverſus in urbem, à conſanguineis, & amicis accepit, quæ illis diebus

Franciſco adhæret Ægidius Aſſiſias.

facta ſunt Aſſiſii. Ad tam mirabilis converſionis narrationem exardeſcens concepit deſiderium præfatos viros imitandi. Jam ante non ſemel ſecum altiùs cogitabat (ut refert ejus Legenda MS. quam à Domno Conſtantino Cajetano Abbate Benedictino accepi, exaratam, ut quibuſdam placet per Beatum Leonem, eidem viro ſancto, ut ipſe Auctor præfatur, familiarem) quomodo perfectiùs, & ſecuriùs ſe totum Deo dicaret. Placuit ei magnopere ſumma Franciſci ſui dejectio, & inſignis mundi contemptus, à quo dum longiùs homo diſcedit, eo magis cœleſtibus appropinquat. Conſiderat ſecum illo die, & ſequenti nocte Deum conſulit effuſis precibus, & lacrymis, quid agendum? Inditus ei ferventior appetitus ſuos concives ſequendi; & quia *velociter currit ſermo* divinus, nec ſcit *tarda molimina Spiritus ſancti gratia*, ſummo mane ad novam ſe parat militiam, & optatum jam pergit Ducem viſurus. Dies erat ſancti Georgii natali ſacer; ejus adit Eccleſiam rogaturus, ut ejus vota dirigeret & greſſus,

Pſal. 150. 5.
Ambroſ. lib. 2. in c. 1. Lucæ.

ſus, ut, quem perquirebat, in ſolitudine poſitum Franciſcum inveniret.

XI. Habitabant illæ ampliſſimi Sodalitii tenues primitiæ in derelicto quodam tuguriolo in ſolitario loco à turba remotæ, nec omnibus obviæ, juxta ſinuoſum fluviolum, vulgariter *Rigotorto* dictum. Semitam ignorabat Ægidius in trivio poſitus juxta leproſorum Xenodochium, & ne erraret inſtanter Dominum oravit, ut greſſus ſuos dirigere dignaretur ad locum, quem ſanctus hic colebat triumviratus. Audivit eum Dominus, & rectâ, quo tendebat, pervenit. Cogitanti verò illi de iis, quæ animo propoſuerat, obvius venit è ſilva, in qua orationi vacabat Franciſcus; ad cujus pedes ſe proſternens Ægidius, petiit in illius contubernium admitti. Ejus verò fidem & devotionem animadvertens S. Franciſcus, ait ad eum: Non mediocris hæc Dei gratia eſt, cariſſime, quod te ſibi militem, & ſervum adſciſcit; confirmanſque eum hortabatur perſeverare in eo inſtituto, ad quod divinitus vocabatur. Deinde accitis ad ſe Bernardo, & Petro, ait ad eos: Bonum fratrem miſit nobis Deus. Quem cum illi jucundis animis amplexarentur, ſimul cibum ſumpſere.

Jacob. Oddo in præf. ſpeculi.

Surius è quodam cod. German. ad 23. Aprilis.

XII. Porrò protracto aliquantulum poſt tenuem refectionem ſpirituali colloquio, eunti Aſſiſium Franciſco cum novo tirone Ægidio, ut ei habitum conquireret, quo veſtiretur; obviam venit mulier paupercula, ſtipem mendicans. Sed cum nihil ſuppeteret, quod ei daret, Angelico vultu verſus ad Ægidium Franciſcus: Demus, inquit, cariſſime, huic fœminæ propter Deum pallium, qno indutus es. Ille mox hilariter pallium dedit mulieri: ſimul autem videbatur ei eleemoſyna, ſeu, ut habent Antoninus, Marianus, & codex MS. Italicus, fœmina illa cœlos penetraſſe, ſenſitque ſe ingenti quodam animi gaudio perfuſum. Statim emendicato pro Dei amore vili tegmine induit eum Franciſcus habitu Ordinis ſui, & cum aliis duobus diſcipulis, ſanctis ibidem deinceps imbuebat diſciplinis. Unde verò errorem hauſerit Gonzaga, ut diceret Ægidium receptum & educatum apud Podium Buſconis Reatini, neſcio, cum noſtri omnes, quos viderim, Scriptores, id Aſſiſii factum dicant, nec ullus ſit, qui uſque ad illud tempus Franciſcum ad Reatinam vallem perrexiſſe poſt ſuam converſionem dicat; multo minus adhuc habuiſſe peculiarem ibi locum, in quo Ægidium educare poſſet, nec præter Petrum, & Bernardnm octo dierum tirunculos, fratrem ullum, cujus diſciplinæ poſſet committi.

Pallium pauperi confert Ægidius.

Antonin. tit. 24. c. 7. §. 11. Marian. c. 4.

Gonzag. in prov. Rom. conven. 19.

XIII. Sancti hujus viri Ægidii ſpectatiſſima vita multam nobis inferiùs præbebit laudis materiam, dum ad aliorum Franciſci ſociorum converſiones properamus, ſola, quæ ſequuntur ex Bonaventura, ſubjicio: *Sanctus pater Ægidius vir utique fuit Deo plenus, & celebri memoria dignus. Hic etenim poſtmodum virtutum ſublimium exercitatione præclarus, ſicut famulus Domini de ipſo prædixit, quamquam eſſet idiota & ſimplex, ad excelſæ contemplationis ſublimatus eſt verticem. Nam per multa curricula temporum ſurſum actionibus ſemper intentus, adeò crebris rapiebatur exceſſibus, quemadmodum & ego oculata fide conſpexi, ut magis cenſeretur inter homines vitam angelicam agere, quam humanam.*

Ægidii commendatio.

Bonav. c. 3. leg.

XIV. Inſtructis aliquantum his paucis diſcipulis, noluit eos domi torpere; & ut proximos ſimplici ſermone, & ſancta vita docerent, Bernardum, & Petrum deſtinavit in Æmiliam, ipſe in Marchiam Anconitanam cum fratre Ægidio perrexit. Ubique celebrabant divinas laudes, & Dei bonitatem quàm devotè hominibus commendabant. In quarumcumqne rernm penuria valde lætabantur, judicantes magnum ſe inveniſſe the-

Prædicaturus pergit cum ſuis Franciſcus.

Legen. 3. ſocior.

theſaurum in Evangelicæ paupertatis prædio, pro qua emenda cuncta dederunt. A quibuſdam perquam humaniter recipiebantur, in aliis multa experti charitatis officia. Sed apud pleroſque veſtis novitas, & vitæ ſingularis aſperitas magnam pariebat admirationem. In quibuſdam oppidis eos irridebant, in aliis & malo verbo, & duro verbere afficiebant, eos vocantes gyrovagos & otioſos nebulones; ab inſolentibus juvenibus, & licentioſis adoleſcentibus luto impetebantur & ſaxis, & per plateas ad capitium tracti ducebantur ridiculosè, illis ſumma patientia cuncta ferentibus, & contumelias omnes pro magno ducentes, quippe quantum his ſecreti inerat lucri probe noverant.

A quibuſdam bene, ab aliis male excipiuntur.

XV. Imò præ cæteris doluit frater Ægidius ad eorum jam explicatam virtutem quocumque eis exhiberi honores humanos, quos pro ſummo habebat vituperio, & ſola pro Chriſto perpeſſa opprobria gloriam dicebat; quare ad Ducem & Patrem Franciſcum dolens, & mœſtus magna ait ſinceritate: Pater jam receſſit gloria noſtra, dum hominum gloria afficimur. Quæ verba ſanctum Patrem magno affecerunt gaudio, videns ſuos diſcipulos, nec injuriis commoveri, nec honoribus extolli. Cum verò Ægidius doleret, quòd quam à patre didicerat ſalutationem, à Deo revelatam, ut ſupra dixi, multi indignanter audirent, & tamquam novam rejicerent, eum piè conſolatus eſt Franciſcus, dicens: Dimitte illis, quia neſciunt quid dicunt, dum hæc verba, *Dominus det tibi pacem*, condemnant. In veritate tibi promitto, quod multi nobiles & principes hujus mundi poſthac tibi, & aliis fratribus eos ita ſalutantibus magnam reverentiam exhibebunt.

Gaudens ad injurias illatas.

Anno 1208. n. 10.

XVI. In itinere, licet Franciſcus, ad concionatoris modum, adhuc populis non prædicaret, ſalutaribus tamen & ſimplicibus verbis hortabatur omnes ad Dei amorem, peccatorumque pœnitentiam. Submonebat deinde Ægidius, ut fidem adhiberent Franciſco rectè ipſis conſulenti. Inter eundem prædixit Franciſcus propagationem ſui Ordinis Ægidio, addens inſtitutum ſuum poſſe non abſurde comparari piſcatori, ſagenam in aquam mittenti, & multos piſces capienti, parvos deinde rejicienti in aquas, magnos verò colligenti in vaſa ſua. Qua parabola etiam Chriſtus Dominus regni cœlorum, ſeu Eccleſiæ militantis conditionem expreſſit, quæ bonos admittit, malos autem, vel infideles juſtè repellit.

Prædicit Franciſcus ſui ordinis amplitudinem.

Matth. 13. 17.

XVII. Peragratis quibuſdam oppidis illarum provinciarum, ædificatiſque pleriſque magnæ virtutis exemplis, ad ſuum redierunt tugurium quatuor hi viri Apoſtolici, quibus infra paucos dies quintum adjecit Dominus fratrem Sabbatinum ignotæ regionis, ſed compertæ perfectionis, & ſanctitatis virum, qui poſt adeptum magnarum virtutum cumulum, & amplum caritatis augmentum, feliciter ſuum curſum conſummavit. Pauca certa fide digna de ipſo ſcripta invenio, ejus corpus in Urbe in æde Aræ cœli jacere affirmant Auctor ſpeculi vitæ D. Franciſci, Marianus, & Rodulphus; licet Gonzaga agens de prædicta æde ſolos Juniperum, & Electum B. Franciſci ſocios ibi ſepultos eſſe commemoret. Sed erraſſe circa nomen judicarim, Electus enim Franciſci ſocius martyrio coronatus eſt in Africa, ut ſuo loco dicemus.

Quartus advenit ſocius fr. Sabbatinus.

Specul. fol. 200. Marian. c. 4. §. 4. Rodulph. lib. 1. fol. 66. p. 2. Gonzag. de conven. Aræ cœli. Anno 1219. n. 35.

XVIII. Quintus Franciſci ſocius fuit frater Moricus, ut antiquiores Legendæ, & communiter rerum noſtrarum Scriptores volunt, quem tamen Bonaventura hoc tempore poſteriorem conſtituit. Hic primò profeſſus ordinem Cruciferorum, eo tempore, quo B. Franciſcus rediret ex Marchia, non modicam adeptus ubique ſanctitatis opinionem. Jacebat infir-

Convertitur fr. Moricus.

Bonaven. cap. 4. Rodulph. cit.

infirmus Aſſiſii Moricus in hoſpitali ſancti Salvatoris Parietum, in quo hoſpites & peregrini communi ære excipiebantur. Languore gravi & moleſto ad ultimum fermè vitæ terminum pervenit, ita ut medici ſibi nihil ſpei reliquum faterentur. Audivit quædam de ſancti Franciſci virtutibus, & ſanctitate referri; cui ex tempore ſe commendatum voluit, per internuncium rogans, ut pro ſe ad Dominum intercedere dignaretur; cui beatus Pater benignè annuens, nuncium urbanè dimiſit; deinde oratione præmiſſa, panis micas accepit, & oleo lampadis, quæ ante B. Virginis altare in æde Portiunculæ ardebat, admixtas, in ſalutare electuarium conglobavit, & tamquam ſingulare antidotum infirmo per duos ex ſociis tranſmiſit, dicens: Medicinam hanc fratri noſtro deferte Morico, quia ipſum Chriſti virtus, non ſolùm plenè ſanitati reſtituet, verùm etiam robuſtum bellatorem effectum, aciei noſtræ perſeveranter adjunget. Statim autem ut antidotum illud, ſancti Spiritus adinventione confectum, æger homo guſtavit, ſanus exſurgens tantum mentis, & corporis à Deo vigorem obtinuit, ut paulò poſt viri ſancti Religionem ingreſſus, & unica tantum operiretur tunica, ſub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, & crudis duntaxat cibariis, herbis videlicet, leguminibus, fructibuſque contentus per plura temporum luſtra, nec panem guſtaret, nec vinum, fortis tamen & incolumis perſeverans. Plura tamen de hoc ſancto viro inferiùs per ſua tempora diſtribuentur.

XIX. Sextus adſcriptus huic Collegio fuit Joannes de Capella, vir nequam, datus in reprobum ſenſum, qui ſceleratam vitam infami clauſit interitu. Inter Franciſci diſcipulos fuit velut Judas inter Apoſtolos, quæ enim rerum neceſſariarum dabantur fratribus eleemoſynæ, huic in communem uſum erogandæ committebantur. Curam aſſumpſit, ut ait Marianus, procurandi, quæ communi victui deeſſe videbantur. Sæpius tamen reprehenſus à B. Franciſco, quòd nimiam ponebat in his rebus acquirendis ſolicitudinem, & ultra veram neceſſitatem plura cumularet, nimiùm ſe terrenis, & ſæcularium familiaritati immiſcens, nequaquam acquievit. Nimis laxus in diſciplina regulari, vitam non componebat ad ſalutaria ſui Inſtitutoris monita; abuſumque introduxit in Religionem pileorum, ſeu, ut antiquarum Legendarum barbaris utar vocabulis, almutiorum, vel birretorum. Hinc cognominatus *de Capella*, quia tunc per Umbriam *capella*, patrio nomine, dicebatur pileus. Fœdam ei prædixit infirmitatem Franciſcus, & miſerum interitum. Utrumque expertus eſt, nam horribili coopertus eſt lepra, quam dum patienter ferre nolebat, pauperibus conſociis valedicens, in deſperationem actus ſe dedit in furcas, & miſerè laqueo vitam ſibi ipſe finivit. Hic inobedientiæ, relaxationis, & nimiæ circa terrena ſolicitudinis finis.

El adhæret fr. Joannes de Capella.

Marian. cit. Redul. cit. fol. 67.

Male periit.

XX. Neceſſariam huic noſtro ævo ex Epiſcopo Senogallien. hujus iniqui nebulonis perditæ vitæ, & impiæ morti ſubjicio conſiderationem: Permitti videlicet aliquando à Deo, in quibuſdam etiam perfectis Sodalitiis unius, vel alterius lapſum, tum propter eorum demerita, tum propter noſtram doctrinam, ut inſigni perditorum exemplo diſcamus ob unius hominis delictum, non contemnere univerſum Sodalitium, & communem vivendi regulam. Nam in cœlo omnes illi ſpiritus ſunt boni: in inferno omnes ſunt mali: in terra verò, tamquam in media aëris regione, in qua generantur grandines, & fulgura, boni ſimul & mali vitam agunt. Si quidem nulla in mundo ſanctior congregatio reperiri poteſt, quam illa fuit Apoſtolorum, in qua iniquiſſimus Judas inventus eſt; ſicut

Pia ad ejus interitum conſideratio.

nunc ſagena Eccleſiæ bonos, & malos comprehendit; ita quoque Religioſorum monaſteria boni, & mali habitant. Quid ergo mirum, ſi in Collegio ſociorum B. Franciſci Joannes Capella formidabile ſui reliquit exemplum, qui ſalutaris conſilii tanti Patris oblitus, mandata ejus neglexit? Natura enim vitiorum eſt, illuc velle reverti, ubi primò ſteterunt. Sed hoc admiratione dignum eſt, quod abiit in locum ſuum, & in aëre crepuit medius aërearum collega poteſtatum, ſicut Judas, quem nempe veri Dei, & veri pariter hominis, qui de cœlo venerat operaturus ſalutem in medio terræ, proditorem nec cœlum recepit, nec eum terra ſuſtinuit.

Volater. l. 1. Antrop. ſ. Franciſc.

Chriſto conformis in plerisque Franciſcus.

XXI. Vera utique illa obſervatio Volaterrani de Franciſci ad Chriſtum ſimilitudine; *Conſervatoris*, inquit, *noſtri ferè per omnia typum geſſit*. Etenim, ut largiùs proſequitur peculiari de hoc argumento volumine Bartholomæus Piſanus, Chriſtiformis in nativitate, vita, & exitu quantùm licuit creaturæ Creatori, & pauperculo ſervo Omnipotenti Domino, quàm humiliter apparuit, ita *ut etiam in tam perverſo diſcipulo*, inquit Antoninus, *Chriſto conformaretur*. Nihil magnum nec præclarum in malo aſſimilari diſcipulo, præclarius non habuiſſe, nec ſanctam fœdari ſocietatem iniqui hominis impietate, cujus opprobrium in omnes Sodales ſe diffundat. Nam dum ſcelera malorum referuntur, non tam hunc vel illum proprio nomine iniquè egiſſe, quàm Franciſcanum peccaſſe communiter dici videmus; per quod & Inſtituto & Inſtitutori, quantum licet, appellatione hac abſoluta exprobrari contingit. At non laudatur hoc Franciſci Collegium à malo, ſed quod in malo inſignem habuerit ſimilitudinem, ex qua intelligatur, quàm ſimilis fuerit Minorum infantia ſacroſanctæ Eccleſiæ primordiis. In utroque autem Collegio, ideò permiſit Chriſtus, ut mali inter bonos caderent, ne boni mali fierent, dum de ſancti Sodalitii perfectione ſecuritatem ſibi promitterent, & inde ruerent, unde perſeverandi habebant occaſionem. *Deus*, inquit Auguſtinus, *melius eſſe judicavit miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero Sanctorum ſuorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri; multos enim à pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus: Quapropter, qui videtur ſtare, videat ne cadat*. Admiſcuit ſanctiſſimis Apoſtolis Judam Chriſtus, ut ſciant nec in Apoſtolatu ſecurè nimis torpendum; admiſcuit & primis Franciſcanis iniquum hunc Joannem, ut qui huic Inſtituto, quantumvis perfecto, ſe devoverint, non propterea ſe in tuto poſitos putent. Quamvis mundo per ſummam paupertatem renunciaverint, licèt nihil ſibi cum mundanis commune reſervaverint, & vitæ genus ſanctiſſimum elegerint, in ipſis harum virtutum culminibus periculum eſſe intelligant, idque ſibi perſuadeant, dum illinc alios in præcipitium abiiſſe timidi, & dolentes conſpexerint.

Antonin. cit. in princ.

Quare permittit Deus malos inter bonos.

Auguſt. de dono perſever. cap. 8. to. 7.

1. Cor. 10.

Docet Franciſcus ſuos mendicare.

XXII. Ut jam accrevit diſcipulorum numerus, prudens Magiſter poſt longam virtutum diſciplinam eos in paupertatis ſchola decrevit erudire. Duxit eos per civitatem Aſſiſii, ut mendicarent oſtiatim, & intelligerent illud ſibi duntaxat eſſe patrimonium, quod piorum hominum tribueret munificentia. At in oſtiaria hac mendicitate plura præter verecundiam paſſi, dura verba, irriſiones, parentum improperia, adoleſcentum petulantias, & indignas paſſim repulſas. Quidam in malam rem rejiciebant, alii dicebant eos ſtultè reliquiſſe ſua, ut mendicarent aliena: alii torpentes, & pigros eſſe nebulones, qui otioſam elegerant mendicitatem præ honeſto labore; alii deridebant inſolitam, & novam

Moleſta ei prima mendicitas.

hanc

hanc ſpontaneam mendicitatem, rarò antea viſam; & parentes cum conſanguineis hos ad ſuorum vituperium natos invicem conquerebantur. Pii verò, & ſinceri viri ſaniori conſilio hæc attribuentes pauperem hominum vitam, & voluntariam egeſtatem ſuis relevabant beneficiis, & amplioribus fovebant eleemoſynis.

XXIII. Dum paucis poſt diebus hilariter retuliſſet Franciſcus optimo viro Guidoni civitatis Epiſcopo, quæ in mendicitatis præludiis novi perpeſſi ſunt tirones, quorum plura jam antea ab aliis accepit, amicus dixit Antiſtes: Durum, & moleſtum mihi videtur, frater Franciſce, tuum iſtud vitæ genus, abſque omni prorſus terrena poſſeſſione. Cui vir ſanctus reſpondit, imò moleſtum & aſperum mihi videtur poſſeſſiones admittere, pro quibus defendendis, & conſervandis, multa ſolicitudine, & cura opus eſſet; ſed & ad ſedandas diſſenſiones, & lites, quæ ex eis oriuntur, arma oporteret in promptu habere, per quæ dum irruitur in pugnam, ſolet Dei, & proximi amor extingui. Securius ergo, & tolerabilius judico vitam pauperem agere, quam poſſeſſionibus locupletari. Placuit ſatis Epiſcopo ſancti, & cordati viri reſponſio, & ſe, quod antea ſæpius præſtiterat, firmiter promiſit ei in omnibus adfuturum.

Conſulit Epiſcopus, ut admittat poſſeſſiones.

Piſan. conf. 16. Rodul. l. 2. fol. 169.

XXIV. Statuit autem Franciſcus ſuos diſcipulos inter exteros, & ignotos exercere, idcirco eos duxit ad vallem Reatinam, quæ in Sabinis eſt, non extra ipſius Umbriæ fines, notiſſima, ut ſtipem majori peterent fiducia, & abſque duriori acciperent contumelia. Infirmum etenim quodcumque vel infimæ artis principium; & lenius erudiendi in limine tirones, ut audaciora induant ad majora conamina. Hoc tunc evocandorum diſcipulorum extra Aſſiſii fines Franciſci ſtudium aſſignant Marianus, & Angelus Reatinus, qui de rebus à Franciſco geſtis inter ſuæ patriæ terminos, devotum edidit libellum. Imminet verò alteri hujus vallis parti rupes magna, in qua neglectum quoddam erat eremitorium, primo ipſo intuitu Franciſco gratum, tum propter eminentem & liberum ſitum, tum propter ſolitudinem viris contemplativis, & Deo familiaribus acceptum. Hic ſanctus grex noctu ſe colligebat, interdiu procedebant ad populum, præſertim ad oppidum Podii Buſconis, vulgo Italico *Poggio Baſtone*, rupi vicinum.

Pergit in vallem Reatinam Franciſcus cum ſuis.

Marian. c. 4. §. 7. Angel. Reat.

XXV. Ibidem, ut auctor eſt Gonzaga, & Angelus Reatinus, quadam die ſub concava rupe annos ſuos in amaritudine recogitans, deplorabat contritione perfecta ſibi cœlitus emiſſa, juxta illud: *Poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi cor meum. Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ*. De hoc dolore, an de alia alterius diei contritione neſcio, veniat intelligendum illud S. Brigittæ teſtimonium verba hæc Chriſti referentis: *Homo quidam erat, Franciſcus nomine, qui dum ſe convertit à mundana ſuperbia, &c. tunc obtinuit veram contritionem omnium peccatorum ſuorum, & perfectam voluntatem ſe emendandi dicens: Nihil eſt in hoc mundo, quod non volo libenter dimittere propter amorem, & honorem Domini mei Jeſu Chriſti: nihil eſt etiam tam durum in hac vita, quod non volo gratanter ſuſtinere propter ejus caritatem, faciendo propter ejus honorem omnia, quæ ego potero juxta meas vires corporis, & animæ; & omnes alios quoſcumque potero, volo ad hoc inducere, & roborare, ut Deum ſuper omnia diligant toto corde*. Quibus vel ſimilibus verbis ex contrito, & humiliato corde procedentibus à Domino meruit exaudiri pro ſuorum venia peccatorum. Nam, ut refert Bonaventura, ſancti Spiritus in eum ſu-

Gonzag. in prov. Rom. conv. 19. Angel. de geſtis Reat. in princ. Hierem. 31.

Brig. l. 7. revel. c. 20.

Plorat ibi peccata præterita.

Condonantur ei.

Bonav. c. 3. ad med.

Prævidet mirabiliter futura. ſuperveniente lætitiâ, certificatus eſt de remiſſione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde ſupra ſe, ac in quoddam mirandum lumen totus abſorptus; dilatato mentis ſinu, quæ circa ſe, & filios ſuos futura erant, luculenter aſpexit.

Marian. cit.

Prædicit ſociis Ordinis amplitudinem.

XXVI. Duplici hoc affectus ingenti favore humiliter, ſed perquàm lætus regreſſus ad filios: *Confortamini*, inquit, *Cariſſimi*, *& gaudete in Domino, nec quia pauci eſtis efficiamini triſtes, nec vos terreat mea, vel veſtra ſimplicitas, quoniam ſicut à Domino mihi in veritate oſtenſum eſt, in magnam multitudinem faciet vos creſcere Deus, ſuæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit. Multi convertentur ad Dominum, & per univerſum mundum multiplicabit Deus familiam ſuam, & augebit. Ad veſtrum quoque profectum cogor dicere, quod vidi, quod utique magis ſilere liberet, ſi caritas me non cogeret vobis referre. Vidi multitudinem magnam hominum ad nos venientium, & in habitu ſanctæ converſationis nobiſcum volentium converſari. Et ecce, adhuc ſonitus eorum in auribus meis euntium, & redeuntium ſecundum obedientiæ ſanctæ mandatum. Vidi quaſi vias ipſorum multitudine plenas ex omni fere natione in his partibus convenire. Veniunt Francigenæ, feſtinant Hiſpani, Teutonici, & Anglici* (addit MS. vetus, Scoti, & Hibernici) *currunt, & aliarum diverſarum linguarum accelerat maxima multitudo.* Conſolatoriam hanc ſermocinationem primam ego poſui inter ſancti viri collationes ad fratres, ubi etiam conſulendi commentarii.

Leg. Greg. IX.

XXVII. Auditis ad magnam animi conſolationem benignis his ſancti Patris verbis, poſt religioſam inter ſe de his confabulationem ſcire cupierunt, qualis eſſet ſuperventurorum fratrum converſatio. Ad ſanctum proinde Patrem, quem varia data occaſione prophetico donatum ſpiritu compererunt, fiducialiter accedentes, magna humilitate eum rogaverunt, ut dignaretur aperire ſtatum futuræ Religionis per ſæcula poſteriora.

Aperit varios Ordinis ſtatus futuros.

Quibus ille: *Ut fideliùs, & devotè Domino Deo noſtro propter omnia dona ſua gratias referamus, & ut ſciatis qualiter cum præſentibus, & futuris ſit fratribus converſandum, futurorum proceſſuum, fratres, intelligite veritatem. Inveniemus nunc in principio noſtræ converſationis poma quædam dulcia, & ſuavia nimis ad edendum, ſed paulò poſt quædam minoris ſuavitatis, & dulcedinis offerentur. Poſtremò verò dabuntur quædam amaritudine plena, quibus non poterimus veſci, quoniam præ acerbitate ſuâ erunt inveſcibilia univerſis, licèt quendam exteriorem odorem, ac pulchritudinem repræſentent. Et verè ſicut vobis locutus ſum, in magnam gentem nos Dominus augmentabit. Sed ultimò ſic eveniet, quemadmodum ſi homo jactet retia ſua in mare, vel in aliquem locum, & concludat multitudinem copioſam piſcium, & cum omnes miſerit in naviculam ſuam, præ multitudine omnes portare faſtidiens, eligat majores, & ſibi placentes in vaſis ſuis, ceteros autem foras emittat.* Hæc ſanctus Pater, ipſis, quibus referuntur in antiqua citata Legenda, verbis, quæ in omnibus Franciſci colloquiis nihilo mutato ſemper apponere decrevi, ut ex ipſius ſtili ſincera vetuſtate majorem verba ſancti Viri fidem ſortiantur. Ab iis etiam verbis, quæ prophetica ſunt, accommodandis, vel explicandis ubique abſtinebo, nec enim Propheta ſum, aut filius Prophetæ, ut hæc exactè intelligam; nec ſi ea de unius, vel alterius Religionis membri relaxatione, aut poſterioris, vel anterioris ſæculi diſſolutione, quiſpiam interpretari voluerit, id faciat abſque invidia & offenſione.

XXVIII. Dum verò per vicinas regiones ſanctæ hujus Sodalitatis ſua-

ſuavis odor efflaret, multi ad eos accedehant, ut in via virtutis erudirentur, & tam ſanctæ converſationis exemplo inſtruerentur. Acceſſit verò præ ceteris non ſolùm inſtruendus, verum & illis adſcribendus ex vicino quodam oppido homo timoratus & candidus, nomine Philippus, cognomine Longus, ut habet Bernardus à Beſſa Aquitanus S. Bonaventuræ ſocius: vir tantæ poſtea perfectionis, quòd velut alter Iſaias calculo ignito per Angeli miniſterium labiorum acceperit munditiam. Licèt illiteratus, per donum intellectus profunda Scripturæ ſenſa rimabat, & altiora penetrabat myſteria: mirâ de rebus ſpiritualibus voluptate loquebatur. Primus fuit ſui Sodalitii, cui Inſtitutor commiſerit curam pauperum Dominarum S. Damiani; de quibus cum inferiùs egerimus, de hoc ſancto viro ſermo redibit.

Converſio Philippi Longi.

Bern. à Beſſa in cathal. Generalium ſub 1. Generali.

Iſai. 6. 6.

XXIX. Septimo hoc admiſſo diſcipulo, ſanctus Pater rediit Aſſiſium, ubi miro ſtudio, & præſaga caritate eos in cunctis ſpiritualibus erudiebat exercitiis. Plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporiſque caſtigatione pronuncians, propoſitum ſuum de mittendo illos in quatuor Orbis partes aperuit. Dum enim ſterilis, & paupercula ſimplicitas ſancti Patris pepererat ſeptem, quos ſignavimus, filios, per eos deſiderabat univerſitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Chriſto Domino parturire. Apperiens idcircò eis humiliter ſupernæ majeſtatis conſilium, quo per eos, eorumque Conſodales, res humanas renovare, & in meliores vertere decrevit, admonuit propterea ſuperno jam auxilio in brevi peritos evaſiſſe hujus tanti operis magiſtros, ut labeſcentis Eccleſiæ jacturæ ſuo exemplo, & verbo tam fideliter, quam humiliter obvenirent. Deinde piis & candidis verbis eos hortatus, ut huic ſe accingerent labori, ſequentem habuit ſermonem, quem ex utraque Legenda Thomæ Celani his ſanctis viris coætanei, necnon Legenda trium ſociorum inter collationes ſancti viri ſecundam repoſui.

Anno 1219. n. 47.

Bonav. cit.

Statuit eos mittere prædicatū.

Legen. antiq. Celan. Cod. MS. Fanen. to. 3. opuſcul. S. Franciſci.

XXX. *Conſideremus, fratres cariſſimi, vocationem noſtram, qua vocavit nos miſericorditer Deus, non tantum pro noſtra, ſed pro multorum etiam ſalute, ut eamus per mundum exhortando omnes plus exemplo quam verbo, ad agendam pœnitentiam de peccatis ſuis, & ad habendam memoriam mandatorum Dei. Nolite timere, quia puſilli, & inſipientes videmur, ſed ſecuri annunciate ſimpliciter pœnitentiam, confidentes in Domino, qui vicit mundum, quòd Spiritu ſuo loquetur per vos, & in vobis, ad exhortandum omnes, ut convertantur ad ipſum, & ejus mandata obſervent. Caveamus, qui reliquimus omnia, ne pro modico regnum cœlorum perdamus; etſi pecuniam in aliquo loco inveniamus, non curemus de illa pluſquam de pulvere, quem calcamus. Non judicemus, neque deſpiciamus illos, qui delicatè vivunt, & curiosè, ac ſuperfluè induuntur. Deus eſt noſter, ac ipſorum Dominus, potens illos ad ſe vocare, & vocatos juſtificare. Tales ergo revereamur, ut fratres, & dominos noſtros. Fratres enim ſunt in quantum ab uno Creatore creati; domini verò ſunt, in quantùm bonos adjuvant àd pœnitentiam faciendam, eis neceſſaria corpori miniſtrantes. Ite ergo annuntiantes hominibus pacem, prædicantes pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Invenietis quoſdam homines fideles, manſuetos, & benignos, qui cum gaudio vos, & verba veſtra recipient; ac per oppoſitum alios infideles, ſuperbos, blaſphemos, qui exprobrantes reſiſtent vobis, & his quæ dicetis. Ponite ergo in cordibus veſtris patienter, & humiliter omnia tolerare. Nolite tamen timere, quoniam non poſt multum tempus venient ad vos multi ſapientes,*

Franciſci ad diſcipulos ſermo.

tes, & nobiles, eruntque vobiſcum prædicentes Regibus, & Principibus, & populis multis. Eſtote ergo in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus ſtrenui, in ſermonibus modeſti, in moribus graves, & in beneficiis grati, quia pro his omnibus vobis regnum Dei præparatur æternum: quod nobis concedat ille, qui vivit, & regnat trinus, & unus; & abſque dubio concedet, ſi emiſſa ſervaverimus vota noſtra, quæ illi voluntariè ſpopondimus.

Pſal. 54. 23. *Act. 1. 1.*

XXXI. Hæc ut attentiùs, & prompto ad obediendum animo exceperunt boni diſcipuli coram ſervo Dei humiliter ſe proſternentes in terram, cum gaudio ſpiritus ſuſcipiebant obedientiæ ſanctæ mandatum. Ipſe verò dicebat unicuique ſigillatim: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Hoc verbum dicere ſolitus erat, quotieſcumque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc & ipſe ſciens ſe datum aliis in exemplum, ut priùs faceret quam doceret, cum uno ſociorum verſus unam partem perrexit, reliquis ſex ad modum crucis tribus aliis mundi partibus deputatis.

Cõverſatio primorum Minoritarum.

Legen. 3. ſocior. Franciſc. in teſtam.

XXXII. In itinere poſitis, ubicumque occurrebat Eccleſia, ſacellum, vel etiam crux ſub dio poſita, devotam humiliter in terra proſtrati edebant orationem: deinde prætereuntes dicebant, quod ipſe commemorat in teſtamento Franciſcus: *Adoramus te Chriſte, hìc & ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.* Magnâ etenim religione colebant quemcumque ſacrum locum, & qualecumque Chriſti Domini veſtigium, Dei locum dicentes, ubi aliquid Dei erigebatur in titulum. Obviis quibuſque viam pacis in veritate dicebant, & ſi quos ab ea aberrare videbant, humiliter & benignè reducere conabantur. In mediis populi, quæ ſanctus ſuggerebat Spiritus, ſimpliciter abſque ficto fuco proferebant, pacem, & veram cœli ſemitam annunciantes, omnibus ſuadentes, ut Cœli, & terræ Conditorem timerent, & amarent, & ſancta ejus mandata cuſtodirent.

XXXIII. Novus illorum in oppidis aſpectus, & inaudita ſocietas, non omnibus placebat diverſus à ceteris cultus, diſſimiliſque à mundanis ſermocinatio. Pluribus interrogantibus cujus eſſent nationis, profeſſionis, aut conditionis viri? Simpliciter dicebant, quod erant viri pœnitentes è civitate Aſſiſii oriundi: nec enim adhuc ſuam Sodalitatem placuit dicere Religionem. Aliqui libenter eos ſub ſuis tectis recipiebant, alii ſibi timebant, vagabundos & rapaces ſuſpicantes, nec ad ſtipem, nec ad limen erant humani. In multis locis ſæpiùs ab hoſpitio duriùs repulſi, præ Eccleſiarum foribus, & ſub porticibus noctu quieſcebant.

Duro à quibuſdam recipiũtur.

Piſan. conf. 8. Marian. c. 4. 5. 9. Jacob. Oddo præfatio 2. Marc. 6. 10.

XXXIV. Ad quas deſtinatas partes miſſi fuerint hi novi Dei præcones, è nullo potui colligere. Florentiam, ait Piſanus, perveniſſe Bernardum cum ſocio, quem Ægidium dicit Marianus; ubi dum prima nocte à nullo reciperentur, & hoſpitalitatis beneficium omnes negarent, ad quandam acceſſerunt in ſuburbiis domum, cujus heram rogaverunt, ut quam alii negaverunt, hoſpitalitatis gratiam præſtaret. Annuebat pia mulier, ſed prohibuit maritus, dicens ſe nolle ſub ſuo tecto colligere homines ignotos, quos peregrino, & ficto habitu incedentes, fures, & nebulones eſſe non temere ſibi judicare licebat. Erat præ foribus porticus, in qua fermè totam illam noctem duxerunt inſomnem, intenſum frigus perpeſſi, erat enim menſis Novembris, Spiritu tamen ferventes, illâ læti conſideratione, quòd Chriſtus Dominus in alieno ſtabulo natus,

non

non habuerit ubi caput reclinaret. Ut eluxit, hilares ad proximam acceſſerunt Eccleſiam, in qua perſeverantes in oratione Dei, ingredientibus in templum maximæ erant ædificationi. Præ ceteris acceſſit ſacrum auditura, quæ præteritâ nocte negavit hoſpitium, & vidit religioſum & devotum horum modum orandi, plus interiori intentorum meditationi, quam huc illuc in circumſtantes, ingredienteſve vagos oculos conjicientium. Tacita ſecum cogitavit verba mariti, & quì fieri poſſet, ut latrones, aut perverſi poſſent eſſe, qui ſanctis adeò enixè ſe dedicabant exercitiis. Dum hæc ſecum meditatur, videt devotum quendam civem, Guidonem nomine, hominibus piis pecuniariam obtuliſſe eleemoſynam, quam illi gratias reddentes, humiliter renuerunt accipere. Cauſam ſciſcitanti, cur pro relevanda pauperie nummos nolunt? Reſpondent, ſe juxta Evangelicum conſilium ſuis relictis, pauperes effectos ſpontaneos, & rei nummariæ uſum ſibi penitus interdixiſſe. Quo audito ſaniorem de eis concepit mulier opinionem, & Guidonis in eos crevit affectus, ita ut illa captatâ viri benevolentiâ, cui ſigillatim omnia narravit, illo ipſo die in ſuam duxerit domum, ſequenti verò apud Guidonem pranderent, & per plures dies habitarent.

XXXV. Aliquos experti ſunt hujuſmodi benevolos, ſed plures durioris naturæ, minoriſque pietatis, donec in populo innotuerunt eorum opera bona, per quæ glorificarunt ſuum patrem in cœleſtibus, & multam ſuis verbis conciliarunt fidem in civitate. Vicerunt ſemper in bono malum, ſanctas referentes pro injuriis deprecationes, rogantes Deum, ut contumelias inferentibus dignaretur ignoſcere. Tanta victi manſuetudine ceſſabant ab offenſis injurii, & ſui errati ſuppliciter veniam expoſcebant, quam faciliter obtinebant. Alii tanto virtutis allecti ſpecimine ſe illis junxerunt, & habitacula offerebant. Unum admiſiſſe Bernardum in oppido Carmignano, refert Piſanus, de quo ſub hoc tempore dubito; nam neque fratres habebant, qui locum incolerent, neque ante locum Portiunculæ alium obtinuerunt Minores. Ut ut ſit, locus hic ſpectabat ad Cuſtodiam Florentinam Provinciæ Tuſciæ Minorum Conventualium, in eoque per aliquod tempus floruit B. Joannes Parens, primus, vel, ut alii volunt, ſecundus poſt S. Franciſcum Miniſter Generalis. Vixit in eodem Conventu B. Humilis à Peruſio Prædicator inſignis, de quo nos agemus inferius. Illud item in hoc loco memorabile, quod dum prædicaret ibidem B. Joannes de Alverna, magnâ pluviâ univerſam circumcirca terram irrigante, non madefieret, vel una guttula ſuggeſtum ſub dio poſitum, nec terræ ſpatium, in quo auditores circumſtabant. *Piſan. conf. 10. in Cuſt. Florent. Rodul. fol. 261.*

XXXVI. Dum hæc, hiſque ſimilia agerent, paterenturque ſocii, & non ſine fructu animarum, Religioniſque incremento per Civitates, & Oppida diſcurrerent, rediit Franciſcus Aſſiſium, ubi quatuor alios admiſit diſcipulos B. Conſtantinum, vel, ut aliis placet, Joannem de S. Conſtantio, Comitatus Aſſiſii virum ſimplicem, magnæ ſanctitatis, profundæ humilitatis, & ingenuæ ſinceritatis, qui plenus meritis, & ſanctis operibus mortuus eſt Aſſiſii, ſepultus apud Portiunculam; & Barbarum Aſſiſiatem præcipuum paupertatis amatorem, quam verbo ſimul & opere extollebat, velut theſaurum incomparabilem in cœlo reconditum. Præter mantellum, habitum, & chordam nihil penès ſe retinuit. Ipſam illam pinguem, ſeu craſſiorem lacernam adeò panniculariam habebat, ut non integrum diceres habitum, ſed aſſuta invicem multa præſegmina. In converſatione, ſupra quam dici poteſt, humilis & mitis erat, in caritate *Marian. & Rodulph. cit.* Alios quatuor admittit Franciſcus diſcipulos.

tate erga proximos ferventiſſimus, in oratione aſſiduus, in corporis maceratione auſterus. Iterum de eo ſermo redibit inferiùs.

B. Bernardus de Viridante.

Rodul. fol. 67.

XXXVII. Alter fuit B. Bernardus de Viridante, ſive, ut vult Rodulphus, Bernardus Vigilantius, quem adeò vigilem factum, ait, in laboribus, & animæ curis, ut ſe minimè ſomno crediderit, ſed ſacris vigiliis magnum ſibi ſanctitatis nomen promeruerit. Eum raræ perfectionis virum dicit Marianus, & in cunctis virtutibus excellentem, ſtudioſum B. Franciſci in omnibus, præcipuè in patientia, ſectatorem. Multis claruit in vita miraculis; obiit apud S. Mariam de Angelis.

Legen. 3. ſocior.

Qualiter cōverſus fr. Silveſter.

Hoc anno n. 8.

XXXVIII. Quartus ex his, ſed in hoc Sodalitio undecimus fuit B. Silveſter Aſſiſias. Primus omnium ingreſſus eſt Ordinem ſacerdos, nam nec B. Petrus Cataneus, quantumvis majoris ædis Canonicus, quando habitum induit, gaudebat presbyterio. Ita converſum commemorant tres Socii in ſua Legenda. Vendiderat quoſdam B. Franciſco lapides pro S. Damiani æde reparanda, quorum juſtum acceperat pretium; in miraculoſa verò illa converſione Bernardi à Quintavalle, aderat liberali, quam ſupra retulimus, ſuarum rerum in pauperes diſtributioni. Dum profundi, & vero pecuniarum contemptu in omnes erogari vidit hominis peculium, præſide & magiſtro hujus donationis Franciſco, alienæ rei cupidus acceſſit ad beatum Patrem, & ſe deceptum queritur in lapidum pretio, & ultra acceptas pecunias plures ſibi deberi contendit. Noluit cum avaro Vir ſanctus contendere verbis, nec de re pecuniaria, quam jam contemnebat, lites excitare, quantumvis perſpectam habebat hominis avaritiam, ſed immiſsâ in ſacculum Bernardi manu, pecuniâ plenam homini porrigens, inquit: Accipe pro eo, quod repetis, non quod ego debeam, pretio; & ſecundò extractâ ſimiliter de ſacculo pecuniâ, offerebat, ſubinterrogans; habes adhuc plenam ſolutionem, Domine Sacerdos? Cui ille, plenam frater, & continuò domum lætus perrexit. At cum cubitum ire vellet, & in conſcientiæ ſuæ tribunali ſecum ſubiret de peractis illo die judicium, factum hoc ſincerè perpendit, & gravi animadverſione dignum judicavit. Itane, inquit, ego avarus? ita rei alienæ ſtudioſus, ut ſincerè mecum agentem fraudulenter poſtea decipiam? ita ego mundo & fluentibus inhio divitiis, ut jam provectæ & declinantis ætatis vir ſummo congregem ſtudio, quod adoleſcens ille ſumma liberalitate pro Deo laudabiliter condemnat? Pœnitet facti, infectum vellem, damnum reficiam, ut commiſſum tollam piaculum. Veniam interim à ſummo peto Judice, ne quod fateor, crimen citiùs puniat, & tempus neget impiè ablata juſtè reſtituendi.

Bonaven. cit.

Viſio nocturna fr. Silveſtri.

XXXIX. Statuta ſecum firmiùs ſui erroris correctione, illa nocte memorandam habuit viſionem. *Cum enim modum & viam Franciſci, fratrumque ſuorum humano ſpiritu abhorreret, ne periclitaretur pro temeritate judicii, reſpectu fuit ſupernæ gratiæ viſitatus. Videbat namque in ſomnis totam Aſſiſii civitatem à dracone magno circumdari, præ cujus magnitudine nimia, tota regio videbatur exterminio ſubjacere. Contuebatur poſt hæc crucem quamdam auream ex ore procedentem Franciſci, cujus ſummitas cælos tangebat, cujuſque brachia protenſa in latum, uſque ad mundi fines videbantur extendi; ad cujus etiam aſpectum præfulgidum, draco ille teter & horridus penitus fugabatur. Hoc dum ſibi tertiò monſtraretur, divinum exiſtimans eſſe oraculum, viro Dei, & fratribus ſuis per ordinem enarravit; ac non multo poſt tempore mundum relinquens, veſtigiis Chriſti ſic perfectè adhæſit, quod vita ipſius in Ordine authenticam reddidit eam,*

quam

quam in ſæculo habuerat viſionem. Ex hujus viſionis auditu, vir Dei Franciſcus non in gloria eſt elatus humana, ſed bonitatem Dei in ſuis beneficiis recognoſcens, fortiùs animatus eſt ad hoſtis antiqui fugandam verſutiam, & crucis Chriſti gloriam prædicandam.

XL. Viſio hæc præceſſit per aliquos menſes hujus ſancti Viri converſionem, licèt enim fortiter à Spiritu induceretur, ut Franciſcum, mundo valedicto, ſequeretur, haud ſtatim licuit, donec à quibuſdam rebus ſe expediret. Quamvis ergo viſio præceſſerit ſecundam illam fratrum miſſionem juxta Bonaventuræ narrationem, ſecuta eſt, ut adnotavit ex tribus Sociis Marianus, illius converſio. Illum jam initiatum magna habuit in reverentia S. Franciſcus, tum ob ſacerdotium, tum quia ſæpiùs eum vidit familiariter cum Deo confabulantem, velut alterum Moyſem, ſicut ſolet amicus loqui ad amicum ſuum. Fuit ſemper ſolitudinis amator, nec ſatis ad votum occulta inveniebat latibula, in quibus ab hominum oculis ſuas abſconderet virtutes.

Bonaven. cit. Legen. 3. ſocior. Marian. cit.

Exod. 33.

XLI. Adnumeratis ſibi, & Socio his quatuor viris, aliorum ſex qui aberant in ſancta diſperſione benignus Pater exoptans præſentiam, & caræ ſobolis deſiderans conſpectum, cum in unum eos per ſe convocare non poſſet, per eum orabat hoc fieri, qui *diſperſiones congregat Iſraelis*. Sicque factum eſt, ut abſque humana vocatione omnes ex inſperato, poſt modicum temporis juxta ejus deſiderium, divina operante clementia, non ſine ipſorum admiratione, pariter convenirent. Ingentem concepit Vir ſanctus ad ſuorum filiorum adventum cordis lætitiam, & eò majorem, quò ſinceriùs & humiliùs, quæ in iis, quas peragrarunt, Regionibus, ſe feciſſe in Dei & proximorum obſequium, referebant. Irruebant primi in poſteriorum diſcipulorum amplexus, ſibi invicem de ſancta ſocietate gratulantes, & animos ſibi addentes, ut in tanto Dei famulatu intrepidi perſeverarent. Referebant hilariter, qui regreſſi ſunt, quæ in illa miſſione ludibria, & verbera experti ſunt, perquàm gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro Chriſti obſequio contumeliam pati; quibus ſanctè invidentes noviſſimi tirones, nihil hujuſmodi extra tirocinium perpeſſi, id ſibi fingentes ſolatii, ſuum etiam tempus adfuturum, in quo ad ſacrum bellum progrediantur, & ſtrenuos ſe oſtendant aliorum commilitones.

Mirabiliter conveniunt omnes Franciſci diſcipuli.

Bonav. cit. Pſal. 146. 2. Leg. 3. ſoc.

XLII. Fovebat, & inſtruebat ſanctus Pater parvulam, & devotam hanc progeniem cum omni manſuetudine, & lenitate in pœnitentia multa, & vitæ aſperitate. Pro prece horaria inſtituit, ut ſecundum Officii divini partitionem ad unamquamque horam recitarent ter orationem Dominicam, & Miſſam audirent, cui dum intereſſent, plus volebat, ut vacaſſent divinorum myſteriorum contemplationi, quam vocali orationi. Cauſam verò, cur tam brevem precandi methodum ſanctus Pater inſtituit, aſſignabat B. Ægidius, dicens, nullo eum voluiſſe ſtatuto impedire devotionem, ſed ſancta & majora illorum obſequia deſideraſſe, ut à ſpontanea emanarent devotione.

Bernar. à Beſſa citat.

Brevem præſcribit eis formulam orandi.

XLIII. Hoc autem anno ad finem menſis Septembris è Mediolano, ut docet Bernardinus Corius, Romam petens, ut coronaretur à Pontifice, Otto Imperator, illac per humile hoc Franciſci tugurium, Archiepiſcopo, & Proceribus Mediolanen. adſtipatus, magnoque comitatu & pompa incedens, tranſivit. At Vir ſanctus, cum ſecus viam maneret, nec ipſe, nec aliquis ſuorum ſaltem aſpicere de tugurio voluit, tantus erat in eis mundanæ pompæ contemptus, & tam averſos ab hujuſmodi va-

Corius 2. par. hiſt. Mediolan. Vincent. Bellovacen. l. 10. c. 99. Marian. cap. 8. §. 10.

Prædicit Ottonem Imperatorem deponendū.

vanitatibus inſectandis, aſpiciendiſve animos habebant. Miſit verò ſanctus Pater unum ex Sociis Imperatorem allocuturum, cui, gloriam hujuſmodi modicum duraturam ei conſtanter nunciare, præcepit. Exequitur ſui Patris mandatum humilis ſubditus, & coram omnibus dixit, quod ab uno accepit; verumque denunciaſſe, etſi cum Imperatoris diſplicentia, vel proximè ſequens annus, in quo à Pontifice juſtè excommunicatus imperii jure privatus eſt, evidenter oſtendit.

Plura ſubſcribunt alii hoc anno facta à B. Patre, ejuſque Sociis, aliorum converſionem, vivendi regulam præſcriptam, ejus per Innocentium approbationem, hiſque ſimilia, quæ in ſequentem potius inciderunt, ut ſuis locis ampliùs oſtendemus.

S. Eliſabethę nativitas.

Jacob. Montan. in vita S. Eliſab. c. 1. Theodoric. Thuringus de eadem lib. 1. c. 1. Hiſtor. de Lantgraviis Thuring. c. 35. & 37.

XLIV. Porrò hoc anno Eliſabetham Andrea ſecundo, & Gertrude Carinthiæ Ducis filia, Hungariæ Regibus, pietate, & majeſtate præclaris exortam anno MCCVII. Hermannus Thuringiæ maximus Princeps, vulgò Lantgravius, Ludovico filio infanti deſponderi curavit adhuc in cunis lactantem. Ferunt genethliacum quemdam, Clinſor dictum, longe poſitum in Thuringiæ oppido Yſenach, paucis ante horis, quam Eliſabeth ederetur in lucem, prædixiſſe naſcituram, natæque nomen, indolem, virtutes, miracula, nuptias, ac ſponſi nomen, denique lætitiam Eccleſiæ, tantarum rerum gratia declarandam, veluti ex ſiderum, quæ contemplabatur, aſpectu, citata depromſiſſe. Quam quidem prædictionem, qui divino inſtinctum ſpiritu hominem volunt, veteris Balaami vaticinio comparant; qui verò divinatricem Aſtrologiæ vanitatem derident, intra famam reponunt.

Num. 23. & 24.

Deſponſatur Lantgravio Principi.

Quarto autem Eliſabethæ infantis anno Hermannus Princeps, miſſis iterum Legatis, eam adferri ad ſe precibus, & quidem facillimè, obtinuit, Reginâ matre petitioni libenter annuente, quod regia declaravit munificentia. Nam poſteaquam Legatis honorificè ſuſceptis, benignè auditis, atque humaniſſime tractatis, filiam in argenteo cunarum toreumate, molliſſimo cubantem lectulo, & coram exhibuit & commendavit: plurima quoque munera ſimul obtulit regiâ digna munificentiâ, vim denique non mediocrem adjecit pecuniæ. Præcepitque, Principi dicerent, ne putaret his tantùm muneribus liberalitatem ſuam limitari: deſtinare ſe, ſi diutius vivere contingat, adjicere gloriam, divitias, honores, nec pati, ut priorum collatio oblivione poſteriorum vileſcat: tantummodo bono eſſet animo, filiamque bene commendatam haberet.

ARGUMENTUM.

Præſcribit Fratribus Regulam, quam ei confirmavit Innocentius III. viſionibus monitus cœleſtibus. Romæ Cardinalium, & Principum ſibi, ſuiſque animos devincit. Rediens in vallem Spoletanam, commoratur per aliquot dies juxta civitatem Hortæ, deinde redit ad priſtinum locum Rivitorti. Obtinet à Benedictinis Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Portiuncula, ubi multos ſuo habitu donat, & ſalutaribus inſtruit diſciplinis.

I. CERNENS Chriſti famulus paulatim accreviſſe numerum Fratrum, de Inſtituto, quod obſervarent, ſecum altiùs cogitavit. Convocatis proinde undecim illis diſcipulis eos his verbis affatur: Video, fratres cariſſimi, quod pius & miſericors Dominus noſtram vult augere Con-

Congregationem. Præſcribendum nobis Inſtitutum, quod uniformiter ſequamur, & monendus de noſtra vita Sanctiſsimus Pontifex Romanus, abſque cujus approbatione & condeſcenſione nihil ſanum, aut firmum in fidei, aut religionis negotio cenſuerim. Euntes ergo ad matrem noſtram ſanctam Eccleſiam Romanam, notificemus Domino Papæ, quod per nos facere Dominus cœpit, ut de voluntate & præcepto ejus, quod cœpimus, proſequamur. Placuit omnibus Viri ſancti propoſitio, & ſe paratos reſpondent, ut quam dictaverit Regulam ſectentur, Romamque petant pro eadem confirmanda. Nullum erat tunc jus poſitivum Eccleſiaſticum, nec aliorum exemplum, quo ad hanc confirmationem petendam cogerentur, ut doctè notarunt Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, & Joannes de Carthagena: ſed ob majorem rei firmitatem, ne ſibi accideret, quod contigiſſe videbant Waldenſibus à Lucio, & Innocentio III. reprobatis, & propter ſummam & religioſam, quam ſtatuerunt erga Eccleſiam Catholicam, reverentiam & ſubmiſſionem, ſuâ magis ſponte, ut ait Platus, quam legis cujuſpiam coactu, Inſtituti rationem à Pontifice ſanciendam decreverunt. Scripſit autem pius Pater, longâ præmiſſa oratione, ſibi, & Sociis, ceteriſque ſuis Sectatoribus, ſimplicibus verbis hanc, quam ſubjicio, formulam vitæ. Eam à ſe ſolo, interiore dictante ſpiritu, condidiſſe communis eſt, & recepta inter vetuſtos noſtros Scriptores ſententia; ſed Chronicon magnum Belgicum id factum ſingulariter dicit, cooperantibus religioſis & peritis viris ex Sociis. Longè autem diſtat hæc Regula ab Auguſtiniana, quam plano errore putavit Stephanus Garibajus profiteri adhuc Minores. In hac porrò, ſancti Evengelii obſervantiâ pro fundamento indiſſolubili collocatâ, pauca quædam alia inſeruit Franciſcus, quæ ad uniformem vivendi modum neceſſaria videbantur.

Bellarm. l. 2. de monach. c. 4.

Carthag. de antiquit. Carmelit. tract. 1, c. 4.

Plat. l. 1. de bon. ſtat. relig. c. 2.

Garib. de reb. Hiſpan. to. 2. l. 12. c. 47.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.
AMEN.

II. *HÆc eſt vita, quam Frater Franciſcus petiit ſibi concedi, & confirmari à Domino Papa Innocentio, & conceſſit, & confirmavit eam ſibi, & ſuis Fratribus habitis, & futuris. Frater Franciſcus, & quicumque erit caput iſtius Religionis, promittit obedientiam & reverentiam Domino Innocentio Papæ, & ejus Succeſſoribus obedire.*

CAPUT I.

Quod Fratres debent vivere in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.

REgula & vita iſtorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet vivere in obedientia, & in caſtitate, & ſine proprio; & Domini noſtri Jeſu Chriſti doctrinam & veſtigia ſequi, qui dicit: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo; & veni, ſequere me. *Et*: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Item*: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores; adhuc autem & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Et omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, fratres, aut ſorores, uxorem, aut filios, domos, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

Matth. 19. 21.

Luc. 9. 23.

Luc. 14. 26.

Matth. 19. 29.

CAPUT II.

De receptione, & veſtitu Fratrum.

SI quis divinâ inſpiratione volens accipere hanc vitam, venerit ad noſtros Fratres, benignè recipiatur ab eis: qui ſi fuerit firmus accipere vitam noſtram, multum caveant Fratres ſibi, ne de ſuis temporalibus negotiis ſe intromittant, ſed ad ſuum Miniſtrum, quàm citius poterunt, eum repræſentent. Miniſter verò benignè recipiat ipſum, & confortet, & vitæ noſtræ tenorem ei diligenter exponat. Quo facto, prædictus, ſi vult, & poteſt ſpiritualiter, & ſine impedimento, vendat omnia ſua, & ſtudeat pauperibus erogare. Caveant autem Fratres, & Miniſtri Fratrum, quod de negotiis ſuis nullo modo ſe intromittant. Nec accipiant aliquam pecuniam, nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam. Si tamen indiguerint, alia neceſſaria corporis, præter pecuniam, accipere poſſunt Fratres causâ neceſſitatis, ſicut alii pauperes. Et cum reverſus fuerit, Miniſter concedat ei pannos probationis uſque ad annum, ſcilicet duas tunicas ſine caputio, & cingulum, & bracas, & caparonem uſque ad cingulum. Finito verò anno & termino probationis, recipiatur ad obedientiam. Poſtea non licebit ei ad aliam Religionem accedere, nec extra obedientiam evagari, juxta mandatum Domini Papæ. Si autem aliquis venerit, qui ſua dare non poteſt ſine impedimento, & habet ſpiritualem voluntatem, relinquat illa, & ſufficit ei. Nullus recipiatur contra formam, & Inſtitutionem Sanctæ Eccleſiæ.

Alii verò, qui promiſerunt obedientiam, habeant unicam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, ſi neceſſe fuerit, & cingulum & bracas. Et omnes Fratres vilibus veſtibus induantur, & poſſint eas repeciare de ſaccis, & aliis peciis cum benedictione Dei; quia Dominus dicit in Evangelio:
Luc. 7. 25. Matth. 11. 8. Qui in veſte pretioſa ſunt, & in deliciis, & qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. *Et licet dicantur hypocritæ, non tamen ceſſent benefacere. Nec quærant caras veſtes in hoc ſæculo, ut poſſint habere veſtimentum in regno cælorum.*

CAPUT III.

De divino Officio, & jejunio.

Marc. 9. 28. Matth. 6. 16. *DIcit Dominus*: Hoc genus Dæmoniorum non poteſt exire, niſi in jejunio & oratione: *& iterum*, cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. *Propter hoc omnes fratres, ſive clerici, ſive laici, faciant divinum Officium, Laudes, & Orationes ſecundùm quod debent facere. Clerici faciant Officium, & dicant pro vivis, & pro mortuis ſecundùm conſuetudinem Clericorum. Pro defectu autem & negligentia Fratrum omni die dicant, Miſerere mei Deus, cum Pater noſter; & pro Fratribus defunctis dicant, De profundis, cum Pater noſter. Et libros neceſſarios ad implendum eorum officium poſſint habere. Et laicis ſcientibus legere pſalterium, liceat illud habere. Aliis verò neſcientibus litteras, librum habere non liceat. Laici verò dicant, Credo in Deum, & viginti quatuor Pater noſter cum Gloria Patri. Pro Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet iſtarum ſeptem Pater noſter cum Gloria Patri. Pro Veſperis autem duodecim: pro Completorio ſeptem, & Credo in Deum, cum Gloria Patri. Pro mortuis ſeptem Pater no-*

noſter, cum Requiem æternam. Et pro defectu & negligentia Fratrum tria Pater noſter qualibet die.

Et ſimiliter omnes Fratres jejunent à feſto Omnium Sanctorum uſque ad Natale, & ab Epiphania, quando Dominus noſter Jeſus Chriſtus incepit jejunare, uſque ad Paſcha. Aliis verò temporibus non teneantur ſecundùm hanc vitam, niſi ſextâ feriâ, jejunare. Et liceat eis manducare de omnibus cibis, qui apponuntur eis, ſecundùm ſanctum Evangelium. Luca 10. 8.

CAPUT IV.

De Miniſtris, & aliis Fratribus, qualiter ordinentur.

IN nomine Domini: omnes Fratres, qui conſtituuntur Miniſtri, & ſervi aliorum Fratrum, in locis quibus fuerint, collocent ſuos Fratres, quos ſæpè viſitent, & ſpiritualiter moneant, & confortent. Et omnes alii Fratres mei benedicti diligenter obediant eis in his, quæ ſpectant ad ſalutem animæ, & non ſunt contraria vitæ noſtræ. Et faciant inter ſe ſicut dicit Dominus: Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; Matth. 7. 12. *&, quod tibi non vis fieri, non facias alteri. Et recordentur Miniſtri &* Tob. 4. 16. *ſervi, quod dicit Dominus:* Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare; *& quod* Matth. 20. 28. *commiſſa eſt eis cura animarum Fratrum, de quibus ſi aliquid perderetur propter eorum culpam, & malum exemplum, in die judicii oportebit eos reddere rationem coram Domino Jeſu Chriſto.*

CAPUT V.

De correctione Fratrum in offenſione.

IDeoque animas veſtras, & fratrum veſtrorum cuſtodite, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Heb. 10. 31. *Si quis autem Miniſtrorum alicui Fratri aliquid contra vitam noſtram præceperit, vel contra animam ſuam, non tenetur ei obedire; quia illa obedientia non eſt, in qua delictum vel peccatum committitur. Veruntamen omnes Fratres, qui ſunt ſub Miniſtris & ſervis Fratrum Minorum, & ſervorum, conſiderent rationabiliter & diligenter, ſi viderint aliquem illorum carnaliter, & non ſpiritualiter ambulare pro rectitudine vitæ noſtræ; poſt tertiam admonitionem, ſi non ſe emendaverit, in Capitulo Pentecoſtes renuncient Miniſtro, & ſervo totius fraternitatis, nullâ contradictione impediente. Si verò inter Fratres, ubicumque ſint, fuerit aliquis Frater, volens carnaliter, & non ſpiritualiter ambulare; Fratres cum quibus eſt, moneant eum, & inſtruant, & corripiant humiliter & diligenter. Quod ſi ille poſt tertiam admonitionem noluerit ſe emendare, quàm citius poſſint, mittant eum, vel ſignificent ſuo Miniſtro & ſervo; qui Miniſter & ſervus de eo faciat, ſicut ſibi ſecundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et caveant omnes Fratres, tam Miniſtri & ſervi, quàm alii, quod propter peccatum alterius, vel malum exemplum non turbentur, & iraſcantur; quia Diabolus propter delictum unius vult multos corrumpere; ſed ſpiritualiter ſicut poſſunt, adjuvent eum, qui peccavit; quia* non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus. Matth. 9. 12. *Similiter omnes Fratres non habeant poteſtatem, vel dominationem maximè inter ſe. Sicut enim Dominus dicit in Evangelio:* Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Matth. 20. 25.

eos. *Non ſic erit inter Fratres, ſed quicumque voluerit inter eos major fieri, ſit eorum Miniſter & ſervus, & qui major eſt inter eos, fiat ſicut minor. Nec aliquis Fratrum malum faciat, vel malum dicat alteri, imò magis per caritatem ſpiritus voluntariè ſerviant & obediant invicem. Et hæc eſt vera, & ſancta obedientia Domini noſtri Jeſu Chriſti: & omnes Fratres quomodocumque declinaverint à mandatis Domini, & extra obe-*
Pſal. 118. 21. *dientiam evagaverint, ſicut dicit Propheta, ſciant ſe eſſe maledictos extra obedientiam, quouſque ſteterint in tali peccato ſcienter. Et quando perſeverant in mandatis Domini, quæ promiſerunt per ſanctum Evangelium, & vitam ipſorum, ſciant ſe in vera obedientia ſtare, & benedicti ſint à Domino,*

CAPUT VI.

De recurſu Fratrum ad Miniſtrum, & quod aliquis Frater non vocetur Prior.

FRatres, in quibuſcumque locis ſunt, ſi non poſſunt vitam noſtram obſervare, quam citiùs poſſunt, recurrant ad ſuum Miniſtrum, hoc ipſi ſignificantes. Miniſter verò taliter ſtudeat eis providere, ſicut vellet ſibi fieri, ſi in conſimili caſu eſſet. Et nullus vocetur Prior, ſed generaliter omnes vocentur Fratres Minores, & alter alterius lavet pedes.

CAPUT VII.

De modo ſerviendi, & laborandi.

OMnes Fratres, in quibuſcumque locis fuerint apud aliquos ad ſerviendum, vel ad laborandum, non ſint camerarii, nec cellarii, nec præſint in domibus eorum, quibus ſerviunt, nec recipiant aliquod officium, quod ſcandalum generet, vel animæ ſuæ faciat detrimentum; ſed ſint Minores, & ſubditi omnibus, qui in eadem domo ſunt. Et Fratres, qui ſciunt laborare, laborent, & eandem artem exerceant, quam noverint, ſi non ſit contra ſalutem animæ ſuæ, & honeſtè poterunt operari. Nam, ait Pro-
Pſal. 127. 2. *pheta*, labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene
2. Theſſ. 3. 10. tibi erit: *& Apoſtolus*, qui non vult operari, non manducet. *Et unuſquiſque in eadem arte & officio, in quo vocatus eſt, permaneat. Et poſſint pro labore accipere omnia neceſſaria, præter pecuniam; & cum neceſſe fuerit, vadant pro eleemoſynis, ſicut alii pauperes. Et liceat eis habere ferramenta & inſtrumenta ſuis artibus neceſſaria. Omnes Fratres ſtudeant*
Hieron. Tom. 1. Ep. 4. *bonis operibus inſudare, quia ſcriptum eſt:* Semper facito aliquid boni, ut
Anſel. Ep. 6. ad Ciſterc. te Diabolus inveniat occupatum: *& iterum*, otioſitas eſt animæ inimica. *Idcirco ſervi Dei ſemper orationi, vel alicui bonæ operationi inſiſtere debent. Caveant ſibi Fratres ubicumque fuerint, in eremis, vel in aliis locis, quod nullum locum ſibi approprient, nec alicui defendant. Et quicumque ad eos venerint, amicus, vel adverſarius, fur vel latro, benignè recipiatur. Ubicumque ſunt Fratres, vel in quocumque loco ſe invenerint, ſpiritualiter & diligenter debeant ſe revidere, & honorare ad invicem ſine murmuratione. Et caveant ſibi, quod non oſtendant ſe triſtes extrinſecus, nubiloſos, & hypocritas; ſed oſtendant ſe gaudentes in Domino, hilares, & convenienter gratioſos.*

CA-

CAPUT VIII.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

D*Ominus in Evangelio* : Videte , & cavete ab omni avaritia ; & attendite vobis à ſollicitudinibus hujus ſæculi , & à curis hujus vitæ . *Unde nullus Fratrum , ubicumque ſit , & quocumque vadit , aliquo modo tollat , nec recipiat , nec recipi faciat pecuniam , aut denarios , nec occoſione veſtimentorum , nec librorum , nec pro pretio alicujus laboris ; imò nulla occaſione , niſi propter manifeſtam neceſſitatem infirmorum Fratrum , quia non debemus majorem utilitatem habere , & reputare in pecunia , & denariis , quam in lapidibus . Et illos vult Diabolus obcæcare , qui eam appetunt , vel reputant lapidibus meliorem . Caveamus ergo , quia omnia reliquimus , ne pro tam modico regnum cælorum perdamus . Et ſi in aliquo loco invenerimus denarios , de his non curemus tamquam de pulvere , quem pedibus calcamus ; quia* vanitas vanitatum , & omnia vanitas . *Et ſi forte , quod abſit , aliquem Fratrem contigerit pecuniam , vel denarios colligere , vel habere , exceptâ ſolummodo prædictâ infirmorum neceſſitate ; omnes Fratres teneant eum pro falſo Fratre , & fure , & latrone , & localos habente , niſi verè pœnituerit . Et nullo modo Fratres recipiant , nec quærant , nec quæri faciant pecuniam , vel eleemoſynam , nec denarios pro aliquibus domibus , vel locis , nec cum perſona , pro talibus locis pecuniam , vel denarios quærente , vadant . Alia autem ſervitia , quæ non ſunt contraria vitæ noſtræ , poſſunt Fratres in talibus locis facere cum benedictione Dei : Fratres tamen in manifeſta neceſſitate leproſorum , poſſunt pro eis quærere eleemoſynam . Caveant tamen multum à pecunia . Similiter caveant omnes Fratres , ne pro aliquo turpi lucro terras circumeant .*

Luc. 12. 15. & 21. 34.

Eccle. 1. 2.

CAPUT IX.

De petenda eleemoſyna.

O*Mnes Fratres ſtudeant ſequi humilitatem , & paupertatem Domini noſtri Jeſu Chriſti , & recordentur , quod nihil aliud oportet nos habere de toto mundo , ſicut dicit Apoſtolus* : Habentes alimenta, & quibus tegamur , his contenti ſimus . *Et debent gaudere quando converſantur inter viles & deſpectas perſonas , inter pauperes & debiles , infirmos & leproſos , & juxta viam mendicantes . Et cum neceſſe fuerit , vadant pro eleemoſynis , & non verecundentur , quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus filius Dei vivi omnipotentis , poſuit faciem ſuam , ut petram duriſſimam , nec verecundatus eſt , & fuit pauper , & hoſpes , & vixit de eleemoſynis ipſe , & Beata Virgo , & diſcipuli ejus . Quando facerent eis homines verecundiam , & nollent eis dare eleemoſynam , referant inde gratias Deo , quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti . Et ſciant quod verecundia non patientibus , ſed inferentibus imputatur . Et eleemoſyna eſt hæreditas , & juſtitia , quæ debetur pauperibus , quam nobis acquiſivit Dominus noſter Jeſus Chriſtus . Et Fratres , qui eam acquirendo laborant , magnam mercedem habebunt , & faciunt lucrari & acquirere tribuentes ; quia omnia , quæ homines faciunt in hoc mundo , peribunt ; ſed de caritate , & de eleemoſynis , quas fecerint , habebunt præmium à Domino . Et ſecurè ma-*

1. Tim. 6. 8.

manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam, ut ſibi neceſſaria inveniat, & miniſtret. Et quilibet diligat, & nutriat Fratrem ſuum, ſicut mater diligit, & nutrit filium ſuum, in quibus Deus eis gratiam largiatur. Et
Rom. 14. 3. qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet. *Et quando neceſſitas ſupervenerit, liceat univerſis Fratribus, ubicumque fuerint, uti omnibus cibis, quos poſſunt homines manducare, ſicut Dominus noſter dicit de David, qui comedit panes*
Marc. 2. 26. *propoſitionis, quos non licebat comedere, niſi ſacerdotibus. Et recordentur,*
Luc. 21. 34. *quod dicit Dominus:* Attendite vobis ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & ſuperveniat in vos repentina dies illa; tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. *Similiter tempore manifeſtæ neceſſitatis, faciant omnes de eorum neceſſariis, ſicut eis Dominus gratiam largietur, quia neceſſitas non habet legem.*

CAPUT X.

De infirmis Fratribus.

SI quis Fratrum in infirmitatem inciderit, ubicumque fuerit, alii Fratres non dimittant eum, niſi conſtituatur unus de Fratribus, vel plures, ſi neceſſe fuerit, qui ſerviant ei, ſicut vellent ſibi ſerviri. Sed in maxima neceſſitate poſſunt ipſum dimittere alicui perſonæ, quæ debeat ſuæ ſatisfacere infirmitati. Et rogo Fratrem infirmum, ut referat de omnibus gratias Creatori; & qualem vult eum Dominus, talem ſe eſſe deſideret, ſive ſanum, ſive infirmum; quia omnes, quos Deus ad vitam præordinavit æternam, flagellorum, atque infirmitatum ſtimulis, & compunctionis Spiritu erudit,
Apoc. 3. 19. *ſicut dicitur in Apocalypſi:* Ego quos amo, corrigo & caſtigo. *Si autem turbabitur, ſive iraſcetur contra Deum, ſive contra Fratres: vel ſi fortè ſollicitè poſtulaverit medicinas, nimis deſiderans liberare carnem citò morituram, quæ eſt animæ inimica, à malo ſibi evenit, & carnalis eſt, & non videtur eſſe de Fratribus, quia plus diligit corpus, quam animam.*

CAPUT XI.

Quod Fratres non blaſphement, nec detrahant, ſed diligant invicem.

ET omnes Fratres caveant ſibi, ut non calumnientur aliquem, nec contendant verbis, ſed ſtudeant retinere ſilentium, quandocumque eis Dominus gratiam largietur. Nec litigent inter ſe, nec cum aliis; ſed pri-
Luc. 17. 10. *mo curent humiliter reſpondere, dicentes:* Servi inutiles ſumus; *& non*
Matth. 5. 22. *iraſcantur, quia* omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, fatue: reus erit gehennæ ignis. *Et diligant ſe*
Joan. 15. 12. *invicem, ſicut Dominus dicit:* Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. *Et oſtendant ex operibus dilectionem, quam de-*
1. Joan. 3. 18. *bent ad invicem, ſicut dicit Apoſtolus:* Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. *Neminem blaſphement, nec murmurent, nec detra-*
Eccl. 28. 15. Rom. 1. 29. *hant aliis, quia ſcriptum eſt:* Suſurro maledictus, & detractores Deo odibiles. *Et ſint modeſti omnes, monſtrantes manſuetudinem ad omnes homines,*
Luc. 6. 41. *nec judicent, nec condemnent. Et ſicut dicit Dominus, non conſiderent minima peccata aliorum, imò magis ſua recogitent in amaritudine animæ ſuæ.*
Et

Et contendant intrare per anguſtam portam, quia dicit Dominus: quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Matth. 7. 14.

CAPUT XII.

De malo viſu, & frequentia mulierum vitanda.

O*Mnes Fratres, ubicumque ſunt, vel vadunt, caveant ſibi à malo viſu, & frequentia mulierum. Et nullus cum eis conſilietur ſolus. Sacerdos honeſtè loquatur cum eis, dando pœnitentiam, vel aliud ſpirituale conſilium. Et nulla penitùs mulier ab aliquo Fratre recipiatur ad obedientiam; ſed dando ſibi conſilium ſpirituale, ubi voluerit, agat pœnitentiam. Et multùm omnes nos cuſtodiamus, & omnia membra noſtra nos teneamus, quia dicit Dominus*: Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matth. 5. 28.

CAPUT XIII.

De præſumptione fornicationis.

S*I quis Fratrum, diabolo inſtigante, fornicaretur, habitum, quem ex ſua turpitudine amiſit, ex toto deponat, & à noſtra Religione penitùs expellatur, & poſtea pœnitentiam faciat de peccatis.*

CAPUT XIV.

Quomodo Fratres debeant ire per mundum.

Q*Uando Fratres vadunt per mundum, nihil portent per viam*, nec ſacculum, nec peram, *nec panem, nec pecuniam, nec virgam. Et in quamcumque domum intraverint, dicant primùm*: Pax huic domui. *Et in eadem domo manentes, edant & bibant, quæ apud illos ſunt. Non reſiſtant malo, ſed ſi quis eos in maxillam percuſſerit, præbeant ei alteram; & qui auferret eis veſtimentum, & tunicam, non prohibeant. Omni petenti ſe tribuant, ſed ſi quis auferret quæ ſua ſunt, non repetant.* Luc. 10. 4. Matth. 10. 13. Luc. 10. 5. Luc. 6. 29. 30.

CAPUT XV.

Quod Fratres non teneant beſtiam, nec equitent.

I*Njungo omnibus Fratribus meis, tam clericis, quam laicis, euntibus per mundum, licèt morantibus in locis, quod nullo modo apud ſe, nec apud alium, & aliquo modo beſtiam aliquam habeant. Nec eis liceat equitare, niſi infirmitate, vel magna neceſſitate cogantur.*

CAPUT XVI.

De euntibus inter Saracenos, & alios infideles.

D*Ixit Dominus*: Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Unde quicumque Fratrum divinâ inſpiratione voluerint ire inter Saracenos, &* Matth. 10. 16.

alios infideles, vadant de licentia ſui Miniſtri & Servi. Miniſter verò det eis licentiam, & non contradicat, ſi viderit eos idoneos ad mittendum; nam tenebitur Domino reddere rationem, ſi in hoc vel in aliis proceſſerit indiſcretè. Fratres verò, qui vadunt, poſſunt duobus modis ſpiritualiter inter eos converſari. Unus modus eſt, quod non faciant lites, nec contentiones,
1. Pet. 2. 15. *ſed ſint ſubditi omni humanæ creaturæ propter Deum, & confiteantur ſe eſſe Chriſtianos. Alius modus eſt, quod cum viderint placere Deo, annuncient verbum Dei, ut credant in Deum Omnipotentem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Creatorem omnium, Redemptorem & Salvatorem Filium; ut baptizentur, & Chriſtiani efficiantur; quia* niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. *Hæc & alia, quæ placuerint Domino, ipſis & aliis dicere poſſunt, quia dicit Dominus in Evangelio*: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Et qui erubuerit me, & meos ſermones; hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum. *Et omnes Fratres, ubicumque ſunt, recordentur quod dederunt ſe, & reliquerunt ſua corpora Domino noſtro Jeſu Chriſto, & pro ejus amore debent ſe exponere inimicis, tam viſibilibus, quam inviſibilibus; quia dicit Dominus*: Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet eam in vitam æternam. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum, tamquam malum, & cum dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. Dico autem vobis amicis meis, nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant. Videte ne terreamini. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

(Marginal references: Joan. 3. 5. — Matth. 10. 32. — Luc. 9. 26. — Luc. 9. 24. — Joan. 12. 25. — Matth. 5. 10. — Joan. 15. 20. — Matth. 10. 23. — Luc. 6. 22. — Matth. 5. 11. — Luc. 6. 23. — Luc. 12. 4. — Idem 21. 19. — Matth. 10. 22.)

CAPUT XVII.

De Prædicatoribus.

Nullus Fratrum prædicet contra formam, & inſtitutionem ſanctæ Eccleſiæ, niſi conceſſum fuerit ſibi à ſuo Miniſtro. Caveat ergo ſibi Miniſter, ne alicui indiſcretè concedat: omnes tamen Fratres operibus prædicent. Et nullus Miniſter, vel Prædicator appropriet ſibi miniſterium, vel officium prædicationis; ſed quacumque hora ei injunctum fuerit, ſine omni contradictione dimittat ſuum officium. Unde deprecor in caritate, quæ
Joan. 4. 8. Deus eſt, *omnes Fratres meos prædicatores, oratores, & laboratores, tam clericos, quam laicos, ut ſtudeant ſe humiliare in omnibus, non gloriari, nec in ſe gaudere, nec intrinſecus ſe exaltare de bonis verbis & operibus, imò de nullo bono, quod dicit vel facit Deus, & operatur in eis aliquando,*
Luc. 10. 20. *& per ipſos, ſecundum quod ipſe Dominus dicit*: Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus ſubjiciuntur vobis. *Et firmiter ſciamus, quod non pertinent ad nos niſi vitia & peccata: & magis debemus gaudere, cum in tentationes varias inciderimus, & cum ſuſtinemus quaſcumque animæ vel corporis anguſtias, aut tribulationes in hoc mundo propter vitam æternam. Omnes ergò, Fratres, caveamus ab omni ſuperbia & vana gloria. Cuſtodia-*

diamus nos à ſapientia hujus mundi, & à prudentia carnis. Spiritus enim carnis vult & ſtudet multùm ad verba habenda, ſed parum ad operationem; & quærit non religionem, & ſanctitatem ſpiritus, ſed vult & deſiderat religionem, & ſanctitatem foris apparentem hominibus; & iſti ſunt, de quibus dicit Dominus: Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Matth. 6. 2. *Spiritus autem Domini vult mortificatam & deſpectam, vilem & abjectam, & opprobrioſam eſſe carnem, & ſtudet ad humilitatem, & patientiam, & puram ſimplicitatem, & veram pacem ſpiritus: & ſuper omnia deſiderat divinum timorem, & divinam ſapientiam, & divinum amorem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et omnia bona Deo altiſſimo & ſummo reddamus, & omnia bona ipſius eſſe recognoſcamus, & de omnibus ei gratias referamus, à quo bona cuncta procedunt; & ipſe altiſſimus & ſummus, ſolus & verus Deus habeat, & ei reddantur, & ipſe recipiat omnes honores & reverentias, & omnes laudes & benedictiones, & omnes gratias, & omnem gloriam, cujus eſt omne bonum, qui ſolus eſt bonus. Et quando videmus, vel audimus malum dici, vel fieri, vel blaſphemari Deum, nos benedicamus,* Luc. 18. 19. *& benefaciamus, & laudemus Deum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.*

CAPUT XVIII.

Qualiter Miniſtri conveniant ad invicem.

QUolibet anno unuſquiſque Miniſter cum Fratribus ſuis poſſit convenire ubicumque placuerit eis, in feſto S. Michaelis Archangeli, de his, quæ ad Deum pertinent tractaturus. Omnes verò Miniſtri, qui ſunt in Ultramarinis, & Ultramontanis partibus, ſemel in tribus annis, et alii Miniſtri ſemel in anno veniant ad Capitulum in feſto Penteceſtes apud S. Mariam de Portiuncula, niſi à Miniſtro, et Servo totius Fraternitatis aliter fuerit ordinatum.

CAPUT XIX.

Quod omnes Fratres vivant Catholicè.

OMnes Fratres ſint Catholici, vivant et loquantur Catholicè: ſi quis verò erraverit à fide et vita Catholica in dicto, vel in facto, et non ſe emendaverit, à noſtra Fraternitate penitus expellatur. Et omnes Clericos, et omnes Religioſos habeamus pro dominis, in his quæ ſpectant ad ſalutem animæ, et à noſtra Religione non deviant, et ordinem, et officium eorum, et adminiſtrationem in Domino veneremur.

CAPUT XX.

De Confeſſione Fratrum, & perceptione Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

FRatres benedicti tam clerici, quam laici confiteantur peccata ſua Sacerdotibus noſtræ Religionis. Et ſi non poſſunt, confiteantur aliis diſcretis, et Catholicis Sacerdotibus, ſcientes firmiter, et attendentes, quod à quibuſcumque Sacerdotibus acceperint pœnitentiam, et abſolutionem, abſo-

luti erunt procul dubio ab illis peccatis, ſi pœnitentiam ſibi injunctam procuraverint humiliter, et fideliter obſervare. Si verò tunc Sacerdotem habere non poterunt, confiteantur fratri ſuo, ſicut dicit Apoſtolus Jacobus:
Jacob. 5. 16. Confitemini alterutrum peccata veſtra. *Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad Sacerdotes; quia poteſtas ligandi, atque ſolvendi ſolis Sacerdotibus eſt conceſſa. Et ſic contriti, et confeſſi ſumant Corpus, et Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti cum magna humilitate, et veneratione, attendentes,*
Joan. 6. 55. *quod ipſe Dominus dicit:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum
Luca 22. 19. ſanguinem, habet vitam æternam; *&*: Hoc facite in meam commemorationem.

CAPUT XXI.

De laude, & exultatione, quam poſſunt facere omnes Frates.

E*T hanc talem exhortationem, & laudem omnes Fratres mei, quandocunque placuerit eis, annunciare poſſunt, & inter quoſcumque homines, cum benedictione Dei: Timete & honorate, laudate & benedicite. Gratias agite, & adorate Dominum Deum Omnipotentem in Trinitate & unitate, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Creatorem omnium. Facite pœnitentiam, agite dignos fructus pœnitentiæ, quia ſcitote quod citò*
Luc. 6. 38. *moriemur. Date, & dabitur vobis. Dimittite, & dimittetur vobis; & ſi*
Matth. 5. 25. *non dimiſeritis, Dominus non dimittet vobis peccata veſtra. Beati qui moriuntur in pœnitentia, quia erunt in regno Cœlorum. Væ illis, qui non moriuntur in pœnitentia, quia erunt filii Diaboli, cujus opera faciunt, & ibunt in ignem æternum. Cavete & abſtinete ab omni malo, & perſeverate uſque in finem in bono.*

CAPUT XXII.

De admonitione Fratrum.

A*Ttendamus omnes, Fratres, quia dicit Dominus:* Diligite inimicos
Matth. 5. 44. veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. *Nam & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus veſtigia ſequi debemus, traditorem ſuum vocavit ami-*
Matth. 26. 50. *cum, crucifixoribus ſponte ſe obtulit. Amici ergo noſtri ſunt omnes illi, qui injuſtè nobis inferunt tribulationes, anguſtias, verecundias & injurias, dolores & tormenta, martyrium & mortem, quos multum diligere debemus; quia ex hoc, quod nobis inferunt, habemus vitam æternam. Et odio habeamus corpus noſtrum cum ſuis vitiis & peccatis, quia carnaliter vivendo vult nobis auferre amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & vitam æternam, & ſeipſum cum omnibus perdere in Infernum. Quia nos propter culpam ſumus fœtidi, miſeri, & bono contrarii; ad mala autem prompti, &*
Matth. 15. 19. *voluntarii; quia ſicut dicit Dominus in Evangelio:* De corde hominum procedunt & exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, *& avaritia, nequitia, dolus,* falſa teſtimonia, blaſphemiæ, *ſuperbia, ſtultitia. Hæc omnia mala ab intus de corde hominis procedunt,* & hæc ſunt, quæ coinquinant hominem. *Nunc autem poſtquam dimiſimus mundum, nil aliud habemus facere, niſi ut ſolliciti ſimus voluntatem Domi-*
Luc. 8. 13. *Marc. 4. 5.* *ni ſequi, & placere ipſi. Multùm caveamus, ne ſimus terra ſecus viam, vel*
Luc. 8. 12. *petroſa, vel ſpinoſa, ſecundum quod dicit Dominus in Evangelio:* Semen eſt ver-

verbum Dei. *Quod autem ſecus viam cecidit, & non conculcatum eſt, hi ſunt qui audiunt verbum Dei, & non intelligunt; & confeſtim venit Diabolus, & rapit quod ſeminatum eſt in cordibus eorum, ne credentes ſalvi fiant. Quod autem ſupra terram cecidit, hi ſunt qui cum audierint verbum, ſtatim cum gaudio ſuſcipiunt illud: factá autem tribulatione & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizantur, & hi radicem in ſe non habent, ſed temporales ſunt, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui verbum Dei audiunt, & ſollicitudo, & ærumnæ iſtius ſæculi, & fallacia divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficiuntur. Quod autem in terram bonam ſeminatum eſt, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum intelligunt, & retinent, & fructum afferunt in patientia. Et propterea nos, Fratres, ſicut dicit Dominus, dimittamus*
mortuos ſepelire mortuos ſuos, *& multum caveamus à malitia, & ſubti-* *Matt.8. 22.*
litate Satanæ, qui vult ne homo mentem ſuam & cor habeat ad Dominum Deum, & circuiens deſiderat cor hominis ſub ſpecie alicujus mercedis, vel adjutorii tollere, & ſuffocare verbum & præcepta Domini à memoria; & vult cor hominis per ſæcularia negotia, & curam excæcare, & ibi habita-
re, ſicut dicit Dominus: Cum immundus Spiritus exierit de homine, am- *Luc.11. 24.*
bulat per loca inaquoſa, quærens requiem; & non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios Spiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. *Unde, Fratres, cuſtodiamus nos multum, ne ſub ſpecie alicujus mercedis, vel adjutorii, vel operis, perdamus, aut tollamus mentem noſtram à Domino. Sed in ſancta caritate, quæ Deus eſt, rogo omnes Fratres, tam Miniſtros, quam alios, ut omni impedimento remoto, & omni curâ, & ſollicitudine poſtpoſitâ, quocumque modo melius poſſunt, debeant ſervire, amare, & honorare Dominum Deum mundo corde, & pura mente, quod ipſe ſuper omnia quærit. Et ſemper faciamus in nobis habitaculum & manſionem ipſi, qui eſt Dominus Deus Omnipotens Pater, & Filius, &*
Spiritus ſanctus; qui dicit: Vigilate itaque omni tempore orantes, ut di- *Luc.21. 36.*
gni habeamini fugere omnia *mala*, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium
hominis. *Et cum ſtatis ad orandum, dicite:* Pater noſter, qui es in Cœlis. *Matth. 6. 9.*
Et adoramus eum puro corde. Oportet *enim* ſemper orare, & non defice- *Luc. 18. 1.*
re; *nam Pater tales quærit adoratores*: Spiritus eſt Deus, & eos qui ado- *Joan. 4. 24.*
rant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. *Et ad ipſum recurramus, tamquam ad Patrem, & Epiſcopum animarum noſtrarum, qui dicit:*
Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco meas, & animam meam pono pro *Idem.10. 14.*
ovibus meis. Omnes autem vos Fratres eſtis: & patrem nolite vocare vo- *& 15.*
bis ſuper terram: unus enim eſt Pater veſter qui in Cœlis eſt. Nec vo- *Matth. 23. 8.*
cemini magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus. Si man- *9. & 10.*
ſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, *Joan.15.7.*
petetis, & fiet vobis. Ubicumque ſunt duo, vel tres congregati in no- *Matth.18. 20.*
mine meo, ibi ſum in medio eorum. Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad *Matth. 28. ult.*
conſummationem ſæculi. Verba, quæ locutus ſum vobis, Spiritus & vita *Joan.6. 64.*
ſunt. Ego ſum via, veritas, & vita. *Teneamus ergo veram vitam, & do-* *Joan.14. 6.*
ctrinam, & ſanctum ejus Evangelium, qui dignatus eſt pro nobis Patrem
ſuum, & nomen ejus nobis manifeſtare, dicens: Pater, manifeſtavi no- *Joan.17. 6.*
men tuum hominibus, quos dediſti mihi; quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis; & ipſi acceperunt, & cognoverunt verè quia à te exivi, & crede-

diderunt quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo, non pro mundo, ſed pro his, quos dediſti mihi; ſerva eos in nomine tuo, ut ſint unum ſicut & nos. Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt propter verba eorum in me, ut ſint conſummati in unum: & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum; ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi.

CAPUT XXIII.

Oratio ad Deum, ſive gratiarum actio, atque ad Fratres exhortatio.

Omnipotens, ſanctiſſime, altiſſime, & ſumme Deus, Pater ſancte, & juſte Domine, Rex cœli & terræ, propter temetipſum gratias agimus tibi, quod per ſanctam voluntatem tuam, & per unicum filium tuum, & per Spiritum ſanctum, creaſti omnia ſpiritualia & corporalia; & nos ad imaginem tuam & ſimilitudinem factos in Paradiſo poſuiſti, & per culpam noſtram cecidimus. Et gratias agimus tibi, quia ſicut per Filium tuum nos creaſti, ſic per iſtam dilectionem tuam, qua dilexiſti nos, ipſum verum Deum & verum Hominem ex glorioſa ſemper Virgine beatiſſima ſancta Maria naſci feciſti, & per crucem & ſanguinem, & mortem ipſius nos captivos redimere voluiſti. Et gratias agimus tibi, quia ipſe filius tuus iterum venturus eſt in gloria majeſtatis ſuæ mittere maledictos, qui pœnitentiam non egerunt, & te non cognoverunt, in ignem æternum; & dicere omnibus, qui te cognoverunt & adoraverunt, & tibi ſervierunt in pœnitentia: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Matth. 25. 34.
Et quia omnes miſeri & peccatores, non ſumus digni nominare te, ſuppliciter exoramus, ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus dilectus, in quo tibi bene complacuit, unà cum Spiritu Sancto Paraclito gratias agat tibi, ſicut tibi & ipſis placet pro omnibus, qui tibi ſemper ſufficit ad omnia, per quem tanta nobis feciſti. Alleluja. Et glorioſam Matrem beatiſſimam Mariam ſemper Virginem, beatum Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, & omnes choros beatorum Spirituum Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, Principatuum, & Poteſtatum, Virtutum, Angelorum, Archangelorum; B. Joannem Baptiſtam, Joannem Evangeliſtam, Petrum, Paulum, & beatos Patriarchas, & Prophetas, Innocentes, Apoſtolos, Evangeliſtas, Diſcipulos, Martyres, Confeſſores, Virgines, beatos Eliam & Enoch; & omnes ſanctos, qui fuerunt, erunt, & ſunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, ut ſicut tibi placet, pro his tibi gratias referant ſummo Deo, vero, æterno, & vivo, cum Filio tuo beatiſſimo Domino Jeſu Chriſto, & Spiritu ſancto Paraclito in ſæcula ſæculorum, Amen. Alleluja. Et Domino Deo univerſos intra Sanctam Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam ſervire volentes, & omnes ſequentes Ordines, Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, & Exorciſtas, Lectores,

(Margin: Matth. 17. 5.)

res, & Oſtiarios, & omnes Clericos, univerſos Religioſos, & univerſas Religioſas; omnes pueros & parvulos, pauperes & egenos, Reges & Principes, laboratores, & agricolas, ſervos & dominos; omnes virgines, continentes & maritatas, laicos maſculos & fœminas; omnes infantes, adoleſcentes, juvenes & ſenes, ſanos & infirmos, omnes puſillos & magnos, & omnes populos, tribus & linguas, & omnes nationes, & omnes homines ubique terrarum, qui ſunt, & erunt, humiliter rogamus & ſupplicamus nos omnes Fratres Minores ſervi inutiles, ut omnes in vera fide & pœnitentia perſeveremus; quia aliter nullus ſalvari poteſt. Omnes diligamus ex tota corde, ex tota anima, ex tota mente, & fortitudine, & ex toto intellectu, & ex omnibus viribus, toto niſu, toto affectu, totis viſceribus, totis deſideriis & voluntatibus Dominum Deum, qui totum corpus, totam animam, totam vitam dedit, & dat omnibus nobis: qui nos creavit & redemit, & ſolâ ſuâ miſericordiâ ſalvavit: qui nobis miſerabilibus & miſeris, putridis & fœtidis, ingratis, ignaris, & malis omnia bona fecit, & facit. Nihil erga aliud deſideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat, & delectet nos, niſi Creator, & Redemptor, & Salvator noſter, ſolus & verus Deus, qui eſt plenum bonum, verum & ſummum bonum, qui ſolus eſt bonus; pius & mitis, ſuavis & dulcis: qui ſolus eſt ſanctus, juſtus, verus, & rectus: qui ſolus eſt benignus, innocens, mundus: à quo, per quem, & in quo eſt omnis venia, omnis gratia, omnis gloria omnium pœnitentium & juſtorum, omnium beatorum in Cœlis congaudentium. Nihil ergo impediat, nihil ſeparet, nihil interpellet. Utique nos omnes omni loco, omni hora, & omni tempore, quotidie & continuè credamus veraciter & humiliter, & in corde teneamus, & amemus, honoremus, adoremus, ſerviamus, laudemus, & benedicamus; glorificemus, & ſuperexaltemus; magnificemus, & gratias agamus altiſſimo & ſummo Deo æterno, & Trinitati, & Unitati, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, Creatori omnium, in ſe credentium & ſperantium, & diligentium eum, qui ſine initio, & ſine fine, immutabilis, & inviſibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, inveſtigabilis, benedictus, laudabilis, glorioſus, ſuperexaltatus, ſublimis, excelſus, ſuavis, amabilis, delectabilis, & totus ſuper omnia deſiderabilis in ſæcula ſæculorum. Luc. 18. 19.

Exhortatio ad Fratres.

In nomine Dei omnipotentis rogo omnes Fratres, ut addiſcant tenorem, & ſenſum eorum, quæ in iſta vita ad ſalutem animæ noſtræ ſcripta ſunt, & iſta frequenter ad memoriam reducant. Et exoro Deum, ut ipſe, qui eſt Omnipotens, Trinus & Unus, benedicat omnes docentes, addiſcentes, recordantes, & operantes iſta, quoties repetunt quæ ibi ad ſalutem noſtram ſcripta ſunt. Et deprecor omnes cum oſculo pedum, ut multum diligant, cuſtodiant, & reponant; & ex parte Dei Omnipotentis, & Domini Papæ, & per obedientiam, ego Fr. Franciscus *firmiter præcipio & injungo, ut ex his, quæ in iſta vita ſcripta ſunt, nullus minuat, vel in ipſa ſcriptum aliquod deſuper addat, nec aliam Regulam Fratres habeant. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.*

III. Hac oſtenſâ Fratribus Regulâ, & per eoſdem acceptatâ, commendatâque, unanimiter omnes Romam pergunt, conſtituto ſui itineris duce B. Bernardo à Quintavalle. Magnâ incedentibus per viam modeſtiâ, nihil aliud in ore eorum reſonabat præter divinum eloquium, & ædificationis verba. Frequenter ad latibula divertebant, ut orationi, & perſol- Romam pergit Franciſcus cum ſuis. Leg. 3. ſoc.

& perſolvendis horariis precibus commodiùs vacarent. Ubi noctu decumberent, vel ad quem declinarent hoſpitem, non præmeditabantur, præparante, & præmovente eis Domino ubique viros pios, qui ultrò obvios in ſuas ducerent ædes, & abundè omnia miniſtrarent. Deflexerunt autem pauliſper ad Civitatem Reatinam, in qua per unum vel alterum manentes diem, obvium habuit Franciſcus nobilem quendam militem, Angelum Tancredum nuncupatum; cui licet antea ignoto, Dei inſtinctu ex tempore dixit: Domine Angele, baltheum, enſem, & calcaria militaria ſat longo cinxiſti tempore, oportet te modo ferre pro cingulo rudem funem, pro enſe Chriſti crucem, pro calcaribus pulverem & lutum platearum. Me ergo ſequere, & faciam te militem Chriſti. Mirabile dictu! Statim Spiritus ſancti gratia adeò cor hominis ad ſuam flexit voluntatem, ut omnibus continuò relictis, virum Dei ſecutus ſit, & ſequenti die paupercula hac leucophæa veſte ſe humiliter induerit, duodenariumque Franciſcani Collegii numerum compleverit. Breviter hic noto Bonaventuram, Vincentium Bellovacenſem, & alios docere, cum undecim tantum Diſcipulis Franciſcum Romam perrexiſſe, quia non plures habuit cùm Aſsiſio diſceſſit, nec hujus Angeli in itinere initiati meminerunt. Suæ converſionis ſeriem ipſe Angelus ad amuſſim humiliter expreſſit in illo, quod ſcripſit, Opuſculo de Franciſci geſtis in partibus Reatinis. Sæpius ejus inferius incidet memoria.

Angel. Reat. cit.

Converſio mirabilis Angeli Reatini.

IV. Mirandus prorſus, nec abſque conſideratione prætereundus ex repentina hac in omnibus ferme Franciſci ſociis mutatione, uberrimus in breviſſimo temporis ſpatio cumulus ſanctitatis, ut omnes ferme repente ſancti, perfectique evaſerint Evangelii ſectatores. Sed ſicut ſemen cadens ex improviſo de manu agricolæ ubi non vult, uberius quandoque germinat, quam ſtudioſè ſeminatum; ita Spiritus Domini quandoque piè utilitèrque fæcundat animas, repentinaque propter ardorem animi mundi renunciatio meliorem finem ſortitur. Appoſitè Hieronymus: *Subitus calor longum vincit teporem*, & Gregorius: *ſit plerumque gratior Deo ſubitò amore ardens poſt culpam vita, quam ſecuritate torpens innocentia*. Effectus hi ſunt ſingularis Dei gratiæ, & ſpecialis auxilii. *Exerit quidem frequenter potens & miſericors Deus ſingulares, & mirabiles iſtos ſuæ operationis effectus, & quibuſdam mentibus non expectatâ profectuum morâ, ſtatim ingentia bona dantur*. Illud etiam ſingulare Dei donum, quod & majorem in modum hominum ſibi vendicat conſiderationem, ut relictis mundi oblectamentis, carniſque blanditiis, ſpretis etiam patrio genere, cunctiſque ſibi caris, parvâ vel nullâ interpoſitâ morâ ad ciborum non tam parſimoniam quàm penuriam, ad nuditatem, & egeſtatem, ad ſummam corporis macerationem perferendam, adeò libenter hi deflexerint, ut nec ad delicias, nec ad epulas vocati, velociùs properarent. Sed qui vocavit Apoſtolos ad Eccleſiæ ſtructuram, hos attraxit ad ejuſdem reparationem: & ſicut illi *continuò relictis retibus ſecuti ſunt* Chriſtum; ita hi, ſpretis univerſis, repentè adhæſerunt Franciſco. Illi ſtatim, ut audierunt vocem invitantis, ipſo per gratiam operante interius, cujus vox ſonabat exterius, dicto citius ad unius juſsionis vocem ſequuti ſunt: Hi nullam in ſequendo moram fecerunt, non dilationis tempus quæſierunt, verbo potentis juſsionis ſub cordis intimo permoti. *Tali*, inquit Cajetanus, *attractioni interni ſpiritus, nullus unquam reſtitit, nullus etiam reſiſtet unquam, quia efficit voluntarium ſectatorem, operarium martyrem*.

Converſio repentina, aliquando fervens.

Hiero. epiſt. ad Paulinum.

Greg. par. 3. Paſt. c. 29.

Orig. l. 1. de vocat. gent. c. 4.

Potens Dei vocatio.

Matth. 4. 20.

Cajet. in cap. 4. Matth.

V. Il-

V. Illud tertiò penſitandum, Chriſtum nec viros doctos ad ſuum, nec ad Franciſcanum elegiſſe Collegium. Ea autem communior ratio, ut mirabilis mundi converſio, verè mira videretur ſub indoctis magiſtris; non artificioſa, nec humana ſub litteratis, nec perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis tribueretur, quod ſoli divinæ debebatur virtuti. Porro altera hæc eſt, quod bonorum, & ſimplicium ſincera corda, & candidas animas præfert Deus verboſæ doctorum prudentiæ, & faſtuoſæ jactantiæ. Illos elegit non doctos, ut doctos efficeret; mundani doctores neceſſe eſſet, ut in ejus ſchola dediſcerent. *Elegit eos*, inquit Chryſoſtomus, *non quaſi Apoſtolos, ſed quia Apoſtoli poterant fieri. Sicut artifex, ſi viderit gemmas pretioſas, & non dolatas, eligit illas, non quod ſint, ſed quod fieri poſſint; habens enim ſcientiam artis, bonum incompoſitum non contemnit.* Sic & Dominus videns hos, non doctrinam illorum aut ſapientiam elegit, ſed corda.

Quare non vocati ad Chriſti collegium Doctores.

Chryſ. hom. 7. in cap. 4. Matth. in princ.

Bonav. cit.

VI. Completo verò duodenario numero, ut ad Franciſcum revertatur oratio, cum iſto ſimplicium cœtu inceptum proſequitur iter ad Apoſtolicæ Sedis præſentiam, de ſola confiſus directione divina; cujus deſiderium Deus ex alto reſpiciens, ſociorum animos, ſimplicitatis ſuæ conſideratione perterritos, oſtenſâ viro Dei viſione hujuſmodi, confortavit. Videbatur ſiquidem ei, quod per quamdam viam incederet, juxta quam ſtabat arbor celſitudinis magnæ, ad quam cùm appropinquaſſet, & ſub ea ſtans ipſius altitudinem miraretur, ſubitò tantum divina virtute levabatur in altum, ut cacumen contingeret arboris, ejuſque ſumma facillime curvaret ad ima. Hujus viſionis præſagium vir Deo plenus intelligens referri ad condeſcenſionem Apoſtolicæ dignitatis, exhilaratus eſt ſpiritu, fratribuſque ſuis in Domino confortatis, cum eis iter eſt proſequutus.

Viſio myſterioſa S. Franciſci.

VII. Cum autem ad Romanam Curiam perveniſſet, in eadem invenit Dominum Guidonem Aſſiſitatem Epiſcopum, à quo cum ingenti receptus eſt gaudio propter ſummum in ipſum, ejuſque Sodales affectum. Sed ad primum turbatur aſpectum, donec adventus eorum cauſam exploravit: timuit enim eos voluiſſe ab Aſſiſio aliò tranſmigrare ad magnam Aſſiſiatum jacturam, ſi tantorum hominum ſanctæ converſationis privarentur exemplo. Ut verò ei conſtitit illorum deſiderium, ſe adjutorem, & promotorem hujus negotii offert, indicatque ad faciliorem voti aſſecutionem magnam ſibi eſſe cum Illuſtriſſimo Domino Joanne de Sancto Paulo magnæ auctoritatis viro, & S. R. E. Cardinali neceſſitudinem. Cardinalem hunc ex illuſtri Columnenſium Familia Eduardo patre ſatum, ait Marianus, à Cæleſtino III. creatum Presbyterum Cardinalem tituli ſanctarum Aquilæ & Priſcæ referunt Panvinius, & Ciacconius, & ab Innocentio III. anno MCCV. factum Sabinenſem Epiſcopum. Eum virum venerandum, omnis ſanctitatis amatorem, & adjutorem pauperum vocat Bonaventura; & Ciacconius magnum S. Franciſci amicum. Hic jam audierat à Guidone prædicto ſuo familiari ſanctam hominum converſationem, prodigioſumque Inſtitutum; & deſiderabat quam maximè eos videre, eorumque perfrui ſancto colloquio. Ut accepit in Urbem veniſſe, eos acceſſivit, & magno cum honore ſuſcepit, ſummâque habuit in reverentia. Ex eorum verbis facta collegit, & ex converſatione Inſtituti perfectionem; magna proinde fide, & devotione ſe eorum commendavit orationibus, petiitque mirâ dignatione, ut quaſi ex ipſis unum ſe deinceps reputarent.

Leg. 3. ſoc.

Obvium habent Romæ Epiſcopum Aſſiſii.

Marian. c. 4.

Panvi. & Ciacco. ſub Cæleſt. & Innoc. III.

Bonav. cit.

Fautoré habent Joannem Cardinalem.

VIII. Paucis poſtea diebus Franciſcus Pontificem adiit, nequaquam

Introducũtur ad Innocent. III.

paſſus rem hanc in longnm protrahi, & introductus per quendam concivem domus Pontificiæ ad ſanctiſſimum Antiſtitem, altiſſimis intentum meditationibus rei Eccleſiaſticæ gubernandæ, deambulantem in Patriarchio Lateranenſi, ex ea parte, quæ ſpeculum, ut ait Bonaventura, dicebatur, (quod ego Solarium judico à Leone III. conſtructum, poſtea à Leone IV. in meliorem formam reſtauratum, & à Cæleſtino III. refectum; ob eminentem, in quo erat, locum, & liberiorem undique proſpectum, ſpeculnm fortaſſe cognominatum) tamquam humilis, & ignotus repulſus eſt indignanter. Quo humiliter foras egreſſo, ſequenti nocte hujuſmodi revelatio facta eſt à Deo ipſi Pontifici: videbat namque inter pedes ſuos palmam paulatim ſuccreſcere, & in arborem pulcherrimam elevari, & eo mirante quid hæc viſio vellet oſtendere, divina lux impreſſit menti ipſius Chriſti Vicarii, quod hæc palma illum pauperem, quem præcedenti die repulerat, deſignabat. Viſionem hanc multi referunt ex c.3. Legendæ D. Bonaventuræ, nee tamen ipſe eam huic ſuo Opuſculo inſeruit, ſed Hieronymus Aſculanus, Bonaventuræ in Generalatu ſucceſſor, poſtea Summus Pontifex Nicolaus IV. renunciatus, qui eam accepit à Richardo Hannibaldenſi de Molaria, Diacono Cardinali tituli S. Angeli in foro piſcium, à Gregorio IX. creato, qui obiit ſub Gregorio X. ſtomachabundus oh rubei pilei privationem anno MCCLXXIV. Huic rem omnem retulit ipſe Gregorius IX. Innocentii III. patruelis fratris filius, cui jam à ſe creato Cardinali tituli S. Euſtachii, viſionem ſibi factam expandit Innocentius; quod Hugolino, ita vocabatur ante Papatum, principium fuit ſummæ in Franciſcum benevolentiæ. Præter viſionem hanc, inſigne illud miraculum de cæco, effoſſis jam oculis, luce donato, addidiſſe ad finem Legendę eundem Hieronymum dicunt Auctor Chronicorum vetuſtorum MSS. & Marianus: ipſumque ejus nomen, & Generalis officium, quod poſt Bonaventuram obtinuit, in relatione miraculi expreſſum, rem amplius confirmant.

Vide Panvi. de. 7. Eccleſ. de Patriarc. Lateran.

Sed repelluntur.

Viſio facta Pontifici.

Vide Ciacc. ſub Greg. IX. & X.

Chron. antiq. MSS. ſub Generali Hier. Aſcul.

Marian. cap. 4. §. 12.

Revocantur ad Pontificis conſpectum.

IX. Commotus autem hac viſione Pontifex, mane ſequenti mandavit per ſuos famulos per Urbem dictum pauperem quæri; quem inventum juxtà Lateranum in Hoſpitali S. Antonii (quod paulò poſt locupletavit, & auxit Joannes Columna nobiliſſimus civis Romanus Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis ab Honorio III. creatus, & cujus ampliorem facit citatus Onupbrius Panvinius mentionem) ante conſpectum ſuum celeriter juſſit adduci. Cumqne introductus eſſet, expoſuit ſuum propoſitum, petens humiliter, & inſtanter ſupradictam ſibi vivendi regulam approbari. Videns autem Chriſti Vicarius, vir utique ſapientia clarus, admirandam in viro Dei ſimplicis animi puritatem, propoſiti conſtantiam, ignitumque voluntatis ſanctæ fervorem, Chriſti pauperem mentis amore complectens, inclinatus eſt animo, ut pinm ſupplicanti præberet aſſenſum. Diſtulit tamen perficere, quod Chriſti poſtulabat pauperculus, pro eo quod aliquibus Cardinalibus novum aliquid, & ſupra vires humanas arduum videretur.

Non ſtatim obtinent Regulę approbationem.

Refellitur Bzovii error.

Bzovius.

Vide Ferdinand. del Caſtillo 1. par. Chron. ord. Prædic. l.1.c.6.

X. Hanc ſolam difficultatem in hujus Regulæ approbatione paſſum Franciſcum referunt cum Bonaventura, Antonino, & tribus ſociis ejuſdem ſancti viri, rerum Franciſcanarum Scriptores, non parem cum ſanctiſſimo Patriarcha Dominico, nec tunc dimiſſum ab Innocentio ad deligendam vitæ formulam, ut Abrahamus Bzovius abſque ullo prorſus fundamento ſcribit ad annum MCCXVI. n. 12. qui hoc ldem jam antea inculcavit anno MCCXV. n. 6. ubi D. Dominicum ait remiſſum Toloſam ad

ſuos

ſuos ſocios, ut quam profiterentur regulam, eligerent; nec enim eouſque ullam ſibi conſtituerunt peculiarem. At D. Franciſcus, quam ſupra poſuimus, jam concinnaverat, eamque approbari petebat, quod brevi, ſuperatâ difficultate, quæ in Purpuratorum Patrum vario dumtaxat opinandi modo conſiſtebat, à Pontifice impetravit. Largiùs hujus erroris, aliorumque plurium circa res noſtras convincit Bzovium Matthæus Ferchius Veglenſis doctâ & modeſtâ editâ in eundem Annaliſtam apologiâ. *Ferchius in Bzovium n.13.*

XI. Dubium & contradictionem adverſorum Cardinalium ſuſtulit è medio ſupra nominatus Joannes à ſancto Paulo doctâ propoſitâ ratione. Divino namque ſpiritu inflammatus, inquit Bonaventura, Summo Pontifici, & Fratribus ſuis dixit: Si petitionem pauperis hujus tamquam nimis arduam, novamque reſellimus, cum petat confirmari ſibi formam Evangelicæ vitæ; cavendum eſt nobis, ne in Chriſti Evangelium offendamus. Nam ſi quis intra Evangelicæ perfectionis obſervantiam, & votum ipſius dicat contineri aliquid novum, aut irrationabile, vel impoſſibile ad ſervandum, contra Chriſtum Evangelii Auctorem blaſphemare convincitur. Quibus propoſitis Succeſſor Apoſtoli Petri converſus ad pauperem Chriſti, dixit: Ora fili ad Chriſtum, ut ſuam per te nobis voluntatem oſtendat, qua certius cognitâ tuis piis deſideriis annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus, totum ſe conferens ad orandum, precibus devotis obtinuit, & quod exteriùs ipſe proferret, & quid interiùs Papa ſentiret. *Tollit contradictionem Cardinalis Joannes. Bonaven.*

XII. Pontificis inde natus ſcrupulus, ut Cardinalis Indicavit oratio, quod dura nimis vita videbatur & Regula, quæ nihil omnino terrenæ admittebat poſſeſſionis, ſed omnem ſpem in Dei reponebat providentia; refrigeſcente verò tunc caritate, ex tenui ſtipe difficile nimis, & quaſi incredibile putabatur, integrum quodvis ali poſſe Sodalitium. Removit ſcrupulum hunc Franciſcus accommodâ hac, quam à Chriſto accepit, propoſitâ poſtea parabolâ: Virgo quædam, inquit, ſpecioſa nimis in ſolitario, & deſerto loco degebat, quam ut illius regionis Rex vidit, ejus egregiam pulchritudinem admiratus, in ſuam duxit ſponſam. Cum qua per annos aliquot in deſerto commoratus, quoſdam ex ea ſuſcepit filios, & matris præ ſe ferentes venuſtam ſpeciem, naturaliaque Regis delineamenta. Ad curiam ſuam reverſo Monarchâ filios pia mater enutriit, enutritos verò ad Regem tranſmiſit, dicens: Filii, magno Rege ſati eſtis; in ſua degit curia, ego ſolitudinem hanc nolui, nec potui deſerere: vos patrem convenite, & cujus ſtirpis ſitis declarate; ille vobis neceſſaria, & veſtræ nobilitati decentia largietur. Quod dum fecerunt, Rex ſtatim ſua in filiis agnovit indicia, & matris pulchritudinem. Quibus gratanter ait: Ego verè meos vos agnoſco natos, & ut prolem Regiam vos educabo. Si enim alienos, & ſervos ex mea menſa, & ſtipendiis alendos curavi, quantò mihi ſolicitior cura erit pro filiis meis, & ſpecioſæ matris progenie, quam ego vehementer diligo; cujus filios, quos ex me ſuſceperit, ad menſam meam ſedere faciam, & in curia mea alendos ſuſcipiam. Rex iſte, Sanctiſſime Pater, eſt Chriſtus Dominus, ſpecioſa virgo, paupertas, quæ in deſerto hujus mundi ab omnibus repulſa & contempta, in ſolitariis locis degebat. Hujus pulchritudinem Rex Regum Chriſtus è cœlo deſcendens adamavit, & mundum ingrediens, eam ſibi ſtatim in præſepio deſponſavit. Plures ex ea in hoc deſerto filios procreavit, Apoſtolos, Anachoretas, Monachos, ac alios quam plures voluntariam profitentes paupertatem, quos ſigna ipſius Regiæ Chriſti pau- *Leg.3.ſoci. Marian. cit. §. 18. Bozius l. 6. ſign. 21. c. 4. Bonav. cit. & alii. Nec non Franciſcus propoſita parabola.*

pertatis, humilitatis, & obedientiæ geſtantes, tranſmiſit ad cœleſtem Regem, qui benignè eos ſuſcepit, & promiſit ſe illos alit urum, dicens; *Matth. 5, 45.* Ego qui ſolem meum facio oriri ſuper juſtos, & injuſtos, qui paganis, & hæreticis à fide mea alienis de menſa & theſauris meis victum, & veſtitum præbeo, qui hos cibari, & enutriri curavi; quantò magis hæc vobis libentiori animo concedam, & quæ vobis neceſſaria fuerint impendam, iiſque omnibus, qui ex ſponſa mea cariſſima paupertate fuerint procreati? Ad hunc cœleſtem Regem, Beatiſſime Pater, Domina & Regia Sponſa, hos ſuos mittit filios, prioribus & ſenioribus nequaquam viliores, nec à patris aut matris pulchritudine degeneres, ſummam & perfectam paupertatem profitentes. Non eſt ergo formidandum, quod fame pereant æterni Regis filii & hæredes, qui ad imaginem Regis Chriſti per Spiritus ſancti virtutem de paupere matre nati, & qui per Spiritum paupertatis ſunt in Religione paupercula enutriendi. Si enim Rex cœlorum imitatoribus ſuis regnum promittit æternum, quantò magis illa ſubminiſtrabit, quæ communiter largitur bonis & malis. *Matth. 19, 28.*

Bonav. c. 3.

Pontifex videt Franciſcum Eccleſiam ſuſtentantem.

XIII. Hanc parabolam, & intellectum ipſius Chriſti Vicarius cum diligenter audiſſet, miratus eſt valde, & indubitanter Chriſtum locutum in homine recognovit. Sed & viſionem, quam tunc temporis è cœlo perceperat in hoc viro fore complendam, ſpiritu divino ſuggerente, firmavit. Videbat namque in ſomnis, ut retulit, Lateranenſem Baſilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, modicus, & deſpectus, proprio dorſo ſubmiſſo, ne caderet, ſuſtentabat. Verè, inquit, hic eſt ille, qui opere, & doctrina Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam. Hoc ita verum eſſe exitus ipſe, inquit Hieronymus Plati candidus Auctor, demonſtravit. *Platus lib. 2. de bono ſtat. relig. c. 30.* Nam non modò ætas illa, qua primum hic Ordo prodiit, mirabiliter ejus operâ adjuta & illuminata eſt, ſed totis quadringentis annis, quibus deinceps ſtetit, hoc ſemper egit, ut Eccleſiam Dei, quaſi fulciret. Aliam hujuſmodi viſionem habuit quinto ab hoc anno idem Pontifex ad finem Concilii Lateranenſis de beatiſſimo P. N. Dominico, ut, præter plures, refert Ferdinandus à Caſtillo citatus; per quam voluit Dominus oſtendere, quantum ferrent adjutorii Eccleſiæ hi duo Patriarchæ, eorumque Inſtituta. Multam certè ſemper factis, & doctrina præſtiterunt operam Eccleſiæ fulciendæ, praviſque fidelium moribus corrigendis; ſed tunc majorem, quando arctiori inter ſe uniti fraternitatis, & pacis vinculo communem adhibebant curam, unamque admovebant omnes ſacro operi manum, nec in diverſa diſsidioſâ æmulatione rapti, proprios potius ſibi erigere titulos, quam Deo omnem adſcribere victoriæ triumphum, aut hujus Eccleſiæ ſtructuram reddere ampliorem, omni curabant ſolicitudine.

Examinatur ſenſus viſionis.

XIV. Intelligendam porrò viſionem hanc Pontifici factam de ſpirituali fulcro bonæ doctrinæ, & ſanctæ vitæ, quod Eccleſiæ in deteriora labanti, ſuis, ſuorumque humeris, & labore ſuppoſuit Franciſcus, omnes cum ipſo atteſtantur Pontifice, non verò de materiali dumtaxat reparatione Ædis Lateranenſis per Nicolaum IV. Franciſcanum, dum anteriorem, poſterioremque Baſilicæ partes ruinoſas fortiſſimis repagulis additis, ſolidâque ſtructura firmavit, ut quidam innuere viſi ſunt ex illis impolitis verſibus in abſide templi è muſivo exaratis. *Vide Panvi. in Eccleſ. Lateran.*

Tertius Eccleſiæ pater Innocentius horâ
Qua ſeſe dederat ſomno, nutare ruinæ
Hanc videt Eccleſiam, mox vir pannoſus & aſper

Deſpe-

Deſpectuſque humerum ſupponens, ſuſtinet illam.
At Pater evigilans Franciſcum proſpicit; atque
Verè eſt hic, inquit, quem vidimus, iſte ruentem
Eccleſiamque, fidemque feret; ſic illc, petitis
Cunctis conceſſis, liber lætuſque receſſit.
Franciſci proles primus de ſorte Minorum
Hieronymus quarti Nicolai nomine ſurgens,
Romanus Præſul, partes circumſpicit hujus
Eccleſiæ certâ jam dependere ruinâ,
Ante retroque levat, deſtructa reformat & ornat,
Et fundamentis partem componit ab imis, &c.

Libenter admittimus cum Franciſco Gonzaga reſtaurationem hanc, & fulcimentum Eccleſiæ primò à Nicolao, deinde à Sixto IV. adhibitam, Sixti etiam V. in eam eadem beneficia, & Franciſcanorum Pœnitentiariorum perpetua in eadem laudabilia obſequia adjuvare, & confirmare Innocentii viſionem. Id verò inficiamur huc ſolùm tetendiſſe tantum à Deo immiſſum ſpectrum, ut ſolam repræſentaret materialem reparationem à Franciſcanis fiendam, non vero adjutorium, ſeu ſubſidium ſpirituale à Franciſci Inſtituto univerſæ Eccleſiæ præſtandum. Nam præter quam quod omnes, quos viderim tam noſtros, quam exteros, qui de hac viſione agunt, eam ita explicent, Bonaventura, & Platus citati, Thomas Bozius & alii, etiam ipſe Innocentius eam ita intellexit, & Alexander IV. apud Bernardinum Senenſem ita innuit explicandam.

Gonza. l. 1. tit. de Pœnitent. Lateran.

Bozius lib. 7. de ſign. c. 2.

Bern. Sen. to. 3. ſerm. 60. cap. 1. art. 1.

XV. Innocentius porrò hoc divino commotus ſpectaculo, præcipua erga Franciſcum devotione repletus, ejus petitioni ſe per omnia inclinavit, quem ſpeciali deinceps amore proſecutus eſt. Quam tunc poſtulaverat Regulæ confirmationem libenter conceſſit, gratias alias adjunxit, & plura ſe in poſterum conceſſurum ultrò promiſit. Injunxit eis, ut ubique pœnitentiam prædicarent, Catholicam undequaque propagarent fidem, & laicis Fratribus omnibus, qui ſervum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut digniùs, inquit Oddo Peruſinus, aliquo à ſæcularibus inſigniti diſcrimine, in Altaris, & Sacramentorum miniſtratione Sacerdotibus inſervirent. In quibuſdam regionibus adhuc hujuſmodi geſtant coronulas, vel tonſuras, religioſiores, & antiquæ conſuetudinis ſtudioſiores Laici, nec tamen ceteri, ut his conformentur, à Superioribus compelluntur. Quibuſdam enim quod Pontifex dedit ad decorem, facilè cedebat in tumorem; & miniſtrabat ſuperbiendi, vel Clericis ſemet comparandi materiam, quod ad honeſtius conceſſum eſt Præsbyterorum obſequium.

Annuit Pontifex Franciſci votis.

Laicis concedit parvulas coronas.

Jacob. Odde cit.

XVI. Affirmat autem Marianus ex Legenda trium ſociorum, à quo non diſſentit Bonaventura, conceſſas has coronas Laicis, tam ob miniſterium Sacerdotum, quam ut cum eiſdem Dei verbo prædicando incumberent, idque poſt hæc obtentum à Pontifice per ſupra nominatum Cardinalem Sabinenſem Epiſcopum, ut ipſe Sanctiſſimus Dominus Laicos omnes minoribus ordinibus, & Franciſcum uſque ad Diaconatum donaret, ſolemnemque ipſe in ſuis manibus omnium reciperet profeſſionem, & vota probaret de hujuſmodi obſervando Inſtituto. Quibus emiſſis, ceteri Franciſco promiſerunt ſe obſecuturos; Franciſcus vero Pontifici, quem omnium, qui tunc aderant, & ſuperventuri erant, ſupremum Rectorem Papa conſtituit. De multis etiam paternè, & devotè ad recentis Inſtituti firmitatem, & decorem humilem Inſtitutorem admonuit, ſuæ benevo-

Marian. cit. §. 19.

Bonav. c. 3. in fine.

Hieron. Roman. lib. 6. Reipub. Chriſt. c. 14.

Admittit in ſuis manibus illorũ profeſſionem.

benevolentiæ reddidit certiorem, & benignè ſingulos amplexus, & benedicens perquam hilares dimiſit.

XVII. Adfuit his omnibus Cardinalis Sabinenſis, tamquam ſingularis protector, & optimus ſequeſter, qui non ſolum concepit ipſe in hos pios viros ſummum affectum, verùm etiam tantopere curiæ Principibus eos commendavit, ut præcipuos ex Purpuratorum Collegio, & Romanis Dynaſtis eis devinxerit. Hunc ſuum affectum, & propenſionem plus ceteris inter Cardinales monſtrarunt, & Franciſcum, ut ſpeciatim refert Ciacconus, intimè dilexerunt, Hugolinus Comes Anagninus, ipſius Innocentii nepos, Diaconus Cardinalis Sancti Euſtachii, poſt Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, demum Gregorius IX. in Pontificatu nuncupatus; Leo Brancaleo Romanus ex Canonico regulari Congregationis Sancti Fridiani Lucenſis Diaconus Cardinalis S. Luciæ in ſepta ſolis, poſtea Presbyter titnli S. Crucis in Hieruſalem, multis perfunctus graviſſimis Sedis Apoſtolicæ legationibus; & Joannes hic Epiſcopus Sabinenſis ſummæ in ſacro Collegio auctoritatis. Nec ullus fermè fuit poſtea Cardinalis, qui, creſcente fratrum numero, non obtinuerit ad favorem & honorem, ut ſecum retinere poſſit quempiam ex his Apoſtolicis viris. Singularis erat illorum veneratio per totam curiam, & in domo Pontificia uſque ad Bonifacii VIII. creationem, de cujus duriori modo cum Religioſis agendi conqueruntur quidam illius ætatis Scriptores, & ſub quo imminutam erga noſtros Eccleſiaſticorum benevolentiam teneris verbis deplorat Nicolaus Lyranus ad initium ultimi Pſalmi illius, quam edidit in D. Franciſcum, contemplationis, & quam nos ſubjunximus in calce Opuſculorum ejuſdem Sancti Patriarchæ.

Plures ex Cardinalibus & viris Principibus Franciſco addicti.

Vide Ciaccon. ſub Celeſt. & Innoc. III.

XVIII. Facta autem hæc in curia Romana, approbatamque ſuprapoſitam Franciſci Regulam hoc anno docent, ex recentioribus Azorius, ex vetuſtioribus Marianus, Legenda ſociorum, & Thomæ Celani, quibns, tamquam Franciſcanarum rerum antiquioribus, & exactioribus obſervatoribus, ſubſcribendum judico, etſi aliàs in argumento prædictæ Regulæ, ubi varias aliorum retuli opiniones, putaverim cum Henrico Sedulio, & Antonino Florentino, hæc accidiſſe anno MCCXI. Propter hanc, ut reor, Regulæ approbationem, hoc anno Ordinem inſtitutum volunt aliqui cum Antonino Florentino, quibus adnumerat Joannem Fridericum Mateneſius, Onuphrium Panvinium, & Genebrardum. Sed Onuphrius in anno MCCIX. cui adſtipulatur Breviarium Romanum, & Genebrardus in annum MCCXV. factum referunt.

Azor. to. 1. l. 12. c. 23.

Anton. 3. p. tit. 19. c. 1. §. 4.

Mateneſ. an. 1210.

Onuph. & Geneb. in chronol.

XIX. Hinc facilis reſolutio illius dubii; Prædicatorum, Minorumve quænam antiquior Religio? nam Minorum Patriarcha prius ſui Ordinis confirmationem procuravit, verbis utor S. Antonini, non ſolemnem tamen per litteras, & quo ad hanc approbationem fuit prius inſtitutus Ordo Minorum, inquit Antoninus; quantum verò ad ſolemnem approbationem per Bullas Apoſtolicas authenticam, fuit priùs Ordo Prædicatorum confirmatus per Honorium III. Religionum autem antiquitatem, vel tempus enumerandum eſſe à ſolemni confirmatione uſus obtinuit. Dominicano proinde Sodalitio inter Mendicantia primus cedendus locus, & præclarum certè aliàs meretur tum ob ſingularem pietatem, tum ob raram doctrinæ præſtantiam, qua ſemper Catholicam adjuvit Eccleſiam, & fidei orthodoxæ veritatem ubique validè defendit. Hinc potior gloriatio, quam ab annorum cenſu, quid enim prodeſt ante alios incepiſſe, & minus aliis laboraſſe? Opprobrium auget, ſocordiam arguit

Quis antiquior Ordo, Minorum an Prædicatorum.

Anton. tit. 23. c. 1.

Idem tit. 24. c. 1.

Vide Azor. citatum.

arguit annorum multitudo, & à præclaris factis feriatio. Illa Pauli, aliis Apoſtolis poſterioris, gloria, quod *abundantiùs omnibus illis laboraverit*, de quo Hieronymus; *noviſſimus in ordine, primus in meritis eſt, quia extremus licèt, plus omnibus laboravit*. Illud Religionum decus, indefeſſa in propaganda Fide, & æmulatrix propugnandæ Eccleſiæ ſolicitudo. *1.Cor.15.10.* *Hieron. epiſt. ad Paulin.*

XX. Sed ut ad Franciſcum redeamus, à Pontifice tot auctus muneribus, & gratiis donatus, ſalutatis Apoſtolorum liminibus, Cardinali Sabinenſi, & Hugolino plenè de rebus ſuis inſtructis, urbanè valedixit, & ſupernâ gratiâ, atque auctoritate Papali fretus, cum multa fiducia verſus vallem Spoletanam iter arripuit, ut Evangelium Chriſti opere compleret, & verbo doceret. Dum autem in via conferret cum ſociis, qualiter Regulam quam ſuſceperant, ſincere ſervarent, qualiter in omni juſtitia, & ſanctitate coram Deo incederent, qualiter in ſe ipſis proficerent, & eſſent aliis in exemplum, diutius collatione protracta, hora prandii pertranſiit, & cum jam laſſati eſſent ex diuturnitate laboris eſurientes in quodam loco ſolitudinis ſubſtiterunt. Sanè, cum omnis via deeſſet, qua poſſent ſibi de victu neceſſario providere, ſtatim affuit providentia Dei; nam ſubitò apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Chriſti dedit, ſubitòque diſparuit, incognitus unde venerit, aut quo iret. Cognoſcentes autem per hoc pauperes Fratres ſupernum ſibi in comitatu viri Dei adeſſe præſidium, magis dono liberalitatis divinæ, quam cibo carnis proprio ſunt refecti. Inſuper divina conſolatione repleti, ſtatuerunt firmiter, & irrevocabiliter confirmaverunt nullius inediæ aut tribulationis impulſu, à ſanctæ paupertatis reſilire promiſſo. *Bonav. c.4.* *Leg.Greg.IX.* *Redit Franciſcus verſus vallemSpoletanam.*

XXI. Deflexerunt paulisper ad civitatem Hortæ, quæ Plinio Hortonum, aliis Orta, Italis Horti, vel Orti, Hetruriæ Epiſcopalem urbem in Provincia Romana, & ditione Pontificia ſitam ad Tuſciæ terminum, qui ad Umbros vergit, ter M. P. à lacu Baſſanello diſtantem. In aperti campi planitie non procul ab urbe neglectum ingreſſi fanum, oratione præmiſsâ egerunt inter ſe de commorando ibidem per aliquot dies, donec Altiſſimi innoteſceret voluntas ubi placeret, ut ſedem ſibi figerent, Nec tamen dum Dei expectabant placitum per orationis conſultationem, à bono feriabantur, ſed quotidie civitatem ingrediebantur, undique peccatorum pœnitentiam per plateas, & compita prædicantes, non abſque animarum lucro, & laboris mercede. Crevit erga eos populi devotio, & quas ſuperfluas in plateis reſpuebant eleemoſyas, ad Eccleſiam deferebantur ab ipſis offerentibus, felices ſe judicantes in quocumque Fratrum obſequio. Confluebat etiam illuc tota civium multitudo, ut novos, & veluti è cœlo lapſos, viderent & alloquerentur viros, quorum verba & doctrina verè illorum converſationem eſſe oſtendebant in cœlis. At ex frequenti hominum turba ſentiens pius Pater filiorum turbari ſpiritum, illinc diſcedere conſtituit. Suaſit etiam diſceſſum loci amœnitas quam maxima, timens attenuandum iri mentis vigorem, qui ad ridentis prati laſciviam, ad vicini fontis, & leviſonantis aquæ murmur, ad opaci nemoris umbram, ceteraſque luxuriantis ſoli delicias non rarò tepeſcit. *Effæminat animos amænitas nimia, nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio. Una Hannibalem biberna ſolverunt, & indomitum illum nivibus atque alpibus virum, enervaverunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt*. Revera cœleſtibus cogitationibus intentum *Figit pedē prope civitatem Hortæ.* *Marian. c. 4. in fine.* *Leg. Greg. IX.* *Illinc recedit.* *Loci amœnitas plerumque ſpiritui contraria.* *Seneca epiſt. 51.*

tentum loca ſeria ſanctaque eligere oportet. Indurandus animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. Sancti viri non ad bona attendunt loca, ſed ad bonam in locis converſationem. *Juſtorum locus*, inquit Gregorius, *bona converſatio eſt*; *juſtorum locus Dominus eſt*. Ne ergo in delicioſo loco animæ perderent delicias, pia caſtra mutari juſſit novus, ſed è cœlo edoctus ſacræ hujus militiæ Dux, poſtquam ad quindecim tantum ibi commorati ſunt dies.

Gregor. l. 5. in c. 14. lib. 1. Reg.

Bonav. cit.

Pergit Franciſcum ſuis in vallem Spoletanam.

XXII. Hinc recta pergentes in vallem Spoletanam inter ſe tractare cœperunt, utrum inter homines converſari deberent, an ad loca ſolitaria ſe conferre. Sed Chriſti ſervus Franciſcus non de ſua, vel de ſuorum confidens induſtria per orationis inſtantiam, divinæ ſuper hoc voluntatis beneplacitum requiſivit. Supernæ igitur revelationis illuſtratus oraculo intellexit ſe ad hoc miſſum à Domino, ut Chriſto lucraretur animas, quas Diabolus conabatur auferre; ideòque magis omnibus, quam ſibi ſoli vivere prælegit, illius provocatus exemplo, qui unus pro omnibus mori dignatus eſt.

2. Cor. 5. 14.

Morantur apud Rivum tortum.

Bern. à Beſſ. & Oddo Peruſ. citati.

XXIII. Recollegit itaque ſe vir Dei cum ceteris ſociis in eo quod ſupra inſinuavimus tuguriolo juxta civitatem Aſsiſii, Rivus tortus, ſeu ſinuoſus, dicto, quod adeò anguſtum fuiſſe commemorant Bernardus à Beſſa, & Jacobus Oddo Peruſinus, ut vix in eo omnes ſimul ſedere, nequaquam protenſo corpore jacere, valerent. Ut commodiùs abſque alternis moleſtiis vel quieſcerent, vel orarent, ſuum cuique ſtatuit locum devotus Pater, ſignatis omnium nominibus ſuper ſublicas, ſeu trabes humilis ædiculæ. In hoc anguſto vivorum, vel etiam mundo mortuorum ſepulchro, incredibili amore, unanimitate & ſpiritus alacritate non paucos tranſegerunt dies ſecundum ſanctæ paupertatis formam, in labore multo & inopia victitantes, ita ut ſæpius abſque buccella panis crudas per contiguàm planitiem collectas herbas, harumque radices læti ſibi præpararent in cibum, magis lacrymarum, quam deliciarum panibus refici ſatagentes.

Bonav. cit.

Modus orandi ſanctæ hujus ſocietatis.

Marian. & Peruſin. cit.

XXIV. Vacabant ibidem divinis precibus inceſſanter, mentaliter potius quam vocaliter, ſtudio intendentes devotæ orationis, quia nondum eccleſiaſticos libros habebant, in quibus poſſent horas canonicas decantare. Loco tamen illorum librum crucis Chriſti continuatis aſpectibus diebus ac noctibus revolvebant, exemplo Patris & eloquio eruditi, qui jugiter faciebat ipſis de cruce Chriſti ſermonem. Aram crucis erexit in medio tugurioli, defixâ in terra mediocris menſuræ lignea cruce, circa quam omnes in orbem acti magna veneratione, & ſummo affectu dicebant; *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum*: & deinde ſæpius repetebant orationem Dominicam. Docuit inſuper eos Dominum laudare in omnibus, & ex omnibus creaturis; honorare præcipuâ reverentiâ Sacerdotes, fidei quoque veritatem, ſecundum quod ſancta Romana tenet & docet Eccleſia, & firmiter credere, & ſimpliciter confiteri.

Apparet Fratribus Franciſcus in curru igneo.

XXV. Contrahentibus autem Fratribus moram in loco præfato, vir ſanctus die quadam Sabbati civitatem Aſsiſii intravit prædicaturus manè diei Dominicæ, ut moris erat, in Eccleſia Cathedrali; cùmque in quodam tugurio, ſito in horto Canonicorum, vir Deo devotus in oratione Dei, more ſolito pernoctaret, corporaliter abſentatus à filiis; ecce ferè media noctis hora, quibuſdam ex Fratribus, quieſcentibus, quibuſdam perſeverantibus in orando, currus igneus mirandi ſplendoris per oſtium domus

domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertiò ſe convertit; ſuper quem globus lucidus reſidebat, qui Solis habens aſpectum, noctem clarere fecit. Obſtupefacti ſunt vigilantes, excitati ſimul & exterriti dormientes; & non minus ſenſerunt cordis claritatem, quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis, alterius alteri conſcientia fuit patefacta. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem univerſis in cordibus ſingulorum, S. Patrem abſentem corpore, præſentem ſpiritu, tali transfiguratum effigie, ſupernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus inflammatum ſupernaturali virtute, in curru ſplendente ſimul & igneo, ſibi demonſtrari à Domino; ut tamquam veri Iſraëlitæ poſt illum incederent, qui virorum ſpiritualium, ut alter Elias, factus fuerat à Deo currus & auriga. Credendum ſanè, quod ille horum ſimplicium aperuit oculos ad preces Franciſci, ut viderent magnalia Dei; qui oculos quondam aperuerat pueri, ad videndum montem plenum equorum, & igneorum curruum in circuitu Eliſei. Regreſſus autem Vir ſanctus ad Fratres, cœpit conſcientiarum ipſorum ſecreta rimari, confortare ipſos de viſione illa mirabili, & de profectu Ordinis multa futura prædicere. Cumque patefaceret plurima, quæ ſenſum tranſcendebant humanum, verè cognoverunt Fratres, ſuper ſervum ſuum Franciſcum, Spiritum Domini in tanta plenitudine quieviſſe, quod poſt ipſius doctrinam, & vitam erat eis proficiſci tutiſſimum.

4. Reg. 2. 11. & 12.

4. Reg. 6. 17.

XXVI. Poſt hæc odore ſanctitatis, & efficacia ſermonum beati Viri multi ei adhærere volebant, ſed eorum receptionem propter locelli anguſtias differens, ad Socios hunc habuit ſermonem: *Cariſſimi fratres, & filii, divina bonitas mihi dignanter oſtendit, quod humilem hanc noſtram familiam vult ampliare. Porrò multi ſunt, qui veſtræ ſtudent ſocietati, quos ego admittere non poſſum, donec habeam unde eos congregem. Aliâ indigemus capaciori domo, in quam recipiantur, nec minor neceſſitas Eccleſiæ, in qua omnes ſacrum audiamus, Canonicas ſolvamus Horas, & ſi quis noſtrum obierit, in pace requieſcat. Pergamus ergò cum fiducia ad Dominum Epiſcopum, vel ad montis Subaſii Monachos, eos pro Dei amore interpellantes, ut aliquam, quam in Urbis circuitu habent Eccleſiam, nobis velint concedere, & ſub aliquo ſuo tecto orientem hunc Cœtum colligere.* Placuit ſermo comitibus, & proximâ luce Vir ſanctus primò Epiſcopo, deinde Canonicis ſuum aperiens deſiderium, qua potuit humilitate, poſtulavit Eccleſiam. Reſponſo accepto nullam ſe habuiſſe, quam alienare poſſent; continuò egit de hac eadem re cum Patribus Benedictinis. Hos expertus eſt liberaliores; etenim Abbas, inito cum ſubditis conſilio, ei conceſſit, quam ipſe paucis antea annis reparavit, S. Mariæ in Portiuncula ædiculam. Nullum acceptabilius Franciſco donum eſſe potuit, nec gratior ædes illâ, quam ipſe reparavit, & in qua ampliorem gratiam accepit, Apoſtolicum didicit inſtitutum, & ſæpiùs concentus audivit Angelicos.

Accipit à Benedictinis ædem Portiunculæ.

XXVII. Exinde etiam carius hoc munus, quod omnium, quæ in illo erant tractu, erat minima & pauperrima, & quod non abſolutè ejus dominium à ſe abdicaverint Monachi, ſed ea lege ille cum ſuis ædem incolerent, ut ſi illorum Sodalitium amplius, & copioſius fieret, huic loco, tamquam primo, & capiti id nominis tribuerent. Ratum habet Franciſcus pactum, & gratiis, quas potuit, maximis redditis, lætus reverſus ad ſuos totam rei ſeriem narrat, cordiſque jubilum pandit, quòd primam ſui Ordinis pauperem, & parvam ædem ipſa obtinuerit mendicitate; per quod ſibi à Deo ſuggeſtum intelligebat, non in propriis ædibus, ſed in alie-

Marc. c. 15. Floretum c. 8. Marian. c. 6. Legen. antiq.

alienis hujus Sodalitii Viris, tamquam peregrinis, & advenis commorandum. Et proinde in ſecunda, quam ſtatuit obſervandam, Regula juſſit ut *Fratres nec domum, nec locum, nec aliquam rem ſibi appropriarent*. Et moriens ſtatuit, ut *Eccleſias, & habitacula, quæ pro ipſis conſtruerentur, penitùs non reciperent, niſi eſſent, ſicut decet ſanctam paupertatem, quam in Regula promiſerunt*.

Franciſc. Reg. 2. c. 6.
Idem in teſtam.

Barthol. de Aſſiſio l. de Indulg. Portiunc.

XXVIII. Jam ab eo tempore, quo à Franciſco reſtauratum eſt hoc Virginis delubrum, curabatur à pio Sacerdote Petro Mazancoli Aſſiſiate; ad quem illa nocte declinavit Vir ſanctus, ut præſtitam ſibi gratiam à Patribus Benedictinis narraret, ejuſque bona venia pacificè, & amicè poſſent Fratres accedere, dummodo ille locum cedere vellet. Nunquam æmula pietas, ſtatim enim bonus ille Sacerdos in Viri ſancti irruens amplexus, nihil magis ſe deſideraſſe dixit, quam ut B. Virgo haberet in hac ſua ſancta, licèt humili caſa, à quibus piè coleretur, & inſtanter laudaretur; bonamque Fratribus obtigiſſe ſortem adjunxit, quod in illorum venerit poſſeſſionem Domus ſancta Dei, Deiparæ cara, Angelis familiaris, & cœleſtibus digna carminibus. Cieri porrò fecit vicinum agricolam, qui coram referret, quod ſæpiùs antea narraverat, multoties divinum melos ſe ibidem noctu percepiſſe, fulgoremque per feneſtras eſfulſiſſe mirificum,

Apparet ei Chriſtus in ædicula.
Indidem.

XXIX. Gaviſus eſt Franciſcus ad Presbyteri humanitatem, ſed magis ad tantam ædiculæ commendationem, cogitavitque in ea, ante ſuorum adventum illa nocte requieſcere, ut pacatiùs, & largiùs in proximo ſuperventuram B. Virgini commendaret Familiam. Sed ecce ad primas noctis vigilias lux magna refulſit in habitaculo, & coram apparuit in Altari Chriſtus Dominus cum ſacratiſſima Genitrice, multis undique ſtipati cœlitibus, Franciſcum placido, & ſuavi dignantes aſpectu. Quorum benigno aſpectu animum ſibi addens Vir ſanctus, humillimè adoratos, humiliùs interrogavit: Sanctiſſime Domine, Rex Cœlorum, Mundi Redemptor, dulcis amor, & ſupernarum poteſtatum Regina, quæ tanta in hanc ædiculam veſtra dignatio, ut è Cœlorum ſublimitate in humilem hanc aram placeat deſcendere? Cui ſtatim divinum reſponſum: Illa mei Matriſque adventus occaſio, ut perdilectum hunc locum, nobiſque caram hanc ædem tibi, tuiſque deſponſemus. Quibus dictis, ſtatim divinum evanuit ſpectaculum. Conterritus Franciſcus, & gaudens: Verè, inquit, locus iſte ſanctus eſt, & Angelico potiùs, quam humano dignus incolatu. Hinc dum licuerit non recedam, & mihi, meiſque erit in memoriale perpetuum divinæ miſerationis.

Marian. cit.

XXX. Summo mane juſſit Socium, ut reliquos vocaret è priori tuguriolo, & quam habebant pauperem ſupellectilem ſecum trsnsferrent in gurguſtium fano vicinum, quo ſpontè cedebat urbanus ille Sacerdos. Quibus, ut acceſſerunt, miram illius loci excellentiam revelavit, vitæque in ea puritatem, & continuam Dei laudem enixiùs commendavit. Patribus autem Benedictinis ſemper ſummas habendas gratias, qui humilis Sodalitii primitias tam ſacro donarunt loco, & cetera capeſſenda Monaſteria hoc Dei habitaculo, tamquam ad paupertatis formam, & ad ſanctitatis germen verè ſacrarunt. Locum ſæpiùs ipſe vivens laudavit, & moriens ferventer Fratribus commendavit. Quotannis tamen, ut ſuum non eſſe, ſed ex alieno poſſediſſe beneficio oſtenderet, gratumque ſe exhiberet in beneficos, fiſcellam leuciſcorum, quod piſciculorum, ſeu mugilum fluvialium genus eſt, Italis *laſche*, quibus vicinum Aſius, ſeu Chia-

Dat Benedictinis annuum cenſum.

Floret. & Marcus citat. Rodulp. l. 2. fol. 251.

Chiatium flumen abundat, ad Monachos, veluti in cenſum dari curabat. Illi quam devote ſpontaneum pauperum tributum, alio quocumque ſuorum reddituum æſtimabilius judicantes, & pari cum eis amore contendentes, reddebant lecythum olei in pauperis Fratrum obſonii condimentum.

XXXI. Hujus loci hæc prima & tenuia jecerunt ſibi Minores fundamenta, non lapidea, ſed ſpiritualia, ſuper quæ in magnam creſceret molem tota Religio. Quamvis enim B. Franciſcus ſolam illam terræ portiunculam ſibi ſufficere ſæpius dixiſſet, nec ampliandam voluiſset, & imbrices, ac tegulas ſumptuoſius extructæ domus dejici curaſſet, hodie tamen nobile, ac capaciſsimum huic ædiculæ, ad modum Lauretanæ ædis fanum, circumducitur templum multo anno, ac ære perficiendum. Multa eſt & magna undique adventantium in hunc locum devotio, nec mirum, dum de eo Franciſcus teſtatus eſt, quod trium Sociorum verbis ſubjicio. Nos, qui cum B. Patre fuimus, teſtimonium perhibemus, quod cum affirmatione firma ipſe de illa Eccleſia pluries nobis dixit, quod ibidem ſibi fuit revelatum, quod propter multas prærogativas, & Dei beneficia ibidem præſtita, B. Virgo, inter ſumme caras & ſuo nomini ſacras, hanc Eccleſiam affectuoſiſsime diligebat; & propterea Vir ſanctus toto tempore vitæ ſuæ maximam reverentiam, & devotionem in ipſam habuit.

Ædis Portiunculæ commendatio.

Leg. 3. ſocior.

XXXII. Fixit ergo hic pedem cum ſuis, & eos, quorum antea diſtulit receptionem, hic libenter admiſit, videlicet Fratrem Leonem Aſsiſiatem, quem tamen Viterbienſem vult Jornandes, virum columbinæ ſimplicitatis, a Franciſco propterea vulgariter *pecorella di Dio* vocatum, & ſumme dilectum, cui fuit poſtea a ſecretis & a conſcientia. Scivit proinde plus aliis de Viri ſancti factis & mirabilibus, quorum præcipua ex eo ſuis locis referemus. Proindeque merito poſtea a Creſcentio Generali Miniſtro electus, ut cum Fr. Rufino, & Fr. Angelo Reatino ejus vitam conſcriberet. Recepit etiam Fr. Rufinum, Ciffis S. Claræ conſanguineum, virum nobilem, hominem caſtiſsimum, & virgineæ puritatis, qui ad tantam poſtea pervenit perfectionem, ut Franciſcus fateretur factam ſibi a Domino revelationem, eum fuiſſe ex ſanctioribus, & fidelioribus inter eos, quos Deus ſuos ſervos reputabat, animamque ejus jam tunc in Cœlo canonizatam, nec proinde ſe dubitaturum, adhuc in mortali corpore viventem, ſanctum appellare. Aſſiduæ erat contemplationis, & aliquando adeo intenſæ, ut extra ſe raptus, velut inſenſibilis, per diuturnum tempus remaneret. Taciturnus fuit ſupra modum, ac ſumme modeſtus, magnamque obtinuit a Deo ſuper energumenos poteſtatem, ita ut ipſe ejus magiſter Franciſcus Diabolis durioris expulſionis minaretur ſe Fratrem Rufinum vocaturum, qui ſtatim recedebant, ut ſuis locis amplius enarrabimus.

Marian. c. 5. Mac. c. 17. Jorn. part. 32. c. 229.
Initiatur F. Leo.

Item Fr. Rufinus.

XXXIII. Tertium his adjunxit Fr. Maſſæum de Marignano, qui brevi ad ſummæ virtutis apicem pervenit, & quem ipſe poſtea mirifice diligebat, utpote qui omni præditus erat humanitate, & miram oſtendebat erga externos adventantes urbanitatem. Si qui erant, qui B. Franciſcum altioribus intentum, vel contemplatione rerum cœleſtium abſorptum, aliiſve occupatum alloqui vellent, ſingulari ſua gratia in dicendo, & urbana converſatione ſic detinebat, & ſuo ſuſpendebat eloquio, ut nec moras Franciſci adventantis ſentirent, nec, ſi aliquando ſui copiam non faceret, conquererentur, plenam a Maſsæo adepti ſatisfactionem & conſolationem. Quo religioſo more a multis ſanctum Patrem ſæcularium libe-

Marian. & Marc. citati. Rodulph. fol. 121.

Fr. etiam Maſſæus.

liberabat moleſtiis, qua de cauſa perquam libenter Franciſcus eum ſibi aſſumebat ſocium, cum in aliquod ſolitudinis eremitorium ſpiritui vacaturus pergebat. Semel in die ſub veſperam comedebat panem cum lacrymis, & in menſura. Prima noctis vigilia laſsatum corpuſculum duarum horarum ſomno reficiebat, ante noctis medium deſcendebat in Eccleſiam, in qua ſemper orans pernoctabat, dicens: Domine mi Jeſu Chriſte, da mihi contritionem peccatorum meorum, & da mihi gratiam emendandi, & ſatisfaciendi ſecundum voluntatem tuam; nec ceſsabat ab iſta oratione quouſque lacrymæ defluerent. Deinde audita re ſacra, ſe abſcondebat in Cella, dicens pleno cantu: Domine Deus fac, ut te cognoſcam, te timeam, te diligam toto corde.

Maſſæi humilitatis ſit periculum.

XXXIV. Paulo poſt ejus ingreſsum B. Pater volens humilitatis hujus ſui diſcipuli periculum facere, coram ceteris Fratribus ei dixit: Frater Maſsæe, omnes hi tui Fratres potiorem tua acceperunt a Domino gratiam contemplandi, & orandi; proinde, ut liberius & commodius ſanctis his exercitiis incumbant, æquum erit, ut tu, qui exterioribus Monaſterii officiis aptior es, portæ & culinæ curam agas, & quod his miniſteriis aliquando ſupereſse poſsit temporis, conquirendæ impendas eleemoſynæ. Id autem præ ceteris curabis, ut adventantes ſæculares Fratres non perturbent, ſed ad primum oſtii pulſum ſollicitus adſis, iiſque urbanis ſatiſfacias verbis, ita ut ſolus omnium excipias negotia, nec opus ſit, ut quiſpiam ex Fratribus ad oſtium accedat: abi in pace, & quam ſolerter vide, ut hæc omnia fiant ad meriti ſalutaris obedientiam. Ille vero, inclinato capite, humiliter receſſit abſque ullo murmure, aut præcepti ferme importabilis excuſatione; ſed injuncta per plures obivit dies. Socii vero ſcrupulum paſſi, quod ſolus Maſſæus totum Cœnobioli pondus ſuſtineret, cujus perfectionem & ſtudium orationis, contemplationiſque jam exploratum habebant, ipſi vero feriarentur a laboribus, quam amanter rogaverunt ſanctum Patrem, ut Maſsæum tanto faſce levaret, & inter ſe laborem diſtribueret. Quorum precibus acquieſcens, ad ſe vocato Maſsæo dixit: Frater Maſsæe, iſti tui Socii volunt in partem intrare laboris; volo proinde, ut, quæ tibi impoſui miniſteria, inter eos dividantur. Cui ſumma humilitate diſcipulus: Pater, quidquid mihi in parte, vel in totum imponis, a Deo exiſtimo factum. At ſanctus Pater illorum caritatem, & hujus humilitatem conſiderans, fecit de utraque virtute egregium ſermonem, eo tendentem, ut oſtenderet, quod quo majora quiſque accipit a Deo munera, eo debet eſse humilior, & quod abſque caritate, & humilitate nulla Deo poteſt virtus placere. Quo expleto, munia prædicta inter alios diviſit, & omnes in ſancto Spiritu benedicens lætus dimiſit.

XXXV. Confabulatus aliquando Maſsæus cum Sociis de rebus divinis, Sanctorumque vitis, audivit quemdam etiam tunc ſupervixiſse virum Deo ſumme carum, qui ad magnam, quam accepit ſanctæ orationis, meditationis, aliarumque virtutum gratiam, magnam etiam adjecit humilitatem, qua in ſummæ vilitatis abyſsum ſe detrudens, omnium maximum ſe reputabat peccatorem. Hac virtute confortabatur & confirmabatur in gratia accepta, & quotidie in divinis creſcebat obſequiis.

Inceſſanter ſtudet humilitati.

Æmulatus Maſsæus chariſmata meliora, ferventiſsimum concipiens tantæ virtutis deſiderium oculis, ac manibus in cœlum erectis, alta clamavit voce: Domine, ſpiritu hoc principali, ac ſolido virtutum fundamento confirma me, & donum hoc perfectæ humilitatis mihi benignus concede, quod dum a te, qui das omnibus affluenter, non obtinuero, nunquam per-

perfecte lætabor. Deinde orabat inceſſanter, & gemitibus inenarrabilibus, vel clauſus in cella, vel ſolitarius in nemore Dominum pro humilitatis virtute interpellabat. Triſtabatur de gratiæ dilatione, & omni macerandæ carnis ingenio ſe affligebat, ut ad optatam perveniret virtutem, donec quodam die ingredienti ſilvam Conventui proximam, & validos clamores, lacrymoſaque ſuſpiria frequenter emittenti Chriſtus, facta ei voce de Cœlo, dixit: Frater Maſſæ, quid vis dare ad hanc gratiam poſſidendam? Cui Maſſæus, divinam confeſtim vocem agnoſcens, reſpondit: Domine, dabo oculos capitis mei. Et Dominus ad eum: Ego volo, ut tu deinceps & oculos, & gratiam hanc habeas. Ex favore hoc divino, & peculiari munere, remanſit Vir ſanctus adeo fundatus in humilitate, ut nihil ſe vilius putaret, & tantum accepit cordis jubilum, ut ferme ſemper cantaret, & ejuſdem verſus cantum ſæpius in oratione, vel Pſalmodia aſſumeret. Cui cum ſemel B. Jacobus de Fallerono dixiſſet: Quare non mutas verſum in jubilo? Lætabundus reſpondit: quando in una re invenit anima omne bonum, non oportet variare verſiculum.

Converſio Fr. Juniperi.

Marian. c.6.
Marc. 1. p. l. 64.
Rodulph. fol. 120.

XXXVI. Suæ etiam tunc aggregavit Soliditati Vir ſanctus B. Juniperum tantæ humilitatis & ſimplicitatis virum, ut ab imperito vulgo fatuus crederetur. Incredibilia pene videntur, quæ fecit, & dixit ad imam ſui dejectionem, nec alius quiſquam tam honoris avidus, quam hic vituperii. Proinde cum ab aliquo afficeretur opprobriis, fimbrias pauperis lacernæ expandens, dicebat ei: Amice, projicias huc liberaliter, imple gremium lapidibus iſtis pretioſis, imple, ne timeas; injurias & opprobria lapides appellans pretioſos. Quando redibat domum, hujuſmodi ſecum habebat ſermonem: O inutilis frater, qua fronte redis ad Patres? Quo te admittent titulo? Certe ſi hoſpitii gratia te ſub tecto colligant, & panem arctum, & aquam brevem dederint, rem magnam, & tuis meritis majorem præſtabunt; juſte certe te repellent tamquam ſua indignum ſocietate. Ejus ſimplicitatem Franciſcus admirans adſtantibus dicebat: Utinam, Fratres, de hujuſmodi Juniperis integram ſilvam haberemus; alludens ad nominis etymologiam & proprietatem, quia teſte Iſidoro, ut cinis Juniperi diutiſſime accenſos ejuſdem ligni carbones ſervat; ſic hic in ſacro pectore accenſum ſervabat amorem: & ſicut Juniperus eſt obſita aculeis, & ſecundum Hieronymum, ſemper floret, ſemper novos affert fructus, & nunquam deponit virorem ſuum; ſic hic pœnitentiæ compunctione, & aſperitate fovebat in ſe divinæ caritatis viriditatem.

De nomine Juniperi.

Iſidor. lib. 17. Orig. c. 7.
Vide Greg. l. 10. Moral. cap. 9. & 10.
Hieron. in c. 14. Oſee.

XXXVII. Per ſex integros menſes ab omni ſe abſtinuit loquela, hac ratione. Propoſuit prima die non loqui in reverentiam Patris: ſecunda voluit tacere in honorem Filii: tertia ſilentium ſibi indixit ob amorem Spiritus ſancti: quarta propter B. Virginem Mariam: quinta propter Angelorum devotionem: ſexta ob peculiarem aliquem Sanctum, quem illo die ſpecialius honorare volebat; & ſic deinceps donec prædictum tempus explevit. Dum ſemel oraret, & forte aliquid magnum de ſe conciperet, apparuit quædam manus in aëre, & divina inſonuit vox: Manus ſine manu nihil poteſt facere, id eſt, nullus eſt tam bonus, qui quidpiam poſſit ſine manu, id eſt, Dei potentia, & auxilio facere. Quod audiens Juniperus ſaltans & exiliens per domum ajebat: Domine, eſt verum, Domine, bene eſt verum. Inſignem ejus humilitatem, & ſanctitatem Dæmones ferre nequibant, quin ad ejus præceptum, vel meram præſentiam non recederent ab obſeſſis corporibus, vel energumenos quam citiſſime ab ejus conſpectu fugere compellerent. Unde cum ſemel

Mirum ejus ſilentium.

Potens in Dæmones.

Juni-

Junipero in itinere conſtituto ex oppoſita parte veniebat quidam a Dæmone poſſeſſus, qui præſentiens Juniperi, ad ter centum vel plures paſſus diſtantis, occurſum ſibi moleſtum, alio deflectens veloci curſu fugam arripuit, nec a ſuis per ſeptem M. P. cohiberi potuit a curſu & clamore. Tantæ commotionis cauſam rogatus & adjuratus dixit: Per viam illam regiam, inquiens, ille ſtultus Juniperus veniebat, cujus præſentiam, nec a longe valui ſuſtinere. Inquiſitione hujus rei facta a Sodalibus de Juniperi adventu, verum dixiſſe energumenum compererunt. Propter hunc illorum timorem minabatur B. Franciſcus obſtinatis Dæmonibus ſuperveniendum, niſi abirent, Juniperum. cujus vel nomine territi avolabant; ſicut ſimiliter de B. Rufino ſuperius recenſuimus.

Hoc anno n. 32.

Admittuntur fr. Illuminatus, & Auguſtinus.

XXXVIII. His acceſſerunt beatus Illuminatus Reatinus, B. Franciſci ad Soldanum poſtea proficiſcentis ſocius, latentiumque in ejus corpore vulnerum ante omnes conſcius; ac B. Auguſtinus Aſſiſias, ob egregias animi dotes primus creatus Terræ Laboris Provincialis Miniſter, quem virum juſtum & ſanctum Bonaventura, Thomas a Celano, & Bernardus a Beſſa teſtantur. Utriuſque horum præclaram agit mentionem Dantes Aligherius, & Chriſtophorus Landinus aſſerit primis D. Franciſci Sociis eſſe annumerandos. Simplices & imperiti erant, ſi humanam ſpectes ſcientiam; ſi divinam, non mediocriter docti, quippe res cœleſtes adeo callebant, ut ſemper his intenti terrenas flocci penderent, & feliciter conſummato hujus vitæ curſu ad Deum tranſmigrarint, ille Aſſiſii plenus dierum, hic Neapoli eodem, quo Franciſcus, die & hora, ut ſuo loco dicemus; & requieſcit in Eccleſia S. Laurentii ejuſdem Civitatis.

In leg. c. 14. Legen. antiq. ad med. Beſſa ſupra cit. Dantes cant. 12. De Pariſ. Land. ibid. Anno 1226. n. 38.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

B. Illum. Caſtellus. B. Illumin. Septempedanus.

„ Ab Illuminato iſto „ quem nobili gente Caſtella ad rupem Accharinam prope Interamnam „ ortum, & ab initiationis loco Reatinum cognominari quidam volunt, „ alium putaverim Illuminatum, qui apud Septempedanos in Piceno, „ nunc Sanctoſeverinates nuncupatos jacet. Sub altari majori Monaſterii „ S. Catharinæ Monialium S. Benedicti, quod olim S. Mariani dicebatur, „ & Monachis inſerviebat Benedictinis, integrum corpus ſervatur religioſe in arca lignea, partim deaurata, partim variis coloribus exornata, & frequenter oſtenditur ad beneplacitum Rectoris Eccleſiæ. Ejus „ pallium ſæpiſsime deportatur ad infirmos, ad cujus contactum multæ „ pelluntur infirmitates. Illius Feſtum ſolemniter ibidem colitur III. „ Idus Maii, quo die etiam ejus memoria celebratur in Martyrologio „ Romano. Apud ſe natum, uti & denatum contendunt Septempedani.

Item Fr. Stephanus; & Leonardus.

XXXIX. Tunc etiam acceſſerunt B. Fr. Stephanus, de quo alias erit ſermo, & B. Leonardus Aſſiſiates. Hunc elegit ſibi ſocium B. Franciſcus prima vice, quando martyrii deſiderio transfretare tentavit. Hi duo feliciter vitam terminarunt, ubi vero jaceant non plane conſtat.

Et Fr. Jacobus Aſſiſias.

Alter etiam Aſſiſias, Jacobus nomine, hos ſecutus, magnis precibus a ſancto Patre eodem habitu indui obtinuit, qui pro perfectionis ſemita, veſtigia ſui Ducis propoſuit in omnibus ſectanda: quod & perfecte complevit, donec multo merito, & ſanctitate plenus curſum conſummavit. Hunc Foggiæ, Apuliæ Dauniæ in Regno Neapolitano fertiliſſimo oppido (ita dicto a colonis, ſi Collenutio credamus, a multitudine fovearum, ſeu foſſarum, quæ pro granariorum uſu ibidem ſunt) requieſcere ait Marianus; & Gonzaga in hoc Conventu cujuſdam ſancti Viri ignoti reliquias ibidem aſſervari refert, magniſque coruſcare prodigiis, quem tamen putat mortuum ipſo anno MDX. quo Minores hunc acceperunt Conventum; ſed verius judicandum a multis an-

Collenut. libr. 1. hiſt. Reg.

Gonzag. Con. 29. in Prov. S. Angel.

annis, & fermè tribus ſæculis mortuum hunc Jacobum, ejuſque Reliquias illuc tranſtuliſſe Fratres ab antiqua illius Oppidi Eccleſia, ad quarum præſentiam Deus illa operatur mirabilia.

XL. Quinque refert Marianus, primum quod cuidam Fratri Roberto cæcutienti, & morienti in Conventu majori Neapolitano apparuerit ſimul cum beatis Franciſco, Antonio, & Auguſtino ſupranominato, & eum tam à cæcitate, quàm à mortis liberarint periculo. Secundum, quod mulierem quamdam Salpenſem (oppidum eſt in magna Græcia in Apulia) à dolore fiſtulæ repente liberaverit. Tertium, quòd Philippum Foggienſem, diutinè quartana febre laborantem, noctu admonuerit die ſequenti liberandum, atque ita factum. Quartum, quòd virum quendam Trojæ, Civitatis opulentiſſimæ in Apulia Daunia à Luceria p. m. viii. diſtantis, à moleſto cancro, per tibiam graſſante, curaverit ob factum ſibi de venerando ſepulcro votum. Quintum, quòd Matthæum Foggienſem crura graviſſimè dolentem, & divina obſequia in honorem hujus Sancti voventem continuò ſanaverit. Multò his plura ait quotidie ab eo facta miracula. *Marian. c.6.ſ.7.* Jacobus miraculis coruſcat. *Supra n.16.*

XLI. Theobaldus etiam Aſſiſias hoc anno receptus eſt, cujus tanta fuit vitæ ſanctitas, ut dum ad Superioris præceptum feſtinanter tranſiret de æde S. Laurentii, è regione Civitatis Hortæ ſita, ad ipſam Urbem, pro quibuſdam rebus quantociùs neceſſariò exequendis, mediumque Tiberis fluvium per cymbam tranſvadere nequiret, ad fluminis ripas memor obedientiæ, ſed immemor periculi elevatâ parumper tunicâ, ſuper aquas ambulavit, & clamantibus, mirantibuſque, qui aderant, hominibus, tam profundum trajecit alveum, aquâ vix perfuſus uſque ad poplites. Aliàs miſſus eſt à Præfecto pro conquirendis piſcibus, quod dum emendicatione à piſcatoribus obtinere non potuit, immergens manum flumini ſemel, atque iterum, majuſculos duos piſces, qui Fratrum ſufficiebant inopiæ, extraxit, & humiliter obtulit Guardiano. Miraculis, & virtutibus clarus obdormivit in Domino in prædicto Hortæ Cœnobio. *Marian. cit. Rodul. fol. 129.* Initiatur Fr. Theobaldus.

XLII. Tot ſuos imitatus eſt cives B. Simon de Aſſiſio, quem multa gratia, & benedictionis dulcedine prævenit Dominus, & ad tantam mentis elevationem evexit, ut ejus vita magis judicaretur cœleſtis, quam humana, fieretque aliis ſpeculum ſanctitatis, & virtutis. Extra cellam raró videbatur, & inter Fratres divinis ſe colloquiis occupabat. Quamvis eſſet Vir ſimplex & illiteratus, talia & tam ſublimia de Chriſti amore loquebatur, ut non tam ex ſtudio humano, quam ex ſpitituali experientia, & ſupra naturalem captum verba ejus prolata viderentur. Quandoque ſub horam veſpertinam perrexit cum Fratre Jacobo de Maſſa ad vicinum nemus, ut de rebus divinis liberiùs agerent, & per totam noctem uſque ad ſequentis auroræ crepuſculum adeò dulciter de divino tractatum eſt amore, ut Fratri Jacobo videretur poſt tot horas, nec unam conſumpſiſſe. Miram ſentiebat ſpiritus ſuavitatem in frequentibus, quæ patiebatur, exterioris hominis deliquiis, & quaſi cum ſponſa amore langueret, in lecto non tam perquirebat, quàm expectabat, quem præ foribus ſentiebat dilectum; dum enim prænunciam experiebatur advenientis ſpiritus dulcedinem, lectum conſcendens, totus in puriſſimi ſponſi amplexibus extra ſe raptus obdormire, & in ſe deficere videbatur; neque id mirum, quia ut habet Gregorius: *Dum creſcit in nobis fortitudo amoris intimi, & divini, infirmatur procul dubio fortitudo carnis.* Et alibi: *Qui in auctoris ſui amore roborantur, quo magis in concupita Dei* *Marc. l.6. c.46* Et Fr. Simon Aſſiſias. Frequentes patiebatur extaſes. *Cantic. 2. Cantic. 3. 1.* *Greg. hom. 14. in Ezech.* *Idem l.4. Moral. c.3.*

for-

fortitudine invaleſcunt, eo magis à propria virtute deficiunt, & quo robuſtiùs æterna appetunt, eo magis à temporalibus ſalubri defectione laſſantur. *Pſal. 118. 81.* Hinc Pſalmiſta: *Defecit in ſalutare tuum anima mea*. Deficiente ergò anima divino, & ſalubri amore, ne corporis incommoda mentis interturbarent quietem, ac dulcedinem interrumperent divinam, frequenter ſupervenientes jacens excipiebat divinos favores, iiſque diuturnis fruebatur intervallis. In hujuſmodi ſponſi deliciis adeò in Deum extra ſe ferebatur, & tam inſenſibilis reddebatur, ut ardentes prunas ſuper pedes, & tibias ad duræ fidei quorumdam experimentum poſitas non ſentiret, nec aliquam poſtea pateretur ignis læſionem.

XLIII. Magnâ prædicabat efficaciâ, ſuoſque Confratres ante corporalem refectionem ſolebat ſpirituali reficere. Plures ad rectam veritatis *Convertit juvenem Sanſeverinatem.* ſemitam convertit, alioſque ad ſuum attraxit ſodalitium. Sed præ cæteris juvenem quendam è ſancto Severino, Campaniæ inter Picentinos nobiliſſimo Oppido, ex quo clariſſimæ Sanſeverinatum familiæ origo, ad frugem deduxit. Hic quantumvis vanus, mundi addictus delectament's, & delicatè, lautèque à nobilibus educaretur parentibus, ad unam B. Simonis converſus prædicationem ei ſemper adhæſit. Sed moleſtam paſſus *Job 41. 12.* eſt in tirocinio tentationem carnis, ſuggerente eo, *cujus halitus prunas* *In ſancto item confirmat propoſito.* *ardere facit*, ut ad ea, quæ dereliquit, corporis rideret oblectamenta: ſæpè veſtes ſæculares repetiit à beato Viro, qui urgentem ſalutaribus inſtructionibus repellebat tentationem. Sed cum nimiæ tentatoris moleſtiæ jam ampliùs ſe reſiſtere poſſe juvenis deſperaret, reddendaque omninò veſtimenta contenderet, eum propè ſe pauliſper ſedere Vir ſanctus rogavit, & anguſtiati afflictique caput in ſuo ſinu repoſuit. Demùm elevatis in cœlum oculis, ferventique effuſa oratione extra ſe raptus, in ipſa extaſi cum Deo egit de adoleſcentis ſalute. Dum ad ſe rediit, invenit diſcipulum ab omni liberatum malo, firmatumque in ſancto Religionis propoſito, in quo ad tam excelſum caritatis apicem pervenit, ut cum *Egregium juvenis factum.* cuidam malefactori ex judicis ſententia eruendi eſſent oculi, ipſe magnis efflagitaret precibus, ut illi unum, ſibi alterum eruerent oculum, ne miſer homo omninò privaretur lumine. Cujus admiratus caritatem *Rodul. fol. 129. Marian. c.6. Marc. 1.p. lib.6. c.47. Hugol. in tract. MS.* judex pœnam omnem miſello dimiſit. Alios attribuere hoc factum B. Junipero notat Rodulphus, ſed ipſe cum Mariano, Marco, & Fr. Hugolino de Monte Sanctæ Mariæ, qui res Provinciæ Picenæ ſpeciali complexus eſt Tractatulo MS. & qui ipſum hunc juvenem ſe vidiſſe, & familiariter tractaſſe affirmat, huic adſcribunt. Forſan rem ſimilem egit etiam Juniperus.

XLIV. Illud etiam prædicti narrant Auctores de B. Simone, quod *Abigit garrulas corniculas.* cum Brufortii in Piceno intimè confabularetur cum Deo in denſa ſilva, magnamque ſentiret ex contemplatione dulcedinem, & deſuper in ramis innumeræ garrirent corniculæ, præcepit eis in nomine Jeſu Chriſti, ut ſtatim avolarent, nec ampliùs ad illas redirent arbores. Citius dicto paruerunt, & ut ſpeciatim refert ſupra citatus Hugolinus, cum ipſe per plures poſtea annos in Conventu Fratrum ibidem extructo, commoraretur, nullam ibi, nec in toto loci circuitu vidit hujus generis volucrem, quod omnium opinione celebrabatur pro miraculo, cum antea turmatim illic confluerent hæ aves, & nidificarent in illis arboribus. Virtuti- *Piſan. conf. 8. Marian. cit. Rodulph. cit. Chron. MSS.* bus plenum obiiſſe Brufortii opinatur cum Piſano Marianus, ſed Rodulphus, & Auctor Chron. xxiv. General. eum Spoleti vitam clauſiſſe volunt. At alius eſt, qui Spoleti deceſſit, de quo jam ago.

XLV.

Converſio Simonis de Collazzono.

XLV. B. Simon ex Collazzono genere nobilis, ætate puer, hoc tempore habitum ſuſcepit. Profecit mirificè in Ordine, pleriſque prælucens morum gravitate, & rerum agendarum prudentiâ, miſſus eſt ad Teutoniæ partes cum Beato Fr. Cæſario, ut in illis Religionem propagaret. Deinde creatus Marchiæ Miniſter, mox Provinciæ S. Franciſci, quæ munia magna induſtria, & pietate exercuit. Matrem ſuam Ottonis IV. domeſticam, & Imperatricis familiarem pediſſequam ſuo hortatu ad piam vivendi rationem attraxit, deinde ſorores, & neptes ad clauſtra reduxit. Mira flagrans ſanctitate obiit plenus dierum Spoleti. Hujus, non prioris Simonis, ut vult Rodulphus, multa miracula ab Epiſcopo Spoletano notata eſſe, & auctoritate Apoſtolica Innocentii IV. approbata vult Marianus. Prodigiorum proceſſus ex parte adhuc ſervantur apud Patres Conventuales Spoleti. Summarium hìc offero. Undecim diverſimode contractos ſanavit. Quinque hernioſos, ſive ramicibus, & herniis, vulgari nomine rupturis, laborantes conſolidavit. Viginti duos cæcos, vel gravi oculorum infirmitate laborantes perfecto donavit viſu: novem ab epilepſia: quatuor à Dæmone liberavit: undecim mutis loquelam reſtituit: tres mente captos ſano reddidit ſenſui: tres corpore toto curvos erexit: decem podagroſos, unum leproſum curavit: paſtoris infirmum, confractumque ovis crus ſanavit: ſubmerſum in aquis puerum ad matris deprecationem à morte in vitam revocavit, quem jam adoleſcentiorem ſe vidiſſe in valle Spoletana narrat Bernardus de Beſſa; aliaque refert hujus Viri ſancti prodigioſi opera, magno examine diſcuſſa, & multorum teſtimoniis probata.

Maria. cit. §. 10.

Rodulph. cit.

XLVI. Lætabatur ſanctus Pater de converſione tantorum virorum, & de ſancta illorum converſatione, magnaſque agebat gratias tanti beneficii Auctori, qui tam inſignem ei conceſſit ſocietatem. Tenerè hos ſuos, atque alios, quorum nomina non ſunt in promptu, diligebat filios, ac velut pia mater magno educabat amore, præcipuas in ſe aſſumens curas acquirendi omnibus neceſſaria. Primus ipſe, & aliquando ſolus ibat mendicatum oſtiatim, ceterorum parcens verecundiæ, quos adhuc verebatur ſæculi affectionibus detineri. Sed dum omnium inopiæ ſolus ob corporis debilitatem ſatisfacere ſemper non poſſet, conſideraretque non aliundè quam ex aliorum eleemoſynis victuros, ad has emendicandas pro amore Dei eos voluit inſtruere. Congregatos ergò in unum hac hortatur collatione: *Cariſſimi fratres, & filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemoſyna; quia Dominus ſe pro nobis fecit pauperem in hoc mundo, cujus exemplo elegimus viam veriſſimæ paupertatis. Si enim pro ſuo amore viam paupertatis elegimus, non debemus confundi pro eleemoſynis ire: arrham cæleſtis hæredicatis erubeſcere nequaquam convenit regni Cælorum hæredibus. Hæc eſt enim hæreditas noſtra, quam acquiſivit, & reliquit nobis Dominus Jeſus Chriſtus, & omnibus, qui ſuo exemplo vivere volunt in ſanctiſſima paupertate.*

Legen. antiq.

Marian. c. 5. §. 6.

Tenellus Franciſci erga diſcipulòs amor.

Eos hortàtur ad mendicitatem.

In veritate dico vobis, quod multi ex nobilioribus hujus ſæculi venient ad iſtam Congregationem, & pro magno honore, & gratia habebunt ire pro eleemoſyna. Vos ergo, qui eſtis illorum primitiæ, lætamini, & gaudete, nec renuatis facere, quæ ſanctis illis facienda tranſmittitis. Ite ergo confidenter, & animo gaudenti pro eleemoſyna cum benedictione Dei. Et magis liberè & gaudenter ire debetis pro eleemoſyna, quam ille, qui de una numata offerret centum denarios; quoniam offertis eis amorem Dei, à quibus eleemoſynam petitis, dicentes: Amore Domini Dei faciatis nobis elee-

moſynam, cujus comparatione nihil eſt cœlum, & terra. Quibus perceptis verbis humiles diſcipuli ad Patris nutum lætantes ibant per vicina loca, & caſtra, pro amore Dei petentes, quæ jubebantur, hilarioreſque in reditu coram ſancto Patre conveniebant, jactantes alterutrum ſe plus aliis pro amore Dei collegiſſe, vel ampliorem reportaſſe eleemoſynam. Ad quorum ſanctam, & ſimplicem æmulationem ſummopere lætabatur beatus Pater, videns ſuos tam libenter voluntariam amplexos paupertatem, quibus utique non erat ampliùs neceſſe præcipere, ut abirent ad ſtipem, dum quiſque ad ſui mortificationem ſponte in hoc munus ſemet offerret.

Læti ibant mendicatum.

XLVII. Contigit ſemel, ut unus ex iis, qui è ſtipe redierant, peram, ſeu manticam fruſtulis panis refertam, humeris geſtans domum intraret lætus, alacri, & altiori voce laudans Deum ſummum benefactorem. Cui ſanctus Pater occurrens aſcoperam ex humeris ejus in ſuos transferens, oſculanſque locum, vel humerum, in quo à Fratre portabatur, interiora domus ingreſſus dixit ad ceteros: Sic ego volo, quod frater meus vadat, & revertatur cum eleemoſyna, lætabundus Deum glorificans in ſuis beneficiis. Si quos verò videbat erubeſcentiores, & qui duriorem hanc putabant provinciam, quam ut abſque pudore poſſit obiri, eos verbis hortabatur hujuſmodi: Ite cariſſimi filii, pro eleemoſyna, quoniam hac noviſſima hora Fratres Minores commodati ſunt mundo, ut electi in eis impleant, unde à ſupremo Judice commendentur, illud audientes ſuaviſſimum verbum: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Jucundum proinde dicebat ſub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione juſtorum Evangelicæ veritatis Magiſter ore ſuo tam ſignanter expreſſit. In feſtis quoque præcipuis, ubi opportunitas aderat, mendicare ſolitus erat, dicens in ſanctis pauperibus Propheticum illud impleri: *Panem Angelorum manducavit homo*. Illum ſanè panem Angelicum eſſe dicebat, quem pro Dei petitum amore, & beatis ſuggerentibus Angelis, pro ipſius caritate largitum, ſancta paupertas colligit oſtiatim. Unde, cum ſemel die ſancto Paſchæ moram faceret in Eremitorio quodam adeò ab hominum habitatione remoto, quod commodè mendicare non poſſet; memor illius, qui diſcipulis euntibus in Emaus ipſo die in ſpecie peregrini apparuit, ab ipſis Fratribus eleemoſynam petiit, ut peregrinus, & pauper. Quam cum accepiſſet humiliter, ſacris eos informavit eloquiis, quod tranſeuntes per mundi deſertum, tamquam peregrini, & advenæ, verique Hebræi, Paſcha Domini, hoc eſt tranſitum ex hoc mundo ad Patrem in paupertate ſpiritus continuè celebrarent.

Bonav. c. 7.
Matth. 25. 40.
Pſal. 77. 25.
Luca 24. 18.
Joan. 13. 1.

XLVIII. Licèt autem pro viribus ad vitam auſteram Fratres induceret, non tamen ei placebat diſtrictionis ſeveritas, quæ pietatis non induit viſcera, nec eſt diſcretionis ſale condita. Cum enim quadam nocte, unus ex Fratribus, præ nimietate abſtinentiæ admodum fame cruciatus, nullam poſſet habere quietem; intelligeretque pius paſtor ovi ſuæ imminere periculum, vocavit Fratrem, appoſuit panem, & ut ruborem ei tolleret, cœpit ipſe prior comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare. Depoſuit Frater verecundiam, ſumpſit cibum gaviſus quamplurimum, quod per circumſpectam condeſcenſionem Paſtoris, & corporis evaſiſſet diſpendium, & non modicum accepiſſet ædificationis exemplum.

Bonaven. c. 1.
Commendat diſcretionis virtutem.

XLIX. Docuit inſuper eos in pœnitentiis diſcretionem ſequi, ut au-

Legen. 3. ſocior.

aurigam virtutum, non eam, quam caro ſuadet, ſed quam edocuit Chriſtus, cujus ſacratiſſimam vitam, expreſſum conſtat eſſe perfectionis exemplar. Unam, & alteram offero ejuſdem de diſcretione commendationem. *Fratri corpori cum diſcretione providendum eſt, Fratres cariſſimi, ne ab eo tempeſtas acediæ commoveatur. Servus enim Dei in comedendo, & bibendo, & dormiendo, & alias corporis neceſſitates ſumendo, debet cum diſcretione ſuo corpori ſatisfacere, unde non tædeat ipſum vigilare, & reverenter in oratione perſiſtere, ita quod Frater corpus non valeat murmurare, dicens: Fame deficio, tui exercitii ſarcinam ferre non valeo: non poſſum ſtare rectum, & inſiſtere orationi, nec in tribulationibus meis lætari; nec alia bona operari, quia non ſatisfacit indigentiæ meæ. Si enim ſervus Dei cum diſcretione, & ſatis bono modo, & honeſto ſuo corpori ſatisfaceret, & Frater corpus, ſi poſtquam ſufficientem voraſſet annonam, alias muſſitaret, eſſetque negligens, & pigrum, vel ſomnolentum in orationibus, & vigiliis, et aliis bonis operibus; ſcito pigrum jumentum calcaribus indigere, et inhærentem aſellum ſtimulum expetere: tunc debet ipſum caſtigare tamquam malum, et pigrum jumentum, qui vult comedere, et non lucrari, et onus non portare. Si verò propter inopiam, et paupertatem Frater corpus neceſſitates ſuas in ſanitate, et infirmitate habere non poteſt; dum honeſtè petierit, et humiliter à Prælato ſuo amore Dei, et ſibi non datur, ſuſtineat amore Domini patienter, qui etiam ſuſtinuit quærens, qui eum conſolaretur, et non invenit. Et hæc neceſſitas ſibi à Domino imputatur pro martyrio. Et quia fecit, quod ſuum eſt, id eſt, quod petiit humiliter ſuam neceſſitatem, excuſatur à peccato, etiamſi corpus inde graviùs infirmetur.*

Leg. antiq. c. de abſtin.

Pſal. 68. 21.

L. Alia collatiuncula ſic habet: *Fratres mei, unuſquiſque conſideret naturam ſuam; quia licèt aliquis ex vobis valeat ſuſtentari pauciori cibo, quam alius, nolo tamen quod abundantiori cibo indigens, illum in hoc imitari nitatur: ſed naturam ſuam conſiderans exhibeat corpori ſuo neceſſitatem ſuam. Sicut enim à ſuperfluitate comeſtionis, quæ obeſt corpori, et animæ, tenemur nobis cavere; ità à nimia abſtinentia, imò magis, quoniam Deus miſericordiam vult, et non ſacrificium.* Virtutem porrò hanc ità efficaciter ſuadebat, quia optimi illi diſcipuli nimis ſe jejuniis, vigiliis, rigidiſſimis diſciplinis ad ſanguinis effuſionem, aſperrimis ciliciis, circulis, & loricis ferreis duriſſimè macerabant; proptereàque multoties infirmabantur, è quibus Silveſter, primus, quem diximus, Sacerdos, diutino ob nimiam pœnitentiam cruciabatur languore, donec beatus Pater ejus aliquando ſentiens deſiderium de comedendis uvis, eum, ut potuit, duxit ad propinquam amici vineam, in qua ad delectam à ſe, & crucis ſigno benedictam vitem ſedere juſſit infirmum, & ſecum manducare. Quod ut fecit infirmus, ſtatim exilivit lætus, & ſanus glorificans Deum in ſancti Viri mirifica caritate, & ſtupendis prodigiis. Et dum vixit, meminit paterni hujus erga filium amoris, & quam ſæpiſſimè Fratribus non abſque lacrymarum effuſione referebat.

Piſan. confor. 12. c. 11.

Oſee. 6. 6.

Pietas Franciſci erga ſuos.

Otium verò omnium malarum cogitationum ſentinam, docebat ſummopere fugiendum, exemplo demonſtrans, rebellem carnem, & pigram diſciplinis continuis, & fructuoſis laboribus eſſe domandam. Unde corpus ſuum fratrem aſinum appellabat, tamquam laborioſis ſupponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. Si quem verò cernebat otioſum, & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muſcam nominandum cenſebat: eo quod talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem, & abominabilem ſe omnibus reddat.

Bonaven. c. 5.

Otium fugiendum docet.

Otioſi muſcis ſimiles.

Marian. c. 5. 6. 7. dit. Propter quod dixit aliquando: *Volo fratres meos laborare, et exercitari, ne otio dediti, per illicita corde, aut lingua vagentur: ſi verò laborare neſciunt, diſcant, ut ſæcularibus ſint minus oneroſi. Lucrum verò, ſeu merces elaborati operis non laborantis arbitrio, ſed Guardiani, ſeu Superioris judicio diſpenſanda eſt.* Si quis porrò coram eo otioſus apparebat, non præteribat abſque paterna correptione, ſubjungebatque, gyrovagos, & tepidos evomendos citò ex ore Dei.

Bonaven. c. 7. LI. Sanctam etiam paupertatem Filio Dei familiarem conſiderans, & *Paupertatē impense amat.* jam quaſi toto orbe repulſam, eam ſic ſtuduit ſibi caritate deſponſare perpetua, quod non ſolùm pro ea patrem, matremque reliquit, verùm etiam quæ habere potuit, univerſa diſperſit. Nemo tam auri, quam ipſe cupidus paupertatis, nec theſauri cuſtodiendi ſolicitior ullus, quam iſte *Matth. 13. 45.* hujus Evangelicæ margaritæ. In hoc præcipuè ſuus offendebatur aſpe*Hæc Evangelica Margarita.*ctus, ſi quidquam videret in Fratribus, quod paupertati non per omnia conſonaret. Re vera ipſe à principio Religionis uſque ad mortem tunica, chordula, & femoralibus dives, iis contentus fuit. Chriſti Jeſu pau*Legen. antiq.*pertatem, & matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem, & *Cela c. de perf. paup.* Fratribus proponebat in ſermone, ut liquebit ex hac, quam ſubjungo ex *Piſan. conf. 12. c. 15.* Thoma Celano, & aliis, ratiocinatione.

*Paupertatem noveritis, Fratres cariſſimi, virtutum eſſe Reginam, quia in Rege Regum, et in Regina matre ipſius tam præſtanter effulſit. Paupertatem ſcitote, Fratres, ſpecialem viam eſſe ſalutis, tamquam bumi*Via ſalutis.*litatis fomentum, perfectioniſque radicem, cujus eſt fructus multiplex, ſed *Matth. 13. 44.* occultus. Hæc enim eſt* Evangelici agri theſaurus abſconditus, *pro quo emendo vendenda ſunt omnia; et quæ vendi non poſſunt, illius comparatione ſpernenda. Ad hujus culmen, qui cupit attingere, non ſolùm mundanæ prudentiæ, verùm etiam litterarum peritiæ renunciare quodammodo debet, ut *Pſal. 70. 15.* tali expropriatus poſſeſſione, introëat in potentias Domini, et nudum ſe offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim ſæculo perfectè renunciat, qui proprii ſenſus loculos intra cordis arcana reſervat. In omnibus ergo reluceat inter vos ſancta paupertas, & præcipuè in domibus, quas ædificave*Matth. 8. 20.*ritis, conſiderantes illud Evangelicum, quod* vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habuit, ubi caput ſuum reclinaret. *Propter quod pauperum more pauperculas caſulas erigite, quas non habitare debetis, ut proprias, ſed ſicut peregrini, et advenæ alienas. *Leges peregrinorum.* Leges namque peregrinorum ſunt, ſub alieno colligi tecto, ſitire ad patriam, pacificè pertranſire. Evangelica hæc paupertas noſtri Ordinis eſt fundamentum; cui ſubſtrato primariè, ſic omnis ſtructura Religionis innititur, ut ipſius firmitate firmetur, et everſione funditùs evertatur. Quantùm itaque Fratres declinabunt à paupertate, tantùm mundus declinabit ab eis, et quærent, et non invenient. Si dominam meam paupertatem complexi fue*Commercium inter Minores, & mundum.*rint, mundus eos nutriet, quia mundo dati ſunt ad ſalutem. Commercium eſt inter mundum, et Fratres. Debent enim ipſi mundo bonum exemplum, debet eis mundus proviſionem neceſſitatum; quando autem ipſi retraxerint bonum exemplum fide mentita, retrahet mundus manum juſtâ cenſurâ.*

LII. Orationis virtutem multoties commendabat, quam & ipſe aſſi*1. Theſſ. 5. 17.*duè frequentabat, ne foret abſque conſolatione dilecti, *ſine intermiſſione* *Bonaven. c. 10.* orans, ſpiritum Deo contendebat exhibere præſentem. Erat quidem *In oratione aſſiduus vir ſanctus.* oratio contemplanti ſolatium, dum ſupernarum circuitu manſionum, Angelorum concivis jam factus ferventi deſiderio, quærebat dilectum, à quo ſolus eum carnis paries disjungebat. Erat & operanti præſidium, dum

dum in omnibus, quæ agebat de ſua diffidens induſtria, & de ſuperna pietate confidens, per ipſius inſtantiam totum in Dominum cogitatum jactabat. Orationis gratiam viro religioſo deſiderandam ſuper omnia firmiter aſſerebat, nullumque credens ſine ipſa in Dei proſperari ſervitio, modis, quibus poterat, Fratres ſuos ad ejus ſtudium excitabat. Nam ambulans, & ſedens, intus, & foris, laborans, & vacans, orationi adeò erat intentus, ut illi videretur non ſolùm quidquid erat in eo cordis, & corporis, verùm etiam operis, & temporis dedicaſſe. Solitus erat nullam viſitationem ſpiritus cum negligentia præterire. Siquidem cum offerebatur, ſequebatur eam; & quandiù Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cum autem intentus itineri, divini Spiritus aliquos ſentiret afflatus, Sociis præcedentibus, gradum figebat, novamque inſpirationem ad fruitionem convertens, gratiam non recipiebat in vacuum. Suſpendebatur multoties tanto contemplationis exceſſu, ut ſupra ſemetipſum raptus, & ultra hominum ſenſum aliquid ſentiens, quid ageretur circa ſe exterius ignoraret. Religioſo ſemper neceſſaria.

LIII. Rigidus in diſciplina ſuper cuſtodiam ſuam ſtabat, curam per maximam gerens de utriuſque hominis puritate ſervanda. Quapropter plerumque in foveam glacie plenam ſe ipſum mergebat, & ut domeſticum ſibi hoſtem perfectè ſubigeret, & candidum veſtimentum pudoris à voluptatis incendio præſervaret. Tolerabiliùs viro ſpirituali fore incomparabiliter aſſerebat magnum ſuſtinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis, vel modicum ſentire in mente. Mulierum aſpectus, & colloquia ſollicitè cavenda, & fugienda docebat, de quo brevis hæc extat illius perſuaſio: *Mulierum familiaritates, colloquia, & aſpectus, quæ multis occaſio ſunt ruinæ, eò ſollicitiùs evitare debemus, Fratres cariſſimi, quò ſæpiùs per hujuſmodi videmus debilem frangi, & fortem ſpiritum infirmari. Harum cogitationem evadere converſantem cum eis, niſi probatiſſimum virum, tam facilè judico, quam juxta Scripturam in igne* ambulare, & non comburere plantas. *Non enim ſecurum puto, earum formarum introrſus haurire imagines, quæ poſſunt, aut edomitæ carnis reſuſcitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Frivolum profectò eſt quodcumque mulieris colloquium, exceptâ ſolâ confeſſione, vel inſtructione breviſſimâ, juxta quod ſaluti expedit, vel congruit honeſtati. Quæ ſunt, quæſo, cum muliere Religioſo tractanda negotia, niſi cum ſanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ conſilium religioſa petitione depoſcit? Ex nimia ſecuritate minus cavetur hoſtis; & Diabolus, ſi de ſuo capillum poteſt habere in homine, citò excreſcere facit in trabem. Nec enim ſolùm mortificari debent vitia carnis, aut ejus incentiva frænari; verùm etiam exteriores ſenſus, per quos mors intrat ad animam, ſummâ vigilantiâ decet cuſtodiri.* Idem c. 5. In nivem Franciſcus ſe mergit frequenter. A mulierum frequentia, & riſu fugiendum. Prov. 6. 28. Jerem. 9. 21.

LIV. Multoties ſecum perpendebat illud Apoſtoli: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*, & ut crucis armaturam ſuo ferret in corpore, tanta diſciplinæ rigiditate ſenſuales appetitus arcebat, ut vix neceſſaria ſumeret ſuſtentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat, neceſſitati corporis ſatisfacere, & pronitati ſenſuum non parere. Propter quod cocta cibaria ſanitatis tempore vix admittebat, & raro; admiſſa verò aut inficiebat cinere, aut condimenti ſaporem admixtione aquæ, ut plurimum reddebat inſipidum. De potu quid dicam? Cum & de aqua frigida, cum ſitis æſtuaret ardore, vix ad ſufficientiam biberet. Modos adinveniebat abſtinentiæ potiores, & quo- Ibidem. Galat. 5. 24. Rigor S. Franciſci.

quotidiè exercitatione creſcebat: licètque jam perfectionis culmen attingeret, tamquam incipiens ſemper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exteriùs propter verbum Evangelii, conformabat ſe ſuſcipientibus ipſum in qualitate ciborum, cum tamen ad interiora regreſſus diſtrictè ſervaret rigidam abſtinentiæ parcitatem. Sicque ſeipſum auſterum ſibi, humanum proximo, ſubjectum Evangelio Chriſti per omnia reddens, non ſolùm abſtinendo, verùm etiam manducando præbebat ædificationis exemplum. Nuda humus, ut frequentiùs, lectus erat laſſato corpuſculo; & ſæpiùs ſedens, ligno, vel lapide ad caput poſito, dormiebat, unica paupere contectus tunicula, in nuditate Domino ſerviebat, & frigore. Veſtis horrebat mollitiem, *Matth. 11. 8. & 9.* aſperitatem amabat, aſſerens propter hoc Joannem Baptiſtam ore divino fuiſſe laudatum. Si quando verò in data ſibi tunica lenitatem ſentiret, chordulis eam contexebat interiùs, quia non in caſulis pauperum, ſed in Palatiis Principum, juxta veritatis verbum, veſtimentorum dicebat requirendam eſſe mollitiem. Experientiâ enim certâ didicerat, Dæmones aſperitate terreri, delicioſis autem, & mollibus ad tentandum fortiùs animari.

Bonav. c. 8.

Caritate totus igneus.

LV. Ferveutem ejus caritatem, qua ſemper ardebat in Chriſtum quis enarrare ſufficiat? Totus namque, quaſi carbo ignitus, divini amoris flamma videbatur abſorptus. Subitò enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur; quaſi plectro vocis extrinſecæ chorda cordis interior tangeretur. Talem pro eleemoſynis cenſum offerre, nobilem prodigalitatem dicebat; & eos qui minus ipſum, quam denarios reputarent, eſſe ſtultiſſimos, pro eo quod ſolius divini amoris impretiabile pretium, ad regnum Cœlorum ſufficiat comparandum; & ejus, qui nos multùm amavit, multùm ſit amor amandus. Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, & per jucunditatis ſpecula, in vivificam conſurgebat rationem, & cauſam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia proſequebatur ubique dilectum, de omnibus ſibi ſcalam faciens, per quam conſcenderet ad apprehendendum eum, qui eſt deſiderabilis totus. Inauditæ namque devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis ſingulis, tamquam in rivulis deguſtabat; & quaſi cœleſtem concentum perciperet, in conſonantia virtutum, & actuum eis datorum à Deo, ipſas ad laudem Domini, more Prophetæ David, dulciter hortabatur. Chriſtus Jeſus crucifixus intra ſuæ mentis ubera, ut myrrhæ faſciculus jugiter morabatur, in quem optabat, per exceſſivi amoris incendium, totaliter transformari.

Ex creaturis ſemper ad Deum aſcendit.

Pſal. 148. 1. Dan. 3. 57. Cant. 1. 13.

Matth. 4.

Jejunat 40. dies ad Chriſti exemplum.

LVI. Prærogativa quoque peculiaris devotionis ad ipſum ab Epiphaniæ feſto, uſque ad continuos quadraginta dies, eo ſcilicèt tempore, quo Chriſtus latuit in deſerto, ad ſolitudinis loca declinans, cellâque recluſus, quanta poterat arctitudine cibi, & potus, jejuniis, & orationibus, & laudibus Dei ſine intermiſſione vacabat: tam fervido quidem in Chriſtum ferebatur affectu! Sed & dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, ut videretur ipſi famulo Dei, quaſi jugem præ oculis ipſius Salvatoris ſentire præſentiam, ſicut aliquando Sociis familiariter revelavit. Flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarum; ſtupore admirans permaximo, illam cariſſimam dignationem, & dignantiſſimam caritatem. Sæpè communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni deguſtationem

Summe veneratur Sanctam Euchariſtiam.

nem ſuavem, quaſi ſpiritu ebrius, in mentis plerumque rapiebatur exceſſum. Matrem Domini noſtri Jeſu Chriſti indicibili complectebatur amore, eò quòd Dominum Majeſtatis fratrem nobis effecerit, & per eam ſimus miſericordiam conſecuti. In ipſa poſt Chriſtum potiſſimè fidens, eam ſui, ac ſuorum advocatam conſtituit; & ad honorem ipſius à feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli uſque ad feſtum Aſſumptionis devotiſſimè jejunabat. Angelicis ſpiritibus ardentibus igne mirifico, ad eſcendendum in Deum, & electorum animas inflammandas, inſeparabilis erat amoris vinculo copulatus; & ob devotionem ipſorum, ab Aſſumptione Virginis glorioſæ quadraginta diebus jejunans, orationi jugiter inſiſtebat. Beato autem Michaeli Archangelo, eò quòd animarum repræſentandarum haberet officium, ſpirituali erat amore devotior, propter fervidum, quem habebat zelum, ad ſalutem omnium ſalvandorum. Ex recordatione Sanctorum omnium, tamquam lapidum ignitorum, in Deificum recaleſcebat incendium. Apoſtolos omnes, & præcipuè Petrum, & Paulum, propter fervidam caritatem, quam habuerunt ad Chriſtum, ſumma devotione complexans; ob quorum reverentiam & amorem quadrageſimæ ſpecialis jejunium Domino dedicabat.

Sanctam itè Dei Genitricem.

Pſal. 103. 4.

Angelos quoque & Sanctos omnes.

Ezech. 28. 14.

LVII. Non habebat aliud Chriſti pauper niſi duo minuta, corpus ſcilicèt & animam, quod poſſet liberali caritate largiri. Sed hæc per amorem Chriſti ſic offerebat continuè, ut quaſi omni tempore per rigorem jejunii corpus; & per ardorem deſiderii, ſpiritum immolaret: exteriùs in atrio ſacrificans holocauſtum, & in Templo interiùs concremans thymiama. Sic autem eum caritatis exceſſiva devotio ſurſum in divina ferebat, ut ejuſdem affectuoſa benignitas ad naturæ conſortes, & gratiæ dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non eſt, ſi Creatoris inſignitis imagine, & ſanguine redemptis Auctoris, germaniorem Chriſti caritas efficiebat. Non ſe Chriſti reputabat amicum, niſi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum eſſe dicebat; eo maximè probans, quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc ſibi in oratione luctamen, in prædicatione diſcurſus, & in exemplis dandis exceſſus. Unde quoties auſteritas nimia reprehenderetur in ipſo; reſpondebat ſe datum aliis in exemplum. Licèt enim innocens ejus caro, quæ jam ſe ſpontè ſubdebat ſpiritui, nullo egeret flagello propter offenſas; tamen exempli cauſa renovabat illi pœnas, & onera, cuſtodiens propter alios vias duras. Dicebat enim: *ſi linguis hominum loquar & Angelorum; caritatem autem* in meipſo *non habeam*, & proximis virtutum exempla non monſtrem, parum proſum aliis, mihi nihil. Cùm ergò cerneret ſuo exemplo ad Crucem Chriſti bajulandam ferventi ſpiritu plurimos animari, animabatur & ipſe, tamquam bonus dux exercitus Chriſti, ad palmam victoriæ per culmen invictæ pervenire virtutis. Multa proinde, quæ Fratribus concedebat, ſibi ipſe negabat, ut plus præſtitiſſe, & opere antecedere videretur, qui ut arctam ambularent per viam pœnitentiæ, hortatus eſt verbo. Candidum & ſimplex adnecto hujus rei trium ſancti Viri Sociorum teſtimonium: *Nos, qui fuimus cum eo, perhibemus teſtimonium de ipſo, quòd licèt toto tempore vitæ ſuæ eſſet circa Fratres diſcretus & temperatus, ita tamen ut vellet, quod in cibis & aliis rebus, nullo tempore deviarent à modo paupertatis, & honeſtatis, ac obſervantia noſtræ Religionis, ipſe tamen Pater ſanctiſſimus à converſionis ſuæ principio uſque ad finem vitæ ſuo corpori fuit auſterus, quamvis naturaliter eſſet debilis,*

Totum ſe Deo conſecrabat.

Curat maximè animarum ſalutem.

Plura præſtat ad aliorum exemplum.

Pſal. 16. 4.

1. Cor. 13. 1.

Leg. 3. ſocior.

bilis, nec poſſet in ſæculo vivere niſi delicatè. Unde quodam tempore conſiderans, quod Fratres jam excedebant modum paupertatis, & honeſtatis in cibis, & in aliis rebus, dixit in quodam ſuo ſermone: Non putant Fratres, quod melior pitantia, ideſt, lautius abſonium, vel carnis edulium, eſſet corpori meo neceſſaria? Sed quia oportet me eſſe formam & exemplum omnium Fratrum, volo uti, & eſſe contentus paucis & pauperculis cibis, & omnibus aliis rebus uti ſecundum paupertatem, & ſumptuoſa & delicata penitùs abhorrere.

Bonav. c. 6. — Humilitas in eo mitanda.

LVIII. Humilitatem etiam, quæ omnium virtutum cuſtos eſt & decor, quo poterat, ſectabatur conatu, quam adeò perfectè aſſecutus eſt, ut copioſa Virum Dei ubertate repleret. In propria qnidem reputatione, nihil erat niſi peccator; cum in veritate ſpeculum eſſet, & ſplendor omnimodæ ſanctitatis. Super hanc ſtuduit ædificare ſeipſum, ut ſapiens architectus fundamentum præjaciens, quod à Chriſto didicerat. Dicebat propter hoc, filium Dei de altitudine ſinus paterni ad noſtra deſpicabilia deſcendiſſe, ut tam exemplo, quam verbo, Dominus & Magiſter humilitatem doceret. Propter quod ſtudebat, tamquam Chriſti diſcipulus, in oculis ſuis, & aliorum vileſcere; à ſummo dictum eſſe Magiſtro commemorans: *Quod altum eſt apud homines, abominatio eſt apud Deum*. Sed & verbum hoc dicere ſolitus erat: *Quantum homo eſt in oculis Dei, tantum eſt, & non plus*. Stultum proinde judicans mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis, & de laudibus triſtabatur. Malebat quidem de ſe vituperium audire, quam laudem; ſciens, quod hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum. Et ideò ſæpè cum Populi merita in eo ſanctitatis extollerent, præcipiebat alicui Fratri, ut in contrarium verba ipſum vilificantia ſuis auribus inculcando proferret. Cumque Frater ille, licèt invitus, eum ruſticum, & mercenarium, imperitum, & inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quàm facie reſpondebat: *Benedicat tibi Dominus fili cariſſime, quia tu veriſſima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire*. Humilitatis ergò forma factus Vir ſanctus, proinde ſuos Fratres voluit vocari Minores, ſecundum illud: *Quandiu non feciſtis uni de Minoribus his, nec mihi feciſtis*. Et Prælatos ſui Ordinis dici Miniſtros, ut & verbis uteretur Evangelii, quod obſervare promiſerat, & ex ipſo nomine diſcerent diſcipuli, quod ad diſcendam humilitatem ad ſcholas humilis Chriſti veniſſent. Magiſter ſiquidem humilitatis Jeſus Chriſtus, ut informaret diſcipulos ad humilitatem perfectam, dixit: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus*.

Luc. 16. 15. — Aurea ſententia. — Libenter audit opprobria. — Anton. 3. p. tit. 24. c. 7. — Matth. 25. 45. — Matth. 20. 27.

Inſtruit ſedulò piam familiam.

LIX. Hujuſmodi diſciplinis & exemplis vir Dei novellam hanc erudiebat familiam, magnam agens illorum curam, quos electos novit à Domino, ut aliorum fierent magiſtri. Conſiderabat ſecum attentiùs ex horum diſciplina ceterorum per orbem recipiendorum Fratrum dependere doctrinam; proinde nulli parcebat labori, die noctuque monens unumquemque illorum, & ſingulas ſalutaribus, & efficacibus verbis unicuique inſtillans virtutes. Verè autem, quos Deus ad tam inſigne opus orbis depravatos mores reformandi prædeſtinavit & vocavit, hos & magnificavit virtutibus excelſis, & idoneos fecit miniſtros verbi Dei, ut brevi & abſque magno præceptoris labore ad deſtinatum opus evaderent perfecti, ut ex proxima, quam referemus miſſione, clariùs liquebit.

LX.

LX. Hæc porrò, quæ retulimus hoc anno peracta eſſe docent Marianus, Legenda antiqua Celani, & alii, licèt quæ ex Bonaventura tranſcripſimus, nullo apud eum anno ſignentur, qui prudens & ſciens, ſe ad chronologiam non reſpexiſſe, præfatur. Ad finem verò hujus anni Innocentius Pontifex Ottonem Imperatorem Eccleſiæ jura ſacrilegè imminuentem, & terras tyrannicè invadentem diris ſolemniter devovit, & jure Imperii privavit, juxta S. Franciſci, quam ſupra retulimus, prophetiam. Electores verò Idibus Decembris Fridericum II. Siciliæ Regem, Henrici VI. filium, Philippi, Germanis olim grati, nepotem, decimum ſeptimum annum agentem, Imperatorem renunciarunt. A ſequenti proinde anno, ejus Imperii tempus recenſebimus.

In præfat. Legen.

Anno 1209. n. 41.

ARGUMENTUM.

Multiplicatis Sociis mittit eos ad prædicandum, facto priùs periculo illorum virtutis & ſermonis. Prædicat ipſe Peruſinis, prænunciato eis bello inteſtino. Cortonæ quoſdam ſuæ adnumerat Familiæ, & domicilium acquirit: inde ſecretò receſſit in lacus Traſumeni inſulam, ubi dimidiato pane quadraginta dies tranſegit. Deinde Florentiæ, Piſis, & per plura Tuſciæ oppida extruit domicilia.

I. INITIAVERAT ipſo hujus anni limine Franciſcus Joannem de Laudibus è caſtro ſancti Geminiani in Tuſcia oriundum, virum perfectum, qui meruit vulnus laterale ipſius Franciſci adhuc viventis, ut largiùs commodiori loco dicemus, immiſſis digitis palpare, cujus corpus Bictonii in Umbria glorioſè quieſcit; nec ceteros deſtitit quibuſcumque neceſſariis inſtruere diſciplinis. Accidit verò, ut poſtquam ſæpiùs contemnendam, imò & fugiendam, nec ullatenus tangendam moneret pecuniam, nec pluris æſtimandam terra, vel luto doceret, devotus quiſpiam viator Eccleſiam orationis gratia ingreſſus, unum vel alterum nummum ad pedes Chriſti Crucifixi in Altari offerret, & Frater quidam ſimplex illam inde ſublatam in abaco, vel angulo quodam Eccleſiæ reponeret. Accuſatur criminis apud Virum ſanctum, quod pecuniam contrectaverit: coràm vocatus, & rem omnem humiliter confeſſus ad aliorum terrorem, & inſtructionem acriùs ob tactum arguitur denarium, & in erroris pœnam jubetur, ut quam manu ſuſcepit, ore de terra reſumat, & extra Cœnobioli ſepem longiùs aſportet, Sociis ocularibus teſtibus, ex ore ſuper ſtercus aſini evomat, & poſteà pedibus conculcet. Quod dum Frater ille humiliter ad Magiſtri præceptum perficeret, repleti ſunt omnes timore, & ſtupore ad tantam Patris, de tacta pecunia, indignationem, didiceruntque nummos perfectè contemnere, quos ipſo facto viderunt aſini ſordibus comparari.

Initiatur Joan. à Laudibus.

Anno 1224. n. 11.

Bernar. à Beſſa citat.
Marc. l. 1. c. 12.

Docet contemnendam pecuniam.

II. Sub tanto Magiſtro hi perfecti collegæ perſiſtebant unanimiter in Dei obſequio, in oratione aſſidua, in ſanctis vigiliis, multa corporis maceratione, in fletu, & lacrymis, cum timore & tremore ſuam, aliorumque operantes ſalutem, & omnium videbatur cor unum, & anima una. Conſiderans autem Vir ſanctus jam aptos, & idoneos evaſiſſe pœnitentiæ prædicandæ miniſtros, *& quod ſimul ampliùs eſſe non oportebat, magnum enim fuiſſet mundo detrimentum* in una æde conjungi, cujus mores erant reformaturi per varias partes diſperſi, ſedit in medio eorum,

Marian. c. 6.
Marc. l. 1. c. 19.

Chryſ. hom. 87. in Joan. circa med.

Experitur an idonei ſint ad prædicandum.

 & præ-

& præmiſſo de divina circa res humanas providentia devoto colloquio, uniuſcujuſque de ſalute proximorum zeli, & in loquendo diſcretionis voluit facere periculum. Jubet ergò, ut primus omnium os ſuum aperiat ad prædicationis munus Bernardus, qui primus omnium dedit nomen ſocietati. Ille verò ſine mora obedienter incepit, & admiranda eructavit arcana, ita ut non ipſe, qui loquebatur, ſed qui inerat ſpiritus, verba protuliſſe judicaretur. Secundum in medium prodire imperat Petrum Catanium, qui ſimiliter tam peritè, & expeditè Dei reſeravit magnalia, ut multis annis ſummum egiſſe videretur concionatorem. Alter de fugiendis peccatis, & acquirendis virtutibus mirum habuit ſermonem, & quiſque tam doctè de ſignata ſibi materia locutus eſt, ut ex alto Dei virtute, & ſapientia omnes imbutos eſſe non immeritò crederetur. Cùm ergò omnes eructarent *verbum bonum*, & illorum linguæ viderentur calami ſcribarum, velociter ſcribentium, quæ à ſuperiori dictabantur poteſtate, ſtuperentque cuncti ad divina in ſingulos conceſſa beneficia, ecce in medio eorum, qui ſpiritum infudit, & verba, Chriſtus Dominus apparuit in ſpecie pulcherrimi juvenis ſingulos mira benignitate, & affabili dignatione benedicens. Ad cœleſtem & repentinam hanc viſionem omnes ſtupefacti extra ſe rapti, ſupini ceciderunt in terram. Sed ut ad ſe redierunt, dixit Vir ſanctus: *Fratres mei, & filioli dilectiſſimi, ſummas agite gratias Deo Omnipotenti, & Filio ejus Jeſu Chriſto Domino noſtro, cui placuit per ora ſimplicium, theſauros diſſeminare cæleſtes. Namque ipſe eſt, qui aperit ora infantium, linguas ſolvit mutorum, & ſimplicium ſermonem facit diſertum. Mundo vitiis obruto miſericorditer compatitur, & homines in devia præcipites, ſui errati admonere conſtituit. Ut autem opus Diaboli in tot iniquitatibus, quibus mundus abundat, deſtrueret, elegit ignobiles, & contemptibiles ſui verbi præcones*, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus, *& ut ſuum quidquid boni efficiatur, appareat. In vobis quamvis non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, tamen vos ad tantum opus aſſumpſit, deſtinandoſque vult in omnes regiones, ut ipſum honorificetis in opere & verbo, & ad ejus timorem & amorem revocetis, qui peccatis facti ſunt longinqui. Accingite ergò lumbos veſtros, eſtote viri potentes, & induimini armaturam fidei, parati in obſequium Evangelii illuc velut nubes volare, quocumque impetus ſpiritus, & obedientia vos direxerit, ut ſuper aridos & duri cordis terram imbres effundatis divini ſermonis. Non vos vocavit Dominus ad hanc Sodalitatem, ut hìc ſub limine parentum, aut intra placidos patriæ fines vobis duntaxat pacificè, & abſque labore attendatis, ſed ut portetis nomen ejus & fidem coram Gentibus, & Regibus terræ. In craſtino ergò Italiæ regiones ſortiemur, ne pigri, aut tardi videamur Dei beneplaciti executores, in alia miſſione ad longinquiores & remotiores Orbis partes citò profecturi.*

Apparet in medio eorum Chriſtus.

1. Cor. 1. 31.

III. Quibus auditis, Viri ſancti ſe ad omnia ajunt paratos, ſolùmque expectare præceptum, qui jam propriæ renunciaverant voluntati, nec de ſua ſimplicitate diffidentiam ſuperare ſpem divini adjutorii. Diviſit ergò eis pius Pater terram in funiculo diſtributionis, atque intra Italiæ fines, volens prima hujus ſeminis grana jacienda, & hìc experimento diſcendum, quid alibi verbo doceant, eos miſit binos ad omnes Heſperiæ Provincias. Sibi obtigit in ſortem Tuſciæ regio vicina, ne longiùs diſtaret à primo ſuæ Religionis nidulo, in quo novi quotidiè erant pulli ejus cura educandi, ad quam ſtatim perrexit, Presbytero adſociatus Sil-

Mittit ſuos prædicatum ad varias Italiæ regiones.

ve-

veſtro. Pervenit ergo Peruſium nobilem, ac ſatis notam in ditione Pontificia civitatem, in qua publico in foro, dum ſermonem haberet ad populum, ſupervenerunt quidam Equites, ac nobiles Civitatis juvenes, qui in equis hinc inde diſcurrentes, & haſtiludium exercentes impediebant auditores, ne, quid Vir ſanctus prædicabat, audirent. Quos dum ipſe populus ſæpiùs incuſaret, & quidam acriùs arguerent, nec tamen illi à ſuis ludis, & vanitatibus abſtinerent, converſus ad eos in fervore ſpiritus B. Pater dixit: *Audite, & intelligite, quæ Dominus per me ſervum ſuum vobis annunciat. Nec dicatis, quod hic eſt Aſſiſias* (appoſuit hanc cautelam propter mutuum odium inter utriuſque Civitatis populos) *quia non ſecundùm hominem loquor. Dominus exaltavit vos, & magnificavit ſuper omnes vicinos veſtros, propter quod magis debetis agnoſcere Creatorem veſtrum humiliando vos, non tantùm ipſi Deo, ſed etiam vicinis veſtris, & omni creaturæ propter Deum. Sed elevatum eſt cor veſtrum in elatione & ſuperbia & fortitudine veſtra, & devaſtaſtis & oppreſſiſtis vicinos veſtros, & multos interfeciſtis. Unde dico vobis, quod niſi citò ad Dominum converſi fueritis, ſatisfacientes illis, quos offendiſtis, Dominus, qui nihil relinquit inultum, ad majorem vindictam, & punitionem veſtram, & in opprobrium veſtrum faciet vos conſurgere unum adverſus alterum, & mota ſeditione, & inteſtino bello, tantam tribulationem patiemini, quantam vicini veſtri vobis inferre non poſſent.*

Marian. c.7.

Prædicit Peruſinis bellum inteſtinum.

IV. Hac claritate, & in aperto Vir ſanctus publica hominum peccata redarguebat, & quoniam primò ſibi ſuaſerat opere, quod aliis ſuadebat ſermone, reprehenſorem non timens, veritatem fidentiſſimè prædicabat. Neſciebat aliquorum culpas palpare, ſed pungere, nec vitam fovere peccantium, ſed aſpera increpatione ferire. Eâdem mentis conſtantiâ magnis loquebatur, & parvis, eademque ſpiritus jucunditate paucis loquebatur, & multis. Omnis ætas, omniſque ſexus properabat virum novum, mundo cœlitus datum, & cernere & audire. Erat enim verbum ejus, velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat. Propter quod omnes cujuſcumque conditionis, quos in aperto, vel in occulto reprehendebat, tanta eum veneratione ſuſpiciebant, & audiebant, ut interiùs compuncti ad ejus monita, & ſalutaria conſilia, vel vitam componerent, vel timore, & horrore correpti, contra corripientem, nec muſſitare auderent. Mirabantur etiam Viri litterati ejus, quem homo non docuerat, verborum virtutem, videntes ad ipſum nobiles, & ignobiles turmatim confluere, eique ſolerter intendere.

Bonaven. c.12.

Intrepidè reprehendit peccata.

Efficax in dicendo.

Vincen. lib. 29. c. 99.

V. Ad complementum verò ſupra relatæ prophetiæ, divina evenit permiſſione, ut paucis poſt diebus, magnus oriretur tumultus inter Nobiles Peruſinos, & Populum. Deventum eſt ad inteſtinum bellum, ſed populus prævaluit, & nobiles cum Clero, cui adhæſerunt, expulſi ſunt Civitate. Qui ut illatam ulciſcerentur injuriam, omnia ruralia bona, domos campeſtres, vineas, ſegetes, pomaria populi devaſtaverunt, & quæ poterant, damna retulerunt. Stomachabundus ſimiliter populus illorum deprædatus eſt ædes, cæcidit ſervos, & filios, taliſque facta eſt deſolatio, contritio, & infelicitas in viis eorum, ut verè ſecundùm Franciſci vaticinium exteri hoſtes tot mala non poſſent infligere.

Bellum inteſtinum inter Peruſinos.

VI. Tanto ergo ſuo damno Peruſini hominis experti ſanctitatem, qui futura mala præviderit, & tam clarè prænunciarit, dignam ejus conceperunt opinionem, & rogarunt, ut apud eos pauliſper remaneret, ſedemque ſuæ manſionis ſibi deligeret. Adhæſerunt etiam ei multi pii adoleſcen-

Convertitur Fr. Humilis. *Marian. cit. Rodulph. fol. 107.*

ſcentes, & timorati viri, quorum aliquos ſua veſte donavit, ex quibus ſpecialem invenio Fratris Humilis memoriam. Hic ab infantia ſua cœpit Deum timere, puritatem cordis, & corporis multa ſervans cuſtodia. Factus adoleſcentior, eum vitæ ſæcularis tædebat, diùque ſecum cogitabat, qua ratione ad animæ ſalutem ſecuriùs mundum desereret. Exibat ſæpiùs Civitatem, & ſolus ſecum hæc meditabatur; ſed dum ſemel longiùs ab Urbe receſſiſſet, & ad oram fluminis, inter Aſſiſium, & Peruſium defluentis, totus cogitabundus obambulaſſet, apparuit ei Chriſtus dicens: *Vir deſideriorum, ſi votis velis potiri & ſalvari, ſequere me in habitu religioſo.* Cui juvenis: *Domine, in quam Religionem intrabo?* Et Dominus ad eum: *Novum ingredere Ordinem Franciſci Aſſiſii.* Subinterrogavit ſtatim adoleſcens: *Quam, Domine, in hoc Ordine vitæ normam ſervabo, ut tibi magis complaceam? Vitam*, inquit, *communem Ordinis ſectare, peculiaria, & intima Fratrum conſortia fuge, neque aliorum defectus ſcruteris, aut velis judicare.*

VII. Hac confortatus viſione, & inſtructus lectione Peruſium continuò regreditur, & Franciſcum aggreditur, rogans ut inter ſuos eum velit co. numerare. Humilem ex vultu agnovit B. Pater, libenterque admiſit, & quam in eo ſubodoratus eſt cordis humilitatem, mutato gentilitio in Humilis nomen, non latenter expreſsit. Eum ſecum per aliquos dies duxit, deinde Aſſiſium pro explendo tirocinio miſit; hinc demùm Florentiam deſtinavit, ubi multis clarus miraculis extremum clauſit diem, honorificè conditus in Conventu ſanctæ Crucis.

Venit Franciſcus Cortonam. *Halic. lib. 1.*

VIII. E Peruſio, magnâ ibidem ſui Ordinis excitatâ opinione, Franciſcus pervenit Cortoniam, aliis Crutuniam, Ortelio Croton, Italis *Cortona*, Hetruriæ, non Umbriæ, ut placuit Halicarnaſſæo, Civitatem, Epiſcopalem à Joanne XXII. factam; ad cujus agri proximos fines lacus eſt Traſumenus, qui dicitur Peruſinus, acceptæ per Flaminium Cos. ab Hannibale cladis memoriâ notiſſimus. Hic dum populo prædicaret, adfuit probus quidam juvenis, Guido vocatus, quem pii & honeſti ſui parentes litteris & virtute magna cura excoluerunt. Secundùm acceptam à parentibus diſciplinam, ſanctam tra:ſegit vitam, ut ejus Legenda MS. refert, in Eccleſiis frequens, in communicandis Sacramentis pius, in pauperes liberalis, erga infirmos miſericors, in ſe multo flagello & aſpero cilicio auſterus, ut, quam piè voverat virginitatem ſervandam, immaculatam conſervaret. Ut prædicare deſtitit Vir ſanctus, eum humiliter flexis genibus rogavit adoleſcens, ut vellet ſecum prandere. In cujus amplexus irruens B. Pater, eum levavit è terra, atque à Deo edoctus dixit converſus ad ſuos: *Iſte adoleſcens per Dei gratiam noſtræ adſcribetur hodie militiæ, & in iſta Civitate ſanctificabitur.* Dignanter deinde cum illo perrexit, & pranſus eſt: à prandio ſtatim juvenis genuflexus petiit ſummo affectu, ut in ſuum comitatum eum B. Pater ſuſciperet. Cui Franciſcus libenter ſe conceſſurum, quod petebat, inquit, dummodo bonis omnibus exoneratus accederet, & quæ jure primogenituræ ad parentum deceſſum obtigerant, pauperibus diſtribueret. Quod quam libentiſſimè præſtitit, & continuò habitum à B. Patre accepit in præcipua Urbis æde, magnâ circumſtante populi coronâ.

Marian. cit. §. 2. Rodulp. fol. 105. Leg. B. Guidonis. *Recipit in Ordinem B. Guidonem.*

IX. Tironem hunc ſecum detinuit Vir ſanctus aliquibus diebus, quem, ut voluit in Dei contemplatione, & ſolitudinis amore inſtruere, interrogavit, an extra Urbem ſolitarius eſſet locus, in quo commodè poſſet aliquod extruere Fratribus hoſpitiolum. Duxit eum tiruneulus ad quam-

quamdam imam vallem ſub arce Civitatis ad M. D. P. juxta locum Celle dictum, ab omni turba, & ſtrepitu liberum, qui valde ſancto Viro arriſit, & in eo Cortonenſium liberali adjutus manu, pauperem ædificavit Conventum, in quo modo habitant Patres Capucini. In eo plures congregavit novitios ſui ſectatores, ſed præ omnibus notiſſimum Fratrem Eliam, quem quidam ex Bivillo pago, agri Aſſiſienſis, alii de villa vulgò Cellule comitatus Cortonæ ortum, alii Pedemontanum affirmant. In villa Urſariæ propè Cortonam natum aſſerit Marianus, ſed Urſariam longe diſtare à prædicta Civitate, & in Apulia Daunia in Provincia Capitaniata caſtellum eſſe, quarto à Troja Italica lapide ad deſcenſum Apennini, docet Leander Albertus. Judicaverim autem ſimilitudinem vocis deceptum Marianum, & Oſſariam villam voluiſſe dicere, quæ prope Cortonam eſt, ſic dicta à multitudine oſſium interfectorum eo loco in illa clade, quam ſupra diximus Hannibalem Romanis intuliſſe, cujus meminere Polybius, Livius, Plutarchus, & Silius. Ex hac villa ego probabilius judicaverim oriundum, tum ex affirmatione Thomæ Celani in Legenda antiqua, tum ex æquivocatione manifeſta Mariani, tum demùm ex aſſertione illorum, qui Cortonenſem dicunt; nam hac Urbe ſatum facile dici poteſt ex vicinia Oſſariæ, & conſuetudine denominandi homines ex celebriori quapiam Urbe, quantumvis in obſcuris locis Urbi proximis progenitos. Nihil mirum, ſi multi contendant de hujus hominis ortu, ad modum illorum, qui decertant de Homeri, & Pythagoræ origine, etenim licèt non tàm adæquaverit ſuam vitam ad præſcriptam ſibi à Franciſco Regulam, attamen magna fecit & geſſit, & tanta ſapientia præditus fuit, ut ad magna negotia peragenda videretur ab ipſa natura progenitus, neque in Italia pares habere; obinde Principibus perquam familiaris & carus. Multa per totum hoc primum volumen de hoc viro ſe offerent dicenda, tam de Officiis, quibus fulſit in Ordine, quam de legatione, qua functus eſt ad Joannem Græcorum Imperatorem, & pleriſque aliis rebus, quibus celebrem ſui reddidit memoriam.

Ædificavit Cortonæ Cœnobiolum.

Initiatur Fr. Elias, ſed cujus fuerit.

Marian. c.7.

Lean. in 11. Italiæ regione.

Polyb. l.3. Livius l. 22. Plutarc. in vita Hanni. Silius lib.5.

X. Alium etiam ſanctus Pater ſub humili illo domicilio collegit Civitatis Cortonenſis virum, nomine Vitum, cui vera religionis ſpecies, & ſummus honoris divini, & ſalvandarum animarum zelus magnam apud ſanctum Magiſtrum peperere opinionem. Poſt Benedictum de Aretio miſſus eſt Miniſter ad Provinciam Romaniæ in partibus Græcorum. Rediit poſtmodum in Italiam, & meritis multorum propagatæ fidei laborum clarus migravit ad Dominum. Curam autem à ſe initiatorum agebat ipſe ſanctus Pater tam in iis, quæ ad pietatem, quam quæ ad victum ſpectabant. Socio verò Silveſtro domi relicto, aſſumpto ſecum ex novitiis aliquo, concionabatur in populo, & eleemoſynas colligebat. Si quis verò pauper accedebat mendicans, ex acceptis dividebat, nulli, dum quippiam ſuppetebat, denegans caritatem. Ejus nuditati, & infirmæ valetudini compatiens quidam Cortonenſis, obtulit ei palliolum, quod dum paucis geſtaret diebus, acceſſit ad eum mulier paupercula duos circumducens filiolos ſeminudos. Petiit à paupere pauper quippiam ad parvulorum membra regenda, cui ex tempore Vir ſanctus, quo ſe tegebat, largitus eſt mantellum. Socius verò B. Patri compatiens, manu apprehendens palliolum, dixit ad mulierem: Dimitte & redde Patri, qua indiget, veſtem, & quidquam aliud ego tibi acquiram. Cui B. Pater: Genuflexus dic culpam tuam, & abſque mora dimitte huic pauperculæ, quam acceperat, caritatem. Illud mihi palliolum accommodatum fuit, quouſ-

Admittitur Fr. Vitus.

Ex acceptis eleemoſynis Franciſcus in pauperes liberalis.

Palliolum ſuum dat egeno.

quouſque pauperior occurreret. Qui aderant ad tam pium ſpectaculum, magnopere ædificati in bonum, paupertatis amorem in ſancto Viro dignè extulerunt.

XI. Aliud porrò palliolum cum ei Socii acquiſiviſſent, & ad portam Cœnobioli occurreret ei pauperculus quidam Cortonenſis, mortuam uxorem, & abſque ſolatio, vel remedio derelictos aliquot deploraret infantulos, & quippiam ſibi dari pro Dei amore efflagitaret, exuens ſe exteriori illo amiculo B. Pater, ei porrexit ſubjungens: *Frater, hoc tibi do mantellum, ea lege & conditione, ut nulli quantumvis repoſcenti illud reddas, niſi priùs juſtum, aut æquum tibi ſolverit pretium*. Quod ut reſciverunt Fratres, & B. Pater receſſit, pauperculum inſecuti, reddi ſibi poſtulaverunt, quod accepit palliolum, dicentes nullum ipſo largitore pauperiorem, & ob extremum frigus, tenuemque valetudinem eſſe ipſi plus omnibus opus. At mendicus recordatus S. Patris præmonitionis, velut ſuum defendebat mantellum, nec redditurum abſque æquo pretio dicebat; nec reddidit, donec ad domum benevoli cujuſdam viri eum duxerunt, qui data pecunia pallium redemit.

XII. Imminente deinde Quadrageſima conſumptis in ſuperioribus exercitiis duobus fermè menſibus, commendatâ ædiculæ curâ F. Silveſtro diſſimulavit apud Fratres ſe aliquanto longiùs ſolum iturum. Acceſſit verò ad devotum quendam Virum, non longè ab illo loco morantem, juxta eum, quem ſupra diximus, lacum Traſumenum, ſeu Peruſinum. Rogavit hunc, ut feria tertia Quinquageſimæ ſe tranſvehi curaret in medii lacus parvam & incultam inſulam. Præparavit homo cymbam, & ante auroram diei Cinerum ſanctum Patrem tranſtulit, quò deſiderabat, duos tantùm, Gonzaga cum aliis unum dicit, ſecum afferentem panes. Rogavit autem portitorem Vir ſanctus, ut nulli detegeret illius latibulum, nec eum repeteret, niſi feria quarta majoris Hebdomadæ. Durum videbatur lintrario, ſeu vectori hominem tot diebus in deſerto, ubi humani generis nullus habitabat, tam tenui, & perexiguo victu, vitam tranſigere, ſed ob ſanctitatis perſpectæ reverentiam, ſe facturum quod juſſit, promiſit. Recedente hoc ſuo amico, ſub ſpiſſo vepre formavit ſibi receptaculum ad modum tugurioli, in quo aliquantulum ab adverſo cœlo ſe defendebat. Ex panibus verò quos ſecum tulit, unius dumtaxat dimidium manducavit, per quadraginta illos dies ad Chriſti exemplum in ſolitudine jejunans. Rediit autem vir ille devotus ſtatuto die, ut eum reportaret, unde ante devexit, cui gratias agens transfretavit, placato, dum navigaret, ſigno crucis procelloſo lacu, & ad locum Celle rediit ubi cœnam, & reſurrectionem Dominicam cum fratribus celebravit. Ut autem hujus rari jejunii pervenit ad vicinum populum notitia, quotidie in inſulam multi tranſuadebant, ut à ſancto Viro compactum viderent, & celebrarent tuguriolum. Factis autem ibidem ſancti Viri meritis magnis prodigiis, ob ejus devotionem cœperunt quidam illic demorari, & conſtruere ſibi habitacula, quæ decurſu temporis mediocre coierunt in oppidum. Invaleſcente etiam Peruſinorum erga ſanctum Patrem devotione, eo defuncto ibidem in ejus honorem Conventum ædificarunt, ut largiùs ad annum MCCCXXVIII. referemus. Adjacet Conventui fons, ex quo aliquoties per XL. dies biberat Vir ſanctus, à quo nomen accepit, & cujus aqua epota multos infirmos perfectæ reddidit ſoſpitati.

Supra num. 8.

Abit ſolus in incultam inſulam.

Gonza. in prov. S. Fran. conv. 35. Rodul. fol. 303. pag. 2.

Per 40. dies medio veſcitur pane.

Legen. B. Guido.

Guido ſub rupe ſolitarius vivit.

XIII. Tranſacto autem Paſchate beatum Patrem rogavit novitius tempore, ſed ſpiritu veteranus & fortis, Guido, de quo paulò ante locuti,

euti, ut majoris ſolitudinis & liberioris contemplationis gratiâ ſibi liceret in cava rupe adverſi montis ad cujus radicem vivebant, cellulam ſibi ædificare. Quod libenter ei conceſſit Vir ſanctus compertâ & exploratâ ejus virtute, eo tamen pacto, ut ad preces horarias cum ceteris conveniret. Rebus autem integrè compoſitis, & Fratribus ſæpius in religioſa vita inſtructis, omnibus valedixit piè omnes amplectens, & cruce conſignans. Commendavit autem præ ceteris Cœnobioli Præfecto Guidonem, quem ſanctæ vitæ futurum probè præſcivit; multa ejus facta, & prodigia in commodiora loca differimus enarranda.

XIV. E Cortonia devenit ſanctus Pater Aretium, antiquam Hetruriæ in Provincia Romana urbem, quam ſub inteſtino bello ultimo excidio proximam invenit. Hoſpitatus verò in ſuburbio, vidit ſupra Civitatem exultantes Dæmones, ac perturbatos Cives ad cædem mutuam ſuccendentes. Ut autem ſeditioſas illas effugaret aëreas poteſtates, Fratrem Silveſtrum columbinæ ſimplicitatis virum, quaſi præconem præmiſit, dicens: *Vade ante portam Civitatis, & ex parte Dei Omnipotentis, Dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, ut exeant feſtinanter.* Accelerat verus obediens Patris juſſa perficere, & præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam Civitatis cœpit clamare valenter: *Ex parte omnipotentis Dei, & juſſu ſervi ejus Franciſci, procul hinc diſcedite Dæmones univerſi.* Redit ad pacem continuò Civitas; & civilitatis in ſe jura Cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsâ quippe Dæmonum furibundâ ſuperbiâ, quæ Civitatem illam veluti obſidione vallaverat, ſuperveniens ſapientia pauperis, videlicet Franciſci humilitas, pacem reddidit, Urbemque ſalvavit. Humilis enim obedientiæ ardua promerente virtute, ſuper ſpiritus illos rebelles, atque protervos, tam poteſtativum fuerat aſſecutus imperium, ut ipſorum feroces protervias premeret, & importunas violentias propulſaret. Fugiunt quidem ſuperbi Dæmones excelſas virtutes humilium, niſi cum interdum ad humilitatis cuſtodiam, divina eos clementia colaphizari permittit. Sicut & Paulus Apoſtolus de ſe ipſo ſcribit, & Franciſcus experimento probavit, ut inferius nos aptiori loco dicemus.

Benaven. c.6. Marian. c.7. §.9.

Fugat Aretio Dæmones Franciſcus.

2. Cor. 12. 7.

XV. Mirantibus autem Civibus ad tam inopinatam & repentinam pacem, fuerunt qui referrent verba, voce alta prolata per præmiſſum à Franciſco præconem, eumque rediiſſe ad ſuburbium. Perquiritur à Civibus diligenter, & inventum cum B. Patre, Deo laudes ſolventem, interrogarunt quidnam illud ſibi vellet præconium? Qui rem omnem retulit, periculoſamque Diaboli ſuper Urbem illam poteſtatem ſuo præcepto ſanctum Patrem repreſſiſſe. Multi ad ejus pedes ſe proſtraverunt, deduxeruntque in Civitatem magna cum lætitia & reverentia, honores qua potuit fugientem. Ut pervenit ad forum, egregium coram toto populo de pace amanda, & conſervanda habuit ſermonem, quo rixas, diſcordias, tumultus à malo genio, pacis inimico, ſuam habere originem luculenter oſtendit. Finitâ concione, ductus eſt in communes Civitatis ædes, in quibus, primoribus populi aſſiſtentibus, corporis refectioni neceſſaria miniſtrata ſunt. Deinde actum eſt de ædificando ibidem ſui Inſtituti Conventu, quem brevi humili more conſtruxit, religioſiſque novitiis locupletavit. Porrò hæc geſta eſſe hoc anno Marianus, & Hugollinus tradunt, licèt Marcus, & Rebolledo in annum MCCXVI. vel MCCXVII. ea minus rectè diſtulerint.

Marian. cit. Hugolin. cit. Marc. l.1. c. 49. Rebell. l.3. c.24.

XVI. Ceterùm Beati Benedicti inter Aretinos celebrior eſt memoria,

Bern. à Beſſa cit. Rodulph. fol. 89. Marian. cit. §. 30.

Benedictus Aretinus fit Frat. Minor.

ria, quem ex Sinigardo de Sinigardis, & Eliſabetha de Petramaliſchia honeſtis parentibus in Aretio natum ſua veſtivit tunica Franciſcus. Qui ejuſdem ſancti Patris imitator aſſiduus ad magnam perfectionem per omnes ſanctitatis gradus inceſſit. Prudens & gravis in moribus, factus eſt Marchiæ Miniſter, deinde Provinciæ Romaniæ, ſeu Antiochenæ, ex qua miraculosè acceptum in civitate Babyloniæ Danielis Prophetæ digitum in ſuam patriam reportavit, cujus virtute Deus multa operatus eſt miracula. Joannem Brennam Hieroſolymorum Regem, & Conſtantinopolis Imperatorem ad Ordinem recepit, ut ſuo loco largiùs dicetur. Ejus precibus ab imminenti, & certo naufragio liberatos, Socium, & duos D. Baſilii Monachos, in quodam prope Antiochiam alveo navigantes, refert Bernardus à Beſſa, ſeque miraculum hoc ab ipſo ejus Socio, aliiſque viris fide dignis accepiſſe ſubjungit. Spiritu etiam prophetico claruit, & multa prædixit occulta, præcipuè Fratri Thomæ Papienſi, Tuſciæ poſtea Miniſtro, cujus in re arduâ peragendâ dubias cogitationes penetravit & diſſolvit. Alia de hoc viro enarranda nos ſuis locis expectant.

Franciſcus ſanat hoſpitis filium.

XVII. Franciſcus aliquot diebus Aretii commoratus, plura ibidem edidit miracula. Illud ſpeciatim expreſſerunt vetuſtiores Legendæ, ruſtici cujuſdam Aretini filium, deformiter curvum & obliquatum ad eum adductum, in ulnis accepiſſe, & ſtatim reddidiſſe patri rectum & ſanum; Domino ad ſancti Viri amplexum conſolidaute confractum, qui ad mortui Prophetæ contactum reſuſcitavit defunctum.

4. Reg. 13. 21.

Gangthereti ædificat Conventū.

XVIII. Hinc iter direxit Florentiam verſus per oppida, & caſtella obvia, magno cum animarum fructu prædicans, quaſcumque terras pertranſibat benefaciendo. Ingreſſus Gangheretum in valle Arni in Tuſcia oppidum, à loci dominis fuit perquam humaniter, & magna cum reverentia receptus, qui mira ejus ſanctitate allecti, ei aſſignarunt fundum, in quo extruere poſſet ſuis domicilium, cui etiam contiguam ſilvam dicarunt. Humilem vir ſanctus ibi ædificavit locellum, in quo ob adverſam valetudinem aliquot diebus oportuit remanere. Et ne illo tempore in otio feriaretur, iis, quæ orationi, & prædicationi ſupererant, temporis minutiis, ſuis manibus extruxit, vel muro circumdedit eum, qui ſua ope, & precibus in nemore exſtillavit, fontem, qui adhuc exiſtit, & cujus aqua multos à variis liberat infirmitatibus. Diſſolvebantur vetuſtate muri, quos cum Fratres Regularis Obſervantiæ (qui anno MCCCCXXVIII. à Patribus Convent. neglectum ſub fr. Angelo de Civitella Provinciæ Tuſciæ Vicario auctoritate Martini V. occuparunt Conventum, quem tamen iterum ex S. Bernardini præcepto juſtis de cauſis, quas Gonzaga memorat, deſeruerunt) novos conficere vellent ſub Franciſco Samſone Miniſtro Generali ad annum MCCCCXLVIII. ibidem tunc præſente, renuit id ſua probare licentia, dicens ſuo tempore non permittendum, ut veſtigia fabricati illius muri à ſacris Franciſci manibus, novo erecto omnino tollerentur, idque potius curandum, ut qua poſſit fieri arte conſervarentur, etiam debilia.

Rodul. in Cuſtod. Aretin.

Gonza. in prov. Tuſcia con. 15.

In neglecta Eccleſia deteguntur reliquiæ.

XIX. Id obiter de hoc loco dixerim, quod Marianus poſt MCCCC. annum accidiſſe notavit, temporis decurſu Eccleſiunculam à D. Franciſco extructam, aliâ novâ ædificatâ, adeo neglectam, ut vario uſui ſucceſſivè inſerviret, donec demum deleto ab hominum memoria ibidem aliquando ſacram extitiſſe ædem, mutaretur in ſtabulum. Oſtendit autem Deus quantum ſibi hæc hominum diſplicebat incuria, morte quorumcumque, quæ illuc introducebantur, animalium. Quippiam illic latuiſſe ſacri exiſtimavit

ſtimavit quidam ex Patribus, & abſterſo purgatoque loco, invenit in quodam parietis angulo defoſſam capſulam continentem quaſdam Reliquias Sanctorum, ſcutellam ligneam, in qua ſæpius S. Pater comederat, ſicut appoſitum ſcriptum teſtabatur membraneum, atque ejus genuinam imaginem à quodam Aretino, non longè ab ejus morte depictam. Movit hæc ratio Patres, ut locum in veneratione haberent, & erecto in eo Altari inventam ſuperponerent effigiem, quæ in hunc uſque diem magna colitur Religione ſub cura Patrum Conventualium Cuſtodiæ Aretinæ.

XX. Franciſcus verò, quàm primùm licuit per debiles vires, inde receſſit petiturus Florentiam. Ut illuc appulit, ſubſtitit in Xenodochio è regione Eccleſiæ S. Luciæ ſupra flumen Arnenſe; in quo etiam acceptus eſt hoſpitio B. P. noſter Dominicus, quando venit Peruſium. In utriuſque hoſpitis memoriam, ſupra portam, illorum depictas fuiſſe imagines, ſecundum eandem, qua tunc uſi, cucullam refert Marianus, & ad ſua uſque tempora conſervatas. Mane vero facto Civitatem ingreſſus Franciſcus, verbum Dei undique confluentibus hominum turmis, diſſeminabat. Accepit à devotis Civibus, qui eum pro viro admirabili ſuſpiciebant, Hoſpitiolum juxta Eccleſiam Sancti Galli ad D. P. extra Civitatem. Plures ſuo habitu illic veſtivit, è quibus præcipuus Joannes Parens ex oppido Carmignano, non longè à Piſtorio oriundus I. C. magnus in populo Cauſidicus, Civis Romanus adſcriptus, & tunc in Civitate Caſtellana, antiquitùs Feſcennium dicta, in Tuſcia, in Provincia patrimonii S. Petri ſita, inter altiſſimas rupes, à quibus haud procul in Vejentibus erant Aræ Mutiæ, quarum celebris apud Plinium memoria. Sed Rodulphus, licèt hujus eum Civitatis Judicem aſſerat, videtur eam in Sabinorum terminis conſtituere, & cum Tiferno Tiberino à Leandro & aliis, Civitas etiam Caſtellana vulgò *Città de Caſtello* nuncupato, poſito juxta Tiberim in finibus Umbriæ & Hetruriæ, inter Peruſium, & Biturgiam confundere, dum ex Sabinorum conſuetudine ad hujus Civitatis accolas argumentum deducit. At verò Feſcennii, non Tiferni eum Judicem veteres noſtrarum rerum Scriptores Marianus, Celanus, Aquilanus affirmant.

Pervenit Florentiam.

Marian. cap. 7. §. 13.

Fit ibi Minor Joannes Parens.

Plin. l. 3. c. 38.

Rodulf. fol. 176.

XXI. Ea porrò ei occaſio mundo valedicendi, & noſtris ſe aggregandi, quòd eum non procul à dicta urbe deambularet, viderit ſubulcum ad veſperam porcos in antrum cogentem, renitenteſque, atque hinc inde dilabentes hac voce iracundum compuliſſe: *Porci ingredimini in antrum, ſicut Judices cauſarum intrant in Infernum*; ſtatimque, veluti ſibi dictum intellexerint, porcorum gregem abſque difficultate ulla ſub antris ſe abdidiſſe. Quo ſpectaculo quamvis ludicro, ille ſeriò percuſſus, & verè commotus, judicaturâ dimiſsâ, venit Florentiam, ubi cum S. Franciſci exploraſſet virtutes, ei adhæſit, vocato etiam ad Religionem filio, diſtributis priùs facultatibus in pauperes. Tanta emicuit in Religione virtute, ut eum tranſmiſerit cum multis Fratribus in Hiſpaniam dilatandi Ordinis ergò, primumque crearit Hiſpanum Miniſtrum: deinde poſt S. Franciſci obitum aſſumptus fuit ad Generalatus apicem, in quo adeò integrè ſe geſſit, ut in nullum æquo durior, nec in aliquem juſto propenſior fuerit, quinimò filium unicum in culpam lapſum ſevero caſtigaverit ſupplicio. Lacrymarum donum à Deo accepit, quibus aſſiduè madebant oculi, ita ut lacrymarum magiſter appellaretur; nudis pedibus plures peragravit Europæ regiones. Amplior erit de eo aliàs ſermo pro annorum ratione.

Et qua occaſione.

Converſio Joan. Bonelli.

XXII. Alterum huic adſociavit Joannem Bonellum Florentinum, quem ob præclaras animi dotes miſit in Provinciam Narbonenſem, ſeu ad Galloligures, ut illic ſuum diſſeminaret Inſtitutum. Innumeros ibidem recepit ſui imitatores, & brevi multas ædificavit domos, quarum poſtea factus eſt Miniſter. De celebratis ab eo Provincialibus comitiis, in quibus D. Antonius Patavinus eruditum habuit ſermonem magno memorabilem miraculo, ſuo loco inferiùs agemus. Alius acceſſit his Florentinus nomine Monaldus, quem probatæ virtutis virum vocat D. Bonaventura, & de quo ita Legenda Gregorii IX. : *Fuit fama clarus, ſed clarior vita, cujus virtus in humilitate fundata, orationi frequenti adjuncta, ſcuto patientiæ ſervabatur*. Supradicto Joanni Bonello datus eſt in ſocium ad Galloligures; interfuit ſupradictæ D. Antonii concioni in Arelatenſi Capitulo, in quo ad oſtium capitularis aulæ divinâ commonitione reſpiciens, vidit corporeis oculis B. Franciſcum in aëre ſublevatum, extenſis velut in cruce manibus benedicentem Fratres. Aſiſium venit ad primum Generalem Conventum, de quo in Galliam diſceſſurus cum aliis triginta Fratribus, cum juberet ſanctus pater, ut prius pranderent, dixit architriclinus unicum ſibi eſſe panem. Ne verò jejuni abirent, miſit vir ſanctus ad ſanctam Claram, qui peteret aliquot ſibi mitti, ſi ſupererant Monialium neceſſitati. Illa vero ex tribus, quos habebat, duos miſit; quos ſimul cum domeſtico pane cùm accepiſſet B. Pater, ſuis manibus fregit, deditque unicuique ſuum fruſtulum, dicens: Comedite Fratres, iſte eſt panis caritatis. Mirum! comederunt illi ad ſatietatem, & magnum poſtea impleverunt cophinum, de iis, quæ ſupererant, fragmentis. Rediit autem Monaldus in Galliam, ubi meritis clarus defunctus, requievit in antiquo Conventu Arelatenſi à Joanne Bonello extructo, cujus modò extant duntaxat ruinæ ob bellorum, & temporis injurias. Ab hoc tamen Conventu tranſlatum eſt in Archiepiſcopalem Ædem cujuſdam ex ſociis D. Franciſci corpus, quod an alterutrius ex his duobus, an verò alterius ſit, ignoratur.

Anno 1224. n. 42.

Joannis & Monaldi.

Bonav. c. 4.

Vide Gonz. in Prov. D. Ludov. conven. 6.

Alii plures recipiuntur ad Ordinem.

XXIII. Præter hos, Joſephum Florentinum, Michaëlem de Albertis, atque alios multos, quorum nomina neſciuntur, conſodales fecit; ex his plerique non contemnendis claruerunt prodigiis. Requieverunt in primo illo Fratrum Cœnobiolo juxta Eccleſiam S. Galli, non ſine populi veneratione. Sed dum poſt multos annos exhumaretur Fratris Joſephi cadaver, integrum & illæſum, ſanâ etiam circumducta veſte, inventum eſt. Extruxerunt autem Florentini in horum memoriam egregium ſacellum, in quo corpora honorificè condiderunt propè dictam Eccleſiam S. Galli, quod magna populi veneratione frequentabatur, donec circa annum MCCCCLXXXVII. ipſam S. Galli Eccleſiam obtinuit Marianus quidam Auguſtinianus magni nominis Prædicator à magnifico Domino Laurentio Medices, ut juxta eam ſuis ædificaret Cœnobium. Totum autem opus voluit prænominatus Dominus ſuis abſolvere expenſis, & cum prædictum ſacellum deſignatæ architecturæ impedimento eſſet, dirui fecit, elevatis inde priùs Beatorum reliquiis. Has, ut ſibi tribuerentur, inſtiterunt noſtri, à multis jam annis tranſlati in Civitatem, ſed fruſtrà, renitente populo S. Galli, qui ſe hoc theſauro privari non permittebat; promittebat tamen in ipſa S. Galli Eccleſia honorificum ſe erecturum ſanctis Viris mauſolæum, de quo conſtruendo pomposo opere, & magnis ſumptibus dum longiùs conſultaretur, ſecretò ſublatæ ſunt reliquiæ, & alieni, ſed ignoti, factæ ſunt juris.

Marian. §. 17.

Piſan. conf. 8.

XXIV. In prima autem illa ædicula, dum aliquandiu moraretur Franciſcus, venerunt ad januam tres pueri Florentini, a parentibus manuducti, ut ſanctum Patrem viderent. Pulſo oſtiolo, & facto illorum deſiderii participe ſancto Viro, deſcendit prius in hortulum, & evulſis quinque ficubus, innocuos hos ſuos ſpectatores aggreditur. Diſcernit oculis vultus, & ſpiritu prævidit ſortem futuram. Primo ergo unam, ſecundo alteram, tertio tres porrigit ficus, adjiciens: *Erit adhuc filius meus cariſſimus*. Ita porro evenit; nam adoleſcentior factus, Minorum induit veſtem ſub Angeli nomine, quod angelicis factis proprie ſibi conveniſſe probavit. His verbis cuicumque, loco recedens, valedicebat: Benedictum ſit nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, laudetur ſua paſſio benedicta, Beatiſſima Virgo Maria, & tota cœleſtis curia. Quæ verba, quam grata fuerint cœleſtibus, mira apparitione docuit B. Virgo Maria, ei tribuens in præmium pulcherrimi coloris, & cœleſtis odoris pomum, quo mirifice recreatus eſt, & ad majores acquirendas virtutes humiliter, ſed ferventer ſe ſenſit allectum. *Prædicit Franc. cuidam puero ex ſuis futurum.*

XXV. Locum hunc alio poſtea commutarunt Fratres, ut ſuo notabo tempore, & alterum, Piſciam dictum, ſuper Piſciam item amnem in Tuſcia ſitum, petiit Franciſcus ad initium Octobris, ubi conceſſus ei pro Fratribus, quos ſecum e Florentia vocavit, Conventus ab oppido cognominatus, qui Patribus Conventualibus ſubeſt, & ſpectat ad Cuſtodiam Lucanam. Ut fundamenta humilia hujus Cœnobii jecit vir Dei, tranſiit ulterius ad civitatem Piſarum, Hetruriæ nobiliſſimam urbem, olim navali claſſe potentiſſimam, exterarumque regionum victricem, inter amnes Auſerem, & Arnum ſitam. Hic dum ſemel, atque iterum prædicaret, plures ſuæ adſcripſit militiæ, ſed præ ceteris notiores Angelum, vel Agnellum de Piſis, virum undequaque perfectum, quem ob inſigne virtutis ſpecimen ſanctus Pater primum inſtituit Franciæ Cuſtodem, mox Angliæ Miniſtrum: & Albertum Piſanum, Angeli ſocium, deinde in Miniſteriatu ſucceſſorem, poſtea Teutoniæ Provincialem, hinc in Hiſpania B. Joanni Parenti ſuffectum, ac tum demum totius Ordinis Miniſtrum. Multa uterque, eaque egregia, tam in itinere, quam in utroque regno peregit. Felicia in iis partibus jecerunt Ordinis fundamenta, & optimos nobileſque ſibi pepererunt novi operis adminiſtros, de quibus multa nobis infra dicenda. Piſis autem valedixit ſanctus Pater, relictis duobus ex ſociis, qui oblati Conventus a civibus jacerent fundamenta, & ſtructuram curarent, quem penes ſe habent Patres Conventuales, caputque eſt Piſanæ Cuſtodiæ Provinciæ Hetruriæ; ad quam etiam alius ſpectat, quem in Vico Piſano, oppido haud procul a Civitate, & ab Arno amne, recepit. *Piſciæ recipit Franciſc. Conventum.* *Piſis duos ſelectos acquirit diſcipulos.* *Marian. §.21.* *Piſan. conf. 11.* *Conſtruitur Piſis Cœnobium.* *Aliud in Vico Piſano.*

XXVI. Dilapſus exinde ad caſtrum S. Miniati, cognomento Teutonis, cui Henricus I. Imperator Eccleſiam ad muros Florentiæ ædificavit, ad ſiniſtram Elſæ fluvii extructum, ubi oblatum ſibi Conventum admiſit, eorumdem hodie Patrum & Provinciæ, ſed Cuſtodiæ Lucenſis. Plures habuiſſe Cœnobium hoc præclaros viros aſſerit Piſanus, præ quibus ait Magiſtrum quemdam Antonium Pariſiis, & per Tuſciam ſpectatæ fuiſſe virtutis, celebremque concionatorem. Non longe a caſtro hoc diſtat oppidum D. Geminiani in Inſula, quam prædictus Elſæ fluvius, & Torrens, qui a Staggia oppido altero dilabitur Bonitium verſus, efficiunt: olim ditionis Senenſium, ſed nunc Florentinorum, quod Deſiderius Langobardorum Rex condidit. Huc ut acceſſit vir Dei prædicans pœni- *Alia erigit Cœnobia.* *Leander & Blond. in regione Tuſcia.* *Marian. §.23.* *Piſan. cit.*

Fit Frater Petrus martyr Marrochianus.

tentiam, ad eam ſubeundam allexit juvenem quemdam, Petrum nomine, celebrem poſtea agonothetam, & Chriſtiani nominis uſque ad ſanguinis, & vitæ effuſionem apud Marrochios teſtem invictum, cujus aliorumque quatuor ſociorum ſolemne Martyrium, amplioremque dabimus inferius notitiam. Neque hinc diſceſsit Vir ſanctus abſque acquiſito habitaculo, quod penes præfatos eſt Patres ſub Cuſtodia Senenſi, ex quo prodiit Joannes de Caulibus, magnus, & devotus per univerſam Italiam Prædicator. Suum ſpiritum in piis quibuſdam meditationibus, & erudito tractatu de triplici via ſapientiæ ſufficienter expreſsit. Sedem autem poſtea mutarunt Fratres, quia ad conſtructionem novæ arcis, neceſſe fuit dirui primam domunculam, quæ juxta mœnia Oppidi extructa erat. Emptoque à D. Fr. Alexandro Laurentii de Bondelmontibus milite Hieroſolymitano ſitu cum contigua Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, cum onere celebrandi ſolemniter ſancti Præcurſoris feſtum, intra Oppidum ſe receperunt.

Cœnobiũ apud oppidum S. Geminiani.

Piſan. cit.

Rodulph. l. 2. in Cuſtodia Senen.

Magna virtus Sanctorum.

Iſai. 60. 8.

Greg. hom. 18. in Ezech.

2. Cor. 10. 2.

XXVII. Quanto cum fructu, & ſui Ordinis incremento, intra unius anni circulum, novus Inſtitutor unam, vel alteram Italiæ Regionem, diſcurrerit, plane mirum eſt. Sed viri magni Eccleſiæ athletæ a magno ſpiritu habent fortitudinem, aſſumunt pennas ut aquilæ, & *velut nubes volant*; quia vere *in terra viventes, extra terram eſt omne quod agunt. Unde & per quamdam nubem dicitur: In carne ambulantes, non ſecundum carnem ambulamus*. Non enim caro vires illas miniſtrabat, nec magnas illas, & frequenter operabatur converſiones, ſed quæ ſub carne latebat Dei virtus, quæ dum in vita, & ſignis emicat, terram commovet, & duritiem cordis emollit. *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ*, inquit Pſalmiſta, *vidit, & commota eſt terra. Videtur nubes, & contemnitur; ſi coruſcat quod intus latet & emicat, ſplendor terret & movet. Vere Dei adminiſtri homines ſunt carnem portantes; hi quandoque infirmi, idiotæ, ignobiles, ſed fuit in illis quod fulguraret, fuit quod coruſcaret. Forma humana nubes erat, ſplendor miraculi coruſcatio erat. Sic in verbis, ſic in factis, cum miranda dicunt, & miracula faciunt, apparuerunt coruſcationes orbi terræ, viditque, & commota eſt terra fulgoribus de illis nubibus erumpentibus*. Quocumque ergo Franciſcus divertebat, velut fulgur commovebat, velut coruſcatio illuminabat, & velut ſagitta potentis acuta cor penetrabat, ita ut plurimi eum ad novam ſequerentur militiam, & qui ſequi non poterant arces conſtruerent.

Pſal. 96. 4.

Auguſtin. in Pſal. 96.

Marian. c. 7. §. 2.

Carol. Sigon. de Epiſc. Bononien. ad annum 1219.

Bernardus multa Bononiæ patitur.

XXVIII. Neque ſegniter ſocii adlaborabant, qui & ſpiritum participarunt; nam & quoſdam adſciverunt conſodales, quos ad ipſum Sodalitii Inſtitutorem ſibi aggregandos tranſmittebant, ut monet Marianus; & plura acquiſiverunt domicilia. Inter ceteros emicuit Bernardi virtus Bononiæ, quem ubi urbem ingredientem vili & deſpicabili habitu Bononienſes viderunt, tamquam aliquem nullius pretii hominem in ordinem coëgerunt. Quin etiam in forum progreſſum, atque ibi quieſcentem, pueri, aliique multi circumvenerunt, ac variis afficere contumeliis inſtiterunt; cum alii capitio traherent, nonnulli pulvere aſpergerent, quidam etiam lapillis appeterent, ipſo omnia per multos dies ſumma, atque inaudita æquitate animi perferente. Qua re animadverſa Juriſconſultus quidam, novam hominis lentitudinem, vel patientiam potius admiratus, atque de eximia ejus virtute, & ſanctitate aliquid ſuſpicatus, acceſsit, & quinam eſſet, & ad quid veniſſet? rogavit. Cui ille: Qui ſim cognoſces, ſi hæc legeris: atque ſtatim Evangelicas leges, nuper a S. Franciſco Sodalibus

Digitized by Google

dalibus ſuis præſcriptas, e ſinu tractas oſtendit. Quibus lectis, Juriſconſultus ad ſuos converſus cum admiratione magna dixit: Nimirum iſte eſt ſtatus altior, quam unquam fando audiverim: quare gravi ſcelere ſe obſtringunt, qui huic homini injuriam faciunt, quem maximis complecti honoribus, ut virum Dei amiciſſimum, eſſet opus. Inde ad Bernardum converſus, locum ſe illi pro ſalute animæ ſuæ, in quo Deo ſerviret, daturum, ſi ſe ſequeretur, ſpopondit: atque illum libenter munus oblatum accipientem, domum ſuam deduxit, inſignique exemplo caritatis excepit; ac mox ædes primum ad Puliolas, deinde in Porta Steria Annuntiatæ curavit, eaſque ſuis expenſis neceſſariis rebus inſtruxit, ſeque Sodalium ejus perpetuum fore defenſorem oſtendit. Itaque Bernardus ſtatim in tantum honorem aſcendit, ut beatus putaretur, qui illum attingendi, aut aſpiciendi facultatem haberet. Quo ille offenſus ad S. Franciſcum ſe retulit, ac locum Bononiæ paratum eſſe renunciavit, adjiciens: Mitte, Pater, Fratres, qui ibi morentur, quia ego nihil illic amplius auſim lucrari, ubi propter nimium honorem potius imminet periculum jacturæ. Ad quæ exultavit in ſpiritu S. Pater, tum propter filii humilitatem, & ſanctum timorem, tum propter Bononienſis populi erga ſuos propenſionem. Miſit ergo plures ex Fratribus, qui inter illos commorarentur, & per Romandiolam plures ſedes conquirerent.

Omnia vincit patientia, & domicilium ſuis acquirit.

XXIX. Duo hìc adnotaverim, primum circa Juriſconſultum illum Bernardi fautorem, & domicilii ſtructorem, eum ſibi vendicare Illuſtriſſimos DD. de Pepulis, nobiliſſimæ inter Bononienſes familiæ, apud quos diligenter aſſervatur hujus rei memoria, & viri nomen, videlicet D. Nicolaus de Pepulis Illuſtriſs. Guilielmi filius, qui non ſolum Inſtituto domicilium, verum & ſuum nomen dedit, ut ad annum MCCXX. dicemus. Secundum eſt circa hujus facti tempus, in quo diſcrepant Auctores. Etenim Sigonius in hiſtoria Bononienſi hoc factum vult anno MCCXVIII. Sed in opere de Epiſcopis Bononienſibus ſub Henrico a Fracta in annum MCCXIX. rejicit, Leandrum Albertum ſecutus; quibus accedit Cherubinus Ghirarduccius. Sed in hunc annum reducendam hiſtoriam docet ex Chronicis antiquis Marianus Florentinus, cujus ſententiam confirmant Speculum S. Franciſci, Piſanus, Rodulphus, & Marcus citati, dum parum poſt approbatam ab Innocentio Regulam Bononiam miſſum indicant Bernardum. In quo ſane lapſus Sigonius, dum poſt approbatum ab Honorio Inſtitutum illud factum dicit; quod nequaquam conſtare poteſt, dum quarto poſt annum MCCXIX. quem ille ſtatuit, videlicet anno MCCXXIII. Regulam, & Inſtitutum Honorius confirmarit. Ego ita has conciliandas ſententias judicarim, ut hoc anno miſſus Bernardus, anno MCCXIII. ſuam ædiculam abſolverit, & anno MCCXIX. in ampliorem formam, quam Franciſcus ex Ægypto rediens anno MCCXX. probarit, fuerit tranſlata. Ita ſanè indicat Rodulphus in Cuſtodia Bononienſi, hujus Monaſterii longiorem ſubtexens relationem. „ Hic ædificaſſe poſtea Sanctum Franciſcum ædiculam S. Ignatio ſacram, in eaque primum celebratum Sacrum Kalendis Februarii ſcribit Cherubinus Ghiraduccius. Conſpicitur adhuc in primo Cœnobii clauſtro; & reſtauratam a Fratribus iiſdem Kalendis anno MCCXCIX. atque mutato titulo, paulo poſt ſancti Viri mortem, fuiſſe ejuſdem Stigmatibus dedicatam idem Auctor affirmat.

Quis fuerit ille Juriſc. Bononien. Bernardi fautor.

Sigon. in hiſt. Bonon. l. 5. ad anno 1218. Leand. Alb. l. 9. decad. 1. hiſt. Bon. Cherubin. in hiſt. Bonon. fol. 125. Marian. cit. Specul. c. 65. Piſan. lib. 1. conf. 8. Rodulph. fol. 59. Marc. lib. 6. c. 2.

Rodulph. fol. 265.

ADDITIO. PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Ghirard. in hiſt. Bonon. lib. 12.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Dum adhuc in Hetruria per hujus etiam anni partem hæreret Franciſcus, in oppidis Sartiani, & Citonii domicilia, & ſocios acquiſivit. Aſiſium revertitur, ubi multos ex concivibus ad Chriſtum convertit; inter hos notiſsima ſancta Clara, de cujus genealogia, nomenclatura, & primis ſanctitatis agitur præludiis. Convertitur ad ſanctioris vitæ genus, cujus exemplo ad eam ſectandam allicitur Agnes ſororcula. Monetur cælitus Franciſcus non ad contemplandum, ſed ad prædicandum vocatum fuiſſe. Navigaturus in Syriam ex affectu Martyrii, venit prius Romam, ubi B. Zachariam ſuo aggregavit Sodalitio, & ſanctum iniit fœdus cum Jacoba nobili Matrona. In Marchia Anconitana diſcipulum habuit B. Pacificum, ſed a Syriaco detinetur itinere. Reverſus in Tuſciam multa fecit præclara, mala demum affectus valetudine. Ægidius peregrinatur ad Compoſtellam. Naſcitur Ludovicus Rex Galliarum ſanctiſsimus Tertii Inſtituti Franciſcani.

Marian. c. 7. §. 27. & Leg. antiq.

Prope Sartianum pauperrimũ extruitur Monaſterium.

I. INEUNTE hoc anno vir ſanctus Franciſcus ſedulo Dei exercens miniſterium, & circumquaque ad ſacram convocans militiam, pervenit Sartianum oppidum, Cluſio vetuſtæ Civitati, primariæ olim inter capita Hetruriæ, nunc Senis ſubjectæ, vicinum, Albertoque Minorita, Divini verbi inſigni præcone, famoſum: Ubi dum prædicavit, invitarunt eum Oppidani, ut apud ſe remaneret. Quibus reſpondentem aliorum ſibi ſubeſſe curam, & ampliſsimarum Regionum ſibi ſuiſque cordi eſſe ſalutem, rogaverunt, ut ſaltem ex Sociis relinqueret, qui & populo inſtruendo, & habitaculo conſtruendo hujus Sodalitii viris, ſupereſſent. Annuit hominum votis, & circumluſtrato Territorio, ſecundo ab Oppido lapide præſcripſit ipſe ſitum inter denſas ſilvas in ſupereminentis montis cacumine. Aſper nimium aſcenſus, & ex Cœnobioli latere magnum ſubjacet præcipitium. Hic placuit valde viro Dei locus tum propter aſperitatem, tum propter ſolitudinem, tum maximè quia ex eo Aſiſium, primi niduli ſedes, aſpiciebatur. Socii poſt ejus diſceſſum, prout Inſtitutor deſignavit, pauperculum effoderunt delubrum in ipſa rupe, ita ut pro laquearibus ipſum habeat montis ſupercilium, & cellulæ viderentur potius ferarum antra, quam cubicula Monachorum.

Cellã ſuam vult Franciſcus pauperrimam.

II. Ad locum hunc aliquando divertebat ſanctus Vir, proptereaque quidam ex incolis viro Dei familiaris & carus, extra ipſum antrum aliquantulum remotam extruxit cellulam ex ſolis lignis & tabulis, in quibus poliendis aliqualem poſuit operam, ut quiete, & liberius profundis ſuis intenderet meditationibus. Ad quam, cum duceretur prima vice ab ipſo ſtructore, renuit in ea commorari, nimis pulchram eſſe cauſando, neque amplius eamdem ingreſſurum adjunxit, niſi ad rudiorem, pauperioremque reduceretur ſtructuram, vel cooperiretur intus, & extra frondibus, arborumque ramuſculis ad mapalium, vel tugurioli modum; ita ut nihil curioſi artificii, aut impenſæ curæ in ea circumſpiceretur. Ad votum ita factum a Fratribus, qui deſiderabant apud ſe per aliquot dies ſuum detinere Inſtitutorem, quod & obtinuerunt.

Bonav. c. 5. ante med.

III. Hoc in loco, ait Bonaventura, cum nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hoſtis antiquus tertio, dicens: *Franciſce, Franciſce, Franciſce; cui cum, quid quæreret, reſpondiſſet, fallaciter ille ſubjun-*

Tentatur hic à Dæmone Franciſcus.

ſubjunxit: Nullus eſt in Mundo peccator, cui, ſi converſus fuerit, non indulgeat Deus; ſed quicumque ſemetipſum pœnitentiâ durâ necaverit, miſericordiam non inveniet in æternum. Statim vir Dei per revelationem cognovit hoſtis fallaciam, quo modo niſus fuerit eum ad tepida revocare: nam hoc ſequens indicavit eventus. Continuò enim poſt hoc, ad inſufflationem illius, cujus halitus prunas ardere facit, *gravis ipſum carnis tentatio apprehendit.* Job.41. 12. *Quam ut præſenſit caſtitatis amator, depoſitâ veſte, chorda cœpit ſe verberare fortiſſimè: Eja, inquiens, frater aſine, ſic te decet manere, ſic ſubire flagellum. Tunica Religioni deſervit, ſanctitatis ſignaculum præfert; furari eam libidinoſo non licet: Si quo vis pergere, perge. Inſuper, et mirando fervore ſpiritus animatus, apertâ cellâ foras exivit in hortum, & in magnam demergens nivem corpuſculum jam nudatum, ſeptem ex ea plenis manibus cœpit compingere maſſus; quas ſibi proponens, ſuo ſic exteriori homini loquebatur: Ecce,* inquit, *hæc major uxor tua eſt; quatuor iſtæ, duo filii, & duæ filiæ; reliquæ duæ, ſervus, & ancilla, quos ad ſerviendum habere oportet; Feſtina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si verò eorum multiplex ſolicitudo moleſtat, uni Domino ſolicitè ſervi. Illicò tentator victus abſceſſit, & vir ſanctus cum victoria in cellam rediit: quia dum benè pœnaliter arſit foris, ardorem interiùs ſic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minimè ſentiret. Quidam autem Frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia, lunâ clariùs incedente, proſpexit. Comperto vir Dei, quòd hæc ille nocte vidiſſet, reſerans ei tentationis proceſſum præcepit, ut quandiu ipſe viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret.*

Septem maſſas ex nive compingit.

Legen. ant.

Cellam non vult habere propriâ.

IV. De hac eadem cellula, cum quidam ex Fratribus veniſſet ad Cœnobiolum S. Patrem allocuturus, interrogaſſetque vir Dei, unde veniret? Et ille reſpondiſſet: ex cella tua, Pater; ſtatim ſubjunxit: Quia meam dixiſti cellulam, mihique appropriaſti, non revertar illuc ampliùs, ſed alius, cujus non ſit propria; eam inhabitabit. Et adjiciunt Legendæ antiquæ Concinnatores: Nos, qui fuimus cum eo, ſæpe audivimus eum dicentem: Nec domum, nec locum volo habere proprium: magiſter etenim noſter dixit: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet.* Luc.9. 58. Et aliàs frequenter repetebat, Dominus quando receſſit in deſertum, & jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, non fecit ſibi conſtrui cellam, nec locum, nec domum, ſed ſub antro montis recumbebat. Quare ad Chriſti exemplum, nec cellam, nec domum, quæ ſua diceretur, voluit habere perfectus Chriſti imitator. Imò dum aliquando contingebat, ut accedens ad quodcumque Fratrum domicilium juberet aptari, vel præparari hanc, vel illam cellam, poſtea ad aliam declinabat, ſemetipſum reprehendens, quòd tantam præferebat inhabitandæ cellæ ſollicitudinem. Digna certè erant hæc, quæ retulimus, ut magno in pretio mons ille, & eremus haberetur à Fratribus, attamen derelictum monet Marianus ob nimiam aſperitatem, & intolerabilem aëris intemperiem: nihilominus adhuc plurima habetur in veneratione ab Oppidanis, & ipſis Fratribus Sartianenſibus, qui commodiorem, & Oppido viciniorem ſibi elegerunt locum, qui temporis decurſu devolutus eſt ad Obſervantes.

Citonii extruit Conventum.

Merul. p.2.l.4.

Leander in Thuſcia.

Gonza. in Prov. Thuſcia con. 22.

V. Ab hoc Oppido rectâ venit ſanctus vir Citonium, ſeu, ut vocant Merula, & Leander, Cetonam; à Cluſio non longè diſtantem, ubi locum ſuis occupavit, qui per unum, aut alterum ſæculum ſub Cuſtodia Cluſina ad Patres Conventuales ſpectabat, donec ſub D. Bernardino Senenſi, tunc Familiæ Obſervantum Vicario Generali, ad eandem, & ab hac ad

Multi in eo floruerunt viri ſancti. Reformatos ſub Clemente VIII. deflexit. Hoc in Conventu Deus Opt. Max. per ſuum ſervum Beatum Fratrem Ægidium plura miracula operatus fuit. Jacetque venerabilis Pater, ac verè beatus Frater Guido, ejuſdem *B. Guido Clurinus.* beati Patris Ægidii ſocius, cujus oſſa cum diu ſub humili majoris ſacelli pavimento latuiſſent, à Fratribus exhumata, ac ligneæ thecæ commiſsa, ſuper Altare, quod eidem majori ſacello ſubeſt, honorificè recondita ſunt. Fuit hic Pater Cluſenſis aliquando Canonicus, ut in Chronicia *In chron. p. 1. lib. 1.* noſtri Ordinis latiùs continetur, ſed ſpretâ eâ dignitate, ſacco indui, pauperemque Chriſtum cum ceteris pauperibus ſequi, quam diviti mundo ejuſque honoribus adhærere maluit, huncque locum ſibi in ſepulturam elegit: tum quia divinis immiſſionibus excipiendis aptiſſimus: tum etiam quia ejus magiſtro, ac ſocio, Beato nempe Patri Ægidio, favorabilis fuit. Hic ſiquidem ille multigenis à Deo virtutibus inſignitus, ejuſque ſuaviſ- *4. Reg. 2. 9.* ſimo colloquio potitus eſt. Inſuper & duplicem Eliæ ſpiritum, quo multa prædixit, divinitùs accepit. Et quid mirum, cum in hoc monaſteriò regularis diſciplina, monaſticuſque rigor perpetuò floruerint? Quod & in cauſa fuit, ut plures hinc ſanctiſſimi viri, maximâque ſanctitate, pietate, caritate, ac divino zelo prædití prodierint. Horum alter fuit Chri- *B. Petrus Gallus.* ſto amabilis, ac per omnia obſequentiſſimus Frater Petrus Gallus, profeſſione laicus, qui cum caritate, obedientia, ſumma paupertate, ac continua contemplatione, & oratione ſplendeſceret, prout plures ex ejus ore, inſtante morte, didicerunt, Virginis glorioſæ, ejuſque dulciſſimi filii, Divi Patris Franciſci, S. Joannis Evangeliſtæ, ac beatæ Catharinæ ſuaviſſima præſentia dignatus eſt.

VI. Alius verò fuit venerabilis, ac beatus Pater Fr. Petrus de Tre- *B. Petrus Senenſis.* guanda Senenſis, præcedenti in omnibus ſimillimus, atque eximius Prædicator, qui ex Patre Conventuali factus Obſervans, perfectioni adeò ſtuduit, ut prophetico ſpiritu decorari meruerit, pluraque miracula tum vivens, tum quoque mortuus ediderit. Prædixit ſiquidem adventum Regis Galliarum in Italiam, plurimaſque Patrum Obſervantum tribulationes, & preſſuras, quæ certiſſimè illis ſupervenere: atque non paucis cœcis viſum, ſurdis auditum, atque dæmoniacis liberationem ſuis meritis à Deo Optimo Maximo impetravit, adeſtque modò epilepticis. In hujuſmet loci tabellario ſexdecim Pontificiæ Bullæ à Summo Pontifice Eugenio IV. ad Venerabilem Patrem Fratrem Albertum à Sartiano tranſmiſſæ cuſtodiuntur, quibus illum ad Indos Orientales, ad Æthiopes, & ad alia plurima loca, Apoſtolica auctoritate delegavit. Atque in ſacrario pars ligni S. Crucis Chriſti, altera ex ſpinis ejus ſacratiſſimæ coronæ, quoddam Virginis glorioſæ velum, pileolus D. Bernardini, pluresque aliæ Reliquiæ, quas, ne legenti ſim oneroſus, ſciens prætermitto, diligenter aſſervantur.

Redit Franciſcus Aſſiſium. VII. A Cetona rediit Aſſiſium ad Quadrageſimæ principium, ſancti & Deo cari adeptus ubique per Caſtella, & Civitates opinionem: verbis *Marian. c. 7. §. 14.* enim, & factis mirabilem ſe oſtendit, & verè à Deo miſſum. Propter quod turmatim omnes ad eum confluebant, quidam veſtimenta tangebant, alii etiam pedum veſtigia venerabantur, & qui ipſum attrectare, vel manus, aut pedes ejus oſculari poterant, feliciſſimos ſe reputabant, omnemque ſibi poſſibilem honorem exhibebant. Unde factum eſt, ut ſocius admiraretur valdè, ſed inde validiùs, quòd vir ſanctus honorifican- *Honores ſibi factos non fugit.* tes non repellebat. Simplici proindè audacia admonere voluit, fugiendos hominum honores, dicens: Pater, non animadvertis quæ circa te fiunt? Non

Non attendis ad iſtos applauſus humanos? Tantum abeſt, ut hos pro Chriſtiana humilitate repellas, ut potius ex affectu humano videaris in eiſdem complacere. Quænam hæc, Pater, complacentia tam aliena a Dei ſervis? Cui Vir ſanctus majorem admirationem incuſſit hac ſua reſponſione: licet plurimus tibi videatur mihi honor impenſus, attamen ſcias me reputare hos parum, aut nihil mihi exhibere illius honoris, quem deberent impendere. Ad hos ſermones infirmi ſocii pene moti ſunt pedes, *Pſal.* 72. 2. pene effuſi ſunt greſſus ad ſcandalum, cujus ut ſubveniret infirmitati hu- Et quare. milis Pater ſubjunxit: Vide frater, & intellige: omnem hanc reverentiam ad Deum remitto, nihil illius mihi tribuo, nec approprio; ſed me ipſum conſervo, & confirmo magis in fæce meæ humilitatis, & vilitatis. Veluti lapideæ ſtatuæ, aut ligneæ effigies, quibus debitus offertur cultus, nec tamen hinc extolluntur, aut tument, ſed ſub eadem permanentes materia, omnem honorem tranſmittunt ad ſuos prototypos, propter quos adorantur. Homines autem ex hoc non modicum lucrantur, quia Deum recognoſcunt, & honorant in ſuis Creaturis, & in me omnium viliſſima. Qua pia, & diſcreta ratiocinatione delevit ex diſcipuli mente, quod obvenerat offendiculum.

VIII. Inter hos vero honores ſtudebat bona Domini ſub arcano pe- *Bonav. c. 6. ante med.* ctoris recondere, nolens patere gloriæ, quod poſſet occaſio eſſe ruinæ. Nam ſæpe cum beatificaretur a pluribus, verbum hujuſmodi proferebat: Humiles & egregiæ Frăciſci ſententiæ. filios, & filias adhue habere poſſum; nolite laudare nondum ſecurum: Nemo laudandus, cujus incertus eſt exitus. Iſta quidem laudantibus; ad ſe *Eccli.* 11. 30. autem ſic: latroni ſi tanta contuliſſet Altiſſimus, gratior te foret, Franciſce. Dicebat Fratribus ſæpe: de omni, quod peccator poteſt, nemo ſibi debet iniquo plauſu blandiri. Peccator, ait, jejunare poteſt, orare, plangere, carnemque propriam macerare: hoc ſolum non poteſt, Domino ſcilicet ſuo eſſe fidelis. In hoc itaque gloriandum, ſi ſuam Domino gloriam reddimus, ſi fideliter ſervientes, ipſi, quidquid donat, fideliter adſcribimus.

IX. Tantam autem ei præſtitam honorificentiam ſcribitur in Legen- *Leg. Greg. IX.* da Gregorii IX. ut ad ejus ingreſſum in Civitates, & Caſtella Clerus Quantus honor, obvius procederet, pulſarentur campanæ, exultarent viri, congauderent ei exhibebatur. fœminæ, applauderent pueri, & cum ramis, hymnis, & canticis totus occurreret populus. Confundebatur ad ſancti Viri præſentiam hæretica pravitas, extollebatur, & confirmabatur fides Eccleſiæ; & tanto jubilo collætantibus fidelibus, latitabant, nec coram audebant Hæretici apparere. Nam tanta vigebant in eo ſanctitatis ſigna, ut nemo Heterodoxorum, illi ſe auderet opponere, dum ad ipſum promptiſſimo, & humili affectu reſpiciebat Univerſitas populorum. Efferebant in plateas infantulos, & infirmos, ut ſua benedictione donaret, panes proponebant, ut benediceret, quos pro morborum medelis ſervabant: quidquid manu tangebat, virtutem participaſſe Dei Hominis comperiebant in curatione languorum. Fimbrias veſtimenti reſecabant, adeoque aliquando indiſcrete, ut communiter a tergo ſeminudus remaneret, donec a circumſtantibus alio operiretur amiculo. In tanto circumſtrepente tumultu admiranda inerat mentis tranquillitas, ſummumque adhibebat ſtudium, ne quovis, vel minimo auræ popularis pulvere, ſordidaretur. Inſenſibilem ſe omnibus exhibebat honoribus, exteriores ſenſus ſumma vigilantia recolligebat, interioribuſque religioſe compoſitis in Chriſti paſſi meditatione verſabatur in mediis honoribus; a quibus poſtquam ſe expediebat, ſolitaria ſibi eligebat loca contemplationibus apta, pernoctanſque in

oratione Dei ſuam conſiderabat miſeriam, & Dei erga ſe dignantiſſimam miſericordiam.

Legen. Greg. IX.

Phyſiognomia & deſcriptio Sancti Franciſci.

X. Ultra ſanctitatis opinionem & veritatem, conciliabat etiam hunc cultum & venerationem vitæ innocentia, ſimplicitas verborum, puritas cordis, ardens in omnes caritas, ſuavitas morum, & aſpectus angelicus. Vere ipſa exterior compoſitio, & corporis diſpoſitio, naturaliſque complexio omnium movebat affectus. Hanc plene deſcripſit proxime citata Legenda, his ipſis, quæ ſubjicio, verbis: *Erat ſanctus Pater noſter gratus omnibus, quia dulcis in moribus, natura placidus, in ſermone affabilis, in exhortatione benignus, in commiſſo fidelis, providus in conſilio, in negotiis gratioſus & efficax, mente ſerenus, animo ſedatus, ſpiritu ſobrius, in contemplatione ſuſpenſus, in oratione aſſiduus, in propoſito conſtans, in virtute ſtabilis, in bonis proficiens, omnibus idem factus, ad indulgendum facilis, ad iram tardus, liber ingenio, memoria tenax, ſubtilis in differendo, circumſpectus in eligendo, in dictis & factis ſimplex, rigidus in ſe, pius in alios, diſcretus in domeſticis Fratrum, & externis Sæcularium converſationibus. Facundiſſimus eloquio, facie hilaris, vultu benignus, inſolentiæ expers, ſtatura mediocris parvitati vicinior. Caput mediocre, ac rotundum; facies utcumque longa & protenſa, frons plana, & parva: mediocres oculi, nigri, & ſimplices; fuſci capilli, ſupercilia recta; naſus æqualis, ſubtilis, & rectus; aures erectæ, ſed parvæ; tempora plana; lingua placabilis, ignea, & acuta; vox vehemens, dulcis, & clara, atque ſonora; dentes conjuncti, æquales & albi; modica labia, ac ſubtilia; barba nigra pilis non plene reſperſa; collum ſubtile, humeri recti, brevia brachia, tenues manus, digiti longi, ungues producti, crura ſubtilia, parvuli pedes, tenuis cutis, caro pauciſſima, aſpera veſtis, breviſſimus ſomnus, manus largiſſimæ, omnium humillimus, erga cunctos manſuetus, omnium moribus utiliter ſe conformans, inter Sanctos Sanctus, inter peccatores quaſi unus ex illis.* Hanc eamdem paucis mutatis ſancti Viri phyſiognomiæ deſcriptionem tranſcripſerunt Piſanus, & Rodulphus. „ Confirmant hæc vetuſtæ imagines a „ Melornio pictore Græco, illius temporis celeberrimo, delineatæ, jubente „ Comite Montis Acuti, dum Vir ſanctus immobilis hærebat in oratione.

Piſan. conf. 10. Rodulf. l. 1. fol. 4.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

XI. Poſt proficuum hunc diſcurſum, & nobilem hanc deprædationem jam conſtitutus in ædicula Aſſiſiate ſibi per primos dies vacans, diligenti examine diſcutiebat, ſi quid ei terreni pulveris cauſa hujus excurſus, & converſationis inter ſæculares, aut præſtiti undique honoris, adhæſit, quem ſevera in ſe correptione animadvertens, protinus excuſſit. Novis, quos ſecum duxit, tironibus regulas, & monaſticæ diſciplinæ modum præſcripſit. In populum mox proceſſit ſacro illo, & ſalutari Quadrageſimæ tempore prædicaturus, Diabolum deprædaturus. Omni conatu, ſancta converſatione, miro exemplo, ferventi oratione, & quotidiana prædicatione inimicum deturbare accelerat, prædari feſtinat, ſpolia detrahit, multos ex Urbe, & Urbis comitatu Dei adſcribens militiæ. Cœpit ex hoc Chriſti vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex ſe floribus ſuavitatis & honeſtatis, uberes fructus afferre. Convertebantur etiam Virgines ad perpetuum cœlibatum, inter quas Virgo Deo cariſſima Clara, ipſarum plantula prima, tamquam flos vernans & candidus odorem dedit, & tamquam ſtella præfulgida radiavit. Hujus plena, & perfecta converſio accidit in ipſa Dominica Palmarum, modo infra deſcribendo, ad quem oportet præfigere ſanctæ Virginis ortum & originem, quæ caſto ſtilo narravit doctus, ſed ignotus Auctor, anno a S. Virginis obitu

Iſai. 8. 1.

Multos Aſſiſiates convertit ad Chriſtum.

Bonav. c. 4.

Item S. Claram.

Infra num. 21.

obitu ſecundo, juſſu Alexandri IV. Pontificis, ut ex ejus præfatione, quam ſubjungimus, legenti conſtabit. Vitam hanc tranſcripſere Surius, & Sedulius, cui nos intermiſcebimus quædam ex Legendis, & Chronicis antiquis, canonizationiſque proceſſu.

XII. Ita verò Anonymus hic S. Virginis orditur hiſtoriam: *Quaſi veterani mundi ſenectâ urgente, fidei caligabat viſus, morum nutabat greſſus, marcebat virilium operum fortitudo; quinimo fæces temporum, fæces comitabantur etiam vitiorum, cum amator hominum Deus, ex ſuæ pietatis arcano, ſacrorum Ordinum ſuſcitans novitatem, providit per eos, & fidei fulcimentum, & reformandis moribus diſciplinam. Dixerim certè modernos Patres cum veris ſequacibus, luminaria orbis, viæ ductores, vitæ magiſtros: in quibus meridianus fulgor mundo ad veſperam conſurrexit, ut lumen videat, qui in tenebris ambulat. Nec decuit infirmioris ſexus adjutorium ſibi deeſſe, quem libidinis gurgite interceptum, non minus ad peccandum trahebat voluptas, & magis fragilitas impellebat. Suſcitavit propterea pius Deus Virginem venerabilem Claram, atque in ea clariſſimam fœminis lucernam accendit, quam, & tu, Papa Beatiſſime, ſuper candelabrum ponens, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt, virtute cogente ſignorum, Sanctorum catalogo adſcripſiſti. Horum Ordinum te Patrem colimus, te Nutricium ſcimus, te Protectorem amplectimur, te Dominum veneramur: quem ſic permaximæ navis regimen univerſale ſolicitat, ut parvæ quoque naviculæ curam ſingularem, & ſolicitam non excludat.*

Auctor vitæ Sanctæ Claræ in præfat.

Ordinum Mendicantium utilitas.

Luc. 11. 33.

Alexander ſcilicet IV.

XIII. *Sanè placuit Dominationi veſtræ, meæ parvitati injungere, ut recenſitis actibus S. Claræ, Legendam ejus formarem; opus certè quod mea ruditas multum formidabat, niſi Pontificalis auctoritas, verbum coram poſito iterum atque iterum repetiiſſet. Igitur me colligens ad mandatum; nec tutum ratus per ea procedere, quæ defectiva legeram: ad Socios B. Franciſci, atque ad ipſum Collegium Virginum Chriſti perrexi; frequenter illud corde revolvens, non licuiſſe antiquitus hiſtoriam texere, niſi iis, qui vidiſſent, aut à videntibus accepiſſent. Iis, inquam, veritate præviâ, cum timore Domini me pleniùs inſtruentibus, aliqua colligens, & plura dimittens, plano ſtilo tranſcurri: ut, quia magnalia Virginis legere delectabit, rudis intelligentia non inveniat, ubi pro verborum ambitu tenebreſcat. Sequantur ergo viri viros, Verbi Incarnati novos Diſcipulos, imitentur fœminæ Claram, Dei Matris veſtigium, novam capitaneam mulierum. Vobis autem, ſanctiſſime Pater, ſicut in his corrigendi, ſubtrahendi, & addendi plena manet auctoritas: itâ mea per omnia ſubjacet, concordat, flagitatque voluntas. Valere vos faciat Dominus Jeſus Chriſtus nunc, & in æternum. Amen.*

Hiſtoria hæc ſcripta juſſu Pôtificis.

Et ex plena fide.

XIV. *Admirabilis fœmina Clara vocabulo & virtute, de civitate Aſſiſii, claro ſatis genere traxit originem. B. Franciſco primò fuit concivis in terris, conregnans poſtmodum in excelſis. Pater ejus miles, & tota utroque parente progenies militaris. Domus abundans, & copioſæ juxta morem patriæ facultates. Mater ejus nomine Hortulana, fructiferam in horto Eccleſiæ plantulam paritura, fructibus bonis & ipſa non mediocriter abundabat. Nam quamvis maritali jugo ſubdita; quamvis curis familiaribus alligata; vacabat tamen pro poſſe divinis obſequiis, inſiſtebat operibus pietatis. Ultra mare ſiquidem cum peregrinantibus devota tranſivit: & loca illa perluſtrans, quæ Deus homo ſacris veſtigiis conſecraverat, tandem cum gaudio remeavit. Item ad S. Michaëlem Archangelum causâ orationis acceſſit, & Apoſtolorum limina devotiùs viſitavit. Quid plura?* Ex fructu

Idem c. 1.

Progenies ſanctæ Claræ.

Pietas Hortulanæ matris ſanctæ Claræ.

Luc. 6. 44.

arbor cognoſcitur, *& fructus ex arbore commendatur. Præceſſit in radice divini copia muneris, ut in ramuſculo ſequeretur abundantia ſanctitatis.*

Præmonetur ſanctitatis infantulæ naſcituræ.

Prægnans denique mulier, & partui jam vicina, cum ante crucem in Eccleſia, Crucifixum attentè oraret, ut eam de partus periculo ſalubriter expediret: vocem audivit dicentem ſibi: Ne paveas mulier, quia quoddam lumen ſalva parturies, quod ipſum mundum clariùs illuſtrabit. Quo edocta oraculo, natam infantulam ſacro baptiſmate renaſcentem Claram vocari juſſit, ſperans promiſſi luminis claritatem, pro divinæ beneplacito voluntatis, aliqualiter fore complendam.

In Appar. §. 3. n. 1.
Genealogia ſanctæ Claræ.
Rodulph. lib. 1. fol. 132.
Cimarel. 4. par. Chron. l. 6. c. 25.
Idem fol. 137.
Cimarel. citatus.

XV. Genealogiam ſanctæ Virginis non obſervavit hic Auctor, quam tamen ego accepi ab eodem Cive Aſſiſiate, à quo ſupra admonui traditam etiam parentum D. Franciſci ſeriem. Rodulphus progenitores Claræ recenſet, ſed parùm aliter quam habeat hæc genealogia. Paulus ex nobiliſſima olim illius Urbis familia, quæ Sciforum (ſeu de Fuini, ut habet R. P. Bartholomæus Cimarella fortaſſis ex parte materna) dicebatur, proavus fuit S. Claræ; hic genuit Berardutium Scifi, ſive ut habet Rodulphus, Bernardum. Huic tres filii Favaronus, Rodulpho Favorinus, Paulus, Monaldus; qui præclari fuere milites, & terrenarum rerum facultate locupletes. Favaronus ex Hortulana nobili & ſancta heroina ſuſcepit filias Claram, Agnetem, & Beatricem ſanctam progeniem, quæ genitrici amplioris factæ ſunt magiſtræ virtutis, quas etiam ad clauſtra ſecuta poſt obitum viri, miraculis reſplenduit. Beatricis non meminit Rodulphus, attamen alibi, dum Claræ recenſet diſcipulas, ſororem eſſe teſtatur. Paulus procreavit Berardutium juniorem, & Angelam, quæ Claræ conſanguineæ adhæſit. Berardutius filium habuit unicum, beatum Ruffinum Scifi, Franciſci ſectatorem. Monaldus verò tres generavit liberos Boſonem, Jolum, & Finum. Boſonis filius fuit beatus Silveſter ſancti Franciſci poſtea ſectator. Ultra hunc gradum non inveni, qui amplius deduceret hujus ſanctæ fœminæ progeniem, licèt prædictus Cimarella aſſerat B. Bernardinum Feltrenſem Tomitanum Aſſiſii prædicantem circa annum MCCCCLXXXVII. quoſdam adhuc ſanctæ Claræ ſtirpis offendiſſe, & reverenter ſalutaſſe.

Rodulph. cit.
De nomine Claræ.

XVI. Nec prætereunda abſque conſideratione præclara Virginis nomenclatura, de qua ita Rodulphus. Si nomina imponi debent à proprietatibus rerum, cum ipſa ſint rerum notæ, & ſigna indicativa, quamvis nominum impoſitio plerumque ad placitum ſit, ut plurimum tamen ſunt nomina rei conſecutiva, ſicuti in B. Clara Aſſiſiate cernimus, de qua canit Eccleſia, *Clara re, Clara nomine*. Nihil enim opus eſt verbis, cum ea res, cujus cauſa verba quæſita ſunt, intelligatur: quæ tamquam flos vernans & candidus à Divo Franciſco inſtituta, ejus diſciplinam, & genus vitæ æmulata eſt: quod multo ante fuerat prænunciatum, dum adhuc eſſet, ut jam dictum eſt, in utero materno.

Auctor vitæ Claræ c. 2.
Marcus 1. par. lib. 1. c. 41. & l. 8. c. 2.
Educatio S. Claræ.
Job 31. 18.

XVII. Edita mox in lucem parvula Clara, tempeſtivè ſatis in umbra ſæculi, cœpit clarere lumine, atque intra teneros annos morum ſplendere probitate. Docili corde primum ex matris ore rudimenta ſuſcepit; & ſpiritu interiùs conflante pariter, & formante vas revera puriſſimum, vas innotuit eſſe gratiarum. Extendebat libenter ad pauperes manum ſuam; & de abundantia domus ſuæ ſupplebat inopias plurimorum. Et ut ſuum ſacrificium gratiùs eſſet Deo, proprio corpuſculo delicata ſubtrahebat cibaria, clamque per internuncios mittens reficiebat viſcera pupillorum. Sic ab infantia ſecum miſeratione creſcente, mentem com-

Digitized by Google

compaſſivam gerebat, miſerorum miſerias miſerantem.

XVIII. Sanctæ orationis ſtudium habebat amicum, ubi ſæpiùs odore bono reſperſa paulatim vitam cœlitem actitabat. Et quia ſignacula non habebat, quorum evolutione diceret orationes Dominicas: congerie lapillorum ſuas oratiunculas Domino adnumerabat. Non ſecus, ac priſcus ille Monachus in Pherme, qui mons in Sceti eſt, qui, ut habent Nicephorus Calliſtus, & Palladius, in orationibus quotidie ſine intermiſſione ſe exercens, eas veluti quoddam tributum, ad trecentas numero Deo offerebat. Ne autem ab eo numero aberraret; lapillos in ſinum deponebat, & ad precationes ſingulas, ſingulos ejiciebat calculos, quibus ad eum modum conſumptis, precationes totidem abſolutas ei eſſe conſtabat. Ubi autem Virgo Clara frequenti oratione amoris ſtimulos primos ſentire cœpit, mundani floris picturam inſtabilem judicat contemnendam: & Spiritus ſancti unctione prædocta vilibus rebus pretium imponere vilitatis. Sub veſtibus namque pretioſis, ac mollibus ciliciolum gerebat abſconditum: mundo exterius florens, Chriſtum interius induens. Denique ſuis eam nobiliter maritare volentibus, nullatenus acquievit: ſed diſſimulato in poſterum mortali conjugio, virginitatem ſuam Domino commendabat. Talia fuerunt in domo materna ſuæ delibamenta virtutis: tales primitiæ ſpiritus, talia præludia ſanctitatis. Tantis itaque redundantem unguentis, velut cellam aromatum licèt clauſam, ipſa ſua fragrantia manifeſtat. Ore quidem vicinorum laudari neſcia cœpit: & ſecretos actus veridicâ famâ prodente, rumor bonitatis ejus vulgabatur in populo.

Idem ibid.

Aſſidua in oratione.

Niceph. l. 11. c. 36. Pallad. in hiſt. Sanſiaca ſect. 20.

Spherulis precatoriis utebatur.

Tenella ætate cilicio ſe macerabat.

XIX. Audiens verò tunc celebre nomen Franciſci, qui velut novus homo obliteratam in mundo viam perfectionis, novis virtutibus renovabat: mox alloqui eum deſiderat, & videre; ſuadente hoc ipſo Patre ſpirituum, cujus jam uterque, licèt differenter, acceperat primitiva. Nec minus ille tam gratioſæ puellæ celebri fama perflatus, videre hanc, & alloqui cupit: ſi quo modo, qui totus inhiabat ad prædam, regnumque mundi debellaturus advenerat, nobilem iſtam prædam ſæculo nequam poſſit eripere, ſuoque Domino vindicare. Viſitat ille iſtam, & ſæpiùs iſta illum, viſitationum ſuarum tempora moderantes: quibus divinum illud ſtudium, nec percipi ab homine poſſit, nec rumore publico detrectari. Nam unicâ tantùm comitante familiari ſociâ, quam dominam Bonam Guelfuccii dictam obſervat Marianus, paternos lares puella egrediens, clandeſtinos ad virum Dei frequentabat acceſſus: cujus ſibi verba flammantia, cujuſque ultra hominem verba & opera videbantur. Hortabatur eam Pater Franciſcus continuè ad mundi contemptum, ſpem ſæculi aridam, ſpem deceptivam vivo ſermone demonſtrat. Stillabat auribus ejus dulcia connubia Chriſti, ſuadens virginalis pudicitiæ margaritam beato illi Sponſo, quem amor humanavit, fore ſervandam. Quid immorer multis? Inſtante Patre ſanctiſſimo, & more fideliſſimi paranymphi ſolerter agente, non trahit in longum virgo conſenſum.

Fit Franciſco familiaris.

Marian. c. 1. §. 1.

Edocetur ab eo.

XX. Aperitur ei protinus æternorum intuitus gaudiorum, quorum conſpectu mundus ipſe vileſceret, quorum deſiderio à ſemetipſa liqueſceret, quorum amore ad ſupernas nuptias anhelaret. Cœleſti namque igne ſuccenſa: terrenæ gloriam vanitatis ſic ex alto contempſit: ut nil jam de mundi applauſu ejus affectibus inhæreret. Carnis quoque illecebras perhorreſcens jam torum in delicto ſe neſcituram proponit, ſoli Deo de corpore ſuo templum facere cupiens, & magni Regis connubia vir-

Caſtitatem proponit ſervandi.

virtute promereri contendens, ex tunc Franciſci conſilio ſe tota committit: ipſum poſt Deum ſtatuens ſuæ directionis aurigam. Pendet exinde anima ejus ad ſacra illius monita, & de bono Jeſu, calido excipit pectore, quidquid promit ille ſermone. Moleſtè jam fert ſæcularis ornatus decorem: & quaſi ſtercus arbitrabatur omnia, quæ foris applaudunt, ut Chriſtum lucrifacere poſſit.

Dominica Palmarum de mundo cœpit triumphare.

XXI. Protinus ne ſpeculum illibatæ mentis mundanus pulvis ulterius inquinet, aut contagio ſæcularis vitæ azymam fermentet ætatem: properat pius Pater Claram educere de ſæculo tenebroſo. Inſtabat Palmarum dies ſolemnis, cum ad virum Dei puella fervido corde ſe confert; ſciſcitans de ſua converſione, quando & qualiter ſit agendum. Jubet Pater Franciſcus, ut in feſto compta & ornata procedat ad palmam, cum frequentia populorum: ac nocte ſequenti exiens extra caſtra, mundanum gaudium convertat in luctum Dominicæ paſſionis. Die itaque Dominico veniente, in turba dominarum ſplendore feſtivo puella præradians, cum reliquis intrat Eccleſiam. Ubi illud digno præſagio contigit, ut ceteris ad ramos concurrentibus, dum Clara præ verecundia ſuo in loco maneret immota: Pontifex per gradus deſcendens uſque ad eam accederet, & palmam ſuis in manibus poneret.

Marian. §.1.

Sedul. in notis ad vitam S. Claræ c. 27.

Nocte ſequenti tondetur à ſancto Franciſco.

Apud ædem Portiunc. Ordo Minorum, & Clariſſarum incepit.

XXII. Nocte ſequenti ad ſancti Patris mandatum ſe præparans, optatam fugam cum honeſta ſocietate aggreditur. Cumque oſtio conſueto exire non licuit, aliud oſtium, quod lignorum, & lapidum pondera obſtruebant, miranda ſibi fortitudine propriis manibus reſeravit. Igitur anno ætatis ſuæ decimo octavo, ut obſervat Marianus, & facto computo annorum, quibus vixit, rectè docuit Sedulius, Domo, Civitate, & Conſanguineis derelictis nocte illa Dominicæ Palmarum, quæ in XIX. incidit Martii, ut idem vult Marianus, ad S. Mariam de Portiuncula feſtinavit: ubi Fratres, qui in Aula Dei ſacras excubias obſervabant, virginem Claram cum luminaribus receperunt. Mox ibi rejectis ſordibus Babylonis, mundo libellum repudii tradidit: ibi manu Fratrum crines deponens, ornatus varios dereliquit. Nec decuit alibi florigeræ virginitatis Ordinem ad Veſperam temporum excitari, quàm in ejus aula, quæ prima omnium, atque digniſſima ſola extitit Mater & Virgo. Hic locus ille eſt, in quo nova militia pauperum duce Franciſco, felicia ſumebat primordia, ut liquidò videretur utramque Religionem Mater miſericordiæ in ſuo diverſorio parturire. Cùm autem coram Altari B. Mariæ, ſanctæ pœnitentiæ ſuſcepiſſet inſignia, & quaſi ante torum hujus Virginis, humilis ancilla Chriſto nupſiſſet: ſtatim eam ad Eccleſiam S. Pauli Monacharum nigrarum ſanctus Franciſcus deduxit, donec aliud provideret Altiſſimus, in eodem loco manſuram.

Anton. 3. par. tit. 24. c. 7.

Conſanguinei Claræ, eam à propoſito revocare tentant, ſed fruſtra.

XXIII. Ad Conſanguineos autem rumore volante, dilacerato corde factum, & propoſitum Virginis damnant: & conglobati in unum currunt ad locum, tentant quod obtinere non poſſunt. Violentiæ impetum, venena conſiliorum, blanditias adhibent promiſſionum: ſuadentes ab hujuſmodi vilitate diſcedere, quia nec generi congruat, nec exemplum habeat in contrata. At illa pannos apprehendens Altaris, caput denudat attonſum: firmans ſe nullatenus à Chriſti ſervitio ulterius avellendam. Creſcit animus, bello creſcente ſuorum, vireſque miniſtrat amor injuriis laceſſitus. Sic per plures dies, cum in via Domini obicem pateretur, & ſui ſe opponerent ejus propoſito ſanctitatis; non collapſus eſt animus, non fervor remiſſus: ſed inter verba, & odia, ad ſpem ani-

animum tamdiu reformat, donec propinqui retuſa fronte quieſcunt.

XXIV. Paucis interjectis diebus ad Eccleſiam S. Angeli de Panſo Ordinis S. Benedicti juxta civitatem Aſſiſii tranſivit, eam comitantibus ipſo viro Dei Franciſco, & duobus ejus diſcipulis Bernardo, & Philippo. Hic in tenera adhuc converſione quanta & quam mirifica fuerit virtus orationis ipſius apparuit, qua ſororem ſuam Agnetem ad Deum convertit, converſamque defendit. Dolebat domi relictam, ſæculique periculis expoſitam ſororem hanc ætate teneram, carne ac puritate germanam: cujus converſionem deſiderans, inter precum primitias, quas Deo plenis affectibus offerebat, hoc poſtulabat obnixius, ut ſicut cum ſorore habuerat in ſæculo cohærentiam animorum, ita jam in Dei ſervitio fieret inter eas unitas voluntatum. Orat igitur inſtanter Patrem miſericordiæ, ut relictæ in domo ſorori Agneti mundus deſipiat, dulceſcat Deus: eamque ſic a propoſito carnalium nuptiarum ad ſui amoris copulam transferat, quatenus una ſecum in virginitate perpetua Sponſo gloriæ nubat. Mirandus enim utrique inſederat mutuus amor, qui novam divulſionem, licet affectu diſſimili, utrique fecerat doloroſam. Favet celeriter divina majeſtas egregiæ oratrici: primum illud donum, quod præcipue poſtulat, quodque magis Deum exhibere delectat, feſtinantius elargitur. Nam poſt ſexdecim dies a converſione Claræ, Agnes, divino afflata ſpiritu, properat ad ſororem, eique ſuæ voluntatis arcanum referat, dicens, ſe velle penitus Domino deſervire. Quam illa gaudenter amplectens: gratias, inquit, ago Deo, dulciſſima ſoror, quod me de te ſollicitam exaudivit.

Anonym. c.5. Marian. cit. Anton. cit.

Ejus precibus convertitur Agnes ſoror.

Anony. c.16. Marian. §.5.

XXV. Miram hanc converſionem ſatis eſt miranda defenſio ſubſecuta. Cum enim felices ſorores, apud eccleſiam ſancti Angeli de Panſo, Chriſti veſtigiis inhærerent; atque illa, quæ plus de Domino ſentiebat, ſuam erudiret novitiam & germanam: repente contra puellas nova conſanguineorum prælia ſuſcitantur. Audientes enim Agnetem ad Claram tranſiiſſe, currunt ad locum ſequenti die duodecim viri furore ſuccenſi, & conceptam malitiam diſſimulantes exterius, pacificum prætendunt ingreſſum. Moxque ad Agnetem converſi (nam de Clara jam antea deſperaverant) *Quid tu*, inquiunt, *ad locum iſtum veniſti? Feſtina quantocius domum redire nobiſcum*. Qua reſpondente, nolle ſe a ſorore ſua Clara diſcedere, irruit in eam miles unus animo efferato, & pugnis calcibuſque non parcens, eam per capillos abſtrahere conabatur, ceteris impellentibus, & ſuis brachiis levantibus eam. At proba juvencula dum, quaſi a leonibus capta, de manu Domini raperetur, exclamat dicens: *Adjuva me ſoror cariſſima, nec me Chriſto Domino tolli permittas*. Cum ergo violenti prædones adoleſcentulam renitentem, per devexum montis abſtraherent, veſtes abrumperent, vias crinium laceratione complerent, Clara cum lacrymis in oratione procumbens, petit ſorori mentis conſtantiam tribui, petit vires hominum divina potentia ſuperari. Confeſtim vero tanto pondere corpus illius in terra jacentis figi videtur, ut illam plures homines, ſuis conatibus adnitentes, nequaquam valeant ultra quemdam rivulum aſportare. Accurrentes etiam aliqui de agris & vineis, auxilium illis præſtare contendunt; ſed corpus illius de terra levare nullatenus poſſunt. Dumque in ſuo conatu deficiunt, verbo luſorio miraculum extollunt, dicentes: tota nocte plumbum comedit; & ideo ſi ponderat, non eſt mirum. Nam & dominus Monaldus patruus ejus, cum in tanta rabie conſtitutus, vellet eam lethaliter pugno percutere,

Conſanguinei ſororibus moleſti.

Claræ precibus fit ſoror immobilis.

tere, manum, quam levavit, ſubito dirus dolor invaſit, eumque uſque ad plura tempora doloris anguſtia cruciavit. Ecce autem poſt longum agonem, Clara pergens ad locum, rogat propinquos a tali conflictu diſcedere, & Agnetem ſeminecem jacentem ſuæ ſollicitudini commendare. Quibus, infecto negotio, cum amaro animo recedentibus, Agnes jucunda ſurrexit; & jam Cruce Chriſti gaudens, pro quo hac prima pugna certaverat, ſe divinis ſervitiis perpetuo mancipavit. Siquidem & beatus Franciſcus manu ſua ipſam totondit, & una cum ſorore in via Domini erudivit.

Pergunt ſorores ad Eccleſiam S. Damiani.

Anonym. c. 5.

XXVI. Dum autem ſanctæ Virginis Claræ præclaram jam adeptæ diſcipulam non plene mens inter illas Sanctimoniales quieſceret, tandem ad Eccleſiam S. Damiani, ex B. Franciſci conſilio, ſimul cum ſorore migravit. Ibi mentis anchoram quaſi in certo figens, non jam pro loci mutatione ulterius fluctuat, non pro arctitudine dubitat, nec pro ſolitudine reformidat. Hæc eſt illa eccleſia, in cujus reparatione Franciſcus miro deſudaverat ſtudio, cujuſque Sacerdoti pecuniam obtulerat pro opere reparando. Hæc eſt, in qua dum Franciſcus oraret, vox ad eum de ligno Crucis delapſa inſonuit: *Franciſce, vade, repara domum meam, quæ, ut cernis, tota deſtruitur.* In hujus locelli ergaſtulo cœleſtis amore Sponſi virgo ſe Clara concluſit; in hac ſe a mundi tempeſtate celans, corpus, quoad viveret, carceravit. In hujus caverna maceriæ columba deargentata nidificans Virginum Chriſti Collegium genuit, monaſterium ſanctum inſtituit, pauperum Dominarum Ordinem inchoavit. Hic in via pœnitentiæ glebas membrorum terit, hic ſemina perfectæ juſtitiæ ſeminat, hic inceſſu proprio ſignat veſtigia ſecuturis. In hoc arcto recluſorio per quadraginta duos annos diſciplinæ flagellis frangit ſui corporis alabaſtrum, ut domus eccleſiæ repleatur fragrantia unguentorum.

Anonym. c. 8.

Diffunditur opinio ſanctitatis S. Claræ.

Ejus exemplo multi fugiunt ad clauſtra.

XXVII. Non prius introducta Clara in cubiculum Regis æterni, & in cellarium Sponſi cœleſtis, quam ordinaverit in ea caritatem, & aliæ adoleſcentulæ lætatæ ſint, & exultarint memores, & factæ participes uberum tantæ in virginem diffuſæ caritatis. Spargitur enim paulo poſt opinio ſanctitatis ejus per proximas regiones, ut in odorem unguentorum ejus undique mulieres currant. Feſtinant virgines ejus exemplo, Chriſto ſervare, quod ſunt; maritatæ caſtius agere ſatagunt: nobiles & illuſtres, amplis contemptis palatiis, arcta ſibi Monaſteria conſtruunt, atque pro Chriſto in cinere & cilicio vivere, magnam gloriam ducunt. Concitatur nihilominus ad coinquinata certamina juvenum impetus, & ad carnis aſpernanda ludibria, per infirmioris ſexus exempla fortia provocatur. Plures denique matrimonio juncti mutuo conſenſu continentium ſe lege vincientes, viri ad Ordines, uxores ad Monaſteria tranſeunt. Mater filiam, filia matrem invitat ad Chriſtum: ſoror ſorores allicit, & amita neptes. Omnes æmulo fervore Chriſto ſervire deſiderant: omnes hujus vitæ angelicæ, quæ per Claram inclaruit, fieri participes optant. Innumeræ virgines Claræ rumoribus excitatæ, dum ad clauſtralem vitam tranſire non prævalent, in paternis domibus ſine regula regulariter vivere ſtudent. Tanta hæc ſalutis germina virgo Clara ſuis parturiebat exemplis, ut in ea videretur impleri propheticum illud: *Multi filii deſertæ magis, quam ejus, quæ habet virum.*

Iſai. 54. 1.

Conſtantia Auguſta non fuit Clariſſa.

XXVII. Cum communi omnium tam noſtrorum, quam exterorum Hiſtoricorum conſenſu hoc anno vitam mutarit hæc ſacra Virgo, & Clariſſarum Inſtituto dederit initium, neſcio unde irrepſerit occaſio Auctori epi-

Epitomatis theſauri antiquitatum, & vitarum Imperatorum, quod Jacobus de Strada Mantuanus edidit, necnon aliis, quos refert Joannes Pineda, ut aſſerent Conſtantiam Auguſtam Friderici II. matrem, antequam Henrico VI. Imperatori daretur in conjugem, Monialem fuiſſe profeſſam in Monaſterio S. Claræ Panormitano. Etenim eam Henricus ſibi deſponſavit circa annum MCXC. viginti & amplius annis antequam Clariſſarum Inſtitutum haberet originem. Quì ergò potuit fieri, ut S. Claræ fuerit Monialis? Sanè Germani, teſte Paulo Æmilio, hoc & alia, quæ de ea referuntur, fabuloſæ vanitatis arguunt, atque ita res in ſuos quamque annos digerunt, ut pudeat pigeatque tantæ aſſeverationi, diligentiæque fidem abrogare.

Strada in Henrico VI.
Pined. l.21. Monarch. Eccl. c.7. §.1.
Æmil. in Philip.

XXIX. Utcumque ſit de Conſtantia, Clara, adhibitis ſibi ſociis, ſuæque vitæ æmulis, ſpiritualis vitæ rudimenta, & excelſioris deinde perfectionis normam à ſancto accepit Magiſtro. Qui, ut ſacrarum virginum res compoſuit, corporum cuſtodiæ conſuluit, & cuncta ad felicem exitum deduxit; ad interiora ſua converſus, quid potiſſimùm ſibi agendum eſſet, ſecum meditabundus expendit. Dubitavit, an domi hærendum, vel peregrè proficiſcendum? An acquiſiti fovendi, vel plures acquirendi diſcipuli? An intra Umbriæ fines latendum, vel ad exteras prodeundum regiones? An demùm orationi, & contemplationi incumbendum, vel potius aliis debeat ſolerter proficere? Fidelis revera famulus & Chriſti miniſter, nihil abſque ſuperni Numinis magiſterio facile intentabat, utque cuncta fideliter, & perfectè perageret, illis potiſſimum virtutum exercitiis intendebat, quæ ſacro dictante ſpiritu, Deo ſuo magis placere cognoverat.

Dubitat Franciſcus an potius oret, vel prædicet.
Bonav. c.12.

XXX. Dum ergo in magnam hujuſmodi dubitationis agoniam incideret, quam multis diebus, ab oratione rediens, terminandam Fratribus ſibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, fratres conſulitis, quid laudatis? An quod orationi vacem, an quod prædicando diſcurram, ſiquidem ego parvulus ſimplex & imperitus ſermone, majorem accepi gratiam orandi, quàm loquendi. Videtur enim in oratione lucrum, & cumulus gratiarum; in prædicatione diſtributio quædam donorum cœlitus acceptorum; in oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & unitio ad unum verum & ſummum bonum, cum vigoratione virtutis; in prædicatione ſpiritualium pulverizatio pedum, diſtractio circa multa, & relaxatio diſciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur, & audimus; & quaſi angelicam vitam agentes inter Angelos converſamur: in prædicatione multa oportet condeſcenſione uti ad homines; & humanè inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere, & audire. Sed unum eſt in contrarium, quod videtur præponderare his omnibus ante Deum; quod videlicet unigenitus Dei Filius, qui eſt Sapientia ſumma, propter animarum ſalutem de ſinu Patris deſcendit, ut ſuo mundum informans exemplo, verbum ſalutis hominibus loqueretur, quos ſacri ſanguinis & pretio redimeret, & emundaret lavacro, & poculo ſuſtentaret; nihil ſibi omninò reſervans, quod non in ſalutem noſtram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere ſecundum exemplar eorum, quæ videmus in ipſo, tamquam in monte ſublimi: videtur magis Deo placitum, quòd, intermiſſa quiete, foras egrediar ad laborem.

Oratio an præſtet prædicationi?
Exod. 25. 40.

XXXI. Cumque per multos dies, verba hujuſmodi ruminaret cum Fratribus; certitudinaliter nequibat percipere, quid horum ſibi foret, ut Chriſto verè acceptius, eligendum. Cum enim miranda noſſet per

ſpiritum prophetiæ, hanc per ſe ipſum quæſtionem diſſolvere non valebat ad liquidum: Deo melius providente, ut prædicationis meritum, per ſupernum maniſeſtaretur oraculum, & ſervi Chriſti humilitas ſervaretur. Non erubeſcebat à minoribus parva quærere verus minor, qui magna didicerat à Magiſtro ſupremo: ſtudio namque præcipuo ſolitus erat exquirere quali via, qualique modo Deo poſſet ſecundum ipſius beneplacitum perfectiùs deſervire. Hæc ſumma ejus Philoſophia, hoc ſummum ejus deſiderium extitit, quoad vixit, ut quæreret à ſapientibus, & ſimplicibus, & perfectis, & imperfectis, parvulis, & grandævis, qualiter ad perfectionis culmen, virtuoſiùs pervenire valeret.

A junioribus non dedignatur diſcere Franciſcus.

Viam Domini ab omnibus cupit ediſcere.

XXXII. Aſſumens itaque duos ex Fratribus, miſit ad Fratrem Silveſtrum, qui crucem egredientem viderat de ore ipſius; & tunc in monte ſupra Aſſiſium jugiter orationi vacabat, ut divinum ſuper dubitatione hujuſmodi reſponſum perquireret, quod ſibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipſum demandavit ſacræ virgini Claræ, ut per aliquam puriorem, & ſimpliciorem de Virginibus ſub ipſius diſciplina degentibus, & ipſa cum ſororibus aliis orans, ſuper hoc exquireret Domini voluntatem. Concordaverunt autem mirabiliter in id ipſum, ſuperno eis revelante ſpiritu, venerabilis Sacerdos, & Virgo Deo dicata: beneplaciti ſcilicet eſſe divini, quod Chriſti præco ad prædicandum exiret. Revertentibus itaque Fratribus Philippo, & Maſſæo, quos hujus divinæ voluntatis miſit exploratores, eos mira caritate, & reverentia ſanctus Pater excepit, eorum pedes humiliter ipſe lavit, & oſculatus eſt, deinde adhibitâ corporis caritativâ refectione, ſeorſim ſecum deduxit in ſilvam, ſacræ ædi vicinam, poſitis genibus, nudato, & inclinato capite, & manibus cancellatis, profunda humilitate interrogavit Sanctorum interlocutores, dicens: *Quid jubet Dominus meus Jeſus Chriſtus, ut faciam?* Reſpondit Fr. Maſſæus: Cariſſime Frater, & Pater, tam Fratri Silveſtro, quam Sorori Claræ, & Sociis una eademque fuit Jeſu Chriſti benedicti reſponſio, ut vadas ad prædicandum, quia non vocavit te propter te ſolùm, ſed propter ſalutem etiam aliorum, propter quos ponet verba ſua in ore tuo. Tunc facta eſt ibi ſuper eum manus Domini; & in fervore ſpiritus ſurgens, totus ignitus virtute Altiſſimi dixit: *Eamus in nomine Domini*. Et aſſumptis in ſocios eodem Fratre Maſſæo, & Fr. Angelo Reatino, exſurgens continuò ſuccinxit ſe, & nullâ prorſus contractâ morâ, iter aggreſſus eſt. Ibat autem cum tanto fervore, ut divinum exſequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac ſi facta manu Dei ſuper eum, novam induiſſet è Cœlo virtutem.

Vide anno 1209. *n.*39.

Conſulit circa hoc dubiũ Claram, & Silveſtrum.

Marian. c. 10. *ſ.* 1.

Admonetur cœlitus, ut prædicet.

XXXIII. Cum igitur appropinquaret Bevanio ad quendam locum devenit, in quo diverſi generis avium maxima multitudo convenerat, quas cum Sanctus Dei vidiſſet, alacriter cucurrit ad locum, & eas velut rationis participes ſalutavit. Omnibus verò expectantibus, & convertentibus ſe ad eum, ita, ut quæ in arbuſtis erant, inclinatis capitibus, cum appropinquaret ad eas, inſolito modo in ipſum intenderent; uſque ad eas acceſſit, & omnes, ut verbum Dei audirent, ſolicitè admonuit dicens: Fratres mei, volucres, multum debetis laudare Creatorem veſtrum, qui plumis vos induit, & pennas tribuit ad volandum; puritatem conceſſit aëris, & ſine veſtra ſolicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc, & ſimilia loqueretur, aviculæ modo mirabili geſtientes, cœperunt extendere colla; protendere alas, aperire roſtra, & in illum attentè reſpicere. Ipſe verò cum ſpiritus fervore mirando, per medium ipſarum tran-

Avibus prædicat, & attentè audiunt.

tranſiens, tunica contingebat eaſdem; nec tamen de loco aliqua mota eſt, donec ſigno Crucis facto, & licentiâ datâ, cum benedictione viri Dei, omnes ſimul avolarunt. Hæc omnia contuebantur Socii expectantes in via. Ad quos reverſus vir ſimplex & purus, pro eo quòd hactenus avibus non prædicaverat, cœpit ſe de negligentia inculpare. Perveniens autem ad ipſum caſtrum Bevanii, Plinio, & Properrio, qui hoc oppido natus eſt, Mevania, vulgo Italico, *Bevagna*, poſt habitum ad populum ſermonem, quo ad Dei amorem omnes incitavit, ſi non excitavit, adducta fuit ad ipſum prædicationis locum puella utroque orbata lumine, quam ſuper læſas potentias ter ſuo ſputo linivit in nomine Trinitatis, & mox ſalvam perfectèque reſpicientem parentibus reſtituit, ad cujus illuminationem externam multi illuminati ſunt interius, alii ſancto viro adhæſerunt, & plurimi ad meliorem vitam reſipuerunt.

Plin. l. 35. c. 13. Proper. l. 4.

Bevanii cæcam ſanat puellam.

XXXIV. Refert prædicta Hugolinus à monte S. Mariæ in brevicula, quam contexuit, hiſtoria de ſancti Viri geſtis in hoc itinere, quæ à præfato Viri ſancti ſocio Fratre Maſſæo percepit, qui & addit, ex magno, quod in hoc uno loco acquiſivit, lucro animarum animum induiſſe in Orientem pergere, & deſiderium omnes ad veritatis lucem perducendi. Auxit ſanctam hanc cupidinem fervens caritatis incendium, quo glorioſum ſanctorum Martyrum æmulabatur triumphum; in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Deſiderabat propterea, & ipſe illa perfecta caritate ſucceſus, quæ foras mittit timorem, per martyrii flammam, hoſtiam Domino ſe offerre viventem: ut & vicem Chriſto pro nobis morienti rependeret, & ad divinum amorem ceteros provocaret. Hinc ſtatuit Urbem petere, ut cum Pontificis Summi licentia, & benedictione Babylonem verſus iter dirigeret. Relicto itaque Vicario ædiculæ Petro Cataneo, prædicans per loca omnia, per quæ tranſibat, venit ad caſtrum Alvianum, Albianam olim dictum, in modico colle haud procul amne Tiberi in Umbria extructum, non longè à Tudertina civitate. Ubi congregato populo, & indicto ſilentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco, magniſque garritibus perſtrepentes, audiri vix poterat; quas vir Dei, omnibus audientibus, allocutus eſt, dicens: ſorores meæ, hirundines, jam tempus eſt, ut loquar & ego: quia vos uſque modo ſatis dixiſtis: audite verbum Dei tenentes ſilentium, donec ſermo Dei compleatur. At illæ tamquam intellectus capaces ſubitò tacuerunt; nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio conſummata. Omnes igitur, qui viderunt, ſtupore repleti glorificaverunt Deum. Iſtius miraculi fama circumquaque diffuſa, multos ad Sancti reverentiam, & fidei devotionem accendit. In civitate namque Pariſienſi ſcholaris quidam indolis bonæ, cum ſociis aliis ſtudio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cujuſdam infeſtaretur hirundinis, dicere cœpit ad ſocios: hæc hirundo una de illis eſt, quæ virum Dei Franciſcum prædicantem aliquando, donec ſilentium eis imponeret, moleſtabant: & converſus ad hirundinem fiducialiter ait: In nomine ſervi Dei Franciſci præcipio tibi, ut ad me veniens continuò conticeſcas. At illa, Franciſci audito nomine, quaſi viri Dei diſciplinis edocta, & ſtatim conticuit, & ipſius manibus, tamquam tutæ cuſtodiæ ſe commiſit. Stupefactus ſcholaris ſtatim eam libertati reſtituit, & ejus garritum ampliùs non audivit.

Hugolin. in Chronic. MS. Bonav. c. 9.

Cupit mori pro Chriſto.

1. Joan. 4. 18.

Bonav. c. 12.

Hirundines ſilent, eo jubente, & concionantem audiunt.

Res mira.

XXXV. Aliis in itinere patratis miraculis Romam pervenit, Pontificem adiit, longum habuit cum eo ſermonem de mirabili incremento re-

Romam venit Franciſcus.

Marian. cap. 10. §. 1. religionis, de ſancta converſatione fratrum, & de divinis arcanis, qualiterque Deus labentem mundum erigere, & ſeneſcentem renovare decreverit univerſali morum reformatione. Suam etiam mentem aperuit de adeundis Mahometanis, & Tartaris, ut ſi quam eis facem præferre poſſet veritatis Evangelicæ. Ad quæ omnia ſummopere gaudens pius Pontifex, licentiam, & Pontificiam benedictionem libenter impertiit. *Converſio B. Zachariæ.* Antequam autem ab Urbe recederet, ſemel, ac iterum in plateis prædicavit, & Fratrem Zachariam Romanum ſignis & portentis poſtea mirificum, ſuo habitu donavit, quem demum miſit in Hiſpaniam. *Anno 1222. n. 40. Rodulph. lib. 1. fol. 105. Marian. §. 4.* Sancti hujus diſcipuli diffuſiùs dabimus infrà vitam, & ſepulturæ locum. In Urbe etiam ad ſuam recepit Sodalitatem Guillelmum Anglicum, qui propter vitæ ſanctitatem, quippe qui plura perpetravit vivens miracula, meruit locum duodecimum poſſidere, & divino conſilio connumerari undecim Franciſci diſcipulis; ſuffectus enim eſt, velut alter Matthias, in locum Joannis *Anno 1209. n. 19.* de Capella, qui ad Judæ exemplum laqueo ſe ſuſpendit, & crepuit medius, ut ſupra adnotavimus. Obiit ſub Generalatu Fratris Eliæ Aſſiſii, ſepultuſque eſt in Eccleſia inferiori magni Conventus, ubi cum plurimis coruſcaret miraculis, mira ſanctæ obedientiæ virtute juſſus ab eodem Elia, ne quicquam gloriæ ſancti Patris Franciſci ſuis prodigiis detraheret, ut à patrandis miraculis ceſſaret, nullum edidit deinceps.

Adhæret viro Dei Jacoba Romana. Marian. §. 5. XXXVI. Tunc adhæſit ſancto viro virtute ejus prædicationis allecta illuſtris & præclara matrona Jacoba de Septemſoliis, vidua inter Romanas nobiliſſima & ditiſſima, de qua nos quædam adnotavimus ad epiſtolam XVII. S. Franciſci. Commota viri fama voluit audire prædicantem; ex prædicatione ortum vehemens deſiderium colloquendi. Tandem obtinuit, & ut ſæpius ab eodem ita inſtrueretur de rebus cœleſtibus, ut poſtea omnia ei terrena vileſcerent, nec ampliùs quidquam curaret, quam de vitæ puritate, ſumma continentia, & morum reformatione. *Plura præſtat erga Minores.* Tranſmiſſa ergo cura & ſolicitudine rerum familiarium in duos, quos habuit, filios, alternos poſtea Romanos Senatores, animæ ſolerter incubuit, & accepto cœlitùs lacrymarum dono, præteritam vitam quotidianis profluviis deflevit negligenter tranſactam. Cordialem concepit erga Franciſcum, & Sodales devotionem, quos ſemper excipiebat hoſpitio, & omnibus caritatis proſequebatur officiis. Opem adhibuit, ut obtineretur ab Abbate ſancti Coſmæ, vulgo Coſmati, in regione Tranſtiberina in vicino Xenodochio ad ripam Tiberis receptaculum quoddam, vel hoſpitium Fratrum Romam adventantium, quo ſanctus Pater divertere ſolebat, & ubi adhuc religioſè ejus cellula in ſacellum commutata, in qua aliquoties rem ſacram peregi, ab omnibus honoratur, ut *Matth. Pariſ. ad anno 1227.* largiùs ad annum MCCXXIX. referemus. Sanè oratorium ſub hoc tempore Romæ habuiſſe Franciſcum, præ ceteris auctor eſt Matthæus Pariſius, quod tamen interventione hujus illuſtris Heroinæ obtentum volunt quidam ex noſtris. Ob hæc itaque & alia beneficia piam fœminam benignus Pater religioſè colebat, ad ejuſque ædes confidenter & familiariter divertebat, cum qua & virgine Clara dumtaxat ſanctam inierat *Anno 1226. n. 26.* amicitiam, & caſtiſſimum contubernium. Uſque in finem dilexit eam, *Sed præcipuè erga eorum Auctorem.* ut videre eſt ex ultima, quam ſcripſit, Epiſtola, quam nos ſuo loco dabimus; qua ad funus eam invitabat. Nec in illa elanguit erga ſanctum Magiſtrum dilectio, nam Roma proficiſcens cum filiis moribundo adſtitit, quippe cui ſoli ex fœminis cœnobioli patebant interiora, morientem brachiis excepit, defuncto pietatis exhibuit officia, quina & patentia

tia jam vulnera ſæpiùs & dulciùs exoſculata, ſumptuoſiſſimas celebravit exequias, & per plures dies gemebunda adhæſit ſepulcro. Reverſa deinde Romam, rebuſque ſuis compoſitis, & mundo valedicto, rediit Aſſiſium, ut ſuperventura mors à ſuo non ſepararet dilecto, ſed in eodem Templo donaretur ſepulcro. Ita factum, utqui ſe invicem in vita dilexerunt, in morte non ſint ſeparati; nam priùs in Templo ſancti Georgii tumulata, cum ab eodem ſancti Patris corpus in ædem ſuo nomini ſacram transferretur, in eandem tranſportata eſt hæc ſancta Matrona, in qua hodie cernitur ſepulturæ locus in muro prope ſuggeſtum, in qua etiam recondita ſunt cum matre oſſa filiorum. *Rodulph. lib. 2. fol. 250.*

XXXVII. Inſtructâ autem hac piâ Matronâ, & eductis ſecum præmemoratis diſcipulis, relictiſque aliis in præfato Xenodochio, revertitur ſanctus Pater Aſſiſium, patefactoque ſodalibus ſuis itineris propoſito, cunctis benedixit, & ut in jugi regularis diſciplinæ proficerent augmento affectuosè commendavit. Rectâ hinc perrexit, ut habet Legenda antiqua, in civitatem Aſculanam in Piceno nobilem: quem autem ſibi adſciverit ſocium non memoratur. Mirum in modum deſiderabat Aſculanus populus hominem videre, quem omnes ſanctum proclamabant, in medio proinde poſitum omnes audire, & videre geſtiebant, adeò ut in plateis, & compitis quocumque progredientem turmatim ſequerentur, & ſe invicem, ut vel pauperem lacernam contingerent, conculcarent. Triginta porrò ibidem tum ex clericis, tum ex laicis ad ſuum ſodalitium recepit, quos ad extructas à ſe ædiculas tranſmiſit. *Pergit Aſculum. Legen. antiq. Marian. ſ.6. Triginta ibi ſuſcipit diſcipulos.*

XXXVIII. Non ſubſtitit diù hoc in loco, ſed æſtu percitus martyrii ad maritimum progreſſus portum, navem quandam ad Syriæ partes tendentem, conſcendit, ſed ventis contrariis flantibus, compulſus eſt in Sclavoniæ partibus applicare. Cùm igitur moram aliquandiù contraxiſſet ibidem, nec invenire poſſet navem tunc temporis transfretantem, fraudatum ſuo deſiderio ſe ſentiens, nautas quoſdam Anconam tendentes, ut amore Dei eum ſecum ducerent, exoravit. Verùm illis propter expenſarum defectum pertinaciter recuſantibus, vir Dei plurimùm de Domini bonitate confiſus, navem cum ſocio latenter conſcendit. Adfuit quidam à Deo, ut creditur, pro paupere ſuo miſſus, qui ſecum ferens neceſſaria victui, quendam timentem Deum de navi ad ſe vocatum, ſic allocutus eſt: Hæc pro pauperibus fratribus in navi latitantibus conſerva fideliter, ac neceſſitatis tempore amicabiliter ſubminiſtra. Sicque factum eſt, ut nautis propter vim ventorum, per dies plurimos nuſquam applicare valentibus, omnia conſumerentur ipſorum cibaria, & ſola pauperi Franciſco collata deſuper eleemoſyna ſupereſſet. Quæ cum eſſet permodica, tantum divina virtute ſuſcepit augmentum, ut diebus plurimis in mari propter tempeſtatem continuam contrahentibus moram, uſque ad portum Anconæ omnium neceſſitatibus plenariè ſubveniret. Videntes itaque nautæ per ſervum Dei, multa ſe mortis evaſiſſe diſcrimina; tamquam qui maris horrenda pericula ſenſerant, & miranda opera Domini viderant in profundo; gratias egerunt Omnipotenti Deo, qui ſemper in ſuis amicis & ſervis mirabilem & amabilem ſe oſtendit. *Bonav. c.9. Navigans in Syriam cœlitus detinetur. Viaticum ejus in navi non conſumitur. Pſal. 106. 24.*

XXXIX. Cum autem, relicto mari, terram perambulare cœpiſſet, jacto in eam ſalutis ſemine, reportabat manipulos fructuoſos; ſtatim namque plures variæ conditionis & ſtatus viri eum ſunt ſecuti. Inter quos quidam ſæcularium cantionum curioſus inventor, qui ab Imperatore propter hoc fuerat coronatus, & exinde Rex verſuum dictus, virum *Bonav. c.4. Rex verſuum convertitur mirabili viſione.*

rum Dei contemptorem mundialium adire propoſuit. Cumque apud caſtrum ſancti Severini eum prædicantem reperiſſet in Monaſterio quodam, facta manu Domini ſuper ſe, vidit eundem crucis Chriſti prædicatorem Franciſcum, duobus tranſverſis enſibus valdè fulgentibns, in modum crucis ſignatum; quorum unus à capite ad pedes, alius à manu in manum per pectus tranſverſaliter tendebatur. Non noverat facie ſervum Chriſti: ſed tanto monſtratum miraculo mox agnovit. Subitò ſtupefactus ad viſum, incipit meliora proponere; tandemque verborum ipſius compunctus virtute, tamquam ſi eſſet gladio ſpiritus ex ejus ore procedente transfixus, ſæcularibus pompis omninò contemptis, beato Patri profeſſione cohæſit. Propter quod videns ipſum Vir ſanctus ab inquietudine ſæculi ad Chriſti pacem perfectè converſum, Fratrem Pacificum appellavit.

Fr. Pacificus nominatur.

XL. Hic poſtmodum in omni ſanctitate proficiens, antequam fieret miniſter in Francia (ſiquidem primus ibidem miniſterii geſſit officium) meruit iteratò magnum Thau in fronte Franciſci videre, quod colorum varietate diſtinctum, faciem ipſius miro venuſtabat ornatu. Hoc quippe ſignum Vir ſanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis, quas dirigebat, litterulis, manu propria ſubſcribebat; tamquam ſi omne ipſius ſtudium foret ſignare Thau, juxta dictum Propheticum, ſuper frontes virorum gementium & dolentium, ad Chriſtum Jeſum veraciter converſorum.

Videt Franciſci Thau ſignatum.

Ezec. 9. 4.

XLI. Huic etiam Fratri Pacifico ſequentem tribuunt viſionem Legenda, Gregorius IX. & Marianus, quam ita referunt: Cum alias eſſet in comitatu viri Dei in valle Spoletana ſub veſperi Frater Pacificus, veniſſentque ad Hierocomium, ſive hoſpitium publicum leproſorum juxta Trevium, proceſſit paulò ulterius ſanctus Magiſter ad derelictam & deſtructam Eccleſiam ſancti Petri de Bojano. Remiſit autem ſocium ad hoſpitium, dicens ſe velle in Eccleſia illa pernoctare; ut verò ſummo mane ad ipſum rediret, admonuit. Soluto deinde completorio, & longa facta oratione dum parumper requieſcere vellet, non potuit; ſpiritus namque ejus timere cœpit, & toto tremens corpore diabolicas ſenſit ſuggeſtiones. Exiliit ſtatim foras magno fervore ſigno crucis ſe muniens, & alta clamans voce dixit: Ex parte Dei Omnipotentis dico vobis, Dæmones, ut quidquid deſuper datum fuerit vobis, & permiſſum à Domino Jeſu Chriſto, in me confeſtim exerceatis, & meo corpori noceatis, quoniam paratus ſum ad omnia perferenda in moleſta hac ſarcina, qua majorem non habeo inimicum: verè magnam mihi præſtabitis gratiam: ſic enim vendicabitis me de adverſario meo peſſimo, & inimico fraudulento. His dictis ſtatim omnes illæ ſuggeſtiones ceſſaverunt, & tentamenta evanuerunt, ita ut redeuntem ab Eccleſia placidus repente ſomnus exceperit.

Legen. Greg. IX. Marian. §. 8.

Dæmones laceſſit Franciſcus.

XLII. Revertente autem Fratre Pacifico ad auroram ſecundum Patris præceptum, vidit eum profundæ contemplatioui immerſum, & è regione orans ſancti Viri obſervabat abſque ſtrepitu dulciſſima cum Chriſto colloquia. Dum cuncta ſecum altiùs expendit, miraturque quantam invenerit Franciſcus gratiam in oculis Domini, ecce repente ſactus extra ſeipſum *vidit inter multas in Cælo ſedes unam cæteris digniorem, pretioſis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem. Miratus intra ſe præcelſi refulgentiam throni, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet aſſumi? Audivit inter hæc vocem dicentem ſibi: Sedes iſta unius de ruen-*

Bonav. c. 6.

Excelſa ſedes Franciſci in cœlo.

ruentibus fuit, & nunc humili ſervatur Franciſco. Reverſus demum Frater ad ſe ab orationis exceſſu, virum beatum exterius prodeuntem ſolito fuit more ſecutus. Cumque incedentes per viam de Deo invicem loquerentur, Frater ille viſionis ſuæ non immemor ſolerter ab eo quæſivit, quid de ſe ipſo ſentiret? Ad quem humilis Chriſti ſervus, Videor, *ait*, mihi maximus peccatorum. *Cui cum Frater diceret ex adverſo, quod hoc non poſſet ſana conſcientia dicere, nec ſentire, ſubjunxit*: Si quantumcumque ſceleratum hominem tanta fuiſſet Chriſtus miſericordia proſecutus, arbitror ſanè, quod multò, quam ego, Deo gratior eſſet. *Confirmatus fuit Frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate viſionis oſtenſæ, Evangelio ſacro teſtante cognoſcens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua ſuperbus ejicitur, verè humilis exaltetur.* Multa præclarè geſſit hìc Pacificus, & magnus enituit in eo regularis diſciplinæ, ſalvandarumque animarum zelus, propter quem à ſancto Patre, ut diximus, primus creatus eſt Franciæ Miniſter. Miraculis vivus & mortuus claruit. Ubi autem ſepultus ſit, ſe neſcire fatetur Marianus. Monet Rodulphus Venetiis in æde Minorum Conventualium ſupereſſe adhuc ſarcophagum, in quo repoſitum fuit corpus ejus cum ſubjectis verbis:

Matth. 23. 12.
Supra num.40.
Ubi jacet fr. Pacificus.
Rodulph.fol.226. & 271.

IN HOC SEPULCHRO DEPOSITUM FUIT CORPUS B. PACIFICI ORDINIS FRATRUM MINORUM ANNO DOM. MCCCCXXXII. DIE XXI. JULII.

Idem etiam Rodulphus in Cuſtodia Veronenſi in loco Ripæ eundem conditum fuiſſe aſſeverat, ejuſque opera non longè à fratrum Cœnobio emanare fontem aquarum. At Franciſcus Gonzaga tumulatum ait in Conventu Lenſenſi in Belgio, in ſaxo marmoreo prope majus Templi Altare, & ſuaviſſimum adhuc ſpirare odorem, multaque ibidem ad ejus invocationem fieri miracula. Rem confirmant Ferreolus Locrius in ſuis Chronicis Belgicis, & Joannes Molanus in Natalibus Belgicis, qui & monumenti exſcripſerunt epitaphium hujuſmodi:

Idem fol.271.
Gonza. in Prov. S. Andreæ conv. 9.
Locrius ad anno 1219.
Molanus ad 10. Julii.

SUB HOC LAPIDE RECONDITA SERVANTUR OSSA SACRA B. PACIFICI ORDINIS MINORUM, QUI IPSE PRIMUS FUIT PROVINCIÆ FRANCIÆ MINISTER.

Quid de bino, vel trino hoc ſepulcro & epitaphio dicam, planè nihil occurrit certi. Conjecturare hic licet, vel illum Venetum, & Ripanum alium eſſe à Belgico, vel bonam aliquam hujus corporis partem Venetias, vel ad Ripam fuiſſe translatam.

XLIII. Evocato ſecum hoc novo tirone Fratre Pacifico, ut ad Franciſcum redeat oratio, è Picentibus tranſivit ad Hetruſcos, ut habitacula ſua ibidem anno elapſo conſtructa reviſeret, & quomodo in via Dei Fratres proficiebant, præſens agnoſceret. Dum hæc loca luſtraret, alium obtinuit à nobiliſſima Ubaldinorum familia Florentina prope Scarpariam oppidum ad quartum decimum à Florentia lapidem, olim circa Chriſti annum ſexcenteſimum à prædictis Ubaldinis pro Monachis ſancti Baſilii extructum in meditullio cujuſdam nemoris, unico à Scarparia milliari.

Obtinet Franciſcus alium Conventum in Tuſcia.
Hiſtoria Ubaldina fol. 6.

Ad hoc tempus & fundatores originem hujus Conventus referunt Chronica pervetuſta MSS. ejuſdem Cœnobii, & hiſtoria Ubaldinorum à Joanne Baptiſta Ubaldino concinnata, cujus firmiorem facit fidem Æneas Sil-

Silvius in libello quodam MS. de variis fragmentis quarundam rerum memorabilium. Hæc ejus verba: *In Mugello in reliquiis oppidi Pilæ, etſi ob tempus conſumptum, quod vix legi poteſt, ſubterſcriptum in ſilice cælatum monumentum, nunc quoque adeſt.*

AN. S. DC.

VIRI UBALDINI FILII OLIM DNI PILÆ PROPTER RELIGIONIS ZELUM ECCLESIAM ET HABITACULUM NEMORIS PER AMOREM DEI, UT B. BASILII REVERENDI MONACHI ILLIC COLERENT SUIS SUMPTIBUS INSTRUI CURAVERUNT, OMNES QUOQUE SUOS SUÆQUE FAMILIÆ POSTEROS DOMINOS FORE VOLUERUNT.

Deficientibus tamen prædictis Patribus Baſilianis, à diverſis Anachoretis occupatum extitit, donec tandem hoc anno à præfatorum Fundatorum
Gonza. in Prov. Tuſciæ conv. 14. ſucceſſoribus ſancto Patri collatum fuit. A quo quidem tempore uſque ad annum MCCCXLIX. Franciſcanis Fratribus, maximè tamen Conventualibus, paruit. Quo plurimis ex eis peſte abſumptis, quòd vix majora loca conſervare poſſent, inter alios Conventus hic quoque deſertus eſt. De quo quidem actum eſſet, niſi illuſtris Coſmas Medices Franciſcani Inſtituti amantiſſimus, poſt plurimas poſſeſſiones à prædictis Ubaldinis emptas, ſumptuoſumque palatium non procul ab ipſo nemore conſtructum, ipſum ab ejuſdem Ordinis Obſervantibus occupari curaſſet. Prædicti itaque Patres Obſervantes virtute Bullæ Martinianæ hunc Conventum anno MCDXX. vel circiter, ingreſſi ſunt, ipſumque, & à proxima imminente ruina, ſumptibus tamen præfati Coſmæ Medices, præſervarunt, & plurimis adjectis ædificiis, occuparunt: ita ut commodè octodecim
Commendatur cœnobium hoc. Fratres continere valeat. Hæc ſacra ædes multis nominibus laudanda venit: tum quia antiquiſſima, cùm à mille ferè annis exordium ſumpſerit: tum quia à beatiſſimo Patre Franciſco Ordini ſubacta & acquiſita: tum quia præſentia duorum ſummorum Pontificum, qui & eidem plurimas gratias, atque indulgentias in mortalium favorem impertiti ſunt, honeſtata: tum etiam quia ab hominum frequentia ſemota, orationi, contemplationi, ac ſacræ lectioni plurimùm ſavet. Hunc quoque locum intimè dilexit B. Pater Bonaventura, & ad ipſum ſæpiùs divertere aſſueverat, in eoque exiſtens (ſi Gonzagæ & communi illius loci incolarum
Ad annum 1273. n. 12. narrationi credamus, quod tamen aliàs ſeriò examinabimus) utenſilibus coquinæ abluendis, licèt Pariſienſis Doctor, & totius Seraphici Inſtituti Generalis Miniſter, intentus, Cardinalitium galerum, & Albanenſis Epiſcopatus dignitatem à ſummo Pontifice Gregorio X. ſibi tranſmiſſa accepit. Qui nequaquam eapropter commotus non priùs Pontificios Legatos admiſit, quàm cœptum abluendi opus expleſſet, imò ad id uſque tempus oblatum galerum ex proximioris arboris ramuſculo appendere juſſit. Cumque hujus loci Fratres, pro more, Completorium ante cœnam perſolvere ſoliti eſſent, atque ex tanti Patris promotione læti ad refectorium cœnaturi, eo minimè ex oblivione perſoluto, conveniſſent, & ab ipſo de Completorii ſatisſactione interrogati, culpam humiliter faſſi eſſent, non prius menſæ accubuit, quam divinum penſum cum illis in choro ſolvi curaſſet. A quo etiam tempore ea hoc in loco conſuetudo inolevit, ut non prius Completorium à Fratribus dicatur, quam campanæ

ſignum

ſignum pro ſalutanda veſpertino tempore Virgine glorioſa, audiatur. Hujus ſacræ Domus Eccleſia à Rmo D. Leonardo Medices Epiſcopo Forolivienſi XXIII. Octobris anno Domini MDXX. conſecrata fuit: licèt conſecrationis dies ob populi frequentiam, Dominicâ primâ menſis Maji cujuſque anni celebretur: quo etiam die accedentes maxima indulgentia ſibi à ſummo Pontifice Eugenio IV. dum caſu iſthac Ferrariam verſus iter faceret, conceſſa gaudent. Eſt prætereà hic locus, licèt modicus, atque ſilveſtris, celebratione tertii Capituli Generalis Ciſmontanæ Familiæ Obſervantis, quæ anno Domini MCDXLIX. contigit, factaque fuit expenſis præfati Coſmæ Medices, omnino illuſtris. In qua quidem illud contigit: Cum enim ob Vicarii Generalis deponendi infirmitatem ultra quindecim dies Capitulum protenderetur, miſsis duobus Patribus, rogavit præfatum Dominum reliquus Cœtus, ne moleſtè ferret, ſi per caſtella, proximioreſque pagos ſibi in poſterum neceſſaria quæreret. Cui pius Coſmas reſpondit, ut bono animo eſſet, nihilque curaret, quandoquidem illi, etſi ad plurimos dies protraherentur hujuſmodi Comitia, nihil penitus defuturum eſſet: quod etiam facto comprobavit. Quo quidem in Capitulo, cui etiam B. Pater Albertus de Sartiano interfuit, B. Pater Joannes de Capiſtrano in Generalem Vicarium electus eſt. Quieſcunt tandem in hoc ipſo loco plurimi Patres, quorum nomina ob eorum integerrimam vitam, candidiſsimoſque mores in libro vitæ ſcripta eſſe piè credimus. Inter eos verò præſtantiores fuere Venerabilis Pater Joannes à Peruſio, hujus Provinciæ, dum adhuc Provinciæ S. Franciſci adjuncta eſſet, Vicarius aliquando Provincialis: & Pater Benedictus de Gavoraccio Theologus conſummatus, qui & pœnitentiæ perfectioris agendæ ergò ab Inſtituto Divi Patris Auguſtini Ordinis Eremitarum, cui aliquando mancipatus fuit, ad hoc Seraphicum convolavit: & Pater Meus, ſive Bartholomæus à Florentia ſacerdos, vir utique puriſsimus atque ſimpliciſsimus, cui etiam aviculæ ad nutum parebant, & ignis, quo ſemel cauterizandus erat, non ſecus atque Beatiſsimo Patri Franciſco contigit, innatum ſibi temperans calorem leniſsimè ulcus aduſtulavit, ſerpentemque morbum, ne ultra progrederetur, cohibuit.

Jacent ibi viri præclari.

Vide anno 1225. n. 3.

XLIV. Ab hoc nemore dilapſus vir Dei per vicina, & obvia prædicabat oppida, donec pervenit Aſſiſium ad finem menſis Octobris, & in Æde Portiunculæ requievit pauliſper, curam tamen ſedulam gerens filiorum, quos continuis lectionibus inſtruebat, & ſalutaribus conſiliis hortabatur ad excelſas virtutes. Plura autem ex iis, quæ ſuadebat, adnotarunt ſocii Auctores antiquæ Legendæ, dicentes: Admonebat ſolicitè Fratres, ut ſanctum Evangelium & Regulam, quam promiſerant, obſervarent firmiter; & maximè, ut circa divina officia, & Eccleſiaſticas ordinationes eſſent reverentes & devoti, audientes devotè Miſſam, & Corpus Domini devotiſſimè adorantes. Ut Sacerdotes qui ſanctiſſima tractant, & miniſtrant Sacramenta, ubique locorum ſummo haberent in honore, caput profundè coram eis inclinarent, manus oſcularentur, & ſi fieri poſſet, etiam equorum, quibus inſiderent, pedes, propter reverentiam poteſtatis ipſorum. Ne quempiam hominum temere judicarent, nec deſpicerent illos, qui delicatè vivunt, aut mollibus veſtiuntur, quia idem, inquit, noſter & illorum Deus, potens illos ad ſe vocare, & vocatos juſtificare; alieni ſervi judicari non debent; *domino ſuo, ſtant aut cadunt*. Imò habendos addebat pro dominis & fratribus; pro dominis, in quantum ſua dant, & neceſſaria præbent bonis ad faciendam pœniten-

Marian. c. 8. §. 10.

Suos diſcipulos ſedulo inſtruit Franciſcus.

Leg. antiq.

Sacerdotibus quem honorem tribui velit.

Rom. 14. 4.

tiam : pro fratribus quatenus ejuſdem Factoris ſunt creaturæ . Extra domum procedentes in publicum, monebat, ut erga omnes modeſtos , pacificos , & morigeratos ſe exhiberent , taliſque eſset illorum converſatio, ut quicumque audirent , vel viderent eos , glorificarent Patrem Cœleſtem . Pacem etiam omnibus jubebat annunciari , tamen ita ore offerendam , ut etiam retineretur in corde, neque ullus ad rixam aut diſcordiam , ſed potius ad benignitatem , & manſuetudinem provocaretur: ad hoc enim , ſubdidit , vocati ſumus , ut vulneratis medeamur , confractos alligemus , & errantes revocemus in viam. Multi enim modò videntur membra Diaboli qui poſtea erunt Chriſti Diſcipuli.

Bern. à Beſſa cit. XLV. Hæc , & cetera dicebat , ut obſervavit Bernardus à Beſsa , per verba affectuoſiſsima & ſuavia, omnes dulciter fovens , infirmis compatiens , juniores in virtute conſolidans , ſeniores honorans , Sacerdotes de quocumque defectu admonens in occulto , in omnibus ſe gerens non ut ſeverus judex , ſed ut pius pater . Nobiles , & reverentia dignos , debita tractabat honorificentia : piè cuique , quod ſuum erat , impendens; *Marian. cit.* conſiderabat prudenter in omnibus eorum gradum & dignitatem . Tentatis , & afflictis ex corde compatiebatur , & omni ſubveniebat pietatis auxilio. Ex his primis Diſcipulis acceſſit ad eum , qui ſuppliciter rogaret , ut pro ſe intercederet , ne vinceretur à gravi , quam patiebatur, carnis moleſtia . Cui protinus vir pius : Ne propterea diffidas , fili , nec animo concidas , quaſi ceteris pejor evaſeris, quia tentaris à Dæmone , ſed magis propter hoc te Dei ſervum debes reputare. Nullus in via Dei perfectus evaſit, qui per tribulationes, & tentationes non pertranſierit. Et qui gloriatur ſe nullam ſuſtinuiſſe , ſciat non immiſſam fuiſſe propter ſuam infirmitatem prævisam à Domino , quia *fidelis eſt Dominus , qui non patitur nos tentari ſupra illud quod poſſumus* : & proinde vix objiciuntur certamina fortia , niſi ubi fuerit virtus perfecta . Similiter alius ſpiritualem , carnali duriorem , paſſus tentationem , cum diu vexaretur , procidit ad Patris ſui pedes , & rem omnem expandere tentans , non potuit lacrymis , & frequentibus ſingultibus præpeditus . Elevans autem bonus paſtor infirmam oviculam , & inter brachia tenens , cœlitus penetrans quod intus latebat , tenera voce dixit ad Fratrem : Fili mi , ne timeas , hoc erit tibi in gratiæ augmentum , & deinde alta , & imperioſa voce inquit ad Dæmones : Præcipio vobis , maligni Dæmones , ne ampliùs hunc meum fratrem impugnetis . Quibus dictis , ſtatim frater liber evaſit ,& Dæmon confuſus receſſit , per quod ſancti viri in filium pietas , & in Dæmones poteſtas apparuit.

Tétatio permittitur ad virtutis exercitium.

1. Cor. 10. 13.

Imperat Franciſcus Dæmonibus ne amplius Fratrem tentent.

XLVI. Speciali , & præcipua cura eìs commendabat ſanctam paupertatem , habitacula paupercula , eremitoria ſimplicia , ſepibus humilibus circumdata , ea præcipuè , quæ procul ab hominum commercio ædificabantur : in urbibus enim , & prope oppida aliter faciendum , muriſque cingenda majora ædificia , ſuadere hominum malitiam , & fratrum multitudinem , populorum obſequio neceſſariam , ipſe fatebatur . Execrandas addebat multiplices , & molles veſtes , pannumque hiſpidum , & aſperiorem hujus Sodalitii propoſito , & pœnitentiæ prædicandæ eſſe neceſſarium; ſi quis tamen molliore indigebat tunica interiori , concedebat; in exteriori tamen ſemper relucere voluit ſanctam humilitatem, & paupertatem. Sanctam orationem , jugem Paſſionis Dominicæ meditationem , pacem , & mutuam caritatem ab omnibus deſiderandam , & acquirendam proponebat , & vitia vel defectus procul abigendos inſtantiſſimè

Aliter ruri , aliter in urbibus ædificanda Monaſteria.

Legen. ant. Beſsa cit.

Marian. §. 11.

tiſſimè admonebat. Quotidianam inquiſitionem faciebat domeſticæ diſciplinæ, nihil lubricum dominari permittens, nihil impunè relinquens, ſi quid minus rectè deprehenderet à fratribus perpetratum. Nihil tamen inter puniendum, aut ſeria animadverſione in delinquentes turbabatur, nihil erat in eo commotionis aut iræ, non audiebatur vox ejus foris, ſed placidus, & mitis in latitudine cordis omnia peragebat: Apoſtolica in eo vigebat auctoritas, quæ reverentiam, & magnum conciliabat reſpectum, & affectuoſiſsima, paternaque erga filios dilectio, quæ ſtudioſos reddebat omnes mandatorum executores, ita ut non ſolùm quàm promptiſſimè imperio, vel conſilio obtemperarent Legiſlatoris, verùm quod & velle aliquantulum eum ſuſpicabantur, quàm celerrimè adimplerent.

XLVII. Mirum ſanè in modum profecerunt ſub tanto Magiſtro hi primi Diſcipuli, præclaras aſſecuti virtutes, quas tres ex iiſdem in ea, quam ſcripſerunt, Legenda, & Bernardus à Beſſa, Bonaventuræ ſocius ita deſcripſerunt. Præter eam, quam dixi, obedientiam, arctiſſimam coluerunt paupertatem, profundam humilitatem, columbinam ſimplicitatem, & ſingularem cordis puritatem. Summa inter illos caritas, & fraterna dilectio, unus ſpiritus, & una fides in eis, una voluntas, laudabilis morum concordia, conformitas mentium, & pietas actionum. Quando veniebant ad Congregationes Capitulares (quas hoc anno ſtatuit ſanctus Pater bis quotannis fieri circa feſtum Pentecoſtes, & S. Michaëlis Archangeli apud S. Mariam de Angelis) devitabant vanas fabulas, & quæſtiones inutiles, colloquebantur invicem de vitis ſanctorum, de obſervantia, & perfecta intelligentia ſuæ Regulæ, & rebus divinis. Revertentes ad proprias ſedes, vel ad prædicandum miſſi tamquam peregrini, & advenæ diſcurrebant, nihil portantes in via præter libros, quibus ſolverent preces horarias. Ut nomine, ſic & re verè Minores apparebant, omnibus ſubditi propter Deum, nihil magnum, nihil ſublime de ſemetipſis cogitantes. Bini incedebant, ut frater juvaretur à fratre, & revera habebant emolumentum ſocietatis ſuæ, nam unuſquiſque ut ſocii ſubveniret, vel neceſſitati, vel periculo ſemet impendere, & ſuperimpendere ſatagebat. Accidit ſemel, ut vel fatuus, aut ſcurra in prætereuntem fratrem lapides projiceret, quos ut in ſe reciperet, & ſocium ab injuria defenderet, comes ſe interpoſuit, ut clypeum, malens ſibi noceri, quàm fratri.

Legen. 3. ſocior. Bern. à Beſſa.

Diſcipulorum eximiæ virtutes.

Statuit Franciſcus bis in anno fieri capitula.

Marian. §.10.

Eccleſ. 4. 9.

XLVIII. Reverebantur ſe invicem ex humilitate, & caritate quaſi alternos dominos, & qui inter eos officio, vel gratia præcellebat, erat ſicut miniſter. Si vel facto, vel verbo à malo ingenio præventi, vel leviter ſe offendebant, depoſitâ animi paſſione, proſternentes ſe ad offenſi pedes, non inde poterant avelli, donec pedibus os conculcaretur, & plena tribueretur remiſſio. Gratus invicem occurſus, & gravis ſeparatio, niſi ad ſanctæ obedientiæ præceptum ab invicem divelli oporteret, propter quam cara, & amabilia contemnebant. Omni poſt poſitâ contradictione, & morâ, illuc ibant quò mittebantur, non diſcutientes præceptum, nec rationem exigentes mandati. Poſcebant humiliter, ne mitterentur ad patrias, vel in eas provincias, in quibus aliquando habebantur honori, aut amori, per quod implebatur in illis illud Propheticum: *Extraneus factus ſum fratribus mei, & peregrinus filiis matris meæ.* Læti, & hilares ſemper incedebant, tribulationes pro lucro habentes; ſemper pro perſecutoribus exorabant, quorum multos ad Deum convertebant

Pſ. 68. 9.

Obvios vel in plateis aut foris convenientes ſanctis, & ædificationis adoriebantur verbis, excitabantque, ut Creatorem ac Dominum diligerent. Os & ſapientiam dabat Dominus, ut opportunè, & efficaciter ſermocinarentur, ut plurimos ubique à mundi pelago ad ſalutis litus extraherent. Verè tunc viſus ſeparationis gladius in terram mitti, quando ſeparabatur filius à patre, nurus à ſocru, gener à ſocero, & cognati à conſanguineis.

Matth. 10. 34. & 35.

XLIX. Ad Sacerdotes, & animarnm pſtores libentiùs divertebant, quam ad ſæculares: his autem deficientibus, interrogabant, qui erant ſanctioris notæ in populo, ſub quorum tecto colligi poſſent: nec ſine delectu, aut bonæ notæ fama ad quoſcumque deflectebant. Ex eleemoſynis, quas colligebant, cum aliis pauperibus dividebant, nihil ulli negantes quod ſibi ſupereſſet. Terrena omnia generosè contemnebant, vix admittentes neceſſaria naturæ. Sola tunica intns & foris reſarcita, femoralibus, & rudi pro cingulo fune contenti, nullum in componendo habitum tempus abſumebant, ſed deſpectum, & neglectnm portabant. Ab Hoſpitio repulſi in cryptis, vel ſub porticibus dormiebant, & ſummo mane præmiſsâ devotâ, & longâ oratione in Eccleſiis, exibant ad opus aliquod honeſtum, ut labores manuum ſuarum manducarent, & de fructu operum ſuorum reficerentur. Ita perfectam induerunt patientiam, ut ſæpius injuriis, opprobriis, malo verbo, & duro verbere affecti, nec patrocinium quærerent, nec de illatis malis quererentur, neque in ore ipſorum aliud, quam gratiarum actio, & vox laudis reſonaret. Freqnenter judicium, & exsmen ſubibant conſcientiæ, exactè diſcutientes vel quid egerint, vel in quo defecerint, nihil relinqnentes impune. Tantâ maceratione carnis vitiorum incentiva reprimere ſatagebant, nt in glaciem, aut in nivem ſemet nudos immergere, vel inter ſpinas evolvere non dubitarent. Summo ſtudio ſuperbiam procnl fugabant, de ſe humiliter, de aliis, maximè de Sacerdotibus, ſublimè ſentientes. Unum ex his Sacerdos quidam in judicando temerarius, vocavit hypocritam; ſimplex, & ſincerus frater Sacerdotem mentiri non poſſe piè ſecum expendens, ſe deflere cœpit ut hypocritam, & mœſtus cogitabat, quomodo objectam ſibi hypocriſim repelleret. Interrogatus à Sancto Patre, cur adeò mœreret? rem narravit, nec potuit à fletu cohiberi, donec prudenter Sacerdotis verbum vir pius interpretaretur, & ſalvo tanto Sacerdotum honore, aliquando in hujuſmodi leviuſculis rebus, ut homines decipi poſſe, doceret.

Pſ. 127. 2.

Digna de Sacerdotibus opinio.

Vincent. Bello. l. 30. c. 99.

L. Linguam ſilentii perpetui fræno cohibebant, nihil niſi neceſſarium proferentes, nec ſcurrile, aut ocioſum verbum nominabatur inter eos. Senſus omnes externos mortificatos, & penè mortuos habebant. Per animæ feneſtras, oculos & aures multum advehi mali probè cognoſcentes, clauſas habebant, ne per illas incautè mortem intrare contingeret. Simplex eis aſpectus, inceſſus modeſtus; oculos in terram defixos, mentes in cœlum erectas habebant. Mundum, & quæ mundi ſunt pro nihilo ducentes, ſed ut ſtercora arbitrantes, exules, & mundo crucifixos ſe reputabant, ut cives aſcriberentur in cœlis. Per viam crucis, & ſemitas juſtitiæ incedentes, obſervationis Evangellcæ offendicula cuncta removebant expediti ad currendam viam mandatorum Domini, tranſibant per oppida, & urbes benefaciendo, ſpargentes ſemina virtutum, omnes ædificantes ad vitam religioſiſsimis exemplis, & ſimplici, abſque lenocinio compoſita, doctrina.

Oculi & aures animæ feneſtræ. *Jerem. 9. 21.*

Pſ. 118. 32.

LI. Duo

LI. Duo ex his ſub veſperam pervenerunt ad quoddam caſtrum, prædonum receptaculum, & malefactorum fortalitium, cujus Dux, & dominus, ortu clarus, moribus obſcurus, homicidiis, & prædis aſſuetus, cum circumvicinis populis diſſidebat. Ad januam pauperculi fratres detenti, ne introirent, rogarunt per internuncium Ducem, ut placeret ſe ſub tecto illa nocte recipere. A Deo motus juſſit eos ad ſe introduci, introductos curialiter juxtà nobilium urbanitatem recepit, & ſecum recumbere fecit in menſa. Circumſedere, & ceteri ſui genii homines, qui velut gloriantes quod malefecerint, ea ſolum referebant, & tractabant inter epulas, quæ illo die patrarant vel homicidia, vel maleficia, & quas eripuerant prædas vicinis. Notarunt, & doluerunt fratres malam malorum ſermocinationem, arreptâque hinc occaſione unus ex eis, captâ comiter hoſpitis licentiâ, poſt cœnam, propoſitis efficaci, ſed ſimplici alloquio, gaudio Paradiſi, & pœnis Inferni; deteſtabilem hominum vitam adeò ob oculos poſuit, & in meliorem mutandam eſſe multâ ratione, & imminentis divini ſupplicii minis probavit, ut tacti omnes dolore cordis intrinſecùs ad prædicatoris pedes conciderint, & errati veniam profuſis lacrymis à Deo humiliter expoſcerint. Præ ceteris Herus mutatus repentè in virum alterum, ſalutari confeſſionis remedio expiare voluit peccata. Cui cum ſatisfactoria opera, luſtrandorum ſacrorum liminum, ſublevandorum pauperum, reſtituendæ rei alienæ injunxiſſet Sacerdos, dixit ſe hæc peracturum, interim tamen dum omnia complerentur, timere ſe juſtam ſumendam de ſuis peccatis vindictam. Bono, inquit Presbyter, eſto animo, ego pro te fidejubebo, & Dominus dabit tibi ſpatium pœnitendi. Induit ad hæc verba peccator fiduciam, bonam concepit ſpem veniæ, & de ſuo fidejuſſore opinionem; tamen explorare voluit quid ageret in cubiculo, an velut communis ſors hominum decumberet, an tota ſterteret nocte, an verò juxta conceptam de eo opinionem ultra communem hominum vitam, peculiare aliquod in eo comperiret ſpeciem virtutis. Curavit ad hunc finem appendi in habitaculo lampadem, cujus beneficio explorare valeret Fratrum actiones. Accubuerunt prima noctis vigilia, ſed vigilavit ſemper Sacerdos, curam agens ejus pro quo ſe vadem obtulerat. Ut putavit domeſticos omnes dormire, è lecto proſiliens, genuflexus feruenti cœpit oratione veniam petere ſui hoſpitis peccatorum. Precibus addidit lacrymas, & planctum, donec in ipſa oratione elevatus eſt procul à terra, ubi tamquam bonus ſequeſter inter hominem & Deum, medius inter cœlum & terram, adeò vehementer plorabat, ut nullus viſus ſit damnum aliquod, vel cariſſimorum obitum cognatorum tam acerbè defleviſſe, ſicut hic unus pro remittendis hujus hominis peccatis ejulabat. Ita perſtitit longo tempore immobilis, donec circumfuſus luce de cœlo meruit exaudiri. Obſervavit omnia hæc latenter hoſpes cum lacrymis, & facto mane domui ſuæ diſpoſuit, retentiſque fratribus per aliquot dies, aliena reſtituit, propria diviſit in pauperes, & ſemet illis adſcripſit comitem, donatus poſtea habitu ab ipſomet Inſtitutore Aſiſii. Ceteri etiam ſocii iniquitatum ad domini exemplum derelictis deprædationibus, quibus antea inhiabant, commiſſorum piaculorum egerunt ſub variis Inſtitutis pœnitentiam.

Hugolin. cit.

Convertunt duo ex Franciſci diſcipulis egregios prædones.

LII. Simplices, & illitterati Fratres, qui prædicandi donum à Deo non acceperant, aliis ſerviebant humiliter, leproſorumque viſitabant Xenodochia, quibus quantumvis humilia, & vilia exhibebant pietatis officia. Ita ſe velle docebat Sanctus Pater verbo & exemplo, nam eos ſecum

Marian. c.8.§.8.

Inſerviebant libenter leproſis.

cum ducens, primus lectos verſabat, plagas curabat, ſaniem radebat, ulcera lavabat, & lingua quandoque lingebat. Recipiendos ad Ordinem admonebat in hujuſmodi miniſteriis eos oportere exerceri, quos quandoque in eiſdem volebat experiri. Delicatulos, & qui abhorrebant hæc munia, rejiciebat, humiliter autem, & caritative exercentes libenter amplectebatur, quibus, ut majorem adderet animum, & gratiores redderet leproſos, Fratres Chriſtianos eos vocabat. Præ ceteris claruit in hoc miniſterio Jacobus Simplex è Comitatu Peruſii, qui ob continuam circa leproſos curam, vocabatur OEconomus, & Medicus leproſorum.

Leo in legen. antiq.

Huic commendavit Sanctus Pater, ut refert B. Leo, qui præſens hæc omnia vidit, ex leproſis unum, in quo à planta pedis uſque ad verticem capitis non erat ſanitas, undequaque ulceratum. Solicitâ erga miſerum curâ, & quotidianâ beneficientiâ reſtituit languido vires, quem tamen adhuc ulceribus horridum, ex Hierocomio velut familiarem ſocium deduxit uſque ad ædem Portiunculæ. Obvium habuit Sanctum Patrem, cui indiſcretum viſum hoc factum Jacobi, proindeque corripuit, dicens: Non deberes, frater, ita facilè educere fratres Chriſtianos, nec enim te decet, neque illos. Licèt cupierim, ut illis in hoſpitio ſervires, nollem foras extraheres, non enim omnibus gratus illorum aſpectus. His dictis, conſideravit, miſerum leproſum ſe ſuffudiſſe rubore, & affeciſſe dolore propter reprehenſum ſuum benefactorem, quare procidens ad pedes ejus, veniam petiit, & ut animum adderet verecundanti, pœnitentiamque ipſe dicti ſubiret, præhabitâ licentiâ Petri Catanei ædiculæ Vicarii, præ foribus manducavit in eadem patina cum leproſo, quem poſt amplexum & deoſculatum, hilarem dimiſit.

Benignitas Franciſci erga leproſum.

Hugolin. cit.

Aliud egregium factum.

LIII. Aliud mirabilius narrat Hugolinus de leproſo infirmitatis adeò impatiente, ut inſervientes ſibi Fratres multis afficeret injuriis, pugnis aliquando peteret & calcibus, & contra ipſum Creatorem plurimas effunderet blaſphemias. Rem retulerunt pii viri ſancto Patri, compatienſque tantæ miſeriæ, languido ſe obtulit in obſequium. Quo impatienter dicente: quid tu mihi plus ceteris tuis ſociis poteris præſtare? Deus mei oblitus eſt à tot menſibus, quibus crucior hac diuturnâ, & intolerabili infirmitate; deſperavi, nequaquam ultra jam vivam, neque tu, neque alius quiſpiam tanto meo malo præbere poterit lenimen. Cognovit ſanctus vir hominem malo ſpiritu agitatum, qui per infirmitatem corporis infirmiorem reddidit mentem, ut de Dei miſericordia deſperaret, & tamquam in crudelem, & immiſericordem impias effutiret blaſphemias. Retraxit ergo ſe pauliſper in abditum locum, intensèque pro miſero oratione factâ, rediens ad eundem rogavit, ut patienter ferret Deum ſua delicta caſtigantem, & ne meriti cauſam verteret in peccatum. Quem dulcibus, & placidis verbis emolleſcentem interrogavit ſanctus Pater, quod potius ſibi præſtare vellet obſequium. Reſpondit nihil ſibi gratius fore totius corporis lotione, ita enim, inquit, computrui, & fœteo inter hæc putrida ſtramenta, ut in ſterquilinio mihi videar jacere, neque meipſum valeam ob horridum ſufferre fœtorem. Cui ſtatim vir ſanctus fecit calefieri cum herbis aromatariis aquam, quam deſuper infundente uno ex ſociis, ipſo ſacris ſuis manibus à capite lavante deorſum, ita ulcera lavit exteriùs, ut Deus animam abſtergeret interiùs, & corpus, quocumque perveniebat manus, vegetum redderet, & ſanum. Una lotione corpus ſanabat, & animam curabat cœleſtis medicus, & decurrente per ſcapulas aqua, cœpit per oculos effluere languentis, Dei miſericordiam, & ſancti

Job. 7. 16.

ſancti viri virtutem in ſe recognoſcentis. Integræ mox ſanitati reſtitutus, coram omnibus clamavit plenam deprecans peccatorum remiſſionem, ſuam confitens in Deum ingratitudinem, qui benignè corripientem, & citra multitudinem iniquitatis paternè plectentem quotidiano murmure, & blaſphema offenderit querimonia. Pœnituit eum verè per multos dies tranſacti reatus, quem multo fletu, & varia in ſuum corpus animadverſione plenè meruit dimitti. Poſt aliquot menſes decedens ex hac vita, apparuit S. Franciſco oranti, gratiaſque egit, quod illius meritis, & beneficio poſt leve purgatorium, glorioſus tranſierit ad patriam.

LIV. Dilabente hoc anno vir ſanctus in tertianam incidit febrim, quæ poſt evaſit quartana, quem ut reſcivit morbo laboraſſe D. Guido civitatis Antiſtes, uti erat vir pius, & in Dei ſervum valde propenſus, inſtanter, & importunè cum eo egit, ut in ſua domo decumberet. Jacentem hic conveniebant Fratres in rebus neceſſariis, eòque deferebant juvenes Sodalitio adſcribendos, quorum à ſociis Italiæ regiones luſtrantibus miſſorum aliquando triginta, aliquando quadraginta ſimul habitu donabat. Inter quos acceſſit nobilis ex Luca civitate adoleſcens, plorans, & inſtantiſſimè petens, ut cum cœteris initiaretur. Quem intuitus vir ſanctus dixit: O miſer, quid adeò ploras, & oculis velis indicare, quod tibi cordi non eſt? quam facilè divelleris ab hoc tuo levi propoſito. Nec magna interceſſit mora, quando acceſſerunt ex parentibus duo cum equis, & ſervis ad Epiſcopi palatium juvenem revocaturi, & ſi oporteret, vi reportaturi, quibus abſque plurima renitentia aſſenſus adoleſcens, juxta ſancti viri prædictionem, reverſus eſt in domum paternam, facillimè abigens tepidum illud monachatus deſiderium.

Ægrotat vir ſanctus.

Præcognoſcit adoleſcentis cujuſdam teporé.

LV. In hac infirmitate cum *rigorem abſtinentiæ pro recuperanda ſanitate modicum relaxaret, viribus corporis utcumque reſumptis, verus ſui contemptor, ad propriæ carnis animatus opprobrium: Non eſt, inquit, conveniens ut populus abſtinentem me credat, & ego è contrario carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea ſanctæ humilitatis ſpiritu inflammatus, & in platea civitatis Aſſiſii, populo convocato, ſolemniter cum Fratribus multis, quos ſecum adduxerat, majorem introivit Eccleſiam; funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus ſolis, in oculis omnium ſe trahi præcepit* à Fratre Petro Cataneo ſuo Vicario, ut ex Legenda antiqua notavit Marianus, *uſque ad lapidem, in quo malefactores puniendi conſueverant collocari. Super quem conſcendens, licèt quartanarius eſſet & debilis, acerbi frigoris tempore, cum multo vigore animi prædicavit; audientibuſque cunctis, aſſeruit ſe non tamquam ſpiritualem honorandum fore: quinimo tamquam carnalem & glutonem, ab omnibus contemnendum. Igitur qui convenerant, tam ingenti viſo ſpectaculo admirati ſunt: & quia ipſius aſperitatem jam noverant, devotione compuncti, humilitatem hujuſmodi magis admirabilem, quam imitabilem proclamabant. Licèt autem id magis videatur portentum fuiſſe, inſtar Prophetalis vaticinii, quam exemplum; tamen verè documentum extitit humilitatis perfectæ, quo Chriſti ſectator inſtruitur, tranſitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque jactantiæ comprimere faſtum, & fraudulentæ ſimulationis mendacium confutare.*

Bonav. c. 6.

Rarum humilitatis exemplum.

Marian. §. 1. Legen. antiq. Antoni. tit. 23. c. 2. §. 4.

Iſaiæ 203.

LVI. Multa quidem in hunc modum ſæpius faciebat, ut exteriùs tamquam vas perditum fieret, & ſanctificationis ſpiritum interiùs poſſideret. Ut ſe ceteris deſpicabilem redderet, non parcebat rubori, quin coram omnibus proprios manifeſtaret defectus. Si à peſte ſuperbię, & vanę gloriæ,

Ad ſui dejectionem proprios referebat defectus.

Marian. §. 7. Legen. antiq.

Sap. 4. 11.

gloriæ, aut alio quocumque vitio impetebatur, ſtatim illud coram præſentibus, ſive Fratribus, ſive Sæcularibus propalabat. Unde accidit quod cum per plateas incedentem magna ſequeretur hominum turba; & pauperculæ viduæ ab ſe aliquid petenti palliolum, quo tegebatur, offerret; ſtatim reverſus ad ſequaces coram omnibus confeſſus eſt, qualiter ad bonum, & publicum opus vanè gloriatus eſt. Maximam proinde curam adhibuit nihil admittere in occulto, quod coram omnibus non liceret in publico; neque aliud facere in ſecreto, quàm quod ſublime, & ſanctum de eo concipiebant homines, ne turpis fictio deciperet animam illius. Proinde nobis, inquiunt ſocii, Auctores Legendæ antiquæ, ſemel dixit: *Taliter volo vivere in Eremis, & aliis locis abſconditis, ac ſi viderer ab omnibus: ſi enim magna de me concipiunt homines, nec vivo, quam putant, vitam, turpis eſſem hypocrita.* Volenti ergo Vicario ſuo convaleſcentis de hac infirmitate debilem ſtomachum vulpina pelle, ad habitum aſſuenda, fovere; reſpondit: *Si vis, ut interius fomentum illud admittam, ejuſdem menſuræ aliam pelliculam conſue parti exteriori, ut omnibus conſtet, quæ intus latet, mollities.* Alia hujus generis exempla in proprios annos remitto.

Marian. §. 2. Rodulf. l. 2. fol. 272. Piſan. conf. 12. Morig. in ſanct. Mediol.

Acquirunt Minores inſignem ædem Mediolani.

LVII. Hoc anno Fratres, qui miſſi ſunt ad partes Lombardiæ, Mediolanum appulerunt, & tantam peperunt ſibi ſanctis prædicationibus, & religioſis exemplis opinionem, ut eis Henricus Sattalas Archiepiſcopus Mediolanenſis ædes dederit S. Victoris ad Theatrum, deinde ad S. Mariam Farcorinam, demum communi conſenſu Civitatis eis conceſſus ſit hortus Philippi Dei ſervi, in quo ſanctos Gervaſium, Protaſium, Naborem, Felicem, & alios Chriſti Martyres ſepelivit. Hoc in loco Conventum exædificarunt, cui poſtea Alexander IV. anno MCCLV. annexuit Eccleſiam ſanctorum Martyrum Naboris, & Felicis, illud ſupplicante Sigiſmundo Epiſcopo Novarienſi, & Petro Terdonenſi, cum quibus, ut ita peterent, egerunt frater Bartholomæus Provincialis Miniſter, frater Conradus Cuſtos Mediolanenſis, frater Henricus Vercellenſis Mediolani Guardianus, frater Rugerius Mediolanenſis Lector Conventus, arctiſſima enim erat habitatio Fratrum, ad cujus amplitudinem opus habebant templo prædicto, quo obtento, & veteri diruto, ædes dilatarunt. Poſtea multùm excrevit Cœnobium, auctoritate, & redditibus, eſtque caput Cuſtodiæ Mediolani Patrum Conventualium; quibus Paulus III. applicavit Prioratum domini Galeatii de Cluſſiano, Clerici Mediolanenſis redditus annualis centum, & ſexaginta Ducatorum auri de Camera. Conventus eſt egregius, Religione, & litteris inſignis, in eo floruerunt Frater Leo Archiepiſcopus Mediolanenſis, B. Petrus de Arcagnano Inquiſitor ab Hæreticis proſcriptis crudeliter occiſus: B. Antonius à Roſate à Saracenis ob Chriſtiani nominis confeſſionem interfectus: Fr. Antonius de Ruſconibus Generalis quondam Miniſter: Fr. Franciſcus à Creppa Provincialis Mediolani, qui interfuit Concilio Piſano. Plura Sanctorum corpora, & inſignes Reliquias recognitas, & approbatas per S. Carolum Borromæum, quæ in hac æde aſſervantur, & quarum ſolemniſſima facta eſt translatio anno MDLXXI. die XII. Septembris, qui ſcire voluerit, conſulat Paulum Morigiam in ſuo Sanctuario Mediolanenſi c.4., qui & alia præclara hujus domus refert encomia.

Marian. cit. Legen. antiq.

Nobilis Mediolan. petit admitti in Sodalitium.

LVIII. Pia & ſancta horum Fratrum converſatio movit adoleſcentem quendam nobilem, divitem, & doctum, ut eorum affectaret Sodalitatem. Reſponderunt rem difficilem intentaſſe, incipiendumque à ſui abnega-

negatione, & temporalium abdicatione. Cuncta, quæ præſcribebant, levia judicavit ex vehementia cæleſtis vocationis, & per plures dies inſtitit in habitu petendo, tandemque ad Fratrum conſilium omnes ſuas facultates vendidit, quarum potiorem partem diſtribuit in pauperes, partem alteram reſervavit itineri, quod peragendum dixerunt Fratres verſus Aſſiſium, ubi degebat ſui Inſtituti Rector, penes quem dumtaxat erat poteſtas ad Ordinem recipiendi. Ille familiares quoſdam, & Parentes convocavit, ut comitarentur in via, & magnam duxit ſecum turbam Satellitum. Secutus eſt etiam rogatu Nobilium cognatorum ex fratribus unus, ut proſperum faceret deſiderium ejus, qui poſtquam ad ſanctum Patrem acceſſit, eumque ad oſtiolum Cœnobii deduxit, ut nobiles Viros ſalutaret & exciperet; ſtatim ut vidit tantum faſtum, & pompoſum comitatum, interrogavit: Qui ſunt iſti domini, aut quid volunt? Cui Frater hilari vultu, quaſi magnam, & gratam offerret viro ſancto prædam: Pater, inquit, hic eſt ex Nobiliſſimis Mediolanenſibus, adoleſcens eruditus & dives, qui veſter cupit eſse Diſcipulus. Subridens S. Pater, frater mi, inquit coram omnibus, non videtur mihi bonus pro noſtra ſocietate, ad pauperem enim Religionem nimio cum faſtu, elati animi ſigno, venire mihi indicat, non contempſiſſe perfectè amorem ſæculi, nec ei velle perfectè valedicere: Conſulam hac in re noſtros Conſodales. Convocatis igitur in unum, & re omnibus propoſita, ipſo adoleſcente coram poſito, ſingulos interrogavit, an admitti deberet? Quibus ſigillatim dicentibus: Nequaquam, quia adhuc radicatam, nec perfectè exſtirpatam in eo conſpiciebant vanam gloriam, & pompam mundanam, obſtupuit, totoque palluit ore adoleſcens, & in compunctionis lacrymas erupit. Quem, ut vidit ore mutatum, & corde compunctum, ejus compatiens benignus Pater, denuò interrogavit: vultis eum recipere, Fratres mei, ſi velit humiliter ſervire in culina, & noſter eſſe coquus, quo miniſterio ſæculi abdicabit vanitatem? Reſponderunt, ſibi hac lege placere. Converſus ad juvenem, inquit: Audiſti quid hi dicunt? Complebis hoc pactum? Illo provoluto ad ſancti Viri pedes, aſſerenteque ſe paratum ad omnia, quæ ſibi placuerit imperare: amplexus eſt eum, & deoſculatus, dimiſſiſque Comitibus, & Satellitibus, quibus omnem pecuniam, & ſupellectilem tradi præcepit, miſit novum tironem in Urbem, ut in ſupradicto, quod habebant in Xenodochio, hoſpitio, Fratribus inſerviret in culina. Quod humiliter, & abſque ullo fecit murmure ad magnum ſui, & Fratrum ſolamen, & tantus evaſit Vir inter vilia humilitatis officia, ut eum ceteris in eadem æde poſtea præfecerit Sanctus Pater, & magna deinceps ſplenduerit vitæ ſanctimonia.

Venit magno cũ faſtu Aſſiſium.

Nec proinde placet S. Franciſco.

Tandem humiliatus recipitur.

LIX. Hoc etiam anno, ut notat Legenda antiqua, dedit Vir ſanctus licentiam B. Ægidio viſendi ſanctum Jacobum in Hiſpania, quo toto itinere nunquam fuit expers famis propter paupertatem, quam ferebat cauſâ Dei. Cum aliquando peteret eleemoſynam, nec quidquam uſquam acciperet, in agrum ſe contulit, atque illic repertas fabas aliquot præ multa fame comedit: danſque ſe quieti, poſt adeò ſurrexit robuſtus, ac ſi bene lautis eſſet dapibus abundè refectus.

Legen. antiq.

Vita Ægid. MS. c. 2.

Surius in ejus vita.

Ægidius peregrinatur ad Cõpoſtellam.

LX. Obvium quandoque habuit pauperem quendam; cujus miſeratus nuditatem, abſtraxit capitium de cucullo ſuo, deditque ei: ac deinde viginti diebus ivit ipſe nudo capite. Cum autem tam deformi habitu veniret in Galliæ Ciſalpinæ Caſtellum Sicarolum, quidam eum ad ſe accerſuit. Ille verò magna preſſus inopia, libens acceſſit ad hominem,

Irridetur & malè afficitur.

ſperans ſe aliquid ab eo eleemoſynæ accepturum. At ille nequam, taxillis in manus ejus conjectis, rogabat num ludere vellet, putabat enim luſorem, & improhum hominem eſſe. Ægidius verò eam contumeliam placatè ferens: Deus, inquit, ignoſcat tibi. Ita ille ſæpè per Mundum ambulans, indignis modis illudebatur.

Marian. c. 9. §. 33.
Æmil. l. 7.
Guagin. l. 7.
Palmer. an. 1227.
Naſcitur S. Ludovicus Galliæ Rex.

LXI. Naſcitur hoc ipſo anno Sanctus Ludovicus hujus nominis IX., patre Ludovico VIII. Rege Chriſtianiſſimo, qui in Albigeſio, & Comitatu Toloſano Hæreticos oppugnavit; & matre Blancha piiſſima, & prudentiſſima, Regis Alphonſi Hiſpani filia, quæ relictum filium poſt patris mortem, quartum decimum, ut veriùs habet Matthæus Palmerius, agentem annum Chriſtiana potius pietate, quàm Regio luxu, aut faſtu educavit, taliterque inſtruxit, ut jam inde à pueritia ſanctus, regno ſuo præſtiterit, ut in fide, & pietate perſeverans, felix eſſet atque beatum. Ejus ſingulares virtutes ſuo loco recenſebimus, quo etiam quàm probato jure eum noſtris connumeramus contra quoſdam dubitabundos, & alieni honoris invidos, ſufficienter monſtrabimus.

ARGUMENTUM.

Ægrotat etiam hoc anno Franciſcus; quòd præſens non poteſt, populos per litteras inſtruit: confodales viſitat, & domos acquirit per vallem Spoletanam, tractus Interamnen. Narnien. & Tuſciæ regionem, plura undique operans mirabilia. Apenninam tranſiens prædones ad optimam vitæ rationem perduxit. Comitis Orlandi liberalitate montem accipit Alvernæ, cujus ampla ſubjicitur deſcriptio. Per Lombardiam, Pedemontium, & Galliam trajecit in Hiſpaniam, inde tranſiturus Marrochium martyrii accenſus deſiderio. In Hiſpania Regem Alphonſum IX. allocutus, ejus bona venia ſuis præparat habitacula. Claræ jam hoc anno famâ diffusâ, plures ei adhærent diſcipulæ.

An. 1212. n. 52.

I. ELapsi anni febres, quihus B. Franciſcum in Epiſcopio decubuiſſe diximus, etiam hoc anno moleſtæ & variæ, modò tertianæ, modò quartanæ. Sed pacatus & tranquillus animus didicit Chriſti magiſterio mala hæc patienter tolerare, & odiſſe corpus ſuum in hoc mundo, ut in vitam æternam animam cuſtodiret. Pro lucro ducebat doloribus cruciari, infirmitate gravari, febribus æſtuare, minus mali judicans corpus uri, quam animum. Viris ſanctis hic ardor, quamvis aſper, optabilis eſt, per quem corpus in ſervitutem ſpiritus redigi, & cum infirmantur, ſe fortiores evadere comperiunt. Id etiam illis boni eſt, præſentis vitæ mala ſentire, quod admoneantur perennis ſupplicii, ut infinitas amaritudines declinare ſolerter ſtudeant, qui tam graviter paucis horis amariuſcula tolerant, atque his anguſtiis illas diſcant evadere, quibus nec phyſicus, nec dies criticus, nec herba medebitur. Felix breve febris incendium, quod æterni refrigerii cauſa eſt; felix etiam Sanctorum ſors, quibus quæcumque mala præſentia cooperantur in bonum æternum.

Viri ſancti adverſa quęque tolerant patienter.

II. Illinc autem Franciſco moleſtior hic morbus, quod alta meditantem circa proximorum ſalutem, domi teneret torpentem, & exultantem, ut gigas ad currendam viam, velut injectis compedibus retardaret à præda. Sed aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem in pro-

in proximum , quem adeò ardenter dilexit , & cujus ſaluti nihil præferendum eſſe dicebat . Cogitavit ergo , quod potuit offerre , pereuntibus ſubſidium, & ſalutaria monita per litteras mittere , quæ præſens exhibere non poterat . Breviuſculam proinde , quæ ſequitur , encyclicam epiſtolam ad univerſos dedit Chriſtianos , qua ad duo præcipuè capita legis Evangelicæ , ad perfectum amorem , & purum Dei cultum , ſimplicibus & paucis verbis invitat .

Mittit encyclicam ad univerſos Chriſtianos .

Univerſis Chriſtianis , Religioſis , Clericis , Laicis , maſculis & fœminis omnibus , qui habitant in univerſo mundo .

O *Quam benedicti ſunt , & beati , qui Deum diligunt , & faciunt ſicut Dominus dicit in Evangelio* : Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo , ex tota anima tua , & proximum ſicut te ipſum . *Diligamus ergo Deum , & adoremus eum puro corde & pura mente ; quia ſuper omnia hoc quærens , dixit :* veri adoratores adorabunt Deum Patrem in ſpiritu & veritate : *omnes*, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate adorare oportet : *& benè valete in Domino .*

Matth.22.37. & 39.
Diligendus & vere adorandus Deus .
Joan. 4. 23. & 24.

III. Non priùs elapſæ hæ tabellæ è viri ſancti manibus , quam per omnes tranſmiſſæ , tanta enim aviditate , quidquid illius eſſe dicebatur , omnes appetebant , ut brevi tempore ad omnes tranſiret . Admirabantur omnes hominis in hac epiſtola ſinceritatem , & erga ſe caritatem , cujus verbis multi opere ſubſcripſerunt , & reſcripſerunt , ut in via Dei proficere volentibus ampliores notas tranſmitteret . Neſcio quæ lateat ſecreta in Sanctorum verbis energia , neſcio qui latentis habeant virtutis , ut plana, ſimplicia , nec ad artem, aut orationis numerum compoſita , homines circumducant , & à præcipiti, placidoque curſu reducant . Hinc illa virtus quod *humanâ non ſunt induſtriâ compoſita , ſed divinâ mente ſunt fuſa* , & quia *non ſecundum artem pii viri ſcripſerunt , ſed ſecundum gratiam , quæ ſuper omnem artem eſt* . Illa quæ ſub verbis eſt gratia, movet , & quo vult homines flectit . Illa eſt quæ in Sanctis *dat voci ſuæ vocem virtutis* , & in qua confidenter dicunt , *in Deo faciemus virtutem* , quippe ipſe eis promiſit ſe per illos locuturum. *Non enim* , inquit , *vos eſtis qui loquimini , ſed ſpiritus Patris veſtri , qui loquitur in vobis* . Nam *ſi loquitur in eis Spiritus ſanctus , qui perſequentibus traduntur pro Chriſto , cur non & in eis , qui tradunt diſcentibus Chriſtum* ? Planè loquitur , & verba dat , & *vocem evangelizantibus virtute multa* , ut evellant & diſſipent vitia, ut ædificent , & plantent virtutes . Senſerunt ergo plures horum verborum Franciſci virtutem , & rogaverunt , ut plura adſcriberet ; quibus obſecutus , & impulſus à caritate , quæ ſemper ad majora perurget, largiorem hanc inſtructionem , & veluti præmiſſi compendioli ampliorem commentarium , ad omnes tranſmiſit .

Magna virtus in verbis ſanctorũ virorum .
Auguſt. l. 4. de doctrina Chriſt. cap. 7.
Pſ. 67. 35.
Ambr. epiſt. 10.
Pſ. 59. 14.
Matth. 10. 20.
Aug. cit. c. 15.
Pſ. 67. 12.
Longiorem ſubmittit aliam epiſtolam Franciſcus .

Univerſis Chriſtianis, Religioſis, Clericis, Laicis, tam viris, quam fœminis, omnibus, qui habitant in univerſo mundo, Fr. Franciſcus eorum ſervus & ſubditus obſequium cum reverentia, pacem veram de Cœlo, & ſinceram in Domino caritatem.

CAPUT I.

De cauſa ſcribendi has litteras.

Cum ſim ſervus omnium, omnibus & ſervire teneor, & adminiſtrare odorifera verba Domini mei. Unde in mente conſiderans, quòd cùm perſonaliter propter infirmitatem, & debilitatem mei corporis non poſſim ſingulos viſitare propoſui litteris præſentibus nuntiis verba Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt verbum Patris, vobis offerre, & verba Spiritus ſancti, quæ ſpiritus & vita ſunt.

CAPUT II.

De fide. & imitatione Chriſti Domini.

Luc. 1. *Istud verbum Patris tam dignum, tam ſanctum & glorioſum nuntiavit*
Pater altiſſimus de cœlo per ſanctum Gabrielem Archangelum ſuum,
quod & deſcendit in uterum Virginis glorioſæ Mariæ, ex cujus utero veram
2. Cor. 8. 9. *ſuſcepit carnem humanitatis, fragilitatis noſtræ: qui cùm dives eſſet ſuper*
omnia, voluit ipſe in mundo cum beatiſſima Matre ſua eligere paupertatem.
Propè paſſionem celebravit Paſcha cum Diſcipulis ſuis, & accipiens panem,
Matth. 26. 27. *gratias egit, & benedixit, & fregit, dicens*: Accipite, & comedite, hoc
Luc. 22. 20. eſt corpus meum, & accipiens calicem, dixit: Hic ſanguis meus novi te-
ſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem pecca-
Matth. 26. 39. torum. *Deinde oravit Patrem, dicens*: Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à
Luc. 22. 44. me calix iſte. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis
in terram. *Poſuit tamen voluntatem ſuam in voluntate Patris, dicens*:
Matth. 26. 42. & 39. Pater, fiat voluntas tua, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. *Cujus Pa-*
tris talis fuit voluntas, ut filius ejus benedictus & glorioſus, quem dedit
Iſai. 9. 6. *nobis, & natus fuit pro nobis, ſeipſum per proprium ſanguinem ſuum, ſa-*
Joan. 1. 3. *crificium & hoſtiam in ara Crucis offerret, non pro ſe, per quem facta ſunt*
1. Pet. 2. 21. *omnia, ſed pro peccatis noſtris, relinquens exemplum nobis, ut ſequamur*
veſtigia ejus. Et vult, ut omnes ſalvemur per eum, & recipiamus ipſum puro
1. Tim. 2. 4. *corde, & caſto corpore. Sed pauci ſunt, qui velint recipere eum, licèt ejus*
Matth. 11. 30. *jugum ſuave ſit, & onus leve.*

CAPUT III.

Maledictos eſſe divina mandata prævaricantes, benedictos verò Deum diligentes.

Pſ. 33. 9. *Qui nolunt guſtare, quam ſuavis ſit Dominus, & diligunt tenebras*
Joan. 3. 19. *magis quam lucem, nolentes adimplere mandata Dei, maledicti ſunt;*
Pſ. 118. 21. *de quibus dicitur per Prophetam*: Maledicti qui declinant à man-
Joan. 4. 23. & 24. datis tuis. *Sed è contrario quam benedicti & beati ſunt, qui in ſpiritu &*
ve-

veritate, ut oportet, eum adorant! Dicamus ei laudes & orationes die noctuque, dicendo: Pater noſter, qui es in cœlis, *&c. quia* oportet ſemper orare, & non deficere. *Luc. 18. 1.*

CAPUT IV.

De confitendis peccatis, & Euchariſtia ſumenda.

DEbemus ſiquidem confiteri Sacerdoti omnia peccata noſtra: & recipiamus Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti ob hoc, quod qui non manducat carnem ſuam, & bibit ſuum ſanguinem, non poteſt intrare in regnum Dei. Dignè tamen unuſquiſque manducet & bibat: quia qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. *Joan. 6. 55.* *1. Cor. 11. 29.*

CAPUT V.

De facienda pœnitentia, & proximo amando.

FAciamus inſuper fructus dignos pœnitentiæ, & diligamus proximos, ſicut noſmetipſos: & ſi quis non vult eos amare ſicut ſeipſum, ſaltem non inferat eis mala, ſed faciat bona. *Luc. 3. 8.*

CAPUT VI.

De juſtitia cum miſericordia adminiſtranda, & de eleemoſyna elargienda.

QUi autem poteſtatem judicii receperunt, judicium cum miſericordia ſemper exerceant, ſicut ipſi vellent à Domino miſericordiam obtinere. Judicium, *enim*, ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam. *Habeamus itaque caritatem & humilitatem, & eleemoſynas faciamus, quia ipſæ lavant animas noſtras à ſordibus peccatorum: homines enim omnia perdunt, quæ in hoc mundo relinquunt, ſecum tamen portant caritatis mercedem, & eleemoſynas quas fecerunt, de quibus à Domino conſequentur præmium, & dignam mercedem.* *Jacob. 2. 13.*

CAPUT VII.

De abſtinentia, & honore Eccleſiaſticis impendendo.

DEbemus jejunare, & à vitiis abſtinere, in omni, quod inducere poteſt ad peccatum, nec non & à quacumque ſuperfluitate viſus. Et etiam Catholici Eccleſiam viſitare frequenter, Eccleſiaſticos venerari, & revereri ob eorum officium, & adminiſtrationem ſanctiſſimi Corporis & Sanguinis Chriſti, quod ſacrificant, & recipiunt, & aliis miniſtrant. Et firmiter ſciamus omnes, quod nemo ſalvari poteſt niſi per ſancta verba, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ Clerici dicunt, annunciant, & adminiſtrant, & ipſi ſoli miniſtrare debent.

CA-

CAPUT VIII.

De vero Religioſo, & perfecta obedientia.

SPecialiter autem Religioſi, & qui ſæculo renunciaverunt, tenentur plura & majora facere, & ea dimittere, quibus non eſt opus, & odio habere corpora noſtra cum vitiis & peccatis, quia Dominus dicit in Evangelio, quod omnia mala a corde exeunt: Diligere inimicos noſtros, & benefacere his qui oderunt nos: Obſervare præcepta, & conſilia Redemptoris noſtri: noſmetipſos abnegare, & corpora noſtra ponere ſub jugo ſervitutis & obedientiæ. Et nullus tenetur ad obedientiam in eo, ubi committitur delictum vel peccatum; quia tantum ad id venimus, ut ſalvando animas noſtras, bonorum operum aliis exempla præbeamus.

Matth. 15. 19. Luc. 16. 17.

CAPUT IX.

De benignitate Prælati erga ſubditos.

CUi autem obedientia impendenda eſt, & commiſſa, & qui pro majore habetur, videat ut minor fiat, & aliorum fratrum ſervus, & in ſingulos ſubditos miſericordiam operetur, quantam ſibi vellet, cum eſſet ſubditus. Nec ex delicto fratris iraſcatur in fratrem, ſed omni patientia & humilitate ipſum benignè, corrigat, moneat, & ſupportet.

CAPUT X.

De humilitate, & miſeria corporis, & felicitate ſpiritus.

NOn ſimus ſecundum carnem ſapientes, atque prudentes, ſed ſimplices, humiles, & puri. Et habeamus corpora noſtra in opprobrium & deſpectum, quia omnes per culpam noſtram ſumus miſeri, & putridi, ſicut Dominus dicit per Prophetam: Ego autem ſum vermis, & non homo, &c. *Nunquam debemus deſiderare eſſe ſuper alios, ſed potius ſubditi & ſubjecti omni humanæ creaturæ propter Deum. Et omnes illi, qui fecerint, & perſeveraverint uſque in finem, requieſcet ſuper eos ſpiritus Domini, & faciet in eis habitaculum, & manſionem, & erunt filii Patris cæleſtis, cujus opera faciunt, & ſunt ſponſæ, fratres & matres Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sponſæ ſumus, quoniam Spiritui ſancto conjunguntur fideles animæ. Fratres ſumus Jeſu Chriſti, quando facimus voluntatem Patris, qui in cælis eſt. Matres, quando portamus eum in corde & corpore noſtro per amorem & ſinceram conſcientiam, & parturimus eum per ſanctam operationem, quæ lucere debet aliis in exemplo. O quam glorioſum & magnum habere in cælis Patrem! O quam ſanctum, Paraclitum pulchrum, & amabilem habere ſponſum! O quam ſanctum, & quantum delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce & amabile, & ſuper omnia deſiderabile, habere talem fratrem, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, & oravit pro nobis Patrem, dicens*: Pater, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; Pater, omnes quos dediſti mihi de mundo, tui erant, & eos mihi dediſti; & verba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognoverunt verè, quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti. Ro-

Pſ. 21. 7. 1. Pet. 2. 13. Matth. 12. 50. Joan. 10. 15. Joan. 17. 11. Ibid. 6. Ibid. 8. Ibid. 9.

Rogo pro eis, ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate, *Ibid. 19.*
& ſint unum, ſicut & nos ſumus. Et volo Pater, ut ubi ego ſum, *ibi ſit* *Ibid. 24.*
Miniſter meus, ut videat claritatem *in regno meo*.

CAPUT XI.

De Chriſto Salvatore laudando.

Ei autem, qui tanta ſuſtinuit pro nobis, tot unà contulit, & conferet in futurum; omnis creatura, quæ eſt in cælis, terra, mari, & in abyſſis, reddat laudes Deo, gloriam, & honorem, & benedictionem: quia ipſe virtus eſt, & fortitudo noſtra, qui eſt ſolus bonus, ſolus altiſſimus, ſolus omnipotens, admirabilis & glorioſus, & ſolus ſanctus, laudabilis & benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPUT XII.

De cæcutione & deceptione peccatoris.

Omnes illi, qui non ſunt in pœnitentia, & non recipiunt Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed operantur vitia & peccata, qui ambulant poſt concupiſcentiam ſuam, & mala deſideria, & non obſervant quæ promiſerunt, & ſerviunt corporaliter mundo & corporibus, deſideriis, curis, & ſolicitudinibus hujus ſæculi & hujus vitæ, decepti ſunt à Diabolo, cujus filii ſunt, & cujus opera faciunt. Cæci ſunt, quia verum lumen non vident, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Sapientiam non habent ſpiritus, quia Filium Dei in ſe non habent, qui eſt vera ſapientia Patris. De quibus dicitur: Sapientia eorum devorata eſt. *Vident, agnoſcunt, & ſciunt, & faciunt mala; & ſcienter perdunt animas ſuas. Videte cæci, decepti ab inimicis veſtris, ſcilicet à carne, mundo, & Dæmone, quia corpori delectabile peccatum, & amarum Deo ſervire, quia cuncta mala à corpore hominum exeunt, & procedunt, ſicut dicit Dominus in Evangelio: Putatis diu poſſidere vana hujus ſæculi, ſed decepti eſtis, quia venient dies & hora, de quibus non cogitatis, & neſcitis & ignoratis.* *Pſ. 106. 27.* *Matth. 24. 44. & 50.*

CAPUT XIII.

De infelici morte peccatorum.

Infirmatur corpus, mors appropinquat, veniunt propinqui, & amici dicentes: Diſpone domui tuæ, *&c. Et uxor ejus, & filii ejus, propinqui, & amici ſe fingunt flere; & reſpiciens videt eos flentes, & movetur malo motu, & cogitando intra ſe, dicit: Ecce animam meam, & corpus meum, & omnia mea pono in manibus veſtris. Vere iſte homo eſt maledictus, qui confidit, & exponit animam ſuam, & corpus, & omnia ſua in talibus manibus. Unde dicit Dominus per Prophetam:* Maledictus homo, *Jerem. 17. 5.*
qui *ſpem ſuam ponit* in homine. *Et ſtatim faciunt vocare ſacerdotem, qui dicit ei: vis recipere pœnitentiam de omnibus peccatis tuis? Reſpondet: volo. Vis ſatisfacere de commiſſis, & his quæ fraudaſti & decepiſti, de tua ſubſtantia? Reſpondet: Non. Cui Sacerdos: Quare non? Reſpondet: Quia cuncta diſpoſui in manibus propinquorum. Et tunc incipit perdere loque-*

quelom, & ſic moritur ille miſerrimus. Sed ſciant omnes, quod ubicumque, & qualitercumque homo moriatur in criminali peccato, & ſine ſatisfactione, & potuit ſatisfacere, & non fecit, quod talem Dæmon recipit, & rapit animam ſuam de corpore ſuo, cum tanta anguſtia & tribulatione, quantam nemo ſcire poteſt, niſi qui patitur illam tribulationem. Et omnia talenta, poteſtas, & ſcientia, quam putabat habere, auferuntur ab eo: & propinqui & amici, quibus bona tradidit, tollent ea, & divident, & poſtea dicent: Maledicta ſit anima ejus, quia plura potuit dare nobis, & non dedit, & potuit plus acquirere, quam quæſivit, & ſimilia. Corpus comedent vermes, animam corrodent Dæmones; & ſic perdet animam & corpus propter hoc breve ſæculum.

Peroratio.

Joan. 4. 16.

Ego Frater Franciſcus minor ſervus veſter, rogo & obſecro in caritate, quæ Deus eſt, *& cum voluntate oſculandi pedes veſtros, quod hæc verba & alia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum humilitate & caritate velitis recipere, operari, & obſervare. Et omnes illi, qui ea benignè recipiunt & intelligunt, ea mittant aliis in exemplum. Si in eis perſeveraverint uſque in finem, benedicat eos Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.*

Marian. cap. 10. §. 9.
Bonav. c. 9.

IV. His & ſimilibus obſequiis in proximum, & quotidiana domeſticorum inſtructione, dum licebat per vires & morbum, præſtolabatur non inaniter, nec abſque fructu valetudinem. Perfectam deinceps nunquam obtinuit, exhauſtis etenim corporis viribus inaudita pœnitentia, quoad vixit, elanguit: ſed tenuior, & minus moleſta ineunte vere, ut ſolet, facta eſt quartana. Statim ut egredi licuit, quia martyrii fructus adeò cor ejus allexerat, ut pretioſam pro Chriſto mortem ſuper omnia virtutum merita peroptaret, verſus Marrochium, Fratrum curâ Fr. Petro Cataneo commiſsâ, iter arripuit, ut Miramolino, & genti ejus Chriſti Evangelium prædicaret, ſi quo modo ad concupitam palmam valeret attingere. Tanto namque ejus deſiderio ferebatur, ut quamvis eſſet imbecillis corpore, peregrinationis ſuæ percurreret comitem, Fratrem videlicet Bernardum, alioſque, quos ſibi adſcivit in via, & ad exequendum propoſitum feſtinus, & tamquam ſpiritu ebrius advolaret.

Ardenter præcurrit ſocios ad martyrium.

Marian. cap. 7. §. 37.

V. Voluit tamen filios ſuos viſitare per vallem Spoletanam, & in comitatibus, provinciiſque vicinis, tranſeundo benefacere, atque ædiculas quaſdam multiplicatis Fratribus acquirere. Decimo ad dextram lapide diſtat ab Aſſiſio Fulgineum, vulgo *Foligno*, civitas Franciſco ſemper grata, ubi adhuc ſui Inſtituti non erat habitaculum, quod tamen nunc obtinuit, illudque ſolum ibi memorabile perpetravit, quod hoſpitis & neceſſarii ſui domum, ipſo inſtante, benedixit, muniitque ſigno crucis, tantæ poſtea virtutis, ut flagrantibus contiguis ædibus domus hæc ter aut quater intacta remaneret, avolante aliò flamma, tamquam ſi non auderet accedere, ab aliiſque infortuniis ſæpius liberaretur, non abſque omnium admiratione. Dedit tunc huic Inſtituto nomen Hermannus Fulginas, magnæ & ſanctæ apud ſuos opinionis, apud quos jacet in Eccleſia Patrum Conventualium. Floruerunt etiam in eodem Conventu, qui ad Provinciam ſancti Franciſci Tuderti, & Cuſtodiam vallis Spoletanæ ſpectat, Frater quidam Martinus ſignis, & miraculis clarus: & B. Paulucius Trincius, primus reſtaurator obſervantiæ regularis in Italia; necnon tempore Joannis XXII. Magiſter Simon Philippi pra-

Fulginei domum acquirit.

Hoſpitis domui benedixit non ſine fructu.

Piſan. conf. 11.
Rodulph. lib. 2. fol. 254.

Viri præclari apud Fulgin.

pravitatis hæreticæ Inquiſitor: & Frater Franciſcus Spoletinus, qui in Damiata, opulentiſſima Ægypti urbe, prædicans ſectam Mahometis purum eſſe figmentum, martyrio coronatus eſt.

VI. A Fulgineo læva ex parte ad Apennini latus deflexit ad Trevii oppidum, olim Mutuſcæ Virgilio 7. Æneid. *Oliviferæque Mutuſcæ*; deinde Trebia, & Trebula, vel duplici nomine Trebulæ Mutuſcæ dictum, ut in auctorio publicavit Lipſius: ubi dum in foro, innumero prædicaret populo, pullus aſini laſciviens, huc illucque diſcurrens, ruditu frequenti vocem intercipiebat concionantis, quem dum apprehendere non potuit populus jam tumultuans, placido vultu, inquit ad ſtupidum animal Prædicator: frater aſine, orem te ut ſileas, nec interturbes verbum Dei, quod ſitienti huic populo propono. Quæ verba veluti rationabiliter caperet jumentum, ſtatim cunctis admirantibus obediit, & propiùs accedens, utroque poplite flexo, ſe etiam exhibuit auditorem immobilem, donec ſanctus vir totum compleret ſermonem. Poſtea ibidem exædificatus eſt Conventus, qui ad eoſdem Patres ſub eadem Cuſtodia hucuſque pertinuit. *Legen. antiq.* Laſcivientem verbo cohibet aſini pullum.

VII. Hinc abiit Spoletum, ubi jam ſui tuguriolum acceperunt, & bene audiebant in populo, licèt non defuerit, ut ſolet nihil tam probatum eſſe quod ab omnibus probetur, qui humilius & indignius de illis ſentiret, neque proinde vellet ullam eis ex abundanti ſua facultate eleemoſynam largiri. Quod cum Fr. Andreas è Senis, qui ſtipem colligebat, viro Dei narraret, juſsit, ut quacumque honeſta arte, vel unum ei extorquerent fratres panem, & ad ſe deferrent. Ita factum; & avari panem accipiens in menſa Franciſcus, benedixit, diviſitque inter ſingulos Fratres, jubens ut antequam ſuum unuſquiſque fruſtum comederet, pro largitore precaretur, ter repetitâ oratione Dominicâ, & ſalutatione Angelicâ. Exaudivit piorum orationes Dominus, hominemque adeò emollivit & flexit, ut antequam è prandio ſurgerent Fratres, jam præ foribus pulſaret, ſuæ duritiei, & iniqui judicii veniam petiturus. Quem omni benignitate admiſſum, & à ſancto viro de ſuo Inſtituto inſtructum, præcipuum habuerunt deinceps Fratres benefactorem. *Ibidem.* *Marian. §. 15.* Avarum emollit Spoletanum.

VIII. A Spoleto verſus Africum P. M. XVI. diſtat Interamna, antiquis Interamnium, vulgo *Terni*; priſcum illud nomen ſortita quod inter amnes, altiſſimam ſcilicet ex Nare foſſam, ipſumque Narem ſita ſit. Ut appulit, loci viſitavit Epiſcopum, quem poſtridie habuit auditorem in platea, magnâ circumſtante populi multitudine. Adeò verò obſtupuit diſcretus & pius Pontifex ad prædicantis doctrinam & fervorem, ut, terminato ſermone, ſuggeſtum aſcenderit, & ad populum ſubjunxerit: Magna eſt & continua, fratres cariſſimi, Dei Optimi Maximi erga ſanctam Eccleſiam ſuam providentia, & ſolicitudo; nam ex primo, quo eam plantavit, tempore, nunquam eam deſtitit illuſtrare & illuminare magnorum hominum meritis & doctrinis. Nunc autem in noviſſima hac hora miſit pauperculum, deſpectum, & illitteratum hominem hunc Franciſcum, qui eam verbo excoleret & exemplo, cujus quò minor eſt litteratura, eò evidentior eſt virtus divina, quæ ſtulta mundi eligit, ut confundat ſapientes. Propter nimiam hanc ſuam caritatem & curam erga nos, debemus ei gloriam & honorem, nec enim taliter fecit omni nationi. Quibus dictis ad ſacram ædem oraturus ſe recepit, quem inſecutus Franciſcus ad pedes ejus genuflexus, & manum oſculatus, ait: In veritate dico tibi, Domine, quod nullus unquam tantum mihi exhibuit *Marian. cit.* Prædicat audiéte Epiſcopo Interamnæ. Laudatur ab Epiſcopo.

buit honorem, quantum à te hodie accepi. Alii enim mihi neſcio quam ſanctitatem, & virtutes indignè tribuunt, Creatori, à quo omne datum optimum deſurſum eſt, quod ſuum eſt, detrahentes: ſed tu diſcretè ſeparaſti pretioſum à vili, dignum ab indigno, ſanctum a peccatore, Deo, & non mihi homunculo, gloriam attribuens. Regi ſæculorum immortali, & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum eſt ab hominibus impendenda. Magis adhuc admiratus eſt Epiſcopus ad hæc verba ſancti viri, diſcretam & humilem hanc audiens gratiarum actionem, ruenſque in ejus amplexus, quam urbanè dimiſit.

IX. Pranſus eſt in eadem Civitate apud Eccleſiæ Sancti Chriſtophori Præfectum cum aliis quamplurimis convivis; apud quos dum hoſpes quereretur in cellario ſuo quædam vini dolia acida facta, & ut moris eſt, juſſiſſet afferri vaſculum, ut probaretur à recumbentibus, accepto cyatho aceti, & cruce ſignato, vir ſanctus è latere ſedenti tradidit Presbytero, nomine Joanni, Eccleſiæ ſancti Caſſiani Sacellano; qui, dum acetum ſe guſtaturum putaret, ut ceteri, vinum invenit mox optimum, totumque ſubridens ebibit poculum. Quod dum illi admirarentur, interrogarentque, quid tam lætè potaverit? Reſpondit, nunquam meliorem ſe potum hauſiſſe; per quod agnoverunt Dei in ſuo ſervo virtutem.

Acetum in optimum vinum convertit.

X. Dum ibidem degeret, puerulus quidam Joannes ex repentino muri caſu periit, diſcerptoque & lacero corpuſculo effoſſus ex rudere delatus ad matrem, coram omnibus & circum lacrymantibus cognatis parabatur ad funus. Motus ſanctus Franciſcus pietate erga parentes in ſuum Inſtitutum benevolos, acceſſit per pſeudothyrum, ſeu poſticum ſecretò, & clanculùm ducto ad eum puero collacrymatus eſt. Facta oratione tetendit ſe ſuper mortuum, ſtatimque vocavit ex nomine, qui confeſtim reſpondit, & ſurrexit integræ ſanitati & vitæ reſtitutus. Dum autem eum redderet cognatis, monuit ut in Dei timore crearetur, nec ſibi ſperandam eſſe, licèt nuberet, filiorum ſucceſſionem. Quod vaticinium res ipſa probavit.

Mortuum reſuſcitat puerum.

XI. Narrat Bernardus à Beſſa alium in hoc itinere mortuum ab eodem reſuſcitatum. Dum enim poſt ejus diſceſſum à prædicta Civitate ambularet verſus Comitatum Narnienſem, & ad cujuſdam pii viri ædes accederet, ut reciperetur hoſpitio, invenit univerſam mœſtam familiam, & herum plorantem ob demerſum in vicino flumine fratrem, cujus augebat dolorem, quod nec cadaver inveniri poterat, ut ſepeliretur. Re audita, ut erat compaſſivus vir Dei, ſeceſſit in abditum quendam locum, ubi pauliſper oravit. Hinc regrediens ad dolentem virum, juſſit mitti ſervos ad determinatum ſinum fluvii, prædicens in profundo alveo teneri, vel hærere ex veſte defunctum. Quem, ut extraxerunt & retulerunt domum, coram omnibus vir ſanctus hominem vocavit ad vitam: quo egregio miraculo domum illam à duplici abſolvit mœrore.

Bern. à Beſſa. *Submerſum revocat ad vitam.*

XII. Paulò poſt in Comitatu Narnienſi apud caſtrum ſancti Urbani eremiticum quendam, & derelictum in aſperrimo monte accepit locum, in quo, dum moleſta illa cruciaretur febre, ſuperveniretque intenſus ſtomachi dolor, naturæ defectum ſentiens, vini vaſculum poſtulavit. Cui cum nihil vini, quod ſibi dari poſſet, reſponderetur adeſſe, juſſit aquam adferri, & allatam ſigno crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura, & quod deſerti loci paupertas non potuit, viri ſancti puritas impetravit. Ad ejus guſtum tanta protinus facilitate convaluit, ut ſaporis novitas, & innovatio ſanitatis, guſtabi-

Bonav. c. 5. Marian. cap. 7. §. 33. *Aquam vertit in vinum.*

le

le, ac guſtantem ſupernaturaliter innovantes, perfectam in ipſo expoliationem veteris hominis, & induitionem uovi duplici atteſtatione firmarent.

XIII. In ſpecu hujus eremi oranti, & familiam ſuam Deo commendanti apparuit Angelus, qui exauditum in cœlis dixit, Inſtitutum laudavit, & quæ ſequuntur, adjecit: Fr. Franciſce, felix tu, & felices filii tui, qui Apoſtolicam renovatis & præfertis normam, quam qui fideliter & uſque in finem obſervaverit, ad cœlum rectâ tranſibit, & lucidas cum Chriſti diſcipulis manſiones accipiet. In peregrinationis hujus exilio ſpecialem hujus Inſtituti protectorem & defenſorem aget Deus ipſe contra Dæmonum inſidias. Tibi tuiſque addictis dabit de rore cœli, & de pinguedine terræ, proteget eos ab adverſis, gratiâ ditabit, illiſque in vitæ termino, modò juſtitias ejus non prophanaverint, & mandata cuſtodierint, erit propitius. Ex adverſo perſequentibus, impugnantibus, vel odio habentibus ipſos non deerit flagellum, neque recedet à domo eorum tribulatio, & niſi reſipuerint, in æternum peribunt.

Dei benignitatem erga inſtitutum Angelus revelat.

XIV. In eodem etiam Cœnobiolo accidiſſe aſſerit Gonzaga miraculum illud citharæ ab Angelo pulſæ, ex quo Bonaventura citatus probat, quod non ſolùm creatura ſervo Dei ſerviebat ad nutum; ſed & creatoris ubique providentia condeſcendebat ad placitum. At non hic, ſed in civitate Reatina in domo Thedaldi Saraceni id contigiſſe ex Mariano, & Legenda antiqua referemus ad annum MCCXXV. niſi fortaſſis & eundem favorem cœlitus hìc etiam aliàs acceperit.

Gonza. in Prov. S. Franc. conv. 48.
Bonav. cit.

XV. Locus hic humilitate & paupertate inter Patres regularis Obſervantiæ Provinciæ S. Franciſci inſignis eſt. Eccleſiam & aliqua cubicula, quæ adhuc inviſere licet, pro modulo ſuæ paupertatis curavit conſtrui S. Franciſcus, quæ abſque ullis ferreis clavis, ſed ex ipſo ligno compactis, perfecerunt Socii, quos operi præfecit. Voluit ſub Vicario Generali Hieronymo Torniello Guardianus quidam, neſcio quid politioris operæ in chori ſedilibus ponere, pro quo, ut moris eſt, in ſuffigendis tabulis clavos adhibuit ferreos, quorum nullus, ut diximus, in univerſa antea conſpiciebatur ædicula. Sed non fecit impunè, nam eum amovit ab officio prædictus Vicarius illac tranſiens, quia non reveritus eſt tanto paupertatis exemplo detrahere, & opus Sanctorum ſacrâ, & religioſâ tot annorum obſervatione commendatum curioſâ novitate mutare.

Marian. cit.
Mira ædiculæ humilitas.

XVI. Inhabitarunt ædem hanc ob ſui ſolitudinem beati Patres Antonius de Padua, atque Bernardinus de Senis, biniſque pauperculis Oratoriis exornarunt: quorum utrumque una cum ſpecu, in quo B. Pater Franciſcus contemplationi vacare aſſueverat uſque in præſentem diem perſeverat. Quidquid verò ædificii à prædictis hìc eſt, B. P. Bernardino de Senis debetur, qui Conventulum, uti nunc eſt ſub titulo S. P. Franciſci conſtrui curavit, inſtituitque, ut inſtruendis novitiis deſerviret, quod & mordicùs obſervatur. Habitavit etiam diù hoc in loco B. P. Petrus Arietenſis, diemque anno Domini MCCCCLXIV. clauſit extremum, cujus corpus integrum omninò atque incorruptum adhuc perſeverat. Nec mirum, cum in perpetuis vigiliis, jejuniis, orationibus, atque contemplationibus, uſque ad ultimum habitum, vitam egerit.

Gonza. cit.

XVII. Tranſiens per caſtrum Corbii ad civitatem Narnienſem, novum ſibi comparavit diſcipulum Bernardum nomine, qui poſtea meruit apud Marrochium palmam obtinere martyrii, ut ſuo loco dicemus. In ipſa

Initiatur Fr. Bernardus.
Leg. Greg. IX. Anno 1220. n. 18.

Procop. lib. 1. de bello Gothico. ipſa Narnia, olim Nequinum dicta, quod ſecundum Procopium CCCLI. ſtadiis ab urbe Roma abeſt, non longè à monte Scipionis in aſpero & *Narniæ plura patrat miracula.* ſaxoſo colle ſita, ſanavit ad inſtantiam Epiſcopi ſigno crucis, à capite uſque ad pedes protracto, Petrum quendam ex omnibus corporis mem- *Bonav. c. 12.* bris ſola lingua per quinque menſium ſpatium utentem. Eodem ſigno viſum reſtituit mulieri utroque oculo læſæ, & juvenem à deformi ſtruma liberavit. In civitate deinde Orienſi puerum ita conglomeratum, ut caput pedibus portaret applicitum, & haberet oſſa nonnulla confracta, ſigno crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodem ſuſcepto, ſubitò extenſus exiliit perfectè liberatus. Per Ameliam, Ciceroni Ameria, decimo ab Alviano lapide inter Tiberim & Narim, civitatem antiquam, venit ad ſancti Gemini honeſtum oppidum, inter quod & Porcariam oppidulum, in quodam amœno nemore in monte alto, obtinuit ab Abbate *In nemore ędem extruxit.* Portæ regalis locum cum ſilva contigua. Extruxit ibi Eccleſiunculam in honorem B. Mariæ Virginis per omnia ſimilem Eccleſiæ S. Mariæ de Angelis. In antipendio Altaris fecit pingi varias creaturas, angelos, pueros, aves, arbores & ſimilia; quibus ipſe ſubſcripſit varios hos & ſolutos verſiculos creaturas omnes ad Creatoris laudem invitans.

Timete Dominum, & date illi honorem.
Dignus Dominus accipere laudem & honorem.
Omnes qui timetis Deum, laudate eum.
Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.
Laudate eum cælum, & terra univerſa.
Laudate omnia flumina Dominum.
Laudate Dominum, quoniam bonus eſt.
Omnes qui legitis hæc, benedicite Dominum.
Omnes creaturæ laudate Dominum.
Omnes volucres cæli laudate Dominum.
Omnes pueri laudate Dominum.
Juvenes & virgines laudate Dominum.
Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere laudem & honorem.
Benedicta ſit ſancta Trinitas, atque indiviſa unitas.
Sancte Michael Archangele defende nos in prælio.

Antipendium hoc pro viri ſancti reverentia diligenter ad ſuum uſque *Marian. cap. 7. §. 29.* tempus ſervatum, teſtatur Marianus, in devoto ſacello illius eremitorii, quod viri Dei, dum vixit, erat cubiculum. In eodem monte adhuc viſitur, inter ſciſſuras petrarum, quædam crypta, in qua ſe abdebat ſervus *Bonav. in Legen. Minori.* Dei, dum contemplabatur & orabat. Moris enim erat ei, ut refert Bonaventura, ſemper quærere loca ſolitaria, amica mœroribus, & maximè inter crepidines abruptorum montium, quia petrarum ſciſſuræ ad memoriam ei revocabant Chriſti paſſionem. Conventulum hunc, quem locum Eremitæ vocant, ſtatuunt Piſanus, & Rodulphus ſub Cuſtodia Tudertina, in quo, ajunt, ſemper vixiſſe Fratres ad litteram Regulam obſervantes.

Ad S. Gemini ædem extruit. XVIII. Rediit iterum ad S. Gemini prædicaturus Evangelium Dei, quod ita ſtrenuè peregit, ut quàm libenter ſibi ſuiſque locum inhabitan- *Hoſpitam à Dæmonio liberavit.* dum conceſſerint oppidani. Ibi dum moraretur quibuſdam diebus ſui hoſpitis uxorem à Dæmonio, quo per longum tempus moleſtè vexabatur, orantibus ipſo, & tribus, quos ſecum ducebat, Sociis, mirabiliter liberavit. Locus poſt ſervi Dei mortem ſub ejus invocatione in meliorem formam conſtructus fuit à quibuſdam, ut ferunt, Dominis de Capitonibus, illius

illius oppidi incolis, quorum inſignia affixa ſunt pluribus in locis Eccleſiæ. Meminerunt hujus loci Piſanus, & Rodulphus ſub Cuſtodia Narnienſi.

XIX. Diſcurrens inde per obvia oppida & caſtra venit in Tuſciam, & deinde ad Meridionaliora Florentiæ ad ripam Elſæ fluvii, & ad ejus originem, ad Caſulum, Staggia, & Podium Bonitium, aliis Poggibontium lautum, ac nobile oppidum, ad collis pedem ſitum; in cujus ſpecula fortiſſimus extructus à Florentinis murus ad ſubjectæ vallis tutelam, Poggium imperiale vocatur. Spectaſſe olim oppidum hoc ad Senenſes tradit Volaterranus. Dum ſemel & iterum hìc prædicaret, experireturque populum in ſe benevolum, petiit ſuis conſtrui receptaculum. Quod perhumaniter & benignè illi conceſſerunt juxta Eccleſiam S. Mariæ de vico Camalduli, quam etiam circa annum MCCXX. in fratrum uſum donarunt. *Locum ædificat ad Podium Bonitium.* In hujus oppidi tabulario ſuo tempore repertum, ait Marianus, inſtrumentum publicum conceſſionis præfatæ Eccleſiæ, inter alia verò ſe hæc verba obſervaſſe: *Concedimus nos*, &c. *cuidam Fratri Franciſco de Aſſiſio, qui vocatur ſanctus ab omnibus*, &c. *Gonza. in Prov. Tuſciæ Conv. 6.* Adhuc ſcripturam hanc cuſtodiri, ait Gonzaga, ab oppidanis. Oppidum olim in alto erat monte, ubi modo eſt Monaſterium Fratrum, ſed expugnatum poſtea à Florentinis, cum eſſet partium Gibellinarum, deletum, vel translatum eſt ad imam vallem, & remanſit Cœnobium in ſolitudine, in quo conditus eſt B. Lucheſius, *Rodulph. lib. 2. fol. 261.* dictus de ſancto Caſſano, qui fuit fervidus ſectator factionis Guelphorum, dimiſsâque patriâ ad villam * Gorgiani juxta Podium Bonitii ſe recepit, ubi bonorum operum ſtudioſus aliquot poſt annis habitum ſanctæ converſionis Pœnitentium à B. Franciſco humiliter recepit, in quo ſanctè vixit, multoſque ſecum traxit, ut ampliùs alibi dicemus.

* Gagiani.

Anno 1221. n. 14.

XX. Succedentibus verò annis, cum plurimæ eleemoſynæ ad B. Lucheſii, de tertio ejuſdem B. Patris Franciſci Ordine, ſepulcrum ibidem erectum, à fidelibus offerrentur, coruſcabat enim maximis miraculis, pulchra ſatis Eccleſia, demolito antiquiori ſacello, in honorem ſanctorum Franciſci, & Lucheſii ex eis conſtructa, atque ipſum Monaſterium ampliatum, reſarcitumque eſt. Locus hic ad Patres noſtri Ordinis Conventuales pertinuit, à quibus ex Apoſtolica auctoritate, inſtantibus oppidanis ad Obſervantes, tunc temporis maximè florentes, ſub B. P. Bernardino de Senis, ſequenti de cauſa translatus eſt. Præerat fortè eo temporis loco quidam Guardianus, plus æquo avaritiæ deditus, qui centum aureos in peculiares ſuos uſus convertendos, ſub quodam proprii cubiculi latere abdiderat: cumque caſu die quadam horâ pomeridianâ oppidum peteret, tres Equites, juxta facies aſſumptas, ſibi notos in itinere offendit, illoſque comiter ad cœnam & hoſpitium invitavit; quibus annuentibus, domum repetiit, omniaque neceſſaria ad eos humaniſſimè excipiendos quàm diligentiſſimè præparavit. Illis tamen plus juſto immorantibus, cum quibuſdam ſibi amicis fratribus diſcubuit, opipareque cœnatus eſt. Altera verò die, cum neque nocturnis, neque diurnis, neque etiam prandio adfuiſſet, Fratres, refracto oſtio, ut, quid in cauſa eſſet, reſcirent, ejus cubiculum ingreſſi ſunt, miſerumque hominem extra grabatum, nudum, ex percuſſionibus & verberibus lividum, humi jacentem, atque laterem, pecuniæ cuſtodem, ore tangentem invenerunt. Quibus miſerum hujuſmodi ſpectaculum maximè admirantibus, alter eorum, qui ſibi ſocius heſterna die fuerat, quid illi cum tribus Equitibus in via accidiſſet, referre cœpit; alius verò non abs re eſſe, quod ſic pronus ore

Rarum proprietatis ſupplicium.

ore interim lateri impreſſo jaceret, ſubjecir: quamobrem ſuſpicioni cedentes, laterem amovere, terramque effodere cœperunt, dumque minus cogitarent, latitans pecunia apparnit. Quod in cauſa fuit, ut & tres præfatos Equites Dæmones fuiſſe, qui miſerum hominem in commiſſæ culpæ pœnam noctu ſuffocaſſent, ipſi certiſſimè ſuſpicarentur; & re, minus tamen cautè, divulgata, ad oppidanorum inſtantiam, locus, ut præfati ſumus, ad Fratres Obſervantes devolutus eſt.

Eccleſia hujus loci multis ornatur reliquiis.

XXI. Exornatur hujus Monaſterii Eccleſia, quibuſdam Sanctorum corporibus, Beati ſcilicet, ut diximus, Lucheſii, qui plurimis claruit miraculis: cujus caput, cum in Sacriſtia à Fratribus honorificè ſervaretur, ad Gregorii X. Pont. Max. fortuitò inde tranſeuntis, præceptum, in ignem projectum eſt, quo tamen ſe ipſo inde exiliente, conceſſit Pontifex, ut ipſum Fratres proceſſionaliter geſtare poſſent. A quo tempore ſingulis annis, eo die Dominico, qui Paſſioni Salvatoris dicatus eſt, convenientibus Populo & Clero, cum maxima veneratione à Conventu ad oppidum uſque defertur, indeque ad proprium locum reducitur. Et venerabilis Patris Fr. Bartholomæi de Colle, qui à B. Patre Joanne Capiſtrano Peruſii in publica platea cum aliis pluribus ſcholaribus, atque Doctoribus Seraphicæ Religionis Franciſcanæ habitu indutus fuit, & in ſacro Monaſterio Montis Sion Guardianum aliquando egit, ac tandem anno Domini MCCCCLXXVIII. hoc in loco bonis operibus plenus migravit ad Dominum. Et profundiſſimæ humilitatis atque contemplationis viri fratris Marchionis à Cortonio laici, qui aliquando tædio mendicationis affectus, quod propter eam à contemplandis divinis myſteriis avocaretur, ad Carthuſianos tranſire decreverat; ſed correptus à Domino, atque præmonitus quòd obedientiam mallet quàm ſacrificium, adeò ſe mendicationi dedidit, ut nihil ſibi dulcius ipsâ ab eo tempore accidere potuerit. Et incredibilis ſanctitatis Patris Franciſci à ſancto Stephano, cui, cum B. Patri Bernardino de Feltro, Montis pietatis in civitate Lucenſe erectionem meditanti, aliquot ejus cives tergiverſarentur, ac Beatus ipſe Pater fere de aſſequendo negotio deſperaret, Chriſtus Dominus præfati Montis inſtitutionem abſque dubio futuram revelavit, præcepitque, ut prædictum B. P. Bernardinum de Feltro hac de re certiorem redderet.

Marian. cit. Rodulph. cit.

Senis ædificat Franciſcus oratorium.

XXII. Senas dehinc petiit nobiliſſimam à Florentia, Hetruriæ urbem, pluribus & ambitioſis oppidis dominantem, ſuburbicario agro divitem, viris inſignibus famoſam. Occupavit hic Oratorium ſibi ædificatum à quodam Domino Bonaventura in loco, quod Ravaccianum dicebatur, non longè ab eo, quem nunc Fratres inhabitant, de quo alias nobis erit ſermo ſub anno MCCXXVI. Memoranda quædam in hac civitate patravit vir ſanctus, quæ & nos ſuis annis commemorabimus.

Egenis quidquid habet, miniſtrat.

XXIII. E Senis diſcedenti, & palliolo, propter ſuperiùs memoratam infirmitatem, contecto, pauper quidam occurrit; cujus miſeria oculo clementi conſpecta, oportet, inquit ad ſocium, ut reddamus mantellum pauperculo iſti, nam ipſius eſt: mutuo enim ipſum accepimus, donec pauperiorem invenire contingeret. Socius autem, pii Patris neceſſitatem conſiderans, pertinaciter obſiſtebat, ne provideret alii, ſe neglecto. At ille; pro furto, ait, mihi reputo à magno Eleemoſynario imputandum, ſi hoc, quod fero, non dedero magis egenti. Propterea de omnibus, quæ ſibi dabantur ad neceſſitatem corporis relevandam, ſolitus erat à dantibus licentiam petere, ut licitè poſſet, ſi magis egenus occurreret,

reret, erogare. Nulli prorſus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis Altaris; quin omnia hæc dum poſſet, ut pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. Pluries item cum oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus ſupponebat.

XXIV. Hoc in itinere factum vult Marianus, quod Auctor conformitatum, & Fr. Hugolinus referunt de converſione nobilis cujuſdam adoleſcentis ex Burgo Sancti Sepulcri, mœnibus, arcibuſque quatuor munitiſſimo oppido, uno à Tiberi milliari verſus Apenninum; qui, audito ſæpius viri ſancti nomine, eum videre cupiebat, & ſequi. Utrumque obtinuit in oppido montis Caſalis in Appennino. Nam dum prædicantem audivit, & poſt ſuum deſiderium de hac ineunda Sodalitate deprompſit; monitus à ſancto Patre, ut ſecum bene priùs expenderet quid tentaret, duriora hæc dicens, quam ut in deliciis enutriti ea poſſint perferre abſque moleſtia, reſpondit: Pater, nonne tu, & tui ejuſdem ſunt mecum compaginis; ex eadem terra coagulati, eundem haurimus aërem, & ſimilem vivimus vitam? Quod mei ſimiles ferunt, ego me non adeo ægrè paſſurum cum Dei adjutorio confido. Placuit ſancto viro cordata juvenis reſponſio, & indito Angeli nomine ſibi conjunxit. Id tamen in eo aliquot poſt annis diſplicuit, quod juſſus, ut per oppidum nativum publicè moneret, ſanctum virum craſtina die publicè prædicaturum, id facere diſtulerit ob verecundiam, & inanes parentum reſpectus. Aſperè correptus de inobedientia, & vana ſæculi erubeſcentia, miſſus eſt, ut nudus præceptum impleret: quam pœnitentiam dum ſumma alacritate ſubiret, revocatus eſt à prima platea. Vitam egit ſanctam miraculis illuſtrem, Guardianuſque conſtitutus eſt in loco montis Caſalis, ubi etiam cenſetur diem extremum clauſiſſe.

Marian. c. 10. §. 9. Piſan. conf. 11. Hugolin. cit.

Nobilem adoleſcentem habitu donat.

XXV. Dum autem ædis Præfectum ageret, illacque tranſiret Sanctus Franciſcus, narravit ei tres inſignes in illis montibus prædones plura mala viatoribus inferre, & à Cœnobiarchis quotidie mendicatum panem extorquere, ſeque neſcire, qua ratione illorum extorſionibus poſſit mederi. Cui ſanctus vir: ſi quæ dixero tibi, peregeris, confido in Domino, quod illorum animos lucraberis. Optimum quem habes panem, & vinum defer eis in montem, &, ſtratâ mappâ in terra, invita fratres latrones manſuetis, & placidis verbis ad edendum. Quod dum fecerint, ſuaviter ſpiritualia verba tu cum Socio tuo proponite: deinde humiliter petite, ut vobis promittant, ſe neminem amplius vulneraturos, aut læſuros. Quod ſi promiſerint, die ſequenti regredimini, etiam cum pane, vino, & obſonio, & dicite, hæc vos illis perferre, tum quia fratres, tum quia amicè pridie vobis promiſerunt, quod petiiſtis. Si ſimiliter tertiò feceritis, non dubitetis, quin Dominus illuminabit conſilia cordium illorum, & docebit eis viam bonam, per quam ambulent. Fecit omnia Angelus, & ad tantam homines deduxit manſuetudinem, atque erga Fratres amicitiam, & familiaritatem, ut præſtita obſequia rependerint, ſuis humeris è ſilvis ligna portantes ad Eremitorium, Fratribuſque in aliis humiliter ſervientes, unus eis adhæſit, & ſocii aliò ſe contulerunt pœnitentiam de reatibus acturi.

Marcus 1.p.l.10. c. 8. Piſan. cit.

Lenitate & manſuetudine tres convertuntur prædones.

XXVI. Alios tres ſimili caritatis officio, orante pro eis S. Franciſco, convertit, trahens eos in funiculis caritatis ad tantam ſcelerum diſplicentiam, ut ſanctam deinceps egerint vitam in Ordine, quorum duo non adeò diu vixerunt; ſed, qui remanſit, tertium tam auſterè, pœnituit

Marcus cit. c. 9. Piſan. cit.

Alii tres ſimiliter converſis.

nituit vitæ præteritæ, ut per quindecim annos, quibus ſuperfuit Sociis, ter in ſeptimana panem tantum, & aquam adhiberet in cibum, unicâ pannoſâ indutus tunicâ, nudis abſque ſandaliis pedibus incederet. Miram ante mortem habuit viſionem, quam eo, quo mortuus eſt, anno referemus. Utramque hanc converſionem notat hoc in loco factam Marianus, & poſtea, ut dicit Piſanus, tranſiiſſe ad Fratres Tertii Ordinis Conventum: ſed reaſſumptum iterum à Patribus Conventualibus, qui, dum Refectorium ampliare vellent invenerunt in ſubterraneis Sepulcris, ad artem elaboratis, triuos loculos, in quorum uno integrum jacebat cadaver. Horum trium judicant corpora hæc fuiſſe, & ob ſanctitatis opinionem, ibi recondita, quæ illi in Eccleſia reverenter in elevato & pulchro reposuerunt Sepulcro.

Marian. c. 10. §. 12. *Gonza. in prov. Tuſcia con. 17.* *Rodulph. l. 2. fol. 261.*

XXVII. Inceptum verò proſecutus iter, Apennini juga tranſgreſſus Franciſcus, pergens per vallem Marecianam ad Montis Feltri Oppidum, reſcivit in Caſtro Sancti Leonis, Montis Feltrini Comitem, & dicti caſtri dominum, nova quadam equeſtri dignitate inſigniendum, magnam præparaſſe ſolemnitatem ludorum, & ſpectaculorum, ad quam amicos, & cognatos invitavit. Inter hos acceſſit Illuſtriſſimus Comes Orlandus Catanius Dominus Vallis Caſentinæ, adjacentis Regionis, & junioris Cluſii, ad Cluſii Hetruſcæ Civitatis differentiam, quod olim Romani impedituri, ne Hannibal Carthaginenſis Amilcaris filius, ſtrenuuſ Pœnorum Dux, poſt ſuperatas maxima induſtria Alpes ulterius progrederetur, in dicta Caſentina Valle ad mille paſſus à Monte Alvernæ conſtruendum, communiendumque curarunt. Audiens autem B. Pater ſonitum, & ſtrepitum jubilantium, clangoremque tubarum, & buccinarum, è via deflectens ad aſcenſum monticuli, in cujus jugo erat Caſtrum, ad Socios ait: Eamus, & noſtras opponamus arces Dæmonis inſidiis, quas in hujuſmodi jubilationibus ſternere ſolet incautis: vehementer enim, & ubique nobis allaborandum eſt pro animarum ſalute. Perluſtrato Oppido, auditoque ſolemni Sacro, cui omnes cum novo milite interfuerunt, exeuntes ſacram ædem in editiori quodam loco, ferventi excepit, & detinuit ſermone, propoſito materno idiomate hoc themate: *Tanto è il ben che eſpetto, che ogni pena m'è diletto*, id eſt: Tam ingens eſt bonum, quod ſpero, ut omnis pœna me delectet. Quod luculentiſſimè probavit tum egregiis rationibus, tum Apoſtolorum exemplo, qui *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*: tum etiam ex Sanctorum Martyrum actis, qui *in melotis, in pellibus caprinis*, in carceribus, ad metalla condemnati, *egentes, anguſtiati, afflicti*, ſuprema vitæ pericula, & diſpendia hilariter ſubierunt conſiderantes, quod *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*.

Publicis in ſpectaculis egregiè prædicat. *Act. 5. 41.* *Hebr. 11. 37.* *Rom. 8. 18.*

XXVIII. Hominis fervorem, miramque dicendi energiam admirati ſunt auditores, divinum quid in ipſo venerantes, in faciem ejus ſuſpenſi, tamquam in vultum Angeli ſtantis inter illos, ſecumque expenderunt eo tendiſſe ſermonem, ut à feſtis, & vana ſæculi lætitia tranſeundum doceret ad Crucis Chriſti perferendas paſſiones, ſine quibus non pervenitur ad regnum. Si enim non compatimur, non conregnabimus. Præ ceteris commotus Orlandus, qui nihil tam cupiebat, quam videre, & alloqui virum, de quo tam miranda ſæpius audierat, expectavit, brachiis excepit, ex alto deſcendentem, & ſeorſim vocatum rogavit, ut animæ cauſam acturum patienter audiret, erudiretque. Urbanus, & diſcretus Pater: Vade,

Illú ſuſpicit reverenter Comes Orlandus.

Vade, inquit, domine, & honora hodie amicos tuos, qui te invitarunt, & poſtea commodiori hæc peragenda ſunt tempore. Obſecutus, interim curavit, ut pii viri impranſi non manerent, quos ad veſperam adiit, & ad votum allocutus, egit cum Inſtitutore plene ad votum, de Chriſtianæ vitæ profectu. Ad vocem grandis loquelæ ignis exarſit in eo devotionis, & affectus erga ſanctum virum, ejuſque Inſtitutum, cogitavitque optimè qua arte eis frui poſſet familiarius, ſi videlicet haberet in ſuo dominio convictores. Obtulit ergò eis Montem Alvernæ devotum, & ſolitarium, contemplationi, & monaſticæ vitæ peropportunum, quem ſi inhabitare placeret, curaret, ut quæ opus eſſent, miniſtrarentur. Sancto viro ob innatum ſolitudinis amorem placuit oblatio, & gratias agens reſpondit, ſe illi Cluſium miſſurum, antequam ex Italia diſcederet, qui montem explorarent, ſi rebus cæleſtibus meditandis, & religioſæ vitæ tranſigendæ deſerviret. Ex vicino mox pago, expletis jam ſpectaculis, & ſolemnitate prædicta, binos eò ſocios deſtinavit, qui & præfatum montem undique luſtrarent, & locum ædificando Conventui idoneum feligerent. Offert ei montem Alvernæ.

XXIX. Pios exploratores, velut Angelos è cœlo delapſos, domo excepit pius Comes, quos ipſe poſtea quinquaginta aſſociatus militibus duxit in montem excelſum, quem ſui Inſtitutoris ſtudio accommodum, planitiemque ædiculæ extruendæ aptam invenerunt, in qua deliberaverunt commorari in nomine Domini. Comitis famuli, ſtatim gladiis, & campeſtribus armis, exciſis è nemore ramis, ſufficiens efformarunt tuguriolum, quod inhabitandum in pacificam poſſeſſionem, publico deſuper confecto inſtrumento, quod adhuc in hujus loci cartophylacio aſſervatur, qua licuit ſolemnitate, tradiderunt. Hac ratione humiliter, & devotè felici omine, & ſancto auſpicio occupaverunt Minores montem hunc, modò per Orbem mirabiliter inſignem. Montem explorant fratres, & in poſſeſſionem admittuntur.

XXX. Eſt autem mons hic in arduis Apennini jugis altitudine procerus, ab aliis montibus ſeparatus, ſuper quos caput extulit omnes, tribus à lateribus præcipitibus, quaſi quibuſdam altiſſimis mœnibus cinctus. Duplici flumine Tiberi, & Arno alluitur, à Bibiena nobili Oppido in agro Cluſentino diſtans ſeptem millibus paſſuum. Quidam Avernam à Verna deduci putant. Erat enim Verna apud Romanos Dea Latronum, habebatque templum Romæ, ubi à Sicariis Verna colebatur. Utcumque ſit, mons iſte eſt ſublimis, cujus ſummum cacumen nemo ſcandere auderet, niſi frequens fagus proſpectum diſcriminis auferret, & caſuris promitteret obicem. Fagi amplæ ſunt in cacumine, herbæque & virentia prata, quibus novas faciunt umbras. Eſt quoque maxima copia illius herbæ, quæ vulgò Carolina dicitur: herba eſt ſpinoſis foliis, quæ ſolo hærentes flores muniunt: dicta autem putatur Carolina, quod Magno quondam Carolo divinitus oſtenſa ſit ſalutaris adverſus peſtiferam luem. Fama eſt illum cum Romam peteret cum exercitu tabe peſtifera laborante, ſuper hac calamitate anxium in quiete Angelum vidiſſe, qui dixerit: Surge, & cum jugum montis aſcenderis, jaculum projicito, herbamque illam legito, cujus radicem ferro jaculi vulneraveris: hanc terito, & redactam in pulverem cum vino ægrotis dato ut bibant, & virus omne depellet, tibique exercitum conſervabit. Amœniſſimus eſt modo mons, & maximis, virentibuſque arboribus coronatus, cum antea calvus, inhoſpes, & horridus eſſet. In loco Franciſco familiari apparent impenetrabiles cavernæ, abrupti, & ſuſpenſi lapides, inacceſſæ undique rupes, in barathra hiatus profundiſſimi, quos horror erit aſpicere. Sacra nunc

Rodul. fol. 262. Deſcribitur mons Alvernæ. Averna à quibuſdam dictus. Abundat herba Carolina.

nunc ubique antra, ſciſſuræ, templa, delubra, ſacella, prodigia, & veſtigia miraculoſa ſanctorum virorum, Angelorum ſolatia, fractiones rupium, & petræ in paſsione Chriſti ſciſſæ, ſingulari, & arcano apparent modo. Locus ipſe univerſus pio quodam, & divino ardore, animas ad beatè vivendum, ad relinquendas hujus mundi ſordes incredibili modo excitat, ut divina quædam vox aſcendenti perſonare videatur: *Locus ſanctus eſt, finem peccandi facito*. Vere ſanctus jure optimo, quem Chriſti Salvatoris noſtri, Glorioſiſsimæ Virginis Mariæ, plurimorumque Angelorum, atque Sanctorum præſentia, Beatiſsimi Patris Franciſci, & multorum Sanctorum Virorum admiranda vita, & religioſa habitatio ſacravit.

XXXI. Rem gratam hic præſtare decrevimus arcana hæc ſimul dare, & univerſam hujus ſacri montis hiſtoriam colligere, ne lectorem ſuſpenderemus, & avidè cupientem cuncta perlegere alio remitteremus. *Gonza. cit.* Plenior relatio ſacri montis Alvernæ. Accipe ergò, quæ ex Illuſtriſsimo viro Franciſco Gonzaga exſcribimus, aliqua ex his ſuis locis amplius relaturi. Habitarunt itaque prædicti Franciſci ſocii in paupere tugurio in meliorem formam redacto ſub præfati Comitis amplo patrocinio, donec regreſſum ex Hiſpania ſanctum virum in montem duxerunt. Quem conſcendentem cum Fratre Maſſæo, Fratre Leone, & Fratre Angelo Reatino, aves garritu, & alarum rota quibuſdam ſuper ſcapulas, quibuſdam ſuper caput, & humeros quieſcentibus, lætæ ſuſceperunt. Comes Orlandus primam ædificat Eccleſiam. Dehinc juſſit præfatus Comes Orlandus parvam quamdam Eccleſiam S. Mariæ de Angelis ſacram juxta formam Seraphico Patri Franciſco à glorioſiſsima Virgine, ſanctiſque Joanne Baptiſta, atque Joanne Evangeliſta traditam, qua etiam de cauſa quædam ſuffragia ad eorum honorem, atque laudem in ſacrorum Stigmatum ſacello ſingulis diebus à Fratribus decantantur, eodem in monte ad Fratrum ejus habitatorum uſum ædificari; quæ & antiquior dicitur. Cum enim Fratrum habitatio, creſcente populi ad hunc locum devotione, adventantes fideles capere minimè poſſet, poſt viginti ſex à morte Seraphici Patris annos, prout ex Apoſtolico quodam Innocentii IV. diplomate dato Lugduni XVII. menſis Novembris, anno Domini MCCLII. ſatis conſtat ex diverſis eleemoſynis extendi, ampliarique cœpit. Alexander verò IV. Summus Pontifex, qui ſacrum hunc Alvernæ montem ſumma veneratione ob ſacra Stigmata Seraphico Patri ibidem impreſſa, proſequebatur, ne vel in aliquo Aſsiſinati S. Mariæ de Angelis Eccleſiæ cederet, ſed ut ejuſdem ſaltim eſſet æſtimationis, atque auctoritatis apud omnes cum illa, tum eum, tum quoque Eccleſiam, de quo ſupra, ibidem Cõſecratur univerſus mons à ſeptem Epiſcopis. ædificatam, à ſeptem Epiſcopis, nempe Aretino, Urbinate, Florentino, Aſsiſinate, Peruſino, Tifernate, atque Feſulano de Chriſtiano more benedici, atque conſecrari voluit; qui omnes maxima, tum nobilium, tum quoque populorum multitudine ſtipati vigeſimo menſis Auguſti ſummo ſtudio, ſummaque diligentia præfati Summi Pontificis voluntati ſecere ſatis: & poſt conſecratam Eccleſiam, univerſum in gyro montem equitando benedixerunt; in cujus rei memoriam anniverſaria ejus conſecrationis dies circumvicinis populis ſolemniſsima eſt. Aderat quoque præfatis Epiſcopis B. Pater Bonaventura totius noſtri Ordinis Generalatus munere inſignitus.

XXXII. Temporis decurſu præfatus mons à Patribus Conventualibus nobilis Franciſci Catanei, Tertii Franciſcani Ordinis alumni, atque præfati Comitis Cluſenſis Orlandi, ſive Rolandi legitimi Succeſſoris operâ,

râ, anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXXX. ſedente Martino V. Summo Pontifice ad Obſervantes devolutus eſt. Mortuo verò præfato Martino V. ſtatim ad eoſdem Conventuales rediit. Tandem anno Domini MCCCCXXXI. Eugenio IV. ad Summum Pontificatum evecto, id magno Coſma Medice, univerſaque Florentina Republica maximè ſollicitantibus, poſt primum Generale Capitulum Bononiæ in Conventu S. Pauli de Monte ab Obſervantibus Citramontanis Patribus celebratum ad præfatos Patres Obſervantes per Reverendiſſimum B. F. Guillelmum de Caſali Franciſcani totius Ordinis Generalem Miniſtrum regreſſus eſt, a quibus in hodiernam uſque diem pacificè occupatur. Verum tamen eſt quod præmemorati Obſervantès in hujuſmodi regreſſus exordio à circumadiacentis patriæ hominibus ob amicitiam, qua Patribus Conventualibus maximè juncti erant, plures moleſtias, injurias, atque probra, (prætermitto interim extremam omnium rerum penuriam, qua maximè laborabant) perpeſſi fuerint, donec eorum protectio, cura, atque defenſio Florentino Senatui ab eodem Summo Pontifice Eugenio IV. commiſſa extiterit. Qui eam ex animo acceptans illius executionem Laniſicum conſulibus demandavit. Illi vero tribus creatis Conſervatoribus, inſignibuſque tum præmemorati Pontificis Eugenii, tum Florentini Senatus, tum proprii quoque Officii Monaſterii foribus affixis, creditos Fratres ab omni prorſus vexatione, atque humana moleſtia immunes reddidere. *Confertur Fratribus Obſervantibus.* *Proteguntur à Senatu Florentino.*

XXXIII. Eccleſiæ, de qua ſupra, Chorus ex lignis à Fratribus anno Domini MCCCCLXV. fabrefactus fuit. Ipſa verò Eccleſia à pientiſſimo quodam Dominico Bartoli anno MCCCCLXXXVI. ex eadem materia, ea tamen lege à Fratribus poſita exornata extitit, ne quid ejus formæ immutaretur, neve quid accrementi acciperet, ne & ipſi malè perirent, prout & tres ſibi mutuò ſuccedentes Guardiani, quod eam ampliare, atque in aliam formam ab ea, quæ à glorioſa Virgine, ſanctiſque Joanne Baptiſta, atque Joanne Evangeliſta, de quibus ſupra, Seraphico Patri tradita fuerat, transferre attentaſſent, malè perierant. Quod & in cauſa extitit, ut præfata Eccleſia in eodem ſemper ſtatu permanſerit, atque in maxima ab omnibus veneratione habeatur. His accedit, quod Servatoris noſtri Chriſti, glorioſæ ejus Matris, plurimorumque Angelorum, atque Sanctorum præſentia ſæpius honorata ſit. Qua etiam de cauſa ſingulis diebus Sabbatinis Miſſa de Conceptione ejuſdem Virginis glorioſæ in ea à Fratribus ſolemniter celebratur. Hanc quoque ſacram ædem ſibi in ſepulturam elegit præfatus Comes Rolandus Cataneus ejus Fundator, ad quem plures alii Heroës, ſanctique Fratres appoſiti ſunt. Adhæret huic Eccleſiæ turris campanaria, quæ & moderniori Templo, de quo inferius, deſervit. Hanc præfatus Dominicus Bartoli Florentinus Civis, ſuis ſumptibus à fundamentis ædificavit, annoque Domini MCCCCXC. abſolvit. Majorem verò Campanam, quæ & ad præfatum Comitem Rolandum pertinuerat Illuſtriſſimus Laurentius Medices, Leonis X. Pontificis Maximi pater, loco conferendam curavit. Id Sacellum, quod paſſim Cardinalis dicitur, fuit prima B. Franciſci cellula à præfato Comite Rolando ſub maxima quadam fago, ut ſupra meminimus, ædificata, poſtmodum verò ab Illuſtriſſima Catharina Ruberti Petræ malæ Comitis uxore, ex maxima in beatum ipſum Patrem devotione, in eam formam, quam modò induit, translata. Dicitur autem Cardinalis, à cineribus Illuſtriſſimi Galeotti de Ubertinis Aretini Petræ malæ Comitis, ac S. R. E. Cardinalis ibi reconditis. *Humilis extruitur Eccleſia.* *Sacellum Cardinalis unde dictum.*

XXXIV. Fornici ejus portæ, quod ſequitur epitaphium, inciſum eſt: *Anno Domini* MCCXXIV. *B. Franciſcus ſub hac arbore, ſæpè cum gratiarum actione, & lætitiâ ſpiritus comedit. Et circa feſtum exaltationis S. Crucis Seraph ei in hujus montis latere, ubi nunc eſt cella Crucifixi, apparuit: & ex tunc corpori ejus ſtigmata Domini Jeſu Chriſti mirabiliter impreſſa fuerunt.* In ejuſdem ſacelli penetralioribus quadratus lapis ferrea crate contectus exiſtit, ex quo B. P. Franciſcus ſæpius refectionem ſumpſit, & ſupra quem, dum in inferiori hujuſmet ſacelli parte, quæ divæ Mariæ Magdalenæ ſacra eſt, inſtantius oraret, atque à Deo quid de ſua Religione poſt ejus mortem futurum? Quis eam confortaturus? Quis correcturus? Quiſve pro ea oraturus eſſet, ſupplex peteret, Chriſtum Dominum ſedentem conſpexit, ſibique, quæ ſequuntur, reſpondentem audivit. Quod videlicet ſacra ejus Religio ad ultimum uſque judicii diem perſeveratura eſſet; quod quicumque eam dilexerit, licèt maximus peccator exiſtat, Deus ita res ejus diſponet, ut miſericordiam tandem à ſe in fine conſequatur. Quod quiſquis illam perſecutus fuerit, niſi pœnitentiam egerit, hac luce diù minimè fruetur; quodque nullus ejus alumnus, qui malè in ea vixerit, diù in mortali peccato perſeverare poterit: nam vel is proprium crimen confeſſus emendabitur, vel eo detecto ſibi valedicet. Adjecit quoque Dominus & aliud, quod tamen beatus ipſe Pater, quod ſe fortè contingeret, præ humilitate reticuit. Creditur tamen, idque ex quadam revelatione B. Leoni ejus ſocio poſt patris obitum facta, illud univerſale quoddam flagellum à Deo mortalibus per Italiam poſt ejus mortem immittendum, reſpexiſſe, quod tamen ejus meritis, ſi fortè peccatores vitam ad meliorem frugem converterent, differre ſtatuerat. Quod & ſtatim ab ejus morte ſecutum eſt; nam tanta fames univerſam pervaſit Italiam, ut miſeri homines non ſolum herbis, ſed & arborum corticibus pro cibo uſi fuerint. Unde & tanta clades ſecuta eſt, ut nihil à mortis imagine ubique appareret. Cum igitur præfatus Pater Leo dictam menſam mappula, de ſolito more, hora prandii contegere vellet, prohibuit B. Pater ſubjiciens: Noli cariſſime Frater iſta facere, ſed menſam primò aqua, deinde vino, poſtmodum lacte, rurſus oleo, ac tandem balſamo lavare ſatagito: quandoquidem Chriſtus Dominus in ea ſedere, mihique, quæ audies, revelare dignatus eſt. Et à primo exorſus ad quartum uſque progreſſus fuit: nam quintum, ut prædiximus, ſibi reſervavit. Præfatæ menſæ, quæ ſequuntur, verba inciſa ſunt: *Menſa B. Franciſci, ſuper quam habuit mirabiles apparitiones, ſanctificanſque ipſam effudit oleum deſuper dicens: Hic eſt ara Dei.* Subſtitit autem in ſacrario præfata menſa ducentis ferè annis; cumque vix Fratres prohibere poſſent, ne ſæculares ex longinquo adventantes ejus aliquid auferrent: ne tandem in nihilum redigeretur, inde ad hunc locum tranſlata, atque ferrea crate, ut diximus, communita eſt. Hujus denique ſacelli inferior pars B. Mariæ Magdalenæ dicata evaſit, tum quod ejus imagine inſignita fuerit, tum quoque quòd beata ipſa peccatrix devoto cuidam Patri Mariano à Lugo ibidem ſæpius apparuerit.

Menſa ſacra.

Magna promittuntur Franciſco.

Magna plaga à morte Franc. ſecuta in Italia.

XXXV. Dum quadam die Seraphicus Pater per hujus ſacri montis ſalebras aliquem locum contemplationi opportunum quæſiturus diſcurreret, quoddam ſaxum quaſi artificioſè ad inſtar cubiculi ſciſſum, non longè à præfata ejus cellula vidit, quem ingreſſus, atque ad amuſſim, poſt ſeptem Davidicorum pœnitentialium pſalmorum recitationem, contemplatus, ſummo ejus opificis ſciendi deſiderio flagrare cœpit: nam inferior ejus

Sciſſus hic mons in paſſione Chriſti.

ejus pars pavimenti, ſuperior verò, quæ & rimulam recipiendæ luci accommodam habet, tecti affabrè elaborati formam præ ſe fert: & ecce dum hujuſmodi deſiderio inſtantiùs vacaret, adfuit illi Angelus, qui & ſibi dixit præfatum lapidem in Chriſti ſervatoris morte, cum cæteris petris, ſciſſum fuiſſe. Quamobrem ſummâ eum in poſterum veneratione proſecutus extitit, ſæpiuſque ad eum contemplationi vacaturus, atque divinas immiſſiones recepturus declinavit.

Extruuntur in monte variæ ædiculæ.

XXXVI. Illuſtriſſimus, ut ad ſacri hujus loci Fundatores, atque Benefactores redeamus, Simon Guidonis Battifolii, atque Puppii Comitis filius, Hetruriæque heros utrumque ſacrorum Stigmatum ſacellum, atque quinque cubicula intra ædiculas Divo Antonio Abbati, atque S. Sebaſtiano Martyri ſacras, quinque Sacerdotibus, quibus & victum, & amictum, ne mendicationis ergò egredi cogerentur, continendis accommoda ſuis ſumptibus, ex maximâ, qua in beatum Patrem Franciſcum ferebatur, devotione, ædificari curavit. Præfati verò Fratres divino tantùm celebrando Officio, continuiſque meditationibus vacabant, atque, inter reliquos ſanctitate inſignes, ad id munus exequendum à Generali totius noſtri Ordinis Miniſtro ſeligebantur. De quorum numero beatus Pater Conradus Offidanus Provinciæ Marchiæ alumnus aliquando fuit. Is enim cum invitus eo fuiſſet deſtinatus, ſeque tanta habitatione indignum judicaret, à perdevota ſorore Benevenuta Anconitana de Tertio Franciſcanorum Ordine, atque ſanctiſſima fœmina per litteras petiit, ut ſe inde à Generali Miniſtro amovendum curaret. Cui illa ſuaſit, ut pedem figeret, quandoquidem id gratiſſimum Deo futurum, ſibique bene ſucceſſurum eſſet. Idque profectò rei eventus comprobavit: Nam & Deus Optimus Maximus quinque mortuos ad ejus preces huic mortali vitæ reſtituit, ſibique glorioſa Virgo in die Purificationis ejus apparuit, atque puerum Jeſum ſuis ulnis excipiendum tradidit. Perſeveravit autem hujuſmodi quinque Sacerdotum ſucceſſio quouſque Seraphicus Ordo aliquantulum à recto tramite declinare cœpit: à quo etiam tempore præfatæ cellulæ ruinæ expoſitæ ſunt. Quamobrem, ut primùm hic locus ab Eugenio IV. Pontifice Maximo Obſervanti Familiæ, ut præfati ſumus, collatus extitit, hujuſcemodi Sacerdotum habitatione abrogata, ſtatutum, idque conſultò à Patribus fuit, ut ſingulis diebus res divina in ſacrorum Stigmatum ſacello ab uno Sacerdotum fieret; utque ſingulis quoque diebus veſpertino tempore omnes ſimul hujus loci Fratres proceſſionaliter ad idem ſacellum glorioſiſſimæ Virginis nocturnum, hunc Benedictam vocant, alta voce perſolventes pergerent. Quod quidem eidem Virgini glorioſæ gratiſſimum extitit: nam ſemel ex altiſſima quadam ſago, inter ædiculam Divi Antonii Abbatis dicatam, atque illam, quæ Cardinalis dicitur, ſurrigente Religioſos cò tendentes benedicere viſa eſt. Cumque præfata proceſſio ex nimia nivium multitudine quodam die à Fratribus prætermiſſa fuiſſet, plura diverſi generis animalia à veteri Eccleſia ad præfatum ſacellum uſque bina, & bina, ad proceſſionis inſtar procedere, ſequenti nocte viſa ſunt. Quod cum Fratres reſciviſſent, hujuſcemodi proceſſionem perpetuò habendam, licèt tempeſtas magis magiſque ſæviret, firmiſſimè ſtatuerunt. Qua etiam de cauſa Clemens VII. Pontifex Maximus ſingulis Fratribus, qui ei interſunt, plenariam omnium peccatorum indulgentiam vivæ vocis oraculo conceſsit.

Conradus Offidanus hujus montis incola.

Quotidie fit publica ſupplicatio ad ſacellum ſtigmatum.

Sacellum Crucis.

XXXVII. Sanctæ verò Crucis ſacellum, quod & ſecunda B. Patris cellula fuit, à Fratribus Leone, Angelo, atque Maſſæo ejus ſociis ex lignis,

lignis, terra, atque arborum foliis primitus ædificatum extitit. Hoc præ ceteris B. Pater ſummoperè dilexit, atque ad celebrandam Angelorum Quadrageſimam, plenioribuſque affectibus Deo vacandum in habitationem elegit. Qua etiam de cauſa præfatis ſociis præcepit, ne eò ſe quæſituri aliquando accederent. Uni nihilominus Patri Leoni ad ipſum, vel aquam, & panem pro refectione beato Patri miniſtraturo, vel matutinas horas ſecum perſoluturo patebat acceſſus. Hic ſæpius B. Pater Franciſcus ab eodem Patre Leone inter orandum raptus, atque in aëra etiam ſuper altiſsimas arbores elevatus viſus eſt. Hic quoque Aſturem ſibi familiariſſimum habuit, qui ſe ad Canonicas perſolvendas horas ſingulis diebus excitabat. His igitur de cauſis, quodque tanto Patri addictiſsimus eſſet, præfatus Simon Florentinus heros hujuſmodi cellulam in juſtum ſacellum ſub titulo S. Crucis anno Dominicæ Incarnationis MCCLXIV. transferendam curavit. Idque ſequentes litteræ ibidem inciſæ facilè indicant: *Anno Domini* MCCLXIV. *feriâ quintâ poſt Feſtum Aſſumptionis Glorioſæ Virginis Mariæ Comes Simon filius illuſtris viri Comitis Guidonis, Dei gratiâ in Tuſcia Palatinus, fecit fundari iſtud Oratorium ad honorem S. Franciſci, ut ipſe, cui in loco iſto Seraph apparuit ſub anno Domini* MCCXXIV. *infra octavam Nativitatis ejuſdem Virginis, & corpori ejus impreſſit Stigmata Jeſu Chriſti, conſignet eum gratia Spiritus Sancti*. Ex ejus vero fornice, quæ ſequuntur carmina legere licet.

His quondam Divi Franciſci hæc cella ſecunda.
Extitit in ſcopulis, nunc verò dicta Ducis.
Hic quater arcta decem illi dies jejunia ſolvit
Ordinis Angelici ductus honore ſacri.

In hujus ſacelli ſitu S. Franciſcus Stigmata recepit.

XXXVIII. Conſtruxerat ſibi Beatiſsimus Pater Franciſcus, non longè ab hoc ipſo ſacello, dum adhuc intra cellæ limites teneretur, ſub procera quadam fago, Oratorium, in quo integras in oratione noctes conſumere aſſueverat. Ad hoc igitur in feſto exaltationis ſanctæ Crucis paululum ante auroram orationis ergò perrecturus, maxima luce circumfuſus in ipſo medio itinere Chriſtum Dominum in Seraph ſpecie ex aëre ſibi apparentem, atque ſacra Stigmata imprimentem vidit. Fratres verò, ne locus tanto myſterio dignus mortalium pedibus tereretur, ipſum ferrea crate contegendum curarunt. Quam tamen perdevota quædam fœmina Eliſabetha, cujuſdam Angeli de Baldis uxor, honoris cauſa inde amoveri, atque aliam omninò æneam, anno Domini MDXXXVI. ſibi ſubrogari fecit: ne facilè populorum ad ſacrorum Stigmatum ſacellum, quod & Comes Simon, de quo ſupra, elegantiſsimè exornandum curavit, & in quo quinque lampades perpetuò lucent, devotio, ob ſacra Stigmata ibidem recepta, exprimi poſſet. Ad ipſum ſiquidem perpetuò Chriſti fideles ſua vota perſoluturi confluunt, plurimaque indè beneficia à Deo Opt. Max. meritis tanti Patris referunt. Adauget præterea hujuſmodi devotionem veſpertinus, ut prædiximus, Fratrum acceſſus, qui ſingulis noctibus à Completorio perdevotas quaſdam antiphonas in B. Virginis Mariæ, Sanctorum Angelorum, Joannis Baptiſtæ, Joannis Evangeliſtæ, Hieronymi, atque B. Franciſci honorem ibidem devotiſsimè decantant: præſertim eam, quæ ab his verbis exorditur: *Cælorum candor ſplenduit*, &c. & illam, quæ ab his verbis auſpicatur: *Crucis hic apparet hoſtia*, &c.

Sacelli conſecratio, & variæ indulgentiæ.

XXXIX. Cum Illuſtriſsimus pariter, ac Reverendiſsimus Reginaldus Ravennatum Archiepiſcopus juncto ſibi Reverendiſsimo Aldobrandino Aretinorum Epiſcopo, ſacrum hunc Alvernæ montem, ex maxima in

B. Fran-

B. Franciſcum devotione concepta, viſitaturus anno Domini MCCCX. petiiſſe, Fratres, ut ſibi præfatum S. Crucis ſacellum conſecrare liceret, exoravit. Quibus denique annuentibus, ipſum quinto menſis Auguſti ejuſdem anni, cum maxima cordis lætitia, de Chriſtiano more conſecravit, atque ſanctiſsimæ Cruci, ſanctis Angelis, ceteriſque cæleſtibus ſpiritibus, atque B. P. Franciſco dicavit: inſuper & omnibus Chriſti fidelibus illud in præfatorum Sanctorum feſtivitatibus, atque per eorum octavas accedentibus integrum annum de injunctis pœnitentiis, ex Apoſtolica auctoritate, remiſit. Poſtmodum verò Reverendiſsimus P. Fr. Angelus Feduccius à Bibiena Piſaurienſium Epiſcopus præfatum montem accedens, præmemorati ſacelli ſacrorum Stigmatum majus altare XXV. Januarii anno Domini MCCCLXXV. ex facultate tamen Reverendiſſimi Joannis Albergotii Aretinorum Epiſcopi, cujus eæ partes erant, ad Dei, B. Virginis Mariæ, S. Pauli Apoſtoli, cujus converſio eadem die cele brabatur, B. P. Franciſci, B. Ludovici Epiſcopi, B. Antonil Paduani, atque B. Claræ honorem ſacravit, & octoginta indulgentiarum dies omnibus, id ſacellum in qualibet præfatorum Sanctorum feſtivitate viſitantibus, conceſsit, atque aliquot Sanctorum Joannis Baptiſtæ, & Sebaſtiani oſſa, aliquotque B. Bartholomæi Apoſtoli crines eidem Altari dono dedit. Præterea Summi Pontifices Bonifacius IX. Sixtus IV. & Innocentius VIII. prout ex eorum diplomatibus in præſentis loci Archivis aſſervatis liquidò conſtat, omnibus Chriſtianis, qui ſacrorum Stigmatum, ſacellum, atque ambas, novam ſcilicet, atque veterem, Eccleſias in ſacrorum Stigmatum feſto viſitaverint, dummodo commiſſa peccata per ſacram confeſsionem abſterſerint, eam indulgentiam plenariam, quæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Angelis prope Aſsiſium in feſto Portiunculæ, nempè ſecundâ cujuslibet menſis Auguſti, in eorundem favorem conceſſa eſt, ex Apoſtolica auctoritate impertiuntur. Supra præfatum ſacrorum Stigmatum ſacellum rimam quamdam inviſere licet, ubi B. P. Franciſcus ſæpius oraſſe creditur, & B. P. Leo ejus Secretarius, Socius, atque Confeſſarius, quodam Oratorio conſtructo, plures, eaſque mirabiles, revelationes habuit. Diſtinguebatur tamen præfatum Oratorium ab eo ſacello altiſsima quadam fago, quam inſolens quidam miles tantum ſacellum ſua ruina demoliturus, anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXCVIII. ex mera tantum malitia ſuccidit. Sed ea fuit Dei Optimi Maximi bonitas, ut arbor ad aliam partem inclinata, nihil penitus detrimenti eidem intulerit.

XL. Non longè ab hac ipſa ſacrorum Stigmatum æde, verſus inferiorem partem, aliud Oratorium B. P. Bonaventuræ ſacrum ſubſiſtit, quod maxima fideles devotione proſequuntur. Hæret ſiquidem ei ferè loco, in quo Seraphicus Pater Franciſcus ſacra ſtigmata accepturus genua flexit. Dicitur autem Beati Bonaventuræ, non quod ab ipſo ædificatum ſit, ſed quod ad illud beatus ipſe Pater, dum Generalatus officio fungeretur, ſæpe ſæpius oraturus diverterit. Cum B. Pater Antonius de Padua, poſt generale Capitulum Aſſiſii celebratum, in quo corporis B. P. Franciſci translatio facta eſt, hunc ſacrum montem in habitationem elegiſſet, nullo pacto induci potuit, ut ſecunda B. P. Franciſci cellula, quod ſe ea indignum judicaret, uteretur: ſed aliam ad ejus latus ſibi conſtruendam curavit, in qua & ſermonum librum ad Gregorii IX. Pont. Max. inſtantiam compoſuit. Hanc præfatus Simon Comes ſacrorum Stigmatum, atque ſanctæ Crucis ſacella ædificaturus, intra eorum fun- Sacellum D. Bonaventuræ.

da-

damenta, concluſit: unde & ſacelli ſancti Antonii de Padua nomen acquiſivit.

XLI. Inviſere quoque licet hoc in ſacro monte quoddam ſpecu, quo ſe B. P. Franciſcus contemplationi vacaturus, recipere aſſueverat, & ex quo invidens ſibi Dæmon eum præcipitare viſus eſt, ſed ſaxum alioquin durum, ita ſe B. Patri molle, tractabileque præbuit, ut & digitos in eo imprimere, & ejus apprehenſione hujuſmodi præcipitationem evadere potuerit. Digitorum veſtigia plurimis annis ibidem perſeverarunt, quæ tamen poſtea ferro ceſſerunt. Poſt aliquot verò annos, cum quidam frater viam, qua præfatum ſpecu petebatur, hominum greſſibus faciliorem, atque familiariorem reddere contenderet, ab eodem Dæmone inde præcipitatus fuit. Cumque Fratres feretro, ac cruce ſumptis eò tenderent, ut defunctum correligioſum ſepulturæ traderent, eum incolumem omnino, atque canticum *Te Deum laudamus* cantantem in gratiarum actionem invenerunt. Quibus & ille faſſus eſt, ſe meritis B.P. Franciſci, cujus in tanta ruina favorem ex intimis præcordiis imploraſſet, mortem evaſiſſe. Præfatum ſpecu, ob Seraphici Patris reverentiam, honeſtaturus perdevotus Angelus Baccius, Aretinus civis, ſacellum in honorem S.Sebaſtiani, anno Domini MCCCCLXXX.eo ſcilicet tempore, quo graviſſima peſtis univerſam Italiam pervaſit, ad Fratris cujuſdam Laurentii à Fabriano, cui vulgo Zacchæus nomen fuit, inſtantiam ibidem ædificandum curavit. Ad cujus dextrum latus plurima antiquiorum Patrum hoc in loco defunctorum oſſa recondita ſunt. Hæc dum ex cœmeterio exhumata, ut in honorificentiores quatuor ſepulturas, ea de cauſa erectas, inferrentur, diligentius congeruntur, nubeculâ quadam ex tempore ortâ, per diem, atque ſequenti nocte igneo globo contecta fuere. Quamobrem iis ſepulcris prætermiſſis, præſenti loco, ut in majori veneratione haberentur, donata ſunt.

Præcipitandus à Dæmone S. Franciſci duro recipitur à ſaxo.

XLII. Subſtat ſacello S. Antonii Abbatis ſecretum B. P. Franciſci Oratorium, in quo ſemotus ab aliis orare ſolitus erat. Huic hæret locus B. Franciſci, lectulus vulgò appellitatus, eò quod ſuper eum defatigata ex continua genuflexione, atque oratione membra neceſſario ſomno aliquando refecerit. Hunc Illuſtriſsimus Petrus Joannis Pauli de Urſinis, cum omnium membrorum contractionem ex graviſsima infirmitate incurriſſet, felici eventu ſequenti, in ſacellum D. Antonio Abbati ſacrum anno Dominicæ incarnationis MCCCCXL. erexit. Cum enim is Heros, ut prædiximus, omninò contractus propriorum membrorum uſum amiſiſſet, omniaque neceſſaria remedia, ſed humana recipiendæ ſanitati priſtinæ adhibuiſſet, nec eam aſſecutus eſſet, ad hunc ſacrum Alvernæ montem, ex maxima, qua B. Franciſcum proſequebatur, devotione, deferri, atque per cuncta loca, in quibus beatus item Pater aliquando ſubſtitiſſet, circumferri voluit; ac tandem ad hoc Oratorium delatus, atque præfato in lectulo declinatus, poſt præmiſſam orationem, voti compos effectus eſt. Quamobrem ne aliquando à tanto Patre ingratitudinis argueretur, præmemoratum ſancti Antonii Sacellum ibidem propriis ſumptibus ædificari, atque ſequentes litteras cum gentilitiis propriæ familiæ inſigniis ejus portæ incidi curavit: *Hoc opus fieri fecit Petrus Joannis Pauli de Urſinis de Urbe, olim Capitaneus generalis populi Florentini.*

Oratorium, & lectulus S. Franciſci.

XLIII. Prope hanc ſacram ædem ſubſtitit aliquando fagus, cujus ſupra meminimus, ex qua Virgo glorioſa Fratres benedixit; cui alia ejuſdem generis arbor ſucceſſit, quæ ſcaturientibus venis aquam ad pellendos

dos oculorum morbos ſalutarem perpetuò miniſtrat. Ad latus ejus portæ, qua ſilva petitur, devotiſſimum aliud occurrit Sacellum ab Illuſtriſsimo quodam Comite Franciſco ex parte ædificatum, atque ab ejus uxore Alexandra anno Domini MDXXXII. omnibus numeris abſolutum. Atqui illud, quod campanarum turri vicinum eſt, à perdevoto Jacobo Franciſci Stronconio, Divo Stephano Protomartyri ejus tutelari, etiam pro parte conſtructum, atque ab ejus ſucceſſoribus, anno MDL. abſolutum extitit.

XLIV. In clivo verò ejus colliculi, qui ſupra ſacrorum Stigmatum Sacellum elevatur, alia quoque ſurrigit ſacra domus beato Patri Joanni ab Alverna dicata. Fuit ſiquidem beatus is Pater religioſiſsimus, ſanctiſſimamque vitam in jejunio, contemplatione, atque pœnitentia perpetuis, per plurimos annos hoc in ſacro monte, præſertim verò in præfato colliculo, ubi & ligneam cellam in prætactam ſacram ædem translatam, ſibi conſtruxerat, atque omnino angelicam vitam duxit. Inſuper & Alvernæ cognomen, cum primo Firmanus cognominaretur, ex diuturna montis habitatione contraxit. Straverat præterea beatus item Pater Joannes juxta præfatum Sacellum deambulationis ergo ſemitam, quæ ad altiſsimam fagum terminabatur. Cumque quadam die divinis meditationibus intentus per eam obambularet, oculorumque aciem in crucem eidem arbori affixam direxiſſet, Chriſtum Dominum in ea graviori paſſu gradientem ex tempore vidit. Ad ſacroſanctos cujus pedes provolutus, cum ſemel atque ſecundo erratorum veniam ab eo ſibi dari ſupplex expoſtulaſſet, nec reſponſum aliquod retuliſſet, tertio ipſum juxta arborem ſecutus, interim corpore in terram demiſſo, eamdem petitionem repetiit, ac tandem votum aſſecutus, divinos pedes, manus, ac ſacroſanctum laterale vulnus deoſculari meruit; quapropter ſumma lætitia perfuſus, ac in extaſim factus eſt. Quo inter ſæculares divulgato, tanta eis ad præfatam fagum inceſsit religio, atque devotio, ut nullo pacto à Fratribus prohiberi potuerit, quin eam omnino decorticarint: eoque tandem factum eſt, ut cortice nudata perierit. Pater igitur, ac Frater Angelus Raſsinas ſacri hujus loci Guardianus, ne tanta populorum devotio aliquando evaneſceret, ipſam ſuccidendam, atque inibi ſacrum quoddam Sacellum, anno reſtitutæ ſalutis MDXVIII. ædificandum curavit, cujus Altare ejuſdem arboris trunco innititur. *Ædicula Joan. ab Alverna.*

XLV. Cum enim antiquior, cujus ſupra meminimus, Eccleſia maximis anguſtiis teneretur, nec accedentem populum, nec fratres hujus loci habitatores capere poſſet, Illuſtriſſimi pariter ac pientiſſimi heroës Tarlatus Petræ malæ Comes, ejuſque legitima uxor Joanna S. Floræ Comitiſſa, qui Tertio Franciſcanorum Ordini adſcribi voluerunt, ex maxima in beatum Patrem Franciſcum, ejuſque fœcundam prolem devotione, aliam multo capaciorem, multoque elegantiorem, ſub glorioſæ Virginis tutela, ſuis ſumptibus à fundamentis erigendam curarunt; idque ſequentes litteræ fornici inſcriptæ principalioris ejus portæ ſatis indicant. Anno Domini MCCCCXLVIII. nobilis miles Dominus Tarlatus de Petra mala, & Domina Joanna Comitiſſa de S. Flora, uxor ejus ædificari fecerunt iſtam Eccleſiam ad honorem beatæ Mariæ ſemper Virginis. Sed cum immatura morte præventi, quod piè ac ſanctè propoſuerant executioni mandare minimè potuiſſent, ſuis hæredibus, ut mille aureos coronatos ad ejus perfectionem, ac viginti quinque ſingulis annis in feſto beatiſſimi Patris Franciſci ad Fratres induendos penderent, ex teſtamen- *Nova ædificatur Eccleſia.*

to præcepere. Quibus nihilominus tergiverſantibus, ac tantorum parentum votis minimè annuentibus, Lanificum conſules, de quibus ſupra, tum ex propriis, tum ex acquiſitis, & à ſe, & à fratribus eleemoſynis, eam & perfici & abſolvi anno Domini MCCCCXCVII. fecerunt: cujus princeps Sacellum Illuſtriſs. Franciſcus Medices anno Domini MCCCCLVII. ex propriis facultatibus prius conſtruxerat.

Magnæ hujus ædis reliquiæ.

XLVI. In hujus moderrnioris Eccleſiæ ſacrario, quæ ſequuntur, ſacroſanctæ reliquiæ religioſiùs aſſervantur. Nempe tres parvæ Cruces, ex ejus ligno in quo Chriſtus Dominus pro nobis pependit, fabrefactæ, atque chryſtallina cruce circumdatæ. Alia itidem Dominicæ Crucis particula, & inconſutilis Dominicæ veſtis pars. Ex linteo quo Chriſtus Dominus, adhuc infantulus cùm eſſet, involutus fuit: ex purpureo veſtimento ejuſdem: ex lectulo ubi idem in deſerto aliquando jacuit: ex loco ubi oravit, quando ſanguineum humorem emiſit: ex lapide, in quo diſcipulorum pedes lavaturus genua flexit: ex columna ad quam idem Chriſtus alligatus pro nobis flagellari voluit: ex ſepulchro ejuſdem: ex lapide Dominico Sanguine intincto: ex pelvi, in quo diſcipulorum pedes lavit: ex linteo, quo ſe eos lavaturus præcinxit: ex menſa, in qua cum eis ultimam cœnam fecit: ex veſtimentis, ex cunabulo, atque ex ejuſdem Chriſti Domini præſepio: ex arca veteris teſtamenti: ex lapide, in quo beata Virgo ſedebat, quando Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper eam, atque ſupra Apoſtolorum ſingulos in feſto Pentecoſtes deſcendit: ex crinibus, lacte, ſepulcro ejuſdem Beatæ Virginis Mariæ: ex crinibus S. Joannis Evangeliſtæ, atque ex manna ſepulcri ejuſdem: ex oſſibus ſancti Joannis Baptiſtæ, atque ex lapide, ſuper quem decollatus fuit. Item ex oſſibus ſanctorum Petri & Pauli, Jacobi fratris Domini, Andreæ, Thomæ, Barnabæ, Bartholomæi, atque Mathiæ Apoſtolorum. Ex oſſibus quoque ſanctorum Innocentium, atque ſancti Simeonis. Ex oſſibus etiam ſanctorum Stephani Protomartyris, Laurentii Martyris, Felicis Papæ & Martyris, Anaſtaſii, Feliciſsimi, Agapiti, Valentini, Ciriaci, quadraginta Martyrum, Pontificii, Juliani, Stephani Papæ & Martyris, Donati, Felicis, Urbani, Porphyrii, Mauritii, Clementis, Nicolai, Blaſii, Alexii, atque Hilarionis. Ex crinibus, ſanguine, tunica, atque chorda B. P. Franciſci. Ex chorda quoque & barba ſancti Bernardi Abbatis. Ex oſſibus, & veſtimento S. Mariæ Magdalenæ, atque ex oſſibus SS. Agnetis, Praxedis, Felicitatis, Potentianæ, Cæciliæ, Sabinæ, Petronillæ, Scholaſticæ, Euphemiæ, Rufinæ, Margaretæ, Victoriæ, Conſtantiæ, Columbæ, atque unius ex undecim millibus Virginum & martyrum. Ex tunica, crinibus & velo B. Claræ Virginis: ex caſula & cilicio S. Martini Epiſcopi: ex virga Aaronis: ex terra, ex qua Adam protoplaſtus formatus fuit: ex manna filiis Iſraël cœlitus collato. Aſſervantur præterea in eodem Sacrario paſtoralis D. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi baculus, lignea ſcutella, ex qua B. Franciſcus comedere aſſueverat, & criſtallinus cyathus, ex quo idem Pater in menſa præfati Comitis Rolandi aliquando bibit; habitus inſuper & cilicii ejuſdem pars, tuniculæ quoque atque mantelli S. Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris particulæ, & cingulum præmemorati Comitis Rolandi, quo aliquando B. P. Franciſcus præcinctus fuit, & iſte Comes ab illum dolore liberatus extitit: & quamplurimæ aliæ reliquiæ, ut ſunt beatorum Patrum Bernardini de Feltro, atque aliorum tum chordæ, tum habitus, tum quoque tunicularum partes, quas brevitati ſtudens ſigillatim referre nolui. Et hæc dicta ſunto de Ec-

Eccleſia, Sacellis, Sanctorum reliquiis, atque devotis montis hujus ſacri locis.

XLVII. Ut autem aliqua de reliquo ejus ædificio dicamus, curioſum lectorem præmonitum cupimus, ut meminerit antiquiores fratres noſtros nihil minus quam ædificiorum molem atque ſuperbiam, quod ſanctiſſimæ paupertati contradiceret, curaſſe; eaque de cauſa paupercułis, ut plurimum, tuguriolis ex vili materia compactis, fuiſſe contentos; prout & primi hujus ſacri montis habitatores extitere, quibus humilis caſula vel ſtramine, vel arborum frondibus contecta, vel excavata rupis habitatio fuit. Cum autem fratrum numerus in dies magis, magiſque creſceret, nec ea vivendi forma, quod hic locus frigidiſſimus ſit, omnibus arrideret, ſumma tum fratrum, tum quoque præfatorum Conſulum cura, atque diligentia, quædam domus, pro majori parte lignea contra aëris frigoriſque inclementiam, ad communem fratrum habitationem juxta moderniorem Eccleſiam, XXVI. anno à beatiſſimi Patris Franciſci morte, ædificata extitit. Quæ tamen anno à partu Virgineo MCCCCLXXII. cum Illuſtriſſimus pariterque Reverendiſſimus Franciſcus Piccolomineus Senarum Cardinalis, qui poſtmodum ſummus Pontifex creatus Pius III. appellari voluit, hunc Alvernæ montem devotionis ergo petere decreviſſet, aliquotque famulos, qui neceſſaria præpararent, præmiſiſſet, eorumdem incuria flagrare cœpit. Cumque vorax flamma tertia ejus parte abſumpta, etiam illi, cui univerſa tum Fratrum, tum præfati Cardinalis Illuſtriſſimi ſupellex credita fuerat, minaretur incendium, genuflexi fratres Divi Laurentii auxilium implorare cœperunt, ſe illi ex voto aſtringentes, ut ſi flamma ſupellectili, atque reliquiis adhuc permanentibus parceret, ejus commemoratio ab ipſis ſingulis diebus facienda veniret. Qua pollicitatione facta B. Laurentius illis ex medio igne, qui & ſtatim extinctus eſt, apparuit. Et ab eo temporis, nullo die prætermiſſo, ejus commemoratio fit. Atqui præfati Lanificum Conſules fratrum operâ maximè adjuti, conſtructis ex lapide muris, ut ſimilem caſum facilius evadere poſſent, hujuſcemodi damnum quantocius reparandum curarunt. *Cœnobium in meliorem formam redigitur.*

XLVIII. Quod verò reliquum eſt ædificii plurimos ſui auctores habuit. Nam nova Infirmaria, ejuſque Refectorium, Aromataria, atque uterque Xyſtus liberaliſſimis Sereniſſimorum Hetruriæ Ducum Coſmæ Medices, atque legitimæ ejus uxoris Eleonoræ à Toleto ſumptibus anno Dominicæ Incarnationis MDXCIV. conſtructa fuere. Bibliotheca verò, quæ & ſatis copioſa eſt, diverſis benefactorum eleemoſynis in eam formam, quam modo præ ſe fert, anno Domini MDLVII. tranſlata extitit. Atqui commune fratrum Refectorium, & ſuperædificatum Dormitorium ex liberali Joannis cujuſdam ab Antiqua, vulgò della Vecchia, Aretini civis elargitione multo ante, nempe anno Domini MDXVIII. huic loco acceſſere. His annectenda venit pulcherrima ciſterna, eaque aquarum capaciſſima, quæ præfato anno MDXVIII. fabricari cœpit, & anno MDXXII. ſolerti Fratrum diligentiâ abſoluta fuit. *Reparantur interiora Cœnobii.*

XLIX. Eſt præterea ſacra hæc domus illuſtris Capitulo quodam generali ibidem anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLXXXIV. celebrato, in quo beatus Pater Angelus de Clavaſio tertiò Familiæ Obſervantis Franciſcanæ generalis Vicarius electus fuit; & congregatione alia generali intermedia, ſumptibus Sereniſſimi Coſmæ Medices II. Florentiæ Ducis habita, in qua anno à mundi redemptione MDLXIII. Reverendiſſimus Pater Fr. Aloyſius Puteus, qui & poſtmodum totius Fran- *Celebrata ibi Comitia generalia.*

eiſcani Inſtituti generalis Miniſter, Commiſſarius generalis Ciſmontanus creatus fuit, omnino illuſtris.

Privilegia hujus montis.

L. Major profectò quam par ſit nobis hiſtoria texenda foret, ſi omnes gratias, immunitates, atque privilegia huic ſacro loco conceſſa impræſentiarum referre vellemus. Nihilominus tamen, ne ipſa ex quadam oſcitantia prætermiſiſſe videamur, aliqua ex plurimis in medium adducemus. Fuit igitur ſacer hic Alvernæ locus primò à Patre luminum quodam ſpeciali privilegio donatus, cum à nullo ante beatiſſimi Patris Franciſci adventum præoccupatus fuerit, ac ſi tantis myſteriis, in Seraphico ipſo Patre in eo complendis, ex mera induſtria, ab æterno deſtinatus, deputatuſque eſſet. Fuit & ab ejus filio, quem & univerſorum divinus Pater hæredem inſtituit, maximo favore non ſemel, ſed multoties cumulatus, cum vel ſua corporali præſentia locum dignatur, vel ſacra ſtigmata in ejuſdem Seraphici Patris Franciſci corpore producit. Fuit & à tertia in divinis perſona, Spiritu Sancto videlicet, ſummè honeſtatus, cùm ſacro ejus igne tum Seraphicus ipſe Pater, tum quoque plurimi alii Patres ac Fratres in ipſo inflammati fuerint. Fuit & à glorioſiſſima Virgine Deipara ſingulari gratia inſignitus, dum vel ejus præſentia fruitur, vel antiquioris conſtruendæ Eccleſiæ formam ab ea recepit, vel ipſam ſuos fratres ex arbore, ut prolocuti ſumus, benedicentem contuetur. Fuit denique & ab Angelis viſibili forma ſæpe ſæpius viſitatus, & à pleriſque ſummis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, atque Eccleſiaſticis Primatibus multiplici beneficio in Chriſti fidelium ſe accendentium favorem, ut infra dicemus, & ex Apoſtolicis, reliquiſque litteris in hujuſmet loci archivis aſſervatis liquido conſtat, dignatus.

Multa ibi Principum diplomata.

LI. Gregorius ſiquidem IX. Pont. Max. dimidiam pœnæ partem commiſſis criminibus ex Apoſtolica auctoritate remittit iis, qui vel ſacrum hunc montem, vel Eccleſiam in eo erectam in ſacrorum Stigmatum feſtivitate devotè viſitaverint. Ejus plumbea Bulla ab his verbis auſpicatur: *Seraphin volabant juxta Prophetam*, &c. Innocentius IV. Pontifex itidem Maximus, plumbeæ cujuſdam Bullæ datæ Lugduni, anno ſui Pontificatus VIII. virtute hunc ſacrum montem, quem & ſanctum appellat, in ſuam protectionem recipit. Et Apoſtolicorum duorum Brevium ibidem, eodemque anno datorum tenore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxat iis, qui vel ejus Eccleſiam in beatiſſimi Patris Franciſci ſolemnitate viſitaverint, vel eleemoſynas pro ejuſdem fratrum ſuſtentatione liberaliter erogaverint. Alexander Papa IV. virtute cujuſdam Apoſtolici Brevis dati anno ſui Pontificatus primo, cujus initium eſt: *Si novæ militiæ*, &c. omnibus tum Guardianis, tum Miniſtris, tum quoque Fratribus, Patribuſque præcipit, ne vel locum aliquando deſerant, vel ipſum aut in toto, aut etiam in parte demoliri permittant. Idem Alexander IV. Apoſtolico Brevi anno ſui Pontificatus II. edito, cujus exordium eſt: *Ad promerenda ſempiterna gaudia*, &c. centum dies de injunctis pœnitentiis remittit omnibus & ſingulis, qui ſacri hujus montis Eccleſiam in ſanctorum Franciſci, Antonii, & Claræ feſtivitatibus, vel per eorum octavas, viſitaverint. Idem quoque Alexander IV. virtute alterius Apoſtolici Brevis dati anno ſui Pontificatus III. cujus initium eſt: *Sanctorum meritis inclyta gaudia*, &c. centum alios dies ſatisfactioni adjudicatos relaxat iis, qui ad præfatam Eccleſiam in glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ſolemnitatibus, aut per earum octavas, acceſſerint. Idem etiam Alexander IV. dato alio Brevi Apoſtolico anno ſui Pontificatus VI. quod

quod ab his verbis exorditur: *Olim dum*, &c. tum Miniſtro, tum quoque ceteris hujus Tuſciæ Provinciæ Patribus, Fratribuſque exiſtentibus, ac pro tempore futuris ex Apoſtolica auctoritate præcipit, ne vel ſacrum hunc locum aliquando relinquant, neve inde vel campanas, vel ornamenta, vel libros amoveant, aliòque deducant: inſuper & ejuſdem loci habitatoribus, ut ſericeis paramentis ad Divinum cultum uti poſſint, concedit. Nicolaus IV. ſummus itidem Pontifex datis ſuis litteris quarum initium eſt: *Licet is, de cujus munere venit*, &c. annum & qnadragenam de injunctis pœnitentiis condonat iis, qui præmemoratam Eccleſiam in diebus ſanctis Franciſco, Antonio, atque Claræ ſacris, vel per eorum octavas viſitaverint. Benedictus XII. ſummus quoque Pontifex ex maxima, qua in ſacra Patris Franciſci Stigmata, atqne in hunc montem, ferebatur devotione, univerſo Ordini Franciſcano, ut præfatorum Stigmatum ſacrorum feſtum duplicatis antiphonis, id duplex majus appellant, celebrare poſſint, liberaliſſime conceſſit. Bonifacius Papa IX. expedita plumbea Bulla, cnjus principium eſt: *Splendor paternæ gloriæ*, &c. iis Chriſti fidelibus, qui prædictam Eccleſiam XVII. menſis Septembris, quæ dies ſacris Seraphici Patris Stigmatibus dicata eſt, devotè acceſſerint, eamdem prorſus indulgentiam, quam viſitantes ſacram ſanctæ Mariæ de Angelis prope Aſſiſium ædem II. menſis Auguſti promerentur, ex Apoſtolica auctoritate impertitur. Hanc indulgentiam expedita plumbea Bulla, cujus exordium eſt: *Dudum ſiquidem*, &c. Sixtus Papa IV. anno ſni Pontificatus V. confirmavit; illudque addidit, ut hujus Provinciæ Miniſter, vel Vicarius, & in horum abſentia præſentis loci Guardianus, per quatriduum ante præfatotum Stigmatum ſacrorum feſtum, idoneos quoſdam Patres in confeſſarios, qui eadem prorſus anctoritate, qua Vaticani Minores confeſſarii erga pœnitentes pollent, erga hunc locum accedentes, confiterique volentes fungi poſſint, ſeligere valeat. Innocentius VIII. ſummus quoque Pontifex plumbeæ cujuſdam Bullæ datæ anno ſui Pontificatus III. tenore, quæ ab his verbis exorditur: *Paſtoris æterni*, &c. Sixti IV. conceſſioni ſubſcribit. Inſuper & auctoritatem confeſſariis factam ad omnes caſus Epiſcopis ſive à jure, ſive à conſuetudine reſervatos extendit, & etiam concedit, ut præfata indulgentia tum in veteri, tum quoque in nova ſacri hujus montis Eccleſia à fidelibus promereri poſſit: & ut quæcumque vota, Religionis, Compoſtellano, Caſtitatis, atque Hieroſolymitano demptis, commutare poſſint: utqne & ſacramenta miniſtrare, atque mortuos apud ſe ſepelire valeant, ex Apoſtolica auctoritate concedit. Nicolaus tandem V. Pontifex Maximus plumbea Bulla, cujus principium eſt: *Inter cæteros*, &c. anno ſui Pontificatus V. expedita, quatuordecim annos, ac totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis remittit iis, qui adjutrices manus pro utriuſque iſtius loci Eccleſiæ, ac Conventus conſervatione porrexerint. Illuſtriſſimus Neapoleo tituli ſancti Adriani Cardinalis centum quadraginta dies de injunctis pœnitentiis remittit iis omnibus, qui propria peccata confeſſi ſanctæ Mariæ Eccleſiam hoc in ſacro monte erectam viſitaverint. Idipſum quoque vel ſacrorum Stigmatum Sacellum accedentibus, vel ſacram concionem hoc in eodem monte audientibus impertitur. Fratribus inſuper iſtius loci habitatoribus poteſtatem facit, ut ſibi dum extra montem concionantur, aſſiſtentibus quadraginta dies de eiſdem pœnitentiis remittere valeant; ac tandem omnibns annonam hujuſmet loci Religioſis afferentibus centum dies de præfatis pœnitentiis condonat. Il-

Iuſtriſ-

luſtriſſimus etiam Matthæus S. R. E. Cardinalis, ac Epiſcopus Portuenſis, nec non & Apoſtolicus Legatus centum dies de eiſdem pœnitentiis relaxat cuivis Chriſti fideli, qui præfatam hujus ſacri montis Eccleſiam in quacunque B. Virginis Mariæ, SS. Franciſci, Antonii de Padua, & Claræ Virginis ſolemnitate, vel in die conſecrationis ejus, vel in Paraſceve devotè viſitaverit. Idipſum quoque concedit Illuſtriſſimus Marcus tituli S. Marci Cardinalis, ac Aquilejenſis Patriarcha iis, qui ad eandem Eccleſiam vel in Paraſceve, vel in Dominica Palmarum, vel in feria II. poſt Paſcha, vel in prima menſis Auguſti, vel in ejus conſecratione acceſſerint, aut eleemoſynas pro conſervando ædificio, aut pro comparandis ornamentis erogaverint. Reverendiſſimus Marcellinus Aretinorum Epiſcopus quadraginta dies de injunctis pœnitentiis condonat iis, qui ſua liberalitate hujus loci fratres proſecuti fuerint. Idipſum facit Reverendiſsimus Guillelmus eorumdem Aretinorum Epiſcopus, qui & eamdem gratiam prædictum locum viſitantibus concedit. Præcedentibus duobus Epiſcopis ſubſcribit Reverendiſsimus Guido à Petra mala Aretinus quoque Epiſcopus. Præfatam indulgentiam duplicat in eorum favorem, qui ſacrum hunc montem devotionis ergo acceſſerint, ſacrorumque Stigmatum Sacellum viſitaverint Reverendiſsimus Angelus Piſaurienſis Epiſcopus. Reverendiſsimus Pizzimanus Feltrenſis Epiſcopus hujus ſacri montis cacumen petentibus, ne tantum laboris in caſſum ſubierint, quadraginta quoque dies de injunctis pœnitentiis remittit. Reverendiſsimus verò Guillelmus Ubertinus, Epiſcopus Aretinorum datis Bibienæ litteris XXI. menſis Julii, anno Domini MCCLXXV. quarum exordium eſt: *Quoniam ad hoc debet uiti humana fragilitas*, &c. ne aliqua mulier hoc in ſacro monte pernoctare, neve aliquis vir in nocte conſecrationis ejuſdem montis (ut tripudia, comeſſationes, laſcivi cantus, atque plurimæ aliæ diſſolutiones olim introductæ evitarentur) ibidem commorari; neve etiam aliquis, quicumque ille fuerit, abſque peculiari vel hujus loci Guardiani, vel ejus Vicarii facultate arborem in eo præcidere, vel præciſum inde aſportare aliquo pacto præſumat, ſub gravi interminatione præcipit.

Summi viri mōtem hunc viſitarunt.

LII. Hunc denique ſacrum montem quamplurimi Heroës, atque Heroinæ, Duces, Principes, Reginæ, atque Imperatores ſua præſentia honeſtarunt: de quorum numero fuere Sereniſſimus, pariterque pientiſſimus Henricus hujus nominis VIII. Romanorum Imperator, qui datis ſub hujuſmodi initio litteris: *Henricus Dei gratia Romanorum Imperator*, &c. ipſum in ſuam protectionem, atque tutelam ſuſcepit. Et Sereniſſima Joanna Franciæ Regina: & Sereniſſimi Hieroſolymorum, atque utriuſque Siciliæ Reges Robertus, & ejus uxor Sancia cum Carolo Calabriæ Duce eorum primogenito. Et Sereniſsima Joanna Græcorum Imperatrix, quæ ſumma hujus montis religione tacta ad ipſum, atque ad locum S. Mariæ de Angelis prope Aſsiſium inviſenda Conſtantinopoli ſolvit, & ad propria, poſt tantam peregrinationem reverſa, carniſque ergaſtulo ſoluta, proprium corpus Aſsiſium transferendum, atque ibidem in Eccleſia S. Franciſci tumulandum ex teſtamento voluit, cavitque. Ut autem multa paucis perſtringam, noverit curioſus lector inter præcipuos hujus ſacri montis, atque Conventus, Sacellorumque in eo erectorum benefactores ſibi annumerandos Sereniſsimos Hetruriæ Magnos Duces Coſmam, ejuſque legitimam uxorem Eleonoram à Toleto, eorumque uſque impræſentiarum ſucceſſores. Quod & eorumdem gentilitia inſignia

gnia tum ædificiis, tum ſacris veſtibus, tum jocalibus divino cultui deſtinatis, tum quoque libris impreſſa facile indicant. Ex plurimis tamen ſanctiſsimis Patribus, ac Fratribus, qui in hujus Monaſterii Eccleſia ſepulti ſunt, ne legentibus tædioſior ſim, aliquot tantùm in medium adducam, illos videlicet, qui peculiari aliqua prærogativa claruerunt. Et primo quidem loco Patrem Laurentium à Fabriano, Zacchæum ob ſtaturæ brevitatem paſsim vocitatum, qui fuit ſacerdotio, profundiſsima humilitate, caritate, ardentiſsima oratione, atque ſumma abſtinentia inſignis. Deinde obedientiſsimum fratrem Bernardinum ab Alverna laicum, qui LXXXIII. annis in maxima paupertate, vitæ auſteritate, atque perfectione hoc in loco Deo Opt. Max. inſervivit, Virginiſque Virginum, ac beatiſsimi Patris Franciſci, nec non & plurimorum aliorum Sanctorum præſentia, antequam animam cœlo redderet, dignatus eſt. Poſtremo verò loco devotiſsimum fratrem Marianum à Luco quoque laicum, quem Diabolus aſſumptâ felis, vel alterius animalis irrationalis formâ, ab oratione, cui inſtantiſsimus fuit, avertere, ſed fruſtra, maxima contentione nitebatur.

LIII. Ob tot, ac tanta hujus montis privilegia, & miranda ibi geſta
arcana, nihil mirum, ſi præclariſſimis in ſacra Scriptura memoratis mon- Cõparatur præcipuis Sacræ Scripturæ Montibus.
tibus hunc unum voluerit Petrus Rodulphus ita comparare. *Mons Dei,*
mons pinguis: In monte Morac requievit Arca Noë poſt aquarum collu- Rodulph. fol. 263.
viem: In monte Alvernæ requievit B. Franciſcus arca Divinæ Gratiæ. In Geneſ. 18.
monte Bethel ſtetit Abraham ab egreſſu patriæ, & cognationis ſuæ: in ſacro Gen. 13.
monte Alvernæ habitavit Franciſcus, qui Abraham imitatus eſt in fide. Ille
dictus eſt Abraham, id eſt, Pater multorum: hic ſingulari vitæ exemplo
multos ad vexillum Crucis congregavit. In monte Galaad ſtetit Jacob fu- Gen. 33.
giens Laban, ac juramentum factum eſt inter Laban, & Jacob: in monte
Alvernæ Vir Dei Franciſcus, Diabolum, Mundum, & Carnem ſupplanta-
vit, & fregit, Deoque juramentum præſtitit confirmatum in carne ſua. In
monte Phaſga Balaam vidit Iſraël: in monte Alvernæ Franciſcus vidit Num. 23.
Chriſtum. In monte Hor conditus eſt Aaron: in monte Alvernæ Franciſcus Num. 18.
Chriſto, qui eſt vita, ſummè copulatus. In monte Abirin Moyſes ſpeculatur Deut. 32.
terram promiſſam Iſraël, nec ingreditur: in monte Alvernæ vitam æternam Exod. 20.
cernit Franciſcus ſibi promiſſam. In monte Sina lex vetus Moyſi datur: in
monte Alvernæ lex Evangelica Franciſco exaratur. In monte Garizim Joſue
benedictio datur à Domino: in monte Alvernæ B. Franciſco benedictio data
confirmatur. In monte Moria templum Domini à Salomone ædificatur: in 3. Reg. 6.
monte Alvernæ corpus, & anima Franciſci ſingulari quodam modo efficitur,
& conſecratur templum Chriſti. In monte Libani thus colligitur, quod Deo Luca 22.
offertur: in monte Alvernæ Franciſcus in Crucis Ara Deo ſacrificatur. In
monte Golgotha, & Calvariæ Jeſus crucifigitur: in monte Alvernæ Franci-
ſcus Crucifixo conformatur. O quot ibi ſanctus Pater Franciſcus ſuſpiria
emiſit? Quot amaros ſingultus ex intimis viſceribus eduxit? Quoties
arentem humum lacrymarum imbribus madefecit? Quoties mens ejus di-
vinis inſtillationibus perſuaſa loquebatur cum ſpirittibus cœleſtibus.
Verè *mons Dei, mons pinguis, in quo beneplacitum eſt Deo inhabitare,* qui Pſ. 67.
rectè illud dicere poſſet: *Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus.* Dan. 4.
Præcipua hujus montis myſteria, ædificia, ſacella mediocri libello deſcripſit Auguſtinus de Miglio; & totius montis, ædificiorumque frontiſpicium, vel proſpectivam omni ex parte typis æneis non parvo ære, nec modico labore, ad hominum exterorum excitandos affectus graphicè,

& ad

& ad vivum expreſſit anno Domini MDCXII. Fr. Linus Moronus Florentinus ſub auſpiciis Reverendiſſimi D. Fr. Archangeli de Meſſana, olim Miniſtri Generalis Ordinis Minorum, & Archiepiſcopi Montis regalis in Sicilia.

Supra n.31. LIV. Calamum hucuſque ſuſpendit non inaniter, neque injucundè, ut ſpero, myſterioſus hic mons, quem ſupra diximus Franciſcum per ſuos ſocios occupaſſe, quos ex Romanulæ, ſeu Romandiolæ vico illuc *Marian. c.10. §.14.* tranſmiſit. Interim ipſe quædam loca luſtravit, & Bononiam pervenit, *Anno 1211.n.27.* ubi ſuis, quos ſupradiximus, jam illius Urbis accolas, viſitatis, devenit *Bonav. c.6.* Immolam, in via Æmilia, olim forum Cornelii dictam, optimo agro, latifundiis campeſtrium, & amœnorum collium frugum omnium feracibus locupletem. Hujus Civitatis Epiſcopum adiit, humiliterque popoſcit, ut cum ipſius beneplacito poſſet populum ad prædicationem vocare. Cui Epiſcopus durè reſpondens: ſufficit, inquit, frater, quod ego prædicem populo meo. Inclinavit caput verus humilis; & foras egreſſus, poſt modicam horam regreditur intrò. A quo, cum Epiſcopus quaſi turbatus requireret, quid iteratò petere vellet: humili tam corde, quàm voce reſpondit: Domine, ſi Pater filium uno pepulerit oſtio, alio ſibi reintrandum eſt. Humilitate victus Epiſcopus, alacri vultu eum amplexatus eſt, dicens: Tu, & omnes Fratres tui de cetero, in Epiſcopatu meo, generali mea licentia prædicetis, quia illud humilitas ſancta promeruit.

Vincit Franciſcus Epiſcopum humilitate.

LV. In hac Regione quædam loca ſancta prædicatione, & raro comparavit exemplo, è quibus notatum reperio unum *ſancti ignis dictum*. *Marian. cit. §.13.* Hujus capiundi ex Bonaventura hanc refert Marianus originem. Inter Lombardiam, & Marchiam Tarviſinam iter agente cum Fratre ſocio juxta *Bonav. c.5.* Padum, tenebroſa noctis ſupervenit obſcuritas. Cumque via eſſet expoſita periculis magnis, & multis propter tenebras, fluvium, & paludes, dixit ſocius ad Virum ſanctum: *Ora Pater, ut de inſtantibus periculis liberemur*. Cui Vir Dei cum fiducia multa reſpondit: *Potens eſt Deus, ſi placet ſuæ dulcedini, tenebrarum effugata caligine, beneficium nobis impendere lucis*. Vix ſermonem compleverat; & ecce tanta lux illicò cœpit circa eos ſuperna radiare virtute, ut nocte aliis exiſtente obſcura, ipſi luce clara viderent non ſolùm viam, verùm plurima circumquaque: cujus lucis ducatu corporalitèr directi, & ſpiritualiter confortati, uſque ad locum hoſpitii per non modicum viæ ſpatium cum divinis hymnis & laudibus incolumes pervenerunt. Mirabilem autem ſuam directionem divini ignis obſequio conſiderans ſanctus Pater dixit ad fratrem Leonem: voluntas Dei eſt, ut hîc noſtris acquiramus habitaculum, quo nos tanta miſericordiæ ſuæ dignatione perduxit. Ab Oppidi accolis ſervi Dei prædicatione excitatis intra paucos dies, quod optarunt obtinuerunt, & ex antecedenti miraculo Conventum *Sancti ignis* appellaverunt, quo nomine ad hanc uſque diem à vicinis populis, & Minoribus inſignitur.

Nocte obſcura lux ei radiabat.

Rodulph. fol. 274. LVI. Creſcente quotidie, & urgente deſiderio martyrii, hinc per Pedemontanos acquiſito in oppido Cherii ſuis conſodalibus domicilio tetendit in Hiſpaniam, ex hac transfretaturus verſus Marrochium. Qua verò illuc trajecerit an terra, marive? vel an amplius quidquam notatu dignum in hoc itinere patraverit, ſignatum non invenio. Id movet, ut aſſeram per Galliam perrexiſſe, quod ex noſtris, aliorumque monumentis mihi probetur, quod per Navarræ Regnum, Galliæ conterminum, *Gonza. in Prov. Burgen. con. 2.* primum Juliobrigam, vulgò Logronium, olim Cantabrorum, modo Caſtellæ veteris, quam vocant, Urbem pervenit. In Hiſpaniarum ingreſſu ſcri-

Pergit in Hiſpaniam.

ſu ſcribit ex legenda antiqua Marianus ei occurriſſe in via derelictum, & deſtitutum pauperem quemdam, languidulum, compaſſumque ſanctum Virum tantæ miſeriæ, præfeciſſe ejus ſaluti fratrem Bernardum à Quintavalle, qui genuflexus, inclinato capite, humiliter, & libenter ejus curam ſuſcepit, & egit, quoad denuò reverſus ſanctus Præceptor, paupere integræ ſanitati reſtituto, eum ſecum reduxit anno ſequenti in Italiam; cui poſtea, ut ſuo narrabimus loco, facultatem fecit peregrinandi ad S. Jacobi ſepulchrum.

Marian. §.15.

Præficit pauperi infirmo curando fr. Bernardum.

LVII. Dilabente hoc anno appulit Juliobrigam, ubi cujuſdam nobilis, cognomento Medrani, qui tunc fortè ſub Regis Caſtellæ ſignis adverſus Navarræum militabat, filium graviſſimo morbo laborantem, è mortis faucibus eruit, priſtinæque ſoſpitati reſtituit. Id hoc anno factum, non ſequenti, ut ſcribit Gonzaga, præterquam quod antiqua chronica MSS. teſtentur, ex ipſo convincitur Gonzaga, qui in deſcriptione Conventus Burgenſis, & Toletani hoc ipſo anno ait S. Franciſcum Burgos (antiquis Auca, aliis corruptè, ut rectè notat Merula, Maſpurgum, quam dignè laudat L. Marinæus) veniſſe, quo tamen per Juliobrigam ad Septemtrionem, non longè à finibus Navarræ ad Iberum flumen ſitum, hoc jam patrato miraculo, pervenit. Illuc tunc, ut indicare videntur Mariana, & Rodericus Toletanus, vel paulò poſt, ut ait Garibajus, Rex Caſtellæ Alphonſus IX. appulit, ibique ad colloquium Placentiam convocatum generum ſuum Alphonſum Luſitanorum Regem, hujus nominis II. cognomento Craſſum, quoniam brevi adſuturum non ſperabat, totus intendebat in Gallici belli apparatum. Domi, foriſque, in pace, & militia clarus, nec pietate inferior, quippe vel hinc ſancti cognomen adeptus hic Princeps, accedentem ad ſe humillimè virum Dei, humaniſſimè excepit, & lectâ ejus regulâ, quam perperam, vel librariorum vitio tunc confirmatam aſſerunt Gonzaga, & Joannes Mariana ab Honorio III. (ſed pro Honorio caſtiga Innocentio) & longiuſculo inito colloquio, ædificandorum in ſua ditione ſui ſodalitii Collegiorum facultatem donavit.

Sanat juvenem languentem.

Marian. l. 3. de reb. Hiſpan. de prov. Galle.

Marian. l. 12. de reb. Hiſp. c. 2.

Roderic. l. 8. c. 14.

Garib. to. 2. l. 12. c. 36.

Laudatur Alphonſus IX.

Excipit benignè Franciſcum.

Gonzag. cit.

Marian. cit. c. 8.

LVIII. Probant hæc, præter alias hiſtorias, quatuor lapideæ imagines, portæ matricis Eccleſiæ ſuperpoſitæ, quarum altera ſancti Franciſci, altera B. Dominici Regi ſuas regulas expandentium, & S. R. E. Cardinalium litteras offerentium; alia ejuſdem Alphonſi Regis; alia denique Eleonoræ Reginæ, præfati Regis uxoris, hos Patriarchas gratanter excipientium perſonas repræſentant. Quæ tamen aliquibus errandi miniſtrarunt occaſionem, ut dicerent, ſimul utrumque Inſtitutorem illuc adveniſſe; cum ſanctus Dominicus per ſe, non niſi ſub Ferdinando Rege, ſanctus verò Franciſcus ſub Alphonſo præfato ſuum in Hiſpaniam induxerit Inſtitutum. Annum MCCXVIII. aſſignat adventus ſui Inſtitutoris, & erectionis primorum Conventuum S. Antoninus, nec non Joannes Mariana, ſed & alium poſteriorem aſſignandum multis contendit Ferdinandus à Caſtillo, quod alias examinabimus: & primos Prædicatores tranſmigraſſe, vel miſſos à B. Dominico anno MCCXVII. dicit Theodoricus ab Apoldia. Sanctum verò Franciſcum unanimi conſenſu omnes ſui Ordinis Scriptores, vel hoc anno, vel ſequenti ad Hiſpanos permeaſſe teſtantur; quorum differentia ita concilianda, ut in fine anni hujus appulerit, & ſequenti interiora Hiſpaniæ peragrarit. Corrigendus ergò Mariana, qui B. Franciſcum ſancto Dominico poſteriùs in Hiſpaniam veniſſe ſcribit. Et inane argumentum à ſculptis Burgis imaginibus ex facili licentia Pictorum, & Sculptorum adjungendi quod volunt, refellitur, ut opti-

Sub quo Rege venerint in Hiſpaniam Dominicus & Franciſcus.

Enchirid. temp. fol. 31.

Anton. 3. p. tit. 23. c. 4. §. 5.

Marian. l. 12. c. 8.

An. 1219. n. 5. & ſeqq.

Caſtillo lib. 1. chron. Ord. Præd. c. 40.

Theodoric. l. 2. c. 2.

Marian. cit.

Gonza. in prov. Caſtel. con. 1. *Carthag. de reb. Hiſp. c. 83.* *Garib. l. 12. c. 46.*

optimè reſpondent Gonzaga, & Caſtillo, qui, cum Alphonſo à Carthagena, & Stephano de Garibay, notat primum illius Eccleſiæ lapidem jactum ab Epiſcopo Mauricio v. Idus Julias anno MCCXXII. poſt quem interlabi oportuit non adeò breve tempus, ut opus ad eum perveniret ſtatum, quo ſuperponendæ eſſent hæ ſtatuæ, & quo excidere potuit ab hominum memoria, quo anno, vel ſub quo Rege, uterque adfuerit Patriarcha. Quod ſi regia illa ſtatua Ferdinandum exprimat, non immerito ei adſtant ſanctiſsimi Patriarchæ, quippè illorum ſodalitia hujus favore, & auſpiciis in Legionis, Toleti, atque Caſtellæ Regnis florere, & multiplicari cœperunt. Nam B. Dominicum, & Joannem Parentem à S. Franciſco deſtinatum ſuum Commiſſarium in Hiſpaniam, diverſis licet annis excepit, plurimiſque favoribus proſecutus, augendæ, latiuſque diſſeminandæ ſuæ Religionis poteſtatem, & auxilium impertiit.

Garib. cit. c. 47. Burgis locũ excipit Franciſcus. *Gonz. in prov. Burgen. con. 1.*

LIX. Ab Alphonſo autem, non à Ferdinando, ut perperam putavit Garibayus, in hac Burgenſi Civitate, uti diximus, facultate conceſſa Franciſco ſuæ Sodalitatis domicilia extruendi, ædiculam Archangelo Michaëli dicatam, atque cujuſdam montis clivo, aliquantulum à præmemorata Civitate Burgenſi diſtantis, eminentem occupavit, ibique aliquamdiu ſubſtitit. Cœptam autem peregrinationem continuaturus, unum, vel alterum ex ſociis, qui ejus curam gereret, ibidem reliquit. Mutarunt poſt Fratres locum hunc minimè favorabilem alio commodiori; non longè tamen ab hoc diſtanti; quo verò anno, non omninò conſtat. Extat cujuſdam Petri Diaz, Eccleſiæ Burgenſis Canonici, teſtamentum, quo ante annum MCCXXX. legat Fratribus pinguem eleemoſynam ad ſui Conventus conſtructionem: & in Cœnobii Archivo aſſervatur Apoſtolicum Innocentii IV. diploma datum anno MCCXL. quo certa annorum de injunctis pœnitentiis quantitas fidelibus, adjutrices manus ad hujus loci conſervationem porrigentibus, ex Apoſtolica auctoritate relaxatur. Quæ ſcripturæ convincunt paulo à ſancti Franciſci morte Fratres ſedem mutaſse, cui ædificandæ Canonicus Fratribus pecuniam legat, & conſummantibus Pontifex indulgentiam concedit. Ex piorum eleemoſynis affabrè, & elegantiſsimè conſtructa eſt, & pulcherrima gaudet Eccleſia, in altero cujus ſacello, Seraphico Patri dicato, Anonymus quidam ex ejus ſociis tumulatus eſt. In prima verò ædicula tria primitivorum incolarum corpora jacent, quæ anno Domini MDLXIX. dum fortè fortuna ipſa ædicula reædificaretur, integra omninò, carnibus tamen conſumptis, uno & eodem in loco apparuerunt, & ab univerſa fere Civitate viſa ſunt. Qua etiam de cauſa is locus in magna eſt apud Burgenſes veneratione.

Miraculo approbat Deus hoſpitalitatem Minorum.

LX. His adjungit Gonzaga duo miracula in Patrum hujus ædis gratiam patrata, quibus teſtificatum voluit Deus, quantum ſibi placeat, pauperum præcipuè Religioſorum hoſpitalitas. Nam, cum devotus quidam Petrus à Renuntio Oppidi *Tardajos*, Hiſpanicè nuncupati, quod diſtat Burgis ſex mille paſſibus, accola, qui Franciſcanos indè tranſeuntes humaniſsimo hoſpitio excipere ſolitus erat, in gravem infirmitatem incidiſſet, atque morti, juxta revelationem ſibi divinitus factam, propinquus, aliquot ex hoc Conventu Fratres, qui ſibi morienti adeſſent, evocari juſſiſſet, nec illi itineribus, altiſsimis nivibus obſeſsis, ejus votis ſatisfacere potuiſſent; adfuêre ex inſperato duo graviſsimi Franciſcani circa medium noctis, quorum ſenior infirmo plura de cœleſti regno, deque vita beata propoſuit, aperuitque: atque tamdiu adfuit, quouſque

ani-

animam ſuo Creatori ille redderet, reſtitueretque. Eo tamen vita functo, ut primum ejus animam Deo Opt. Max. de religioſo more ambo commendarunt, omnibus interim, qui defuncto aderant, ſalutatis, receſſerunt: nec ab aliquo ſupervenientium poſtea fratrum agniti ſunt. Qua de cauſa tum a Fratribus, tum quoque a Sæcularibus is rei eventus ſingulari Deo beneficio tributus extitit. Præterea, cuidam præfati Petri a Renuntio filiæ graviſsime infirmanti, quæ poſt cari parentis obitum tranſeuntes Franciſcanos ad ſe declinare voluit, adfuit Seraphicus Pater Franciſcus, qui eam ex tempore integræ ſoſpitati reſtituit, atque de obitus die certiorem reddidit.

LXI. Sancto Patre Franciſco, ut diximus, ulterius pergente, & in remotis Hiſpaniarum plagis poſito, filii in valle Spoletana ſub Fr. Petri Catanei ſancta vivebant diſciplina, Patris vultum, ut iterum videre liceret, continuo deprecantes. Præ ceteris mœrebat ad tanti Patris abſentiam ſancta Virgo Clara, quam ſacro clauſam reliquit ergaſtulo, & quæ hoc anno, ultra ſororem Agnetem, alias cœpit habere diſcipulas: voluit enim Dominus ne cæleſtis hujus benedictionis vena, quæ in valle Spoletana ſcaturiit, breves intra terminos concluderetur, ſed amplum derivaretur in amnem, ut fluminis impetus, totam Eccleſiæ lætificaret civitatem. Nam virtutum Claræ fama diffundi cœpit, & poſt eam adoleſcentulæ concurrerunt in odorem unguentorum ſuorum. Bino hoc carmine id exprimere voluit vitæ ejus auctor apud Surium. *Clara nomen diffunditur.* *Anonym. c.7.*

Clauſa manens Clara, toto clareſcere mundo.
Incipit, & laudum titulis præclara refulget.

LXII. Inter primas a ſorore diſcipulas illuxit ſoror Pacifica Guelfutii ſanctæ Virginis conſanguinea, & in ſæculo vicina ex domo contigua ſumme familiaris. Mediæ erat ætatis mulier, quando ad Claræ exemplum ſe clauſuræ commiſit; nam & Hortulanam Claræ matrem, robuſte & ſupra adoleſcentulæ vires comitata eſt ad civitatem ſanctam Hieruſalem, & alias ad delubrum S. Michaelis in monte Gargano, & demum ad viſitanda limina Apoſtolorum. Sancte vixit in ſæculo, & ſanctius in Religione. Senſit, inter ceteras ſorores, virtutem ſuæ magiſtræ, dum variis & inſtantibus febribus cruciata, repente integra donatur ſanitate ex deducto per eamdem ſuper ſe crucis ſignaculo. Tantæ pervaſit ſanctitatis, & apud Claram opinionis, ut idonea videretur, quæ Hiſpellum, quinto ab Aſsiſio lapide mitteretur, ut Monaſterium Vallis gloriæ dictum, cujus Moniales non adeo arcte, nec perfecte ſecundum Claræ magiſterium vivebant, reformaret; quod & oportuit Claram magiſterio Franciſci, & miniſterio Fratrum in aliis pleriſque Monaſteriis præſtare; „ Nam & „ præter iſtud, & S.Damiani Aſſiſiatis, alia quinque per ſe ſuaſque Diſci„ pulas conſtruxiſſe comperio: unum prope Fulgineum ad fontem Car„ pelli ſub titulo S. Mariæ caritatis; alterum, intra prædictam Urbem, „ S. Catharinæ; & tertium ibidem, Vallis gaudii nuncupata: quartum „ extra eamdem Urbem ad fontem Cruſticæ: quintum prope Hiſpellum „ ſub invocatione S. Damiani. „ Cum vero aquæ penuria primum hoc Hiſpelli Cœnobium laboraret, coadunatis ſororibus, & præmiſsa oratione, ſoror Pacifica miraculoſe aquam impetravit. Nam intra Monaſterii ſepta apparens ſpecioſiſsima cerva, ungulis veluti terram effodiens, eduxit coram oratricibus copioſam venam aquarum ex arido & ſitienti loco, quæ in hunc uſque diem ſcaturire non deſinit, & eam devote potantibus infirmis miraculoſe tribuit ſæpius ſalutem. Poſt unum, aut alte- *Marian. in append. l.1.* *Rodulph. lib. 1. fol.140.* *B. Pacifica Claræ diſcipula.* ADDITIO Patris Lucæ Waddingi.

alterum annum reverſa eſt hæc Dei famula ad ſanctum Damianum, ubi in Claræ conſortio ſancte, religioſeque vivens obdormivit in Domino nonagenaria, tumulata in Eccleſia S. Georgii, ad quam ſimul cum Monialibus ſancti Damiani poſt Claræ mortem translata eſt.

B. Soror Amata. Marian. cit. Rodulph. f. 136. Proceſſ. canoniz.

LXIII. Hanc ſecuta eſt Claræ neptis ſoror Amata D. Martini de Corano filia, B. Balbinæ, de qua nos alias, germana ſoror plurima virtute inſignis. Eam parentes viro parabant, & vane in hunc finem ornabant. Laſcivienti ut ſolet ætati placuit veſtium luxus, & ornatus nimius, arriſitque inſana procorum ſalutatio. Doluit Clara de conſanguineæ periculo, a quo, ut liberaretur, & Deum potius ſtuderet amare, quam homines, enixe rogavit. Voti compos facta eſt, nam cum quodam die veniret, ut Claram viſitaret, adeo ejus verbis, & ſancta commota eſt exhortatione, ut ſtatim ſæculo libellum remiſerit repudii, nec a conſanguinea amplius potuerit divelli. Eam nimio pœnitentiæ rigore infirmam hydropiſi, & continua tuſſi per annum integrum, & menſem laborantem ſancta Clara crucis ſigno, manuumque impoſitione, repente ſanavit. Cara valde fuit ſanctæ magiſtræ, ejuſque opera ſæpius uſa eſt in ſuis languoribus, atque in poſtremo ei oſtendit Chriſtum ſibi adſtantem, cui Dominus dignatus eſt ſemet exhibere ſpectandum. Notæ virtutis, & ſanctitatis poſt Claram obiit. Corpus ejus conditum eſt in Eccleſia S. Georgii, cum prædicta ſorore Balbina.

B. Soror Chriſtina. Marian. cit. Rodulph. f. 137. Proceſſ. canoniz.

LXIV. Soror Chriſtina filia D. Bernardi de Suppo Aſſiſiate, ſocia & familiaris fuit B. Claræ in ſæculo, in iiſdemque ſæpius cohabitabant ædibus, ſecretorum colloquiorum ſanctæ Claræ cum B. Franciſco hæc conſcia erat, & Dei ſponſam occulte ad Franciſcum euntem comitabatur. Eam ſecuta eſt ad ſponſi thalamum, & ſacrum aſylum, in quo quadraginta tribus annis commorata, dies ſuos ſancte finivit plena bonis operibus in Monaſterio S. Damiani.

B. Soror Agnes. Marian. cit. Proceſſ. canoniz.

LXV. Soror Agnes filia D. Opportuli Bernardi Aſſiſiatis, qui ad annum MCCXXVIII. œconomus fuit Monaſterii S. Damiani, ut ex originali ſcriptura ejuſdem Cœnobii ad illum annum oſtendam, inter primas Claræ conſocias numeratur; quæ tenerula ætate Monaſterium ingreſſa, mundum ignorans ob columbinam ſimplicitatem, cara fuit præfectæ. Voluit experiri cilicii Claræ aſperitatem, quam tantam eſſe comperit, ut licet alias pœnitens, & in ſe ſevera, non potuerit per diem integrum illud perferre, ut in Proceſſu pro canonizanda ſancta Clara, inter cetera ejus pœnitentiæ opera depoſuit. Vidit aliquando puerulum Jeſum Claræ colludentem, & blandientem in Choro, dum concionantem Minorem quemdam audiret; qui an Chriſtus eſſet, dum dubitaret, facta eſt ei interior vox: *In medio eorum ſum*, & perſuaſio efficax, ut crederet Chriſtum cum ſuis dilectis, & in medio congregatorum ſua verba debite audientium, adeſſe. Alias etiam conſpexit lucem magnam ſuper Claram deſcendentem, ſimulque revelationem accepit, tunc Spiritum Sanctum ſpeciali quodam influxu in eam deſcendiſſe. Appoſita eſt ad ſuas conſocias in æde S. Georgii.

B. Franciſca. Marian. Proceſſ. Rodulph. fol. 139.

LXVI. Soror Franciſca, adſcititio ob Sancti Franciſci affectum nomine, D. Capitanei de Colle medio filia, hoc tempore ingreſſa, tantæ evaſit virtutis, ut in die Apoſtolorum Philippi, & Jacobi meruerit videre Chriſtum infantulum in Claræ gremio, & Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſpecies in puerum ſpecioſum converſas. Sex annis graviſſimo dolore capitis laborans Claræ precibus meruit ſanari. Jacet apud Sanctum

ctum Damianum. Ibidem ſepultæ etiam Soror Angeluccia hujus temporis monialis, Claræ familiaris, virtutis ſpectatæ: & Soror Benevenuta Dominæ Diambræ Aſſiſiatis filia, viginti ſex annis cum Clara converſata, per quam liberata fuit a quinque fiſtulis, quibus per annos duodecim vexabatur. Meruit in tranſitu ſanctæ Claræ Virginem Sanctiſſimam Mariam cum turba Virginum lecto circumſtantium videre.

B. Benevenuta.

LXVII. Hoc anno in menſe Septembri advenit alia de Peruſio nomine Benevenuta, quæ ob magnam ſanctitatis opinionem ſparſam de utraque Sorore Clara, & Agnete (quas in ſæculo, veniens bis cum parentibus Aſiſium, cognovit, & valde dilexit ex familiari, & mutuo inter parentes commercio) deliberavit eas imitari. In continua regulari obſervantia perſeveravit, proptereaque a Clara valde dilecta. Recepit etiam vocis, quam amiſerat, beneficium Claræ interceſſione; poſt quam obiit non ſine ſanctitatis nomine: ejus oſſa translata ad S. Georgii Cœnobium. Harum aliarumque hujus temporis Claræ diſcipularum, neque notitiam, neque miraculorum, aut rerum inſignium memoriam aliam reperire potuimus, quam quæ habetur in Proceſſu Canonizationis ejuſdem ſanctæ Claræ: ex quo hæc pauca, ut licuit, ſunt extracta. De aliis Clariſſis alias erit ſermo locupletior.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Decubuerat anno proxime præterito, & etiam hujus initio, „ tertiana modo, & modo quartana laborans ſanctus Pater „ Franciſcus, qui nihilominus animarum ſalutem ſummopere zelans, „ ipſis in infirmitatibus corporis feriari neſcius, omnium utilitati ex „ ipſo ſtrato ſtudebat, ut inclytæ ejus Epiſtolæ, eo efficaciores, quo „ ſimpliciores, ſed ſtilo caritatis exaratæ, ad Chriſtianos quoſcumque, „ Religioſos, Laicos, tam viros, quam mulieres ubique terrarum com- „ morantes directæ, ſincere teſtantur. Ut convaleſcere tantus vir cor- „ pore cœpit, animum in immenſum dilatavit, & eo caritatis igne, quo „ ſupra ſuæ naturæ vires in univerſum Orbem ferebatur, ad Evangeli- „ cum prædicandi pœnitentiam cunctis arduum opus ſe ſe accinxit. Cu- „ ra in Chriſto filiorum ſuorum Fratri Petro Cataneo Religioſo integer- „ rimo commiſſa, & aſſumpto in ſocium Fratre Bernardo, cum nonnul- „ lis aliis Umbriam, Italiæ Regionem, a Sennonibus, Picenis, & ex „ parte a Sabinis Apennino diviſam, Tibere vero ab Hetruria, & Nare „ a Sabinis ſecretam, impigro labore luſtravit. Aſſiſium Urbem pa- „ triam ad radicem Apennini, Spoletum ex plano aſſurgens colli, cum „ ſua valle, Fulgineum ad Tineam fluvium, Interamnam, & Narniam, „ ambas ad Narem, Florentiam ad Arnum in Hetruria, & Senam um- „ bilicum Italiæ, colli impoſitam; Apennini ſubinde juga tranſgreſſus „ montem Feretranum, ſeu Leopolim, in rupe prærupta, Forum Cor- „ nelii in Æmilia ad fluenta Varenni, pleraque alia loca inviſit, ubique „ verba vitæ, cum maximo audientium fœnore diffundens; interea „ Deo præpotenti, gratia cooperante, & inſignibus prodigiis Servum „ ſuum mirificante, ea occaſione Cœnobia non pauca fundavit: quæ „ quidem omnia latius noſter Waddingus enarravit.

S. Franciſcus ſcribit ad univerſos Chriſtianos.

Wadd. ad hunc annum uſque ad annum 58.

Regiminis cura commiſſa Petro Cataneo, peregrinat & Umbriam luſtrat.

„ II. Magis vero ſemper in ſuis præcordiis flamma divini amoris au- „ gebatur, quæ animum ad ulteriora pro ſalute cunctarum gentium ur- „ gebat; præcipue vero Africam ab impio Mahumeto ſeductam medita-

Gentis Africanæ converſionē deſiderat.

ba-

,, batur, deque ea cum ſuis frequenter differens, in hæc verba ſuſpirans
,, erumpebat: *O Tingis, Tingis, o dementa Tingis, o Marrochium, Marrochium, illuſa Civitas, & quando ſedentes in tenebris, umbraque mortis ad Evangelii lucem experrecti oculos mentis aperietis, & cæcitatis veſtræ ſomnum excitabitis?* Porro Marrochium civitas, olim Epiſcopali
,, dignitate fulgebat, ad Aſamam fluvium in Oceanum Atlanticum de-
,, currentem. Urbs profecto Regia, ac totius Africæ maxima, in qua
,, Miramolinus, ſeu Miramamolinus, qui interpretatur, *multarum gentium Rex*, ſui Imperii ſedem habebat. Turris in ea adeo excelſa eſt,
,, ut ex ea Mons Solis..... maritima a Luſitanis occupata, centum tri-
,, ginta millia paſſuum intervallo, conſpiciatur. Tingis autem, vulgo
,, *Tanger*, etiam olim & ipſa Epiſcopalis, Mauritaniæ clariſſima & lit-
,, toralis, a qua tamquam Metropoli, Provincia Tingitana ad fretum
,, Herculeum inter Septam (prius Exiliſſam, & vulgo *Ceuta*) & Aby-
,, lam, contra Calpem, alterum montem in Hiſpania, dicta eſt. Ad
,, eas igitur oras, & gentes collimans ſua deſideria S. P. Franciſcus,
,, jam Carthejam Hiſpaniæ, contra Zilium Africæ, jam mente veluti ma-
,, nutenebat, ac dubium Herculis fretum audax, & imperterritus traji-
,, ciebat. Verus Dei zelus etiam viribus corporis majora molitur, ne-
,, ſcitque modum, quem nihilominus a moderamine divinæ voluntatis
,, accipit; unde nec errat, nec errare valet. Ergo interea, ſecus diſpo-
,, nente Deo motore, nulli parcens labori, huc atque illuc per Italiam
,, diſcurrebat, populis undique ad ſe confluentibus ſuorum crimiuum
,, pœnitentiam, ac ad avertendam iram divinam improbæ vitæ emenda-
,, tionem indicens.

Miramol. Rex multarum Gentium.

Turris mire celſitudinis.

,, III. Pedemontanas per oras, ac inde per Galliam, & Navarram
,, Virum Dei trajeciſſe in Hiſpaniam, dilabenteque anno Juliobrigam
,, perveniſſe, brevi facta mentione Cherienſis domus, hic Waddingus
,, enarrare perrexit: verumtamen, præter Cherium, etiam Cayrum,
,, Corteniilliam, Aſtam, Montem-Calerium, Taurinum, ſeu Taurino-
,, rum Auguſtam, Avellianam, & Secuſium, quod ultimum inter Alpium
,, anguſtias in Galliam viam aperit, Apoſtolicum Virum cum ſpirituali
,, gaudio excepiſſe, eique loca ad incolatum pro ſe, & ſuis, lubenti
,, animo, & maxima cum pietate conſignaſſe, non tantum fama, ſed
,, etiam recondita monimenta ex Archivis tum Ducalibus, ac etiam
,, Conventuum, tandem reſerata, etiam nolentibus pandunt: ut Re-
,, verendiſsimus noſter Paulus Britius, Epiſcopus Albenſis, ſerio
,, ſcripſit.

Pedemontium, Galliam, Navar. Hiſp. perluſtrat.

Wadd. ad hunc annum.

Paulus Britius in ſua Seraph. ſubalp. lib. 1. c. 2. & l. 2. de Conv. Cayri.

,, IV. Ita igitur ſe habentibus rebus, per Liguriam tranſiens Jeſu
,, Chriſti generoſus Athleta, & Apenninos colles ſupra Sabatiam, ſeu
,, Saonam, ubi ſe ſe demittunt, ac itinerantibus facilem viam aperiunt,
,, ſuperans, emenſis tredecim circiter milliaribus in Occidentem æſti-
,, vum, Cayrum, ſive Carum, in Diœceſi Albenſi perantiquum, & no-
,, bile oppidum, vetuſtis quidem bellorum turbinibus olim dejectum;
,, ſed licet in anguſtiorem formam redactum, artis elegantia reædifica-
,, tum, non deſpicabili muro, contra improviſos hoſtium inſultus cir-
,, cumvallatum, Caſtroque in ſublimiori parte collis munitum, Urbis
,, faciem præferens, primo offendit. Præcurrerat, vel eum certe co-
,, mitabatur ſuorum mirabilium glorioſa fama, a qua ſubito Oppidani
,, permoti confluentes, ut Angelum Dei exceperunt, ejuſque verba
,, ſalutis peravide auſcultantes, gratias agere Deo, qui per ſervi ſui
humi-

Sabatia, vel Saona.

S. Franciſcus apud Cayrum.

Excipitur ab Oppidanis.

,, humilitatem, doctrinam ſanam, & exemplum efficax, ſe præveniebat,
,, melioremque ad frugem, quam Vir Dei veræ pœnitentiæ præco pero-
,, ptabat, amarâ quâdam dulcedine amoris, & odii potentiſſimè urge-
,, bat. Inter hæc autem Spiritus Domini, quo ferebantur, eos impulit,
,, ut Sanctum deprecarentur apud ſe ſtationem figere, pro ſe, & ſuis
,, perpetuò communem, quorum preces exaudivit pius Pater. Situs ad
,, ædem conſtruendam, qui ad ejus mentem, ſolitarius contemplationi,
,, & meditationi idoneus, haud verò nimium remotus, ut inde ad mun-
,, danos commonendos de mandatorum Dei obſervantiâ, vel ad viam
,, æternæ ſalutis per ſemitas virtutum ſtrenuè calcandam, quandò ratio
,, dictaret, facilis eſſet egreſſus, quærebatur, cùm exiguus quidam cli-
,, vus ad inſtar Valliculæ umbroſæ, mille circiter paſſus à Cayro ſemo-
,, tus, ad lævam decurſus Bormidæ amnis, lætam per planitiem agrorum,
,, perpulchris, & virentibus colliculis, in amphitheatri formam jucundè
,, cinctam, occurrit. Placuit, & quaſi ſanctitatis odorem jam expiraret,
,, cum Viro Dei devotè ſolitudinis amatori, concordi voto unanimes
,, obtulerunt, ac ita inſpirante Altiſſimo pauperibus Religioſis, ea ſo-
,, litudo dedicata fuit, felici quidem animarum ſorte, cùm ad loci Ec-
,, cleſiam ſolvendi ergò propria vota, vel criminum veniam impetrandi,
,, aut ſancta conſilia audiendi, omnes accurrant.

Convertit ad pœnitentiam.

Offerunt locum pro ſua manſione, quem acceptat.

,, V. Fama nihilominus, quæ, maximè heroum, egregia facinora
,, perennare ſollicitat, etiam ſcriptorum ſilentibus pennis ſemper loqui-
,, tur, rem ad hæc uſque tempora ita enarrat. Virgo erat à nativitate
,, muta, quæ cum populi turbâ Franciſci mirâ energiâ prædicantis ab
,, ore pendebat, ſpiritus verba, ſi non corporis, cordis ſaltem auribus
,, perceptura, ut ſibi videbatur. Ille appetitus divini verbi, quo cum
,, aliis impellebatur, ſuæ, & communis ſalutis corporis, & animæ cer-
,, tum erat judicium: etenim Chriſtus dicebat: *Beati, qui audiunt ver-*
,, *bum Dei, & cuſtodiunt illud.* Et Chryſoſtomus ait: *Sicut eſurire ſignum*
,, *eſt bonæ valetudinis, ita amare divina eloquia, ſpiritualis ſanitatis ma-*
,, *ximum ſignum eſt*, & quidem Dominus per Jeremiam Prophetam ita
,, loquitur: *Verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram*, &
,, ampliùs: *Quomodò deſcendit imber, & nix de Cœlo, & illùc ultra non*
,, *revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam*
,, *facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum,*
,, *quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet*
,, *quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud:* nil enim
,, eo verbo valentius, & majori cum profectu operatur in nobis, ſive
,, in contritione culpæ, ſive in collatione gratiæ, ſive in illuminatione,
,, & recreatione mentis, vel etiam in valetudine corporis reſtituenda:
,, ait enim Propheta: *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.* Hæc omnia
,, in concione quique experti fuere. Magno eo finito ſermone, & po-
,, pulo Viri Dei cum benedictione abeunte, præfatam juvenculam, ve-
,, nuſtam ſimul, & verecundam, alloquitur Sanctus, ſimulque indicit,
,, ut à ſuo genitore ob amorem Dei, ſibi, & ſuis illum, quem ſupra locum
,, retulimus, impetret: audieritne loquentem naturaliter muta, quis
,, dubitabit? Sed hujuſmodi mutitatis ſocia naturalis, eſt ſurditas, ut
,, Phyſici docent. Cucurrit ergo ſupra ſeipſam viribus fortior, & vultu
,, hilarior pia Virguncula ad patrem, juſſumque ſibi, & jubentis votum
,, mirâ libertate expoſuit. Ille verò geminati miraculi granditatem in
,, filia tenerrimè amatâ obſtupeſcens, auditis poſtulatis pluſquam liben-
ter

Ex fama refertur miraculum Virginis mutæ.

Lucæ c. 11. 28.

D. Chryſ. homil. 14. in Geneſ.

Jerem. 23. 29.

Iſaiæ 55. 10. 11.

Finito ſermone alloquitur Virginem.

Quæ à Patre loci Dynaſta obtinet ſitum pro æde.

,, ter adhæſit; hunc Virum loci Dynaſtam, opibus turgentem, & avitæ
,, nobilitatis honore fulgentem fuiſſe tradunt: at ſuæ gentilitiæ originis
,, cognomen, ſicut & ipſum nomen, prolixa temporum diuturnitas, ni-
,, mio ſopita ſomno, reticet. Cùm verò deſiderium reddendi cuique
,, quod ſuum eſt, nos vehementer proleſtet, licèt minus ad rem no-
,, ſtram facere videatur, nihilominus ſtudioſi etiam antiquitatis, quis
,, fuerit eo tempore Cayri Dynaſta, ſive Regulus, publicorum actorum
,, lance examinabimus. Ex publico Reipublicæ Januenſis Archivo, do-
,, nationis Cayri cum ſuis dependentiis, ab Ottone de Carrecto eidem
,, Reipublicæ factæ, & redonationis ejuſdem Cayri in feudum præfato
,, Ottoni de Carrecto ab eadem Republica, ſub anno MCCXIV. cum In-
,, ſtrumentum prodeat relatum per Raphaelem de Turri, illudque in
,, ſuis Annalibus Reverendiſſimus Epiſcopus Nebienſis Auguſtinus Juſti-
,, niani, ſub eodem anno præfato MCCXIV. plenè commemoret, liquidò
,, conſtare videtur, Ottonem de Carrecto loci Regulum eo tempore ex-
,, titiſſe, cujus pietatem, & liberalitatem, ſuppreſſo nomine, fama pe-
,, rennat. Nec ambigendum eſt, an Otto eo tempore in loci Dynaſtia
,, alterius generis conſortem habuerit; nam ejus donationis actio, niſi
,, illuſoria fuiſſet, ſaltem, vel parùm firmatis, & roboris habere potuiſſe
,, videretur, cùm nemo aliena dare, vel accipere legitimè poſſit, vel
,, ſaltem ad minus injurioſa tertio extitiſſet. Ceterùm optimè novi
,, Cayri-Carrectos ab anno trigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum trecen-
,, teſimum ibidem conſortes habere Scarampos à Joannone progenitos,
,, ut ex publicis inſtrumentis demonſtrari poteſt.

Otto de Carrecto veodidit Cayrum Januenſibus.

Raphael de Turri Scriba recepit inſtr. Ann. Juſtiniani Epiſc. Nebienſis.

Scarampi tunc non dominabât. ibi, ſed poſtea evaſerunt conſortes.

,, VI. Eo igitur in loco deſerto, quem prædiximus, una cum Eccle-
,, ſia plurimo Cœtui capiendo ſufficiente Ottonis præcipuè, & Oppida-
,, norum, ac finitimorum ope, brevi Cœnobium, haud impar Comitiis
,, Provincialibus excipiendis, conſtructum fuit; eique adjacet vaſta &
,, nemoroſa Eremus, Religioſorum ſacræ deliciæ, quas, ut meditatio-
,, nibus, ac ſupernorum contemplationibus, aliiſque virtutum exercitiis
,, peraptas, maximè deſiderant. Id verò ſummè gratum eſt, quod iti-
,, neris non difficilis ad Eccleſiam, poſt apotheoſim B. Franciſci, ſuo no-
,, mini dedicatam, longitudo frequentem populorum confluxum non
,, minuit, eos ſemper alliciente devotæ ſolitudinis ſacro horrore, invi-
,, tante etiam devotorum Incolarum venerandâ pietate, ac pelliciente
,, eorumdem religioſo, & ſpirituali eloquio, quo plurimùm confortan-
,, tur in Domino animæ piæ. De iſto Cœnobio in præſentiarum haud
,, plura referam; ſed impoſterum, ſi de eodem aliquid mihi probatum
,, occurrerit, ſuis temporibus, ut ratio poſtulaverit, fideliter ac ſincerè
,, conſignabo. Interea pius, & curioſus Lector, ſi de eodem aliud ad-
,, diſcere cupiat, legere poterit ſeraphica Subalpinæ Provinciæ monu-
,, menta Illuſtriſſimi Antiſtitis Albenſis Pauli Britii, ac ſua cum his, quæ
,, exhibuimus, attentè conferre.

Eo in loco conſtruunt ædes.

Britius in ſua ſubalpina ſupra cit.

,, VII. Admiſſo itaque loco, ut dicebamus, inde ſuum urgebat di-
,, ſceſſum, quod regnum Dei, & aliis gentibus evangelizaturus eſſet.
,, O miram Viri ſollicitudinem! Alienæ ſollicitus ſalutis, ſi verè ſapiat,
,, propriam priùs profectò diligentiſſimè curabit: etenim ſtultitia eſt
,, alios ſalvare, & ſe ipſum perdere. Id optimi conſilii Gentium Doctor
,, Paulus habebat, qui omnium Eccleſiarum ſollicitudine gravabatur:
,, ſtudebat enim benè ſic aliis ad ſalutem, ut nihilominus ſui non oblivi-
,, ſceretur, ne fortè reprobus inveniri poſſet. Zelus ergò alienæ ſalutis,
ſi pru-

Aliis prædicaturus gentibus diſcedit.

„ ſi prudens, & verus ſit, quamdam ſecuritatem habet, profluentem
„ ab amore ſummo Dei, quo mundum, & omnia, quæ ejus ſunt, etiam
„ proprii corporis vitam deſpicit, certus quod ſi perdiderit animam
„ ſuam propter Deum, inveniet eam. Tali ergo ſecuritate frætus Cru-
„ cifixi ardentiſſimus amator, nullo mundanæ ſapientiæ argumento præ-
„ peditus, cum benedictione Dei relictis Cayrenſibus, quos in via ve-
„ ritatis & juſtitiæ, prædicatione & exemplo firmaverat, militantis
„ Eccleſiæ novus pes, diſcalceatus, cilicio indutus, & accinctus renibus,
„ ſine pera, ſine baculo, & omnino pauper ſuum proſequebatur iter,
„ per Carrectum Caſtrum à præfatis Regulis Cayri nuncupatum aſcen- *Tranſit per Carrectum.*
„ dens, ac ita ſaxoſa, & aſpera juga montis ſuperavit, ac inde lapido-
„ ſum, & declivem callem tenens, per anguſtam, difficilem, ſinuoſamque *Deſcendit in Cortemilliam.*
„ vallem, in Cortemilliam præfatæ Diœceſis Albenſis Oppidum elegans,
„ civile, & populoſum, XIII. M. P. à Cayro in Septemtrionem elon-
„ gatum, deſcendit. Itinere feſſum, & ſudore madentem, quem famâ
„ celebrem audierant, veluti Angelum Dei è Cœlo dilapſum, venera-
„ bundi Oppidani exceperunt: cumque ille, vix, quiete potius, quàm
„ cibo reſocillatus, corporis vires reaſſumpſiſſet, poſt humiles preces
„ oblatas Deo, muneris Evangelici ſurgeret ad opus, è circumvicinis
„ pagis, & villis, utriuſque ſexus, dimiſſis laboribus ruralibus, deflue-
„ bant in Cortemilliam gentes ad Virum Dei, ut dicebant. Itaque fa-
„ ctum eſt, ut magnus populorum concurſus eum prædicantem de va-
„ nitate mundi, qui continuè tranſit cum ſua pompa, fugitque veluti
„ umbra præteriens, invehentem contra peccata, quæ ad punitionem
„ ſceleratorum jam jam imminentem iram divinam excitant: è contra
„ verò miris laudibus chriſtianas virtutes extollentem, ac ſubinde pœ-
„ nam æternam impœnitentibus inevitabilem, gloriam verò pariter
„ æternam contritis corde, evidenter & efficaciter annunciantem, au-
„ dierit. Tanta vi è Prædicantis ore verbum Dei effluxit, ut peccatorum
„ duriſſima corda, veluti ſilicem deſerti percuſſerit, ac inde abundanter
„ contritionis aquæ emanarint, ac ſceleratorum genæ torrentibus la-
„ crymarum inundaverint; nec tamen defuit conſolatio Dei, qui pro
„ famelicis, ac ſitientibus menſam in Eremo parare novit. Facta igitur
„ commotione magna in univerſo populo, & ſerio conſiderantes loci
„ Majores utilitatem animæ, quam ex contubernio tanti Viri, vel ſal-
„ tem ex ſociorum ſuorum incolatu poſſent adipiſci, coacto concilio,
„ pro eodem, & ſuis ædes conſtruere decreverunt. Locum ergo ele- *Locum ei ad habitandum offert.*
„ ctum, extra quidem muros, ſed non nimis ab Oppido remotum B. Pa-
„ tri obtulerunt: quo cum gratiarum actione admiſſo, tam fervidè
„ unanimes cuncti ad conſtructionem Cœnobii ſe ſe dedere, ut brevi
„ temporis ſpatio, juxta deſideria paupertatis, una cum Eccleſia illud
„ excitarint. Pro duodecim hoſpitandis Fratribus Religioſis anguſtas,
„ at ſufficientes cellas, & eas præter humiles officinas pro neceſſitatibus
„ eorumdem continebat; annexoque hortulo, non tam recreationi re-
„ ligioſæ opportuno, quam paupertati coquinæ ſublevandæ perneceſſa-
„ rio, complebatur. Ultimis verò his temporibus mearum lucubratio-
„ num, eæ ſacræ ædes, ob nimiam vetuſtatem omni ex parte ruinam *Qui nunc incolitur à Religioſis PP. Conv.*
„ minitantes, à religioſiſſimis Patribus Conventualibus, quibus in Or-
„ dinis Minorum ſolemni diviſione remanſerunt, ferè omnes à funda-
„ mentis affabre ac diligenter, & magnis ſumptibus reædificatæ, in am-
„ plioremque, nec non elegantiorem formam redactæ conſpiciuntur, in

„ iiſque perexacte diſciplina regularis, ad ædificationem populi, Religioniſque decorem attente cuſtoditur. In ejus Cœnobii Eccleſia ſatis ampla, devota, & decora, ad quam magna cum devotione Oppidani, & circumvicinæ gentes concurrunt, Coronæ Jeſu Chriſti pro nobis peccatoribus, in domo Pilati opprobria doloroſiſſima ferentis, & mortem atrociſſimam, ac ignominioſiſſimam poſtea in Monte Calvariæ paſſi, multarum, quæ Divinum ejus Caput atrociſſime perforarunt, una reverenter adorata vigilantiſſimè cuſtoditur Spina. At illuc, unde deflexit, ut redeat oratio, velocitatem calami retrahere cogor, & ſanctum Patrem Franciſcum Cortemillienſibus verbum divinum, verum animæ piæ cœleſte pabulum miniſtrantem, revocare. Hic eo tempore, quo apud eos commoratus eſt, eloquiis divinis, adeo caſtis, examinatis, ac planè nedum utilibus, ſed etiam neceſſariis omni gladio ancipiti penetrabilioribus, publicè & privatim, prudenter & efficaciter adeo utebatur, ut eos quadam violentia dulci à mundi illecebris, noxiiſque vanitatibus averteret, & grata ſuavitate, & ſanctitate morum, omnes in caritate Chriſti perpetuò ſibi devinciret. Quamobrem eum abeuntem, nec enim retinere poterant, ob nimium cordis angorem videre ſine lacrymis, & ſingultibus non valebant. At perſuaſi tandem, non ſibi ſolis, ſed etiam aliis à Deo miſſum, humiliter petita, & ejus benedictione genuflexi obtenta, flentes vix permiſerunt, quo ſpiritus eum ferebat, abire. Ceterum, ut me expediam, & ſanctum Patrem ſequar, breviter quid de Cortemilliæ Dominis narrabo. Ab anno trigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum trecenteſimum à Chriſti Nativitate inclyta, & nobiliſſima familia de Scarampis dominatur titulis Marchionalibus, & aliis glorioſa, & ab Oddone propagata, quæ Religioni Seraphicæ plurimum addicta, ſuo præpotenti patrocinio, & generoſa liberalitate præfatum Cœnobium cum ſuis Religioſis unicè fovet, ac ſingulariter protegit: ibidem etiam eſt Saracenorum nobilis familia, quæ, & ipſa plurimum religioſa, claritatem ſanguinis opibus, titulis, ac virtutibus exornat.

Spina Coronæ Chriſti in eo aſſervatur.

Scarampi Cort. Dñi, ac ibidem Sarac. nobiles.

„ VIII. Aſpera ſcandens, & fragoſa juga Septemtrionem verſus, & laborioſe, ac fortiter, vincente ſudorem zelo divino, emenſis tandem decem, & ſeptem milliaribus Italicis, in Aſtam Liguriæ Subalpinæ Epiſcopalem Urbem, parvulus Jeſu Chriſti ſervus Franciſcus deſiliit. Ad Tanarum fluvium ex Apenninis montibus citò decurſu ruentem, famoſa hæc Civitas Pompeii, media inter Januam & Liguſticum mare, & Eporediam, ſub Alpibus ad fauces Auguſtanæ Vallis ſita, perantiqua, vaſta, eo tempore centum circiter millia Civibus referta. Procerum nobilitate, pluribus nominibus illuſtris, etiam Ducatus honore ſub Gondoaldo Duce piiſſimæ Theodolindæ Reginæ fratre, olim fulgens: ſubinde Imperialibus privilegiis, & maxime Ottonis IV. qui proxime præceſſit Fridericum II. de anno MCCX. munita, ac proinde antiqua libertate confirmata, propriis legibus tantum adſtricta, armis potens, mercimonio dives, ſoli amœna fertilitate abundans, & quod maximi honoris eſt, nunquam Ariana hæreſi infecta, Catholica Fide ſemper clara; hæc, inquam, tanta Civitas, ut Apoſtolici Viri, cujus famam audierat, præſentit adventum, exiliens præ gaudio extra ſeipſam, toto cordis jubilo, & pio ac reverenti applauſu feſtiva excepit, attentis & gratis auribus, prompto paratoque animo ejuſdem monita ſalutis exceptura libenter. Tanta divinæ gratiæ affluentia humilis,

S. Franciſcus Aſtam petit.

Phil.ma. in Clypeo Aſten. fol. 18.

„ milis, & pauper Franciſcus perfundebatur, ut in omni ſuo opere,
„ atque ſermone, non tantum innocentia, & ſanctimonia coruſcarent;
„ ſed etiam in ſe ipſo quidam ſupernaturalis fulgor, & Angelicus decor
„ eluceret, quo omnes qui eum intuerentur, aut audirent, facillime
„ interius occulta vi immutati, in extaſim ſubitò rapetentur, & à cor-
„ poreis ſenſibus abſtracti, in ſupernorum ac æternorum contemplatio-
„ nem mirabiliter extollerentur. Hunc igitur Virum divinum, pauper-
„ tate divitem, tantis ſupercœleſtibus chariſmatibus ornatum, gratia
„ divini eloquii mirificè omnium corda penetrantem, ſacer Cathedra-
„ lis Eccleſiæ Antiſtes cum univerſo Clero, Optimatibus, Nobilibus, &
„ omni Populo, vehementer obſtupuit, laudavitque Deum in Sancto
„ ſuo. Nullus eum prædicantem detrectabat audire, licet pungeret,
„ increparetque peccata; ejus monita, quibus ad pœnitentiam, vitæque
„ in melius emendationem cohortabatur, omnes ut ab Altiſſimo impe-
„ rata, non tantum admittebant, ſed ſtatim exequebantur, invicem par-
„ centes obliviſcebantur injuriarum, ſepeliebantur odia, corrigebantur
„ uſuræ, reſtituebantur male ablata, deteſtabantur ſuperflui luxus, in-
„ terdicebantur pompæ, prohibebantur ludi, execrabantur laſciviæ:
„ unde mutata malorum morum facie, Aſta, altera Ninive pœnitens, ad
„ verbum Jonæ, viſa eſt. Admirabantur interea omnes, & maximè Pri-
„ mates, & qui ſibi videbantur aliquid eſſe tam ſubitam ſuæ Urbis
„ mutationem: homini breviloquo nulla artis eloquentia inſtructo,
„ præſentia deſpicabili, pauperrimo, vilibus & aſperis vix cooperto,
„ quotidianum panem oſtiatim mendicanti, & abhorrenti maximè à pe-
„ cuniis, tam cito ſe crediddiſſe ſtupebant. Sed rem altiùs penetrantes,
„ invicem fatebantur in eo pauperculo virtutem Dei operari, ac proin-
„ de ejus monita ſancta, & doctrinam irrefragabilem, ſicut etiam ejus
„ vitam ſanctiſſimam eſſe, & dignisſimam, ut ſtatim mente percepta
„ exequutioni demandarent, quæ tantâ gratiâ ex nudo Evàngelio ex-
„ cerpta, ullo ſine fuco prædicabat. Ite nunc Evangeliſtæ novi, curioſi *Prædicat fructus mirabiles.*
„ amatores eloquentiæ hominum, qui ſuis auribus pruritum verborum
„ appetunt, illiſque placere ſtudetis: at in caſſum, ut experientia no-
„ ſcitis; & ſi vos tangit amor ſalutis animarum, petite à Franciſco ſcho-
„ lam, in qua prius ſilere didicit, quàm loqui; petite Magiſtrum, à quo
„ ſuarum actionum prius, & poſtea moderamina linguæ apprehendit:
„ ab eo enim tanta energia ſuos perbreves ſermones ad populum, ſicut
„ ipſe didicit, ita & vos veſtros exornare diſcetis. Schola eſt Evange-
„ lium, Magiſter verò Chriſtus. At parcite mihi Lectores, etenim vis
„ Franciſci prædicantis me rapuit: redeo tamen ad propoſitum noſtrum.
„ Adeo mirabilia experti Cives, virum Dei ſecum perpetuò habere ſum-
„ mopere cupiebant, quod tamen impoſſibile fore animadvertentes,
„ temperato cordis æſtu, moderatiſque piis deſideriis, ut pro ſe, & ſuis
„ ſociis ſtationem firmam apud ſe figeret, Sanctum enixe rogarunt, quo-
„ rum votis annuit, qui omnes Deo lucrari, & Diabolo eripere ſtude-
„ bat. Quamobrem in eo calore cordis, convocato Concilio, de com-
„ muni, & omnium ſingulorum conſenſu, & voto memoriale perpetuum
„ publicæ pietatis in Deum, Catholicæ Fidei, & ſingularis devotionis in *Datur Eccleſia S. Jo: de Palude cum amplo ſitu.*
„ Sanctum, quamdam Eccleſiam titulo S. Joannis de Palude inſignem,
„ ſed paupertatis religioſæ metas non excedentem, cum amplo ſitu pro *Brit. in monum. lib. 1. cap. 2.*
„ excitandis neceſſariis ædibus, naſcenti Religioni Minorum dono de-
„ dere.

,, IX. Præſtat autem commemorare divinæ juſtitiæ in Uſurarium ul-
,, tionem ſeveram, quam in præfati Monaſterii Eccleſia ad omnium ter-
,, rorem, & monimentum perpetuum Deus oſtendit. Homo erat ne-
,, quam, & nomine plane indignus, qui contra naturæ divinæ legis
,, præcepta, admonitioneſque ſanctæ Eccleſiæ, & piorum omnium Præ-
,, dicatorum, per uſuras peſſimas aliis fœnerando diteſcere turpiſſima
,, aviditate cupiens, alienas etiam crudelis & inhumanus negotia-
S. Jo. Chryſoſt. ſup. Matth. ,, batur miſerias, lucrumque ſuum, ut loquitur S. Joannes Chryſoſto-
,, mus, alienas adverſitates faciebat: proinde comparandus peſſimo illi
,, proditori, qui periclitanti in mare, ſpecie juvandi manum dat, ac
,, ſimul in naufragium impellit: neceſſitate compulſus in ſublevamen
,, ſui, qui mutuò ſub uſura pecuniam, quidve aliud accipiebat ab illo,
,, quaſi momordiſſet eum aſpis, interibat; etenim ab eo venenoſo reptili
,, incaute percuſſus, quaſi delectatus, ait præfatus, vadit in ſomnum,
,, & per ſuavitatem ſoporis moritur, quia tunc venenum latenter per
,, omnia membra decurrit. Sic qui ſub uſura accipiebat, ſub tempore
,, quaſi beneficium ſentiebat, ſed uſura per omnes ſuas facultates decur-
,, rens totum convertebat in debitum, & hac arte, & maleficio ſcele-
,, ſtus diteſcens de paupertate gaudebat infelicis, cui potius ſibi, & illi
,, utilius commiſereri debuiſſet. Damnatum hoc avidum fœnus fera peſ-
Geneſ. 37. 20. fera peſſima. ,, ſima eſt, quæ etiam fratres devorat: imò aper ille de ſylva ſacri co-
Pſ. 79. 14. Aper de ſilva. ,, dicis, qui univerſam vineam Eccleſiæ Jeſu Chriſti depaſcitur, & exter-
,, minat; ſed tandem ferro, & igne mactandus & ipſe. Avarus, vir
,, divitiarum cum ſit, in morte nil earum invenit in manibus ſuis, ſubi-
,, toque tremore concuſſus, de cœlo pavet inevitabile fulmen. O virum
,, nequam nullo pacto commiſerandum! Juſto zelo pennæ excurſum
,, condonate lectores, & ad nudam hiſtoriam me recipio, quæ talis eſt.
Hiſtoria Uſurarii. ,, X. Vir erat Pater familias, non quidem plebejus, aut noti gene-
,, ris, qui divitiarum avidus, turpi tandem uſurarum lucro dives, ad
,, mortem decubuit. Hoc opus, hic labor. In ſupremo periculo poſitus,
,, à Religioſis inſtanter monitus, ne obliviſceretur æternæ ſuæ ſalutis,
,, viſus eſt prudenter, & ſanctè audiviſſe. Accito Sacerdoti confeſſus,
,, ſed ficte, & mendaciter, ne forte hæreticus vel infidelis videretur,
,, etiam Sacroſanctam Euchariſtiam pro Viatico, de manibus Sacerdotis,
,, impius, ac temerarius auſus eſt ſuſcipere, non recogitans manducan-
,, tem indignè Corpus Chriſti, ejuſque Sanguinem bibentem, judicium
,, ſibi manducare, & bibere. Cum his mortuus eſt dives, at uſuris onu-
,, ſtus, & plurimum obæratus. Effertur ad tumulum, quem ſibi elegerat
,, in præfata Eccleſia Minorum, & ibi de more tumulatus eſt, ut ſaltem,
,, ſi poſſet mortuorum quiete frueretur; at non fuit ita, etenim ira
,, Dei vindicis ſcelerum erat in eum. Nocte intempeſta, publicis januis
,, Eccleſiæ, & Monaſterii firmiter occluſis, cunctis Religioſis, unuſ-
,, quiſque in propria cella, ſomno ſoporatis, ſed expectantibus excitari
,, ad matutinas laudes, ecce duo Dæmones Hierophylacis portam im-
,, proviſè magno ſtrepitu pulſant, clamant, jubentque ut exiliat, ſe-
,, cumque vadat. Perterritus ille renuit, cauſatque, ſe eâ horâ nulli niſi
,, Præfecto domus, obedire debere, ac dira minitans, & eorum teme-
,, ritatem increpans, audacter, ut ſibi videbatur, interrogat, quid
,, velint, & unde venerint? Hi reſpondent quodammodo mitius, ſe
,, Dæmones, jubente Deo, adeſſe exequuturos ſe coram ejuſdem volunta-
,, tem, nec ſibi ullo pacto pavendum ſtygiæ formæ horrorem, cum ſub
huma-

,, humana ſpecie eſſent, ſed incunctanter parendum Nominis Divini
,, præcepto; aperiat fidenter portam, claves Hierophilaci ſumat, ſe-
,, cumque ſine mora vadat. Ad hæc interius confortatus, exilit qui tre-
,, mebat Hierophylax, & cum ipſis ad Sacrarium pergit, aperit, & eiſdem
,, mandantibus Superpelliceo, & Stola ſacerdotali ornatus, calicem ſu-
,, mit, cereas binas faces accendit, & præcedentibus illis, ad monu-
,, mentum præfati Uſurarii accedit. Et ecce ſtatim, ſublato lapide, pro-
,, ſiliit, & in oſtio ſedit infeliciſsimus ille damnatus, cujus ori juſſus
,, Sacerdos, ſuppoſito calice, & Dæmone uno percutiente in occipitio
,, defunctum, Sacram Euchariſtiam prodeuntem excepit genuflexus,
,, cumque fletu, & lacrymis adoravit reponendam in Sacrario, ad quod
,, etiam Dæmones cum intorticiis accenſis eam comitati ſunt: ſubindè
,, repente diſparentes maximo cum rumore, cadaver, cujus animam
,, jam habebant in tormentis, ſecum æternò comburendum aſportarunt.
,, Calici adeo alte infixi pili barbæ illius ſceleſti hæſerunt, ut nulla arte,
,, nec ferro, nec igne potuerunt evelli, & deleri; ſed etiamnum teſtes
,, facti volentibus doceri perſeverant cum ipſo calice in Hierophylacio
,, cuſtodito, & in Archivo Fratrum ſcriptum authenticum hujus horri-
,, bilis caſus legitur. A quo expeditus, Sanctum Patrem Franciſcum, (qui
,, accepto apud Aſtenſes loco, ut ſupra dicebamus, diſceſſurus ad opus
,, ſuum, benedixit Urbi) ſedulus attente ſequor.

,, XI. Ab Aſta deflectens in Corum vir Evangelicus Cherium perve- *B. Franciſcus pervenit Cherium.*
,, nit, Cayrum etiam aliquando apud nonnullos nuncupatum, ubi pro
,, ſuorum Fratrum incolatu locum admiſit, ut vix notavit Waddingus.
,, Porro Cherium nobile, ac antiquiſſimum Oppidum, ab Aſta xv. M. P. *Wadd. ad hunc annum n. 58.*
,, regionis tantum, vel communia Italiæ milliaria XXIII. recedit, in
,, Corum: pluribus Civitatibus haud impar, à Friderico Ænobarbo ti-
,, tulo Maximi laudatum, arte Xylina per orbem famoſum, pluribus fa-
,, miliis antiquiſſimæ nobilitatis illuſtre, ſua libertate fruens, partim
,, aſſurgit, cui inſidet colli, & partim in planum ſe grata majeſtate dif-
,, fundit. Cœlo circumquaque aperto, ſolo amæniſſimo, in colliculos
,, pulcherrime ex parte ad Occidentem exuberante, & bonorum omnium
,, fœcundiſſimo, licet aliquando aquarum inopia Colonorum vota delu-
,, dat, gaudet. Eò, ut appulit vir Dei, non minorem ibi, quam apud
,, Aſtenſes, gratiam invenit: etenim nulli ſibi diſſimilis, imo vita, &
,, moribus inculpatus ſemper idem fulgens, eadem, & ſemper energia
,, ſacris dictis perſuadendo, optimiſque exemplis ſuaviter cogendo, fe-
,, liciſſimè ut Apis operoſus erat: & quidem, ut verius dicam, de ſur-
,, ſum illucebat tempus, quo ingens miſericordiæ Dei defluxus; ſuæ bo-
,, nitatis infinitæ ex pectore exuberans, omnes ad ſatietatem beatam
,, amabat: quamobrem quem elegerat Franciſcum ſui beneplaciti præco-
,, nem Deus, is exquiſitiſſimis chariſmatibus donatum voluit, quibus
,, nulli difficilis, omnibus gratus, imo univerſo orbi optatiſſimus eſſe
,, quiret. Sapientia ſiquidem ejus, quæ cœlos exornat, terraſque pul-
,, chritudine veſtit, attingens à fine uſque ad finem fortiter, ſuaviterque
,, diſponens omnia, eos, quibus ut vult, ita præparat, atque diſponit,
,, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei. Non igitur mirabi-
,, mur hominem, quem Altiſſimus linguâ, vitâ, ſigniſque, atque prodi-
,, giis mirabilem volebat; nec multominus ſtupebimus Cherienſes, qui
,, ab ejus ore, quæ emittebantur jacula caritatis in ſua corda lubenti
,, animo excipiebant. Laudabimus autem eum nobilem virum *de Simeo-*
nis,

Nobilis de Simeom. Cherienſis dat ſitum pro Conventu.

,, *mis*, quî Publico definiente apud ſe pro Sancto & ſuis excitandas ædes,
,, nullâ interpoſitâ morâ in eum finem ſitum ſat amplum, qui ad Pinum
,, dicebatur, in loci planitie, at minimè remotum, pro amore Dei dono
,, dedit. Cariſsimum illum fuiſſe ſancto Patri, ab eoque vivente plu-
,, res, & ſingulares ſavores obtinuiſſe, multorum famâ relatum habeo,

Conven. Cherii pro induendis Fratribus quotannis tunicas decernit.

,, quos tamen referre, majori evidentia non urgente, abſtineo. In eo
,, loco brevi tempore, humile quidem, & ut paupertatem Religionis
,, decebat, ſed ſexaginta fratrum capax, cum ampla, & viſenda Eccleſia,
,, Cœnobium conſtructum fuit, & commune pro illis induendis quot an-

Ex Archiv. ejuſdem Conven.

,, nis quinquaginta tunicas deliberavit, ut nos ipſi ex ejuſdem Monaſterii
,, libris eruimus. His verò temporibus, quibus hæc ſcribo, præ nimia
,, veſtutate dum collaberentur ædes, univerſa domus à fundamentis re-
,, novata, magnifica, & religioſe ampla conſurgit, antiquæ tamen pau-
,, pertatis, & humilitatis beata veſtigia ſervat; ſicuti etiam multorum,
,, qui pietate, vel doctrina, ſeu utriuſque ibidem floruerunt, memo-
,, riam.

Teſtona ſuperbū municipium.

,, XII. A Cherio in Libim, ſive Africum ter mille paſſus emetienti
,, deſolatæ Civitatis Teſtonæ annoſæ reliquiæ occúrrunt: deſolationis
,, verò illis cauſam dicere, licet propriè noſtrum non ſit, nihilominus
,, quia moneri poteſt, & ſeriis haud inutilia miſcere nonnumquam lau-
,, detur, ſtudioſis hiſtoriarum pandimus. Teſtona ſuperbum, & amplum
,, municipium, ſumoſo Civitatis nomine elatum, olim Taurinenſium
,, Antiſtiti plena ſubjectione parebat: ſed fortiter vindicata libertate,
,, ut alia plura circum nobiliora municipia, rem ſuam publicam, ſub no-
,, mine communis, adminiſtrabat, ſibique ipſi ſola imperabat, quando
,, nimium audax, & propriis viribus fidens, fracto fœdere, aliàs cum

Deſolatum ab Aſtenſibus, & Cherienſibus.

,, Aſtenſibus & Cherienſibus inito, utroſque hoſtes voluit habere,
,, inconſulta nimis contra duos ſola certare poſſe, & prævalere putans.
,, Error maximus, & contra proverbium: Nec Hercules contra duos:
,, cum natura ipſa dictante notum ſit, abſque opera propria, cuique à
,, quibus ſemper caveat, ſponte ſua inimicos naſci: quamobrem da-
,, mnatæ imprudentiæ eſſe abſque cauſa legitima, & urgente ſibi facere,
,, & multiplicare hoſtes. At Teſtona, quos habebat amicos, voluit inimi-

Malab. in Clyp. Aſſen. fol. 7475.

,, cos, ac proinde mercatoribus Aſtæ, & Cherii ad ulteriora verſus Al-
,, pes loca, & ſpecialiter Cherienſibus ad molendina Padi, contra jus
,, gentium, tranſitum denegabat. Iis ergo de cauſis ab irritatis ſimul
,, coeuntibus in ejus perniciem, tandem miſera Teſtona devicta funditus
,, everſa eſt: ejus autem ruinæ, in incrementum Montis Calerii non lon-

Mons Calerius deſcribitur.

Philip. Pingon. in Thoma Humb. III.° filio.

,, ge diſtantis, Mediolanenſium operâ, ut notavit Pingonius, abierunt.
,, Mons Calerius autem nobile municipium, pluribus non invidens Ci-
,, vitatibus, populoſum nimis, ad pedem frugiferi, & delicioſiſſimi mon-
,, tis, prope Padum cui imminet, poſitum eſt, publicorum, & privato-
,, rum ædificiorum elegantiâ, arcis & murorum firmitate, vaſtæ Colle-
,, giatæ Eccleſiæ decoræ, devotis Regularivm domibus, & honorabili-
,, bus Templis, plurimum Chriſtiana pietate ſulgens, & frugibus terræ

Per Montem Caleriū Taurinum it S. Pater, & dicitur Conventū ibi poſuiſſe.

,, abundans, lætatur. A Cherio per Montem Calerium ad Auguſtam
,, Taurinorum tranſeuntem S. Patrem, Oppidani prædicantem cum non
,, modico Animarum ſuarum fructu, ut audierunt, in perenne teſtimo-
,, nium ſuæ pietatis, ædes pro ejus Religione decreverunt, ut fama
,, enarrat, & conſtructi Cœnobii veneranda vetuſtas cellarum, & alia-
,, rum Officinarum uſque in præſentem diem humilitas, & conſervata

pau-

„ paupertas, id facilè intuentibus perſuadent. Licet enim glorioſorum „ facinorum juſta monimenta diuturna temporis invidia erodat, & „ perdat; haud tamen leviter ea, quæ à parentibus in filios continua „ ſucceſſione derivantur, pietate illa in eorum cordibus ſcribente, & „ conſervante, obliterare valet, maximè ubi etiam annoſæ ſacrarum „ ædium ruinæ idem ſemper loqui videntur. Septuaginta poſt annos, „ occaſione cujuſdam Indulgentiæ Eccleſiæ præfati cœnobii conceſſæ, „ Moncalerienſis Conventus Waddingus meminit his verbis ſub numero „ 27. *ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Montis Calerii, Oppidi per-* „ *nobilis, multis Italiæ haud cedentis in Lombardia Ciſpadana, in Provin-* „ *cia Montis Ferrati*, ita citatus Auctor. Ceterum ibidem doctrina, & „ ſanctitas floruerunt, religioſaque vita Incolarum plurimum commen- „ dabilis etiamnum perſeverat, præſentium, & præteritorum temporum „ hiſtoriâ teſtimonium perhibente. *Wadd. ad ann. 1291. 68.*

„ XIII. In Circium à Monte Calerio ter millia paſsus impiger via- „ tor pedibus ſi numeraverit citra Padum, in altera ejuſdem fluminis „ ripa, ubi Duria nuncupata Riparia ex Alpibus defluens, lenta eidem „ immergitur Pado, ſpatioſa & ampla agrorum in planitie, ſeptem „ millia paſsus ab iiſdem nivoſis Alpibus in ortum ſemota, Martis, & „ Veneris, belli ſcilicet ac pacis Parentem, & Filiam, fortem, & de- „ coram, ſuperato lapideo ponte Taurinorum Populorum Auguſtam „ offendit. Olim hæc priſcorum Colonia Romanorum, ampliores Italiæ „ Urbes, ſi magnitudine non exequet, nihilominus nec illis, nec aliis „ inferioribus, aut æqualibus ullo pacto invidet: etenim Procerum „ nobilitate fulgens nulli ſecunda, civibus comitate, ac urbanitate, ae „ ſtrenuitate mirandis referta, in pace bilaris & feſtiva, in bello ter- „ ribilis & conſtans, omnium temporum faciebus conformis, & ſemper „ unius frontis, & pectoris nullis eventibus inferior; nobile ſpectacu- „ lum fortitudinis & gratiæ, miraculum naturæ & artis, ut eſt, exte- „ ris quibuſvis apparens, æquè ab omnibus, invidiâ ſe rodente, admi- „ ratur, & amatur; ſed à Potentioribus plurimum, licet nonnumquam, „ ut à Venatoribus aper, qui tamen eorum inſidias ludere, & vires in- „ fringere noverit. At dictis adde, ſi diſcere placet, Magnatum ſuper- „ borum Palatiorum numeroſitatem, & elegantiam, viarum rectitudi- „ nem, & amplitudinem, platearum gratam ſpatioſitatem, mercium „ omnis generis abundantiam, exquiſitorum Artificum pluralitatem, „ Eccleſiarum nitorem, Monaſteriorum utriuſque ſexus venerabilem „ Religioſitatem, Hoſpitalium multiplicium publicam caritatem, vigi- „ lantiſſimi Antiſtitis, & numeroſiſſimi Cleri Religionis zelum, ſanam „ doctrinam, morum probitatem, vitæque ſanctimoniam, Sacri, & „ Ampliſſimi Senatus conſtantem juſtitiam, qua continet habitatores in „ pace, nocenteſque compeſcit. Quid plura? Sileo muros, aggeres, „ foſſas, propugnacula omnia, & arcem quam habet munitiſsimam. „ Omitto etiam publica Collegia, Univerſitates, & Academiam pro juve- „ nibus inſtruendis, cum exquiſitiſsimis deliciis montis pulcherrimi, ex „ adverſo in ulteriori Padi ripa, proſpectu gratiſsimo ſe ſe extollentis, „ ac ad otia, & illecebras, etiam extra meſſem & vindemiam, allicientis. „ Verumtamen, quod ſummum eſt, præterire non poſſum, ut ſilentium „ meum in injuriam tranſire non videatur; nimis enim iniquum, ſimul „ & injurioſum eſt, cujuſvis publicandas virtutes, vel inertiâ, vel, quod „ deterius eſset, livore tacere. Hæc igitur ea eſt, quæ edicto Claudii, anno

Auguſta Taurinorum ubi Duria, & Padus confluunt.

Olim Romanorum Colonia deſcribitur.

Ab Apoſtolo Petro Fidem edocta.

,, anno LI. Româ pulſum in Gallias Principem Apoſtolorum Petrum,
,, & prædicantem Jeſu Chriſti Crucifixi fidem audivit, ac adeo alte ſuo
,, pectore infixit, ut cum ea ſemper immota ſteterit propugnaculum in-

Ejuſdem fidei propugnaculũ.

,, victum ejuſdem Catholicæ Fidei contra Hæreticorum inſultus, ea-
,, demque perſeveret. Hinc certò creditur, & experientiâ noſcitur ſem-

Clyp. Aſten fol. 47.
Emanuel. Theſ. dell'Origine della Compagn. di S. Paulo in Torino fol. 7.

,, per, & ubique adorandam divinam Miſericordiam, diram impietatem
,, Sacramentariorum prævidentem, eam fidelem, mirabilium fidei pu-
,, blicè patefaciendorum ad illorum confuſionem, ut ſuæ omnipotentiæ,
,, & infinitæ bonitatis thronum elegiſſe. Notum eſt illud Hoſtiæ mira-
,, culum celeberrimum univerſis Civibus, & coram Antiſtite, & Cle-

In ea celebre miraculũ SS. Sacramenti.

,, ro, in platea Eccleſiæ S. Silveſtri oſtenſum, à quo ea ingens devotio
,, in omnium civium corda erga Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum
,, jugirer emanat. Etiam ſuæ illibatæ fidei merito donandum eſt, quod

Et Sacra Sindon Chriſti Crucifixi.

,, Crucifixi Redemptoris noſtri, & Dei veram in Sindone effigiem con-
,, templari præſentem poſſit, & cuſtodire. Hæc ſunt, quæ ſupra ceteras

An. 1453. die 6. Julii horis duabus ante ſolis occaſum.
Emanuel. Theſ. ſup. cit. fol. 42. apud quem lege Auctores.

,, Taurinorum Auguſtam extollunt.
,, XIV. Ut per pontem lapideum, ac artificioſe concameratum,
,, quem prædiximus, Urbem Taurinam attigit vir Dei, hilaritas & gau-
,, dium, veneratio & obſequium in eum, omnium ex corde civium eru-
,, pit: etenim jam olim famoſum pauperculum Aſſiſiatem videre, & au-
,, dire optabant. Commendatitia quæ præcederent ſigna, quæ convoca-

Ad eam pervenit S. Franciſ.

,, rent concionem ſupervacua fuere, omnibus aliàs neceſſariis: ſparſum
,, nomen Franciſci ſuffecit, impuberes, adulti, parvi & magni, ſenes
,, & decrepiti, omnes, inquam, utriuſque ſexus, cujuſvis conditionis
,, & ſtatus mixtim, ſed inconfuſe Evangelizanti Regnum Dei, auribus
,, attentis & corde parato, adſuerunt. Verbum verò Domini, quod
,, ſanat omnes, ex ore prælecti profluens conſolabatur, & quoſcumque
,, confortabat. Cathedram Epiſcopalem, qui à ſeptem ante annis dignè

Jacobus de Moxo Ep. Taurinen.

Ughellius Tom. 4. fol. 1472.

,, occupabat Jacobus de Moxo Vercellenſis, quondam in Sacro Bene-
,, dictinorum Ordine Abbas S. Joannis Parmenſis, hæc mirabilia videns,
,, faſſus eſt Franciſcum, hominem novum, Jeſu Chriſti Apoſtolum, ad
,, reformandos fidelium depravatos mores, à divina miſericordia miſ-
,, ſum, quamobrem omnino audiendum, & imitandum eſſe, & idipſum
,, ſentiebant omnes. Interea Civitas eum concivem facere exoptabat,
,, verumtamen eum ut novit etiam ad alias gentes cœlitus deſtinatum, in
,, ejus ſocios vota direxit. Supra quodcumque egregia res eſt ſanctitas,

S. P. conceditur ædicula S. Viatoris, ſeu Victoris.

,, quam quiſque ſecum exoptat. Quædam erat ædicula Urbis in meditul-
,, lio fere, Divo Viatori, ut meminit Ughellius, vel Sancto Victori
,, nuncupata ut ait Britius, à Ruvereis Patritiis olim conſtructa, quam

Ughel. ſup. cit. Britius ſup. cit. c. 2.

,, proinde jure patronatus habebant: in eam omnium oculi fuere, qua-
,, mobrem Dominis ultro, & libenter conſentientibus, & approbante
,, Antiſtite, Jeſu Chriſti humillimo ſervo oblata fuit, quam habuit cum

Ex fama.

,, gratiarum actione ex corde acceptam. Inter hæc autem in ſpiritus
,, fervore dicens, *etiam ſexum fragilem decere ſequi veſtigia Chriſti*, di-
,, gito indicans locum, prædixit.... *Ibi erit Sancti Damiani Sacrarum*
,, *Virginum domus, ex qua virtutum odor mirificus emanabit*, ut paucis
,, poſt annis ſuit. Crevit ſubinde Eccleſiola illa S. Victoris, ſeu Viato-
,, ris in magnificum templum, & ab Apotheoſi viri Dei, ejus nomini
,, dedicatum evaſit, juxta quod Cœnobium ſanctimonia, & doctrina præ-
,, clarum, à civium pia liberalitate excitatum, poſtea in ordinis divi-

Ughel. ſup. cit.

,, ſione Patribus Conventualibus Provinciæ Januenſis adhæſit. Ughellius
hanc

„ hanc hiſtoriam in annum ſequentem, ſcilicet MCCXIV. rejicit, aitque
„ eodem tempore Divi Dominici Prædicatorum Ordinem, hac in eadem
„ Taurinenſe Urbe ſua incunabula ſuſcepiſſe. Waddingus noſter lectione
„ cujuſdam diplomatis Clementis VI. hallucinatus, retardat uſque ad
„ annum Chriſti MCCCLII. ſed perperam, ut ſuo loco demonſtrabo.
„ Ceterum Taurinenſes Fratrum ædes vetuſtate collabentes P.F. Magi-
„ ſtrum Ludovicum Paveſium de Pinarolio reſeciſſe, ut refert Waddin- *Wadding. ad an. 1352. n. 18.*
„ gus, libenter admittimus. At redeo ad S. Patrem ſuum ab Urbe di-
„ ſceſſum urgentem, ſed à Civibus pro viribus remoratum, qui tandem S. Franciſcus benedicit Civibus.
„ dimiſſus, & omnibus benedicens ait: *Ipſe Deus pacis ſanctificet vos per*
„ *omnia, ut integer Spiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in* *Vide infr. ad an. 1481. n. 1.*
„ *adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur, quemadmodum Paulus Theſ-*
„ *ſalonicenſibus optabat.* *1. Theſ. 5.*
„ XV. A' Taurinorum Auguſta in occaſum decem circiter milliari- Proſequitur iter, & pervenit Avillianam, natalibus Humberti III. Sabaudiæ, & Mauritaniæ Comitis glorioſam.
„ bus regionis emenſis, ad ſiniſtram magnæ vallis Secuſianæ, Caſtrum
„ perantiquum, & nobile, Avilliana nuncupatum, arce fortiſſima, &
„ muris firmiſſimis aliquando munitum, contra Tranſalpinarum gen-
„ tium hoſtiles incurſus, natalibus Humberti III. Sabaudiæ, & Mauri-
„ taniæ Comitis, nec non Marchionis Secuſii, Pedemontiique Princi-
„ pis glorioſum, & percivili populo refertum, viatoribus occurrit, *Pingon. in arb. gentilitia fol. 25.*
„ noſtrumque calamum, ac plura ſcitu digna proleƈtat; veruntamen
„ quia mens pedeſtrem diſcalceatum Franciſcum ſociat, licet inter eun-
„ dum nonnulla ſecum ſolatia ſpiritus admittat, longiùs tamen divagari *Malabai in Clyp. ſup. cit.*
„ ab ipſo non patitur, ne Lectores pro nucleis fortè putamina legant.
„ Per Avillianam tranſiens iturus ultra Cottias rupes S. Pater, magno
„ ſpiritus fervore populo, qui confluxerat, Regnum Dei annuntiavit,
„ pœnitentiam peccatorum cunctis indicens, & quia didicerat ab Apo-
„ ſtolo Petro poſt Taurinum Chriſti fidem ſuſcepiſſe, ad eamdem fidem
„ tenendam, fortiterque ſemper propugnandam cunctis viribus exhor-
„ tatus eſt, & maximè in pectore Viri Dei his deſuper dicendi vis excre-
„ vit, cum Eccleſiolam plurimùm annoſam, non longè à loco diſtan-
„ tem, in qua idem S. Petrus illis evangelizaverat Chriſtum Crucifixum,
„ ſumma devotione viſitavit. Priſcorum etenim Sanctorum, etiam pri-
„ mæ Claſſis loca, nullam ex ſe ipſis ſanctitatem viſitantibus, vel colen-
„ tibus conferunt, cum nil hujuſmodi ex illorum habitatione contraxe-
„ rint, quod aliis communicare queant; veruntamen, eadem viſitans,
„ ſeu inhabitans, vitam eorumdem Sanctorum meditans cum deliberata
„ voluntate imitandi, plurimum emolumenti in via Domini lucratur,
„ quo ſibimet ipſi ad eam feliciter conſummandam maximè juvat. Hoc fine
„ Franciſcus maximè devotus ſanctis Apoſtolis omnibus, præſertim ve-
„ rò Petro, & Paulo, cum eam Eccleſiolam viſitaſſet, impetu ſpiritus
„ majore, ex concepto deſiderio ſanctitatis, quam in ſe, & in aliis exo-
„ ptabat, vitæ emendationem præteritæ, adeptionemque Chriſtianarum
„ virtutum cum tolerantia adverſitatum in Mundo, propoſito exemplo
„ profugi Petri deprædicabat; omnes vero attente illum, ut alterum
„ Apoſtolum, audiebant. Interea S. Pater ſalutis animarum zelo com-
„ motus, Avillianenſium votis aſſentiri viſus eſt, qui ſilenter eum remo-
„ rabantur: etenim duos limpidiſſimos lacus ab invicem parum diſtantes,
„ pulcherrimi viſus, & piſcoſos inviſit; at eos ſaltus, & monticulos,
„ ſilveſtres quidem, ſed Colonis non ingratos, cetera ſuper adamavit,
„ quòd contemplationi æternorum, & meditationi paſſionis Chriſti,

„ maxime opportuni viderentur. Unius eorum ad calcem priſcæ Minorum ſanctitatis etiamnum exalat odor, & antiquiſſimum Cœnobiolum eorumdem frequenti devotione populorum colitur. Mille circiter paſſus ab Avilliana diſtat: dubium verò eſt, an idem S. Pater oblatum eum locum ab Avillianenſibus habuerit; an poſterioribus longe temporibus, quod ibidem contemplando, & meditando ſuas moras protraxiſſet, Sacræ illæ ædes excitatæ fuerint? Priſca monumenta, cum nulla ſint, dubietatem non tollunt: veruntamen, qui ſpectaverit accurate Religioſam illam ſtationem, ejuſdem & quamvis partem, ſive Eccleſiam, ſive Clauſtra, undique ſummam paupertatem in omnibus à Franciſco adamatam ſpirantem ejus temporis ſuiſſe, & ad ejus mentem conſtructam affirmabit. Muri, ſaxa, lateres, tenacius quam aliud quodcumque ſuam antiquitatem demonſtrant, cum eam ſecurius adverſum injurias temporum conſervent, ac tueantur. Nonnulli mei temporis præſati Cœnobioli fundationem B.Thomæ Illyrico adſcribunt: veruntamen, ut ſua pace dixerim, haud appoſite loquuntur; etenim Illyricus, Lugdunenſibus relictis, & remeans in Italiam anno Chriſti MDXXII. eas ædes S. Mariæ de Miſericordia nuncupatas, adinvenit omnibus numeris Franciſcanæ pauperiei condecentibus, abſolutas, ut ex iis, quæ de Beato Illyrico ſuo tempore dicemus, qui leget, conjicere poterit.

Vide ad annum 1523.

Annal. Franc.

„ XVI. Tandem cum Dei benedictione Avillianâ relictâ, ſuum in Gallias proſequebatur iter Vir Dei, gallicæ gloſſæ haud ignarus, & non multum remotas Italici Regni portas, à Langobardis, qui eas ſtatuerant, Cluſas nuncupatas, offendit. Sub Monte ſiquidem Porciano, cui inſidet celebre S. Michaëlis Monaſterium, ac ſubeſt S. Ambroſii Oppidum, inchoatum murum firmiſſimum ad Montem Caprinum uſque, Langobardi Reges protraxerant. Inde in Caurum declinans, & per vallem aſcendens, confectis octo milliaribus Regionis, Securſium, ſen Securſiam pervetuſtam Civitatem, inter Cottias, & Grajas Alpes, Duriæ fluvio per montium anguſtias decurrenti, hærentem invenit; ex iis, quæ didicerat de inclytis, & Chriſtianiſſimis Principibus, optima ſperans, ac ideo lætus, licet itinere feſſus; nec eum ſpes fefellit, ut poſt pauca referam. Securſiam, ob devictas olim à Romanis Alpinas gentes, trophæa Auguſti oſtentantem, & ſubſecutivis temporibus honore Marchionatus Italiæ inſignem, Humberti III. paulo ante à nobis commemorati in odium, Fridericus Ænobarbus Imperator per Sabaudiam, & Montem Ceniſium irruens in Italiam anno MCLV. barbaro incendio conflagraverat, ſed non deleverat, adeo quod reviviſcere eadem non poſſet Marchionum Italiæ ſedes, quam Thomas præfati Humberti filius hæreditario jure occuparet. Hic Sabaudus Heros ſempiternis encomiis extollendus Beatricem Guillelmi, ſive Haymonis Comitis Gebennæ filiam in uxorem duxerat anno MCXCV. cum ipſe eſſet annorum XVIII. & ab ea Primogenitum ſuſceperat Amedeum III. anno MCXCVII., & ſucceſſive alios plures. Ipſe vero Thomas, rebus Chriſtianis in Aſia declinantibus, à Venetis rogatns adfuit cum quatuor mille, & quingentis equitibus, & peditibus octo millia ſelectiſſimis anno MCCI.; eaque in expeditione, quam ſtrenue geſſiſſe publica fama enarrabat, quando S. Vir peregrinabatur ultra Alpes iturus, & Securſiam perveniebat, ex quibus adeo præclare, & fortiter geſtis optimam ſpem conceperat, ut innuimus paulò ante.

Abiens offendit Italiæ portas ſub Monte Porciano à Langobardis extructas pervenit Securſiam.

Clyp. Aſten. fol. 3.

In odium Humb. III. à Friderico Ænobarbo combuſta, reſtituta tamen perſeverat Sedes Marchionum Italiæ.

Thomas Sabaudus Humb. III. Filius.

Pingon. in arb. gentilit. de Thoma fol. 27.

Secu-

,, Secuſiam, abſente viro, tunc fortè incolebat Beatrix, cum eò pervenit *Beatrix Filia Haymonis Gebennæ Comitis ejus Uxor.*
,, Franciſcus, quem videre, & alloqui Heroina ſummopere avebat, non
,, quidem fœminea curioſitate mota, ſed eximio virtutis Chriſtianæ ze-
,, lo, quo ſuos natales exornare, virumque ſuum imitari ſtudebat; piæ
,, ſiquidem ſtrenuitati armorum hujus præpotentes orationis ſagittas ju-
,, giter conjungebat. Tandem vidit immota, ac ſtupens admirata eſt,
,, etiam ſupra ſuam ſpem, hominem non procerum, ſed ſtaturâ paulo
,, infra mediocritatem, non obeſum, ſed gracilem, facie utcumque non
,, ineleganter protenta, fronte ſerena, & plana, oculis quaſi Turturæ
,, ſimplicibus, & caſtris ſuperciliis tenuibus, & rectis, labiis haud ingra-
,, te ſubtilibus, colore quidem mortificato, & quodammodo combuſto,
,, at non horrido, pauperem omnino, & ſine exemplo, vilibus indu-
,, tum, diſcalceatum, pedeſtrem, humilem, manſuetum, at omnino
,, amabilem: à ſe vero pia, ſed arguta perquiſitione tentatum, experta eſt
,, Virum eloquio Divino facundiſſimum, ſalutis animarum zelotem fer-
,, vidiſſimum, virtutum Chriſtianarum encomiaſtem, ſine fuco, vitio-
,, rum oſorem abſque hypocriſi, Evangelicæ perfectionis præconem,
,, Apoſtolicum, & in conſiliis animæ pronunciandis prudentiſſimum.
,, His perſuaſa ſatis, quæ viderat ipſa, & audierat, nihilominus, non
,, curantis ſub ſpecie, Viri Dei ſecretiora animi obſervare, & contem-
,, plari voluit, quod quidem nimis arduum erat; veruntamen tot ſuper-
,, nis Chariſmatibus exornatæ Beatrici, non difficile, ſed facillimum
,, fuit hominem, poſt publica Dei, in corporis caſtigatione ſeverum, &
,, in oratione, & contemplatione aſſiduum experiri. Sileo totius Aulæ
,, motus, univerſi populi acclamationes, & gratiarum actiones: non
,, præteribo tamen tantæ Principiſſæ ſtuporem, ob quem, veluti altera
,, Regina Saba, non habens ultra ſpiritum, coram eo impatiens ſilendi, *3. Reg. c. 10.*
,, in hæc prorupit. *Verus eſt ſermo, quem de te audivi, ò Franciſce, &*
,, *non credebam narrantibus mihi, donec ipſa vidi, & probavi, quod media*
,, *pars mihi nunciata non fuerit. Major eſt ſapientia tua, quàm rumor quem*
,, *audivi. Beati, qui te audiunt. Sit Dominus Deus benedictus, cui compla-*
,, *cuiſti, pete à me quid optes.* Hæc audiebat, veluti extra ſe raptus, humi-
,, lis Chriſti Servus, & dicendi finem facienti dixit: *Optarem, ſi ſibi place-*
,, *ret, hìc Secuſiæ pro meis Fratribus manſionem, regulâ paupertatis conſtru-*
,, *ctam, in qua jugiter Deum exorent pro vobis, quorum proles Regia portas*
,, *inimicorum ſuorum poſſidebit. Deus pacis, & virtutum Dominus ſit ſuper*
,, *vos, & ſuper filios veſtros. Amen.* Hæc ſtatim recogitans piiſſima Prin- *Gen. c. 24.*
,, cipiſſa, adeo exarſit charitate in Deum, & in ejus Servum, quod pro-
,, miſit ſe curaturam ædes, quas poſtulabat; nihilominus aliquid velle
,, ab eo in perpetuum pignus ſuarum precum apud Altiſſimum pro ſe, &
,, Viro ſuo, cunctaque prole præſenti, & futura. O Herois, cujus venu-
,, ſtatem exornat pudicitia, pudicitiam virtus, virtutem fides, & fidem
,, caritas Dei, quæ conſummat omnia! Vere Beatrix voce, & re nomen
,, æternum habebis. Non negavit Franciſcus, ſed quod exhiberet, non *S. P. Franciſcus dat partem Tunicæ Beatrici.*
,, habebat. Neſcienti verò ſe excuſare protinus illa ſuggeſſit: tuæ veſtis
,, partem da, & contenta ero: & hic illico ſciſſam tunicæ manicam, popli-
,, te flexo, porrexit; quam acceptam, inter pretioſas ſuæ Regiæ gazas illa *Eritius de Origine Prov. S. Tomæ c. 2.*
,, cuſtodiendam repoſuit. Huic hiſtoriæ addo, meis temporibus, ſub
,, quibus hæc conſcribo, ab Illuſtriſſima, & Excellentiſſima Domina,
,, Thereſia *Marole* conjugi Caroli Philiberti d'Eſte, Marchionis Drone-
,, rii parta pace, univerſam Sabaudiam ultra Montes, pro regali alti-

„ tudine Victoris Amedei II. Gubernatoris, eamdem tunicæ partem
„ cum cingulo ejuſdem D. Franciſci, in reliquiario ſanctæ Capellæ
„ Chamberii devote veneratam conſervari, me accepiſſe. Ceterum
„ Beatricem virtutibus, & meritis cumulatam, ad Retributorem bono-
„ rum operum evolaſſe creditur inter annos MCCXVIII. & MCCXXI.
„ nam ex hiſtoria Regiæ Domus Sabaudiæ, quam contexuit Samuel Gui-
„ chenum, habetur adhuc viva anno MCCXVIII. cum eo anno Archiepi-
„ ſcopo Tarantaſiæ paſcuorum jura Montis Altæ Cuttis, per litteras diei
„ XIV. Auguſti, in Caſtro de Salinis confectas ceſſerit. Sed cum Thomas
„ Vir ejus viduus Margaretam de Focigniaco alteram uxorem duxerit,
„ & in quodam Chirographo anni MCCXXI. hanc Margaretam ſuam co-
„ njugem exprimat, fatendum eſt prædictam Beatricem inter illa duo
„ tempora obiiſſe. Tandem non reticebo Waddingum occaſione tantum
„ cujuſdam Indulgentiæ Conventum Secuſianum commemoraſse ſub
„ anno MCCXCI.

Beatrix inter an. 1218. & 1221. abiit ad Dominum.

Samuel Guichenum in hiſt. R. D. S. tom. 1. fol. 253.

ARGUMENTUM.

Quibuſdam acquiſitis domiciliis in Hiſpania, iter intendit in Marrochium ad martyrium obeundum. Infirmitate præpeditus viſitat S. Jacobi corpus, ad cujus limina monitus ab Angelo ſuum Inſtitutum ubique propagandum, ex revelato cœlitus theſauro domum Compoſtellæ ædificat: & illinc ſocios mittit alias extructuros. Tranſit inde in Luſitaniam, revertitur in Caſtellam, utriuſque tam veteris, quam novæ potiores partes percurrit. Navarreos, Aragones, Catalonos inviſit, ubique multa acquirens habitacula, & operans mirabilia. Per Galliam in Italiam rediens apud montem Peſſulanum præſignat locum à ſuis inhabitandum. Recenſentur demum quædam Claræ diſcipulæ, & B. Eliſabethæ virtutes.

I. E Civitate Burgenſi diſceſſit S. Franciſcus interiora Hiſpaniæ penetraturus, quando Heros ille Juliobrigenſis, cujus filium, uti ſuperiori diximus anno, è mortis faucibus eripuit, memor tanti beneficii, ſciens jam ſancto Viro poteſtatem factam à Rege, ut ſuis extrueret in Hiſpania domicilia, eum longiuſcule procedentem à cœpto revocavit itinere, & omnino compulit Juliobrigam reverti, ut propriam domum in Conventum conſecraret; cui contiguos hortos, ad ſe pertinentes, liberaliter adjunxit. Domum ad Cœnobii formam breviter reductam, cuidam ex ſociis Vir ſanctus regendam commiſit, cui ex iis tironibus, quos ſua acquirebat prædicatione & miraculis, velut in ceteris faciebat domiciliis, ex itinere quoſdam tranſmittebat. Primam hanc Franciſcum in Hiſpania ædem erexiſſe, & miraculoſam adoleſcentulo Medrano hoc anno præſtitam valetudinem aſſerit Gonzaga; ſed primam alii conſtituunt Burgenſem, & ſuperiori anno adoleſcentis miraculum. Et ſane, ſi vel ipſi aſſentiamur Gonzagæ aſſerenti anno MCCXIII. Franciſcum ex Galliis in Hiſpaniam trajeciſſe, in Hiſpaniæque ingreſſu Juliobrigam veniſſe, & expectandum rationabiliter credamus Juliobrigenſi viro, ut domicilii extructione acceptum recompenſaret beneficium, licentiam Regis non longe agentis, ut Franciſcus ſuum in Hiſpaniam introduceret Sodalitium, non improbabiliter ſuſpicabimur prius apud Burgenſes, poſt patratum Juliobrigæ miraculum ædificaſſe, vel potiùs jam ædificatum Sacel-

lum

Gonza. in Prov. Burgen. Conv. 2. Supra anm. 59.

Juliobrigæ Minorum ædes extruuntur.

Uter prior Juliobrigen. an Burgen. Conventus.

Gonza. in Prov. Caſt. Conv. 1.

lum occupaſſe. Atque in eo ſenſu accipiendus videtur Gonzaga, cum Juliobrigenſem primum dixit Conventum eorum, quos ipſe Seraphicus Pater in Hiſpania erexerit, ut de erectione novi Conventus, non de occupatione erecti locutus ſit; Burgenſem autem, ut ipſe habet Gonzaga, non erexit, ſed erectum occupavit Sacellum. Quidquid vero ſit de anteriori, vel poſteriori hujus Conventus erectione, Eccleſiæ S. Franciſco poſt mortem dicatæ, majus Sacellum præfati Equitis Medrani ſucceſſoribus ceſſit jure patronatus in ſepulturam, & reliquum poſt domicilium reſarcitum, atque ex parte ædificatum piorum eleemoſynis, in amœniſſimo ſitu non procul à Civitate ad fluminis Iberi marginem. Unum & alterum patravit hîc miraculum B. Bernardinus è Senis, quæ ſuo dabimus loco. Hoc anno vel in primo acceſſu, vel in regreſſu ad Logronii civitatem Vir ſanctus Victoriæ urbis non adeo diſtantis, incolarum expertus eſt humanitatem, qui intra ſuos muros ædiculam ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſacram, ſuis ſumptibus, Viri ſancti ſodalibus exædificandam curarunt; quam aliquibus poſt annis Sereniſſima Domina Berenguella Joannis Caſtellæ infantis filia, & Lopetii Diaz de Haro XI. Cantabriæ Domini neptis, ampliſſimè auxit, ut ſuo tempore dicemus.

Gonza. in Prov. Cantabriæ Conv. 1.

Victoriæ cœnobium datur eiſdem.

II. Ab his Civitatibus reſiliens fidei Athleta, curſum concitato proſequitur greſſu ad martyrium, totus anhelans ad palmam, duo quæ habebat minuta, corpus ſcilicet & animam liberali cupiens caritate Chriſto largiri. Ita continuè hæc offerebat, ut quaſi omni tempore per rigorem jejunii corpus, & per martyrii deſiderium ſpiritum immolaret: exterius in atrio volens ſacrificare holocauſtum, & in templo interius concremans thymiama. Sed id me hæſitare & mirari cogit, quomodo tenellam adhuc ſuæ Religionis plantulam, altis nondum jactis radicibus voluerit deſerere, & innumeris exponere periculis, quæ res novas, maxime quæ Dei ſunt, ex more circumdant, & veluti erumpentem ſupprimunt plantam. Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos ſuper eos volitat, ut ſupervenientia mala præcaveat; ita Religionum Principes & Inſtitutores ſuis adſunt ſubſidiis, ut ſectatorum adjuvent infirmitatem, & irruentia damna propellant. Procreant, & protegunt diſcipulos, nec non niſi robuſtos propriæ fidunt virtuti. Adhuc eſt in ipſa infantia, nec dum plane fundata hæc paupercula Religio, & jam ſecundò Fundator abſcedit? Tenelli nondum perfecte nati filioli, & jam exponuntur, prius expoſiti, quam nati. Cur nos Pater, ardentem te fari liceat Seraphim, deſeris? Cui nos deſolatos relinquis? Vere ſi abieris, ſi receſſeris, invadent gregem tuum lupi rapaces.

Expenditur qualiter orientem deſerat Franciſcanam Religionem tendens ad martyrium.

III. Magnus ſane ardor martyrii in ſanctis hominibus adeo urget & urit, ut non ſi filios relinquant, ſed quod Patrem ſequantur, expendant; non quod dimittunt poſt ſe, ſed quod habent ante ſe, magna anxietate conſpiciunt. *Amor illorum*, ut dixit Ignatius, *crucifixus eſt, non eſt in eis ignis mundanæ, ſed cæleſtis materiæ, & aqua viva, quæ intus dicit: veni ad Patrem. Pulchrum putant à mundo occidere ad Deum, ut ad ipſum exoriantur*. Proinde non naturalem vitæ curſum præſtolantur, mundana funera, ſupremas ſuorum lacrymas deſpiciunt: *Cæleſtem gloriam violenta, immaturaque morte præveniunt. Velociter ex hac vita, quæ potius eſt interitus longus dicenda, brevi quidem labore commigrare contendunt, ſupremum ætatis finem, inutilem, ſterilem, infructuoſum, ſtultum, vanum expectare faſtidiunt*. Mortem igitur pro dilecto ferendam, non mortem putant, ſed ut ſancta Sophia dixit ad Anaſtaſiam filiam, *bonum*

In ſanctis Viris magnus ardor martyrii.

Ignat. in epiſt. ad Rom. apud Sur. ad 1. Febr.

Baſil. hom. 19. in S. Gordium martyr.

ex

Metaphr. apud Sur. in vita Anaſt. c. 3. ad 28. Octobr.

Theodor. in vita S. Dominici l. 2. c. 2.

ex malo mundo diſceſſum, lætitiam, gaudium, voluptatem, ſplendorem, pulchritudinem, lucem longe hac luce dulciorem, & pulchriorem. Hinc præter Franciſcum, viri alii magni derelictis, quos non adeo pridem genuerant, vel ſuſceperant, filiis ad hunc properabant triumphum. Sanctiſſimus Patriarcha, & Franciſci conſocius Dominicus, inſtituto in Abbatem, qui ceteros gubernaret, Fr. Matthæo (qui ſolus in ſacro Ordine Prædicatorio illius præfecturæ prætulerat genus) decrevit proficiſci ad Saracenos deſiderio martyrii obeundi, anno MCCXVII. cum paulo ante uno, vel altero anno per regulæ approbationem Inſtitutum formarit.

Athanaſ. in vita S. Anto. ad med.

Hilduin. in vita S. Dionyſii c. 17. & 20.

S. Antonius Abbas flagrans cupiditate martyrii, cum perſecutio impiiſſima Maximiani furore veſano vaſtaret Eccleſiam, Sanctis quoque Martyribus Alexandriam perductis, relicto & ipſe Monaſterio, ſecutus eſt futuras Chriſti victimas, dicens: *Pergamus ad glorioſos fratrum triumphos, ut ipſi congrediamur.* Magnus ille Dionyſius Areopagita ſubrogato ſibi ſuæ Eccleſiæ Epiſcopo, martyrii deſiderio, feſtinantiæ itineris Romam accelerans inſiſtebat, ut ſimul cum Apoſtolis, ſi ita vellet Chriſtus, occumberet: & poſtea in Galliis morte vitam aſſeqni tota intentione deſiderans, incredulæ gentis non verebatur expetere feritatem, ut qui jam erat Chriſti nominis, inter multa tormentorum flagella, perfectus confeſſor, fieri mortis mulctatione mereretur & martyr.

Diſcipulus Huberti in vita apud Sur. ad 5. Novemb.

Vide Audoenum in vita S. Eligii c. 38.

Quid Hubertum Epiſcopum memorem Leodienſem, qui dum commori non potuit Lamberto Chriſti martyri, crebro talia conquerebatur: O *me infelicem, terque miſerandum, cujus peccata in tantam ſuſtulere congeriem, ut non idoneus dignuſque poſſim reperiri conſortio tanti viri, martyrii triumphum ſubeuntis, palmamque victoriæ invadentis!* Quid ſimilia referam de Eligio Epiſcopo Novionenſi? Quid primos illos recenſeam Antiſtites, & Patres, qui teſte Chryſoſtomo, & fatente ipſo Juliano Apoſtata, *omnes ad martyrium, quaſi ad alvearium apes volabant?*

Chryſ. ſerm. in Juvent. & Maxi. mart. parum à prin. to. 3. in fine.

Bonav. c. 9.

Ægrotat in Hiſp. Franciſcus.

IV. Franciſci verò fervens deſiderium, etſi Deo gratum, non tamen probatum, ut compleretur. Quare ipſe, qui puſillo ſuo gregi magiſtrum paravit, ſervavit Franciſcum, ut inſtitutio Monachorum, non ſolum oratione ejus, ſed & conſpectibus firmaretur. Cum itaque in interiori eſſet Hiſpania, divina diſpoſitione, ut ait S. Bonaventura, quæ ipſum reſervabat ad alia, graviſſima ei ſupervenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat implere nequivit. Statuit ergo Dei obedire voluntati, quæ per manifeſta ei conſtitit ſigna, & adoratis S. Jacobi Apoſtoli reliquiis, in Italiam reverti. Sed ubi ægrotaverit, vel quam peragraverit in hac peregrinatione regionem exacte nullus ex noſtris memoravit. Multum nobis præſtarent Patres Hiſpani, ſi eam, quam Itali, adhibuiſſent operam in obſervandis geſtis, prodigiiſque ſui Inſtitutoris. Nihil ferme calamo dignum prætererunt priſci Italiæ Franciſcani, quorum inconcinna & humili, ſed eo ſinceriori & fideliori enarratione, præcipue Mariani Florentini, omnium locupletiſſima uſi ſumus, & quorum operâ facilius ſcire licuit, quid unoquoque anno Vir ſanctus in his egerit Provinciis; Hiſpani verò, vel qui cum ſancto Viro in Hiſpaniam tranſierunt pauca notarunt, vel noſtram ſubterfugere notitiam.

Res geſtæ Franciſci in Hiſpania à paucis ſignatæ.

Hæc tamen de rebus Hiſpanicis ab omnibus noſtris, etiam Italis obſervata, quod Hiſpaniam luſtrarit, S. Jacobi corpus Compoſtellæ coluerit, quod in Luſitaniam trajecerit, quod univerſum ferme Aragoniæ Regnum, & vicina perambularit; demum unum, vel alterum ejus inibi factum referunt prodigium. Nihil tam nobis in Hiſpanico hoc itinere facem præferre poterit,

rit, quam populorum perpetua, ut fertur, & probata traditio, quæ qualem ſortiatur auctoritatem, & mereatur credulitatem ponderoſiſſimæ res aliæ, imo & fidei noſtræ, arcana affatim probant. Hanc egomet ipſe conſtantem eſſe, & ſacram in multis Urbibus, & Oppidis, diverſiſque Regnis Hiſpaniæ comperi; cui ſi refragari quis velit, non impunis, nec abſque effrontis nota effugiet: adeo pro magno pius populus, & in Franciſcum propenſus ſemper duxit ejus ſe præſentia viſitari. Neque aliunde quam ex hac diuturna, & numquam interrupta traditione Illuſtriſsimus Gonzaga primorum Hiſpaniæ Conventuum in Franciſcum refert originem; nec profecto inaniter aut leviter, me judice, id præſtitit, ut ex ſingulis domiciliis ſtatim conſtabit. Ex horum ſitu & Geographia, ſi nos itineris ſancti Viri curſum deducamus, non leviter divinare, ſed veluti quibuſdam faculis, & Ariadnæ filo in dubio & cœco greſſu duci ab æquis judicibus merito cenſebimur.

V. E Julio briga ergo rediens, ut ſupra dixi, ad lævam habens Hiſpanos Vaccæos, per Septemtrionalem partem veteris Caſtellæ, ut Juniores vocant, tranſivit per priſcos Turinodigos populos, & Regnum Legionenſe ad flumen Eſſa, antiquis Eſtola, qui rapido curſu à Superioribus Aſturibus Auguſtanis fertur in Dorim, vel Durium fluvium. Ultra hunc, Aſturicam verſus, alius eſt fluviolus, veteres Geographi Urbicum vocant, qui eumdem cum ſuperiori habet ſui curſus terminum, quem ut à Villa Novia, Ortelio & Antonino Nova, Mariano Novis, aliis Nonis, ad oppoſitum Oppidum tranſuadare tentarat, non licuit ſine periculo profundioris alvei. Ad cujus ripam, dum parumper ſubſtitit cum ſociis, nocte ſuperveniente, acceſſit e dicta Villa adoleſcens duos minans caballos, pannis venalibus onuſtos, qui pauperum miſertus, depoſitis in adverſo margine ſarcinis, rediit ad fratres, tranſportavitque, & nocte illa humaniſſime curavit, neceſſaria quæcumque eis in hoſpitio miniſtrari. Cui ſanctus Pater die ſequenti in receſſu valedicens, dixit: retribuat tibi Dominus in retributione juſtorum. Exauditæ ſunt Viri ſancti preces; nam viſitante adoleſcente paucis poſt menſibus limina Apoſtolorum, magnoque interiori accepto ſolamine, quod expiatis per ſacroſanctos Sacramentorum ritus anteactis piaculis, & devote ſalutatis ſacris Cœmeteriis, Deum obnixe rogavit, ut cum locuplete hoc meritorum cumulo, antequam mortali quopiam crimine tollerentur, ſibi liceret vita meliori commutare. Obtinuit quod petiit, ex hac vita in illa peregrinatione decedens. Pater, ut mortuum audivit filium, juſta ſolvi voluit, convocatoque Clero ſolemniter ad altare preces offerri. Sacroſancta dum inciperentur myſteria, ecce triginta fratres delubrum ingredientes gravi concentu choros efformant. Quibus, terminatâ re ſacrâ, ad prandium vocatis, varia apponuntur fercula, & magnæ redduntur de inexpectato beneficio gratiarum actiones. Urbane tractatos comitantur populi extra Oppidi compita, ſed redeuntes appoſitas dapes inveniunt intactas. Quod miraculo adſcribentes, curſores & exploratores miſerunt, qui de eorum conditione & incolatu perquirerent. Sed nec quò flexerint, nec qui eos per ſemitas ullas aſpexerit, invenire potuerunt; quare non abſque fundamento judicarunt pauperem Franciſcum, cujus jam celebris in illa regione evaſit opinio, cum ſuis diſcipulis cum cumulo reddidiſſe in retributione juſtorum, quod accepit ab adoleſcente hoſpitalitatis beneficium. Per quod factum eſt, ut oppidum illud propenſius ſemper Franciſci amaverit ſectatores.

Supra n. 1.

Marc. 1. p. l. 1. c. 45.

Rebol. ibid. c. 22.

Marian. c. 10. §. 17.

Adoleſcentis erga Franciſcum humanitas à Deo retribuitur.

VI. Recta

Pervenit Franciſcus Compoſtellam.

Gonza. in prov. S. Jac. con.1.

VI. Rectâ hinc per Aviam, & Sariam fluvios, qui in Minium decurrunt itur Compoſtellam, ſive Flavium Brigantium Principem inter Janaricos, ſeu Gallecos Civitatem. Hìc Vir ſanctus paupertatis amantiſſimus apud pauperem quemdam Carbonarium, cui domus in ſuburbiis, nomen verò Cotolai erat, divertiſset, noctu contemplationi vacandæ cauſa in viciniorem monticulum ſe recipiebat, in quo divinæ voluntatis eſſe intellexit, ut ſuis Fratribus in Dei, atque Inferni vallibus, ita ab illo populo nuncupatis, Conventum ædificaret. Hujuſmodi igitur valles quæſiturus ſummo mane ſurrexit, atque poſt adhibitam diligentem curam, eas ad Benedictinos quoſdam Patres, Monaſterii ſancti Paii, ſive Pelagii ejuſdem Civitatis, quorum ſucceſsores modò in Conventu ſancti Martini commorantur, pertinere accepit, eaſque valles ſibi invicem contiguas eſse invenit. Memor igitur benevolentiæ præfatorum Fratrum erga ſe, atque ſuum Ordinem, nec non & Monaſterii S. Mariæ de Angelis Aſſiſinatis, quod ab iiſdem gratuito acceperat, S. Paii Abbatem humiliter aggreſsus, hujuſmodi Conventus præfatis in vallibus ædificandi facultatem ab eo maxima cum fiducia, conſtantique animo petiit, præfatoque Abbate, quid ſibi in pretium daturus eſset, reſpondente ſubjecit: Cum pecunia longe à me ſit, nec quidquam aliud occurrat, ſum enim pauperrimus, quod tibi pro tanto beneficio erogare poſſim lubens fluvialium piſcium ciſtellulam in annuum cenſum dabo, pendamque, dummodo capi poſſint. Cujus fiduciam atque ſimplicitatem admiratus pius Abbas ejus votis ſub oblata conditione annuere decrevit. Quamobrem confecta de tradendis vallibus, ſub præſcripta lege, ſcriptura, eaque chirographo B. P. Franciſci, atque Abbatis ſubſignata, domum Cotolai repetens Pater Seraphicus, inquit: Cariſſime hoſpes, ut ad labores accingaris oportet, voluntas ſiquidem Dei eſt, ut ſibi Ordinis mei domum in vallibus Dei, atque inferni ædifices. Nam quod ad ſitum attinet, is mihi ea propter à Patribus Benedictinis conceſſus eſt. Cui Cotolai: quonam pacto, Pater mi, id præſtare potero, cum ex mercenario labore victitem? Nonne me pauperrimum noſti? Tuncque B. Pater ſubjunxit: bono animo eſto, quamobrem ſumpto protinus ligone, proximiorem petito fontem; cumque terræ aliquantulum effoderis, opulentiſſimum invenies theſaurum, quo injuncto tibi muneri ſatisfacere valeas. Quod cum Cotolai ex devotione ad Patrem concepta præſtitiſſet, omnia ſibi juxta Patris præſagium ſucceſſerunt.

Ibi in fund. Patrum Benedictinorum Conventum ædificat miraculosè.

VII. Itaque ex adinvento à pio Cotolai theſauro, Conventus hic, qui nunc S. Franciſci titulum præfert, partim in valle Dei, partim vero in valle inferni, hoc anno ejuſdem Cotolai operâ ædificatus eſt, ut ex inſcriptione præ foribus Eccleſiæ, & tumulorum Cotolai, & uxoris Mariæ de Bicos dictæ, ex antiquiſſima, & fideliſſima traditione, ex authentico etiam ſcripto ex Patrum Benedictinorum hujus Compoſtellanæ Civitatis archivis ſumma fidelitate extracto, ad inſtantiam Fr. Garziæ à S. Jacobo Minoritæ. Sed præ omnibus rem omnino indubiam facit præmemoratum B. Franciſci chirograhum diligenter ad hoc uſque ſæculum à Patribus Benedictinis in Sacrario aſſervatum, quod tanquam veneratione, & memoria dignum ſibi oſtendi curavit Philippus II. Catholicus Rex anno Domini MDLIV. dum in Angliam transfretaturus, ad matrimonium cum Maria Regina contrahendum, illac tranſiret. Dictum annuum cenſum, fiſcellam videlicet fluvialium piſciculorum longo tempore exſolverunt Franciſcani Patribus Benedictinis ex prædicta conventione inter San-

Solvunt Minores annuum cenſum piſciculorum.

Sanctum Franciſcum, & Benedictinorum Abbatem. Succeſſu vero temporis eis remiſſus fuit; ſed plurimi adhuc Guardiani, quos vocant, vetuſtæ pietatis, & humilitatis ſtudioſiores cenſum, quantumvis remiſſum, ſponte ſolvunt, quem veluti ſibi ſumme acceptum majori caritatis cumulo, & pinguioris eleemoſynæ beneficio Patres Benedictini rependunt. Jacent in hoc Conventu Antonius Guimanius, quinquies Miniſter Provinciæ D. Jacobi, nobilis proſapiæ, magnarumque rerum obeundarum vir: & fratres aliquot Laici, ſeu Converſi, quorum ad annos, quibus obierunt, erit memoria; nec non Comitiorum à Carolo V. anno MDL. ibidem celebratorum pro ſuorum Regnorum moderatione. Ornavit plurimum hanc ædem inſigni Clauſtro, aliiſque ædificiis ad annum MDCXIII. P. Joſephus Vaſquez doctus, nec mediocris notæ vir, conquiſitis hinc inde piorum elemoſynis, adjutus liberalitate Maximiliani Auſtriaci Archiepiſcopi, & Eccleſiæ matricis capitularium beneficentia. *Addition. Prov. S. Jac.*

VIII. Non ſolùm hunc Conventum inter Celticos, ſeu Gallicos obtinuit Vir ſanctus, verum ad capiendos alios, ſocios ad varia Oppida juxta viſionem, & præceptum Dei ad altare ſancti Apoſtoli ſibi factum, tranſmiſit. Etenim eum apud venerandum corpus ferventer oraret, apparuit ei Angelus Dei, & monuit dilatandum eſſe ſuum Inſtitutum per univerſum Orbem, & plurima ſibi ædificanda domicilia in Europa, & quædam occupanda, antequam ex Hiſpania rediret; id demum divinum eſſe placitum, ut in Italiam remearet. Cœleſtibus proinde parens monitis, dum Compoſtellano exſtruendo inſtitit Cœnobiolo, unum ex Sodalibus miſit Corunniam, antiquis Caronium, Urbem Senatu Regio modò celebriorem, qui religioſo exemplo, & ſancta converſatione id præſtitit, ut ſibi daretur facultas & ſitus ædificandi Cœnobii ad litus maris Oceani, paulum a mœnibus Civitatis. Cum autem Dei famulus, omni pecuniarum genere, quo operariis ſatisfaceret, omnino careret, victum ſaltem eis miniſtrare curabat. Quapropter ad litus piſces ſibilo vocans, cum plures adnatarent, ſibi neceſſarios, alios interim benedictione dimittens, prehendebat, & opificibus miniſtrabat, qua mira arte opus majori ex parte promovit. Cujus corpus in hujus loci Eccleſia ſepultum eſt, in peculiari quodam ſepulcro, cujus dextro lateri ſequentes litteræ impreſſæ ſunt: *Oſſa ſancti Fratris*. Nomen enim ejus, vel ex propria induſtria, fugiendæ videlicet auræ popularis ergo, vel ex craſſa Patrum incuria, neſcitur; licet aliqui velint hunc eſſe fr. Benincaſa Tudertinum, cujus infra erit mentio. Aliquot ejus oſſa ex dicto ſepulcro exhumata, honorifica quadam in arca lignea recondita ſunt, atque ad ſepulcri latus eminentiori in loco appoſita, à Corunnenſibus maxima in veneratione habita. Præfatum ejus miraculum mauſolæo in pariete eſt ſuperpictum. Vetuſtatem hujus fundationis confirmare poterant antiqua conſtructionis norma, & epitaphium hoc cuidam ſepulcro inciſum: *Hic jacet famulus Dei Hernandus Joannes de Gube, qui obiit ſub Æra milleſima, treceuteſima, id eſt anno Domini* MCCLXII.

Ad Apoſtoli altare monetur Ordinis dilatandi. *Marian. cit. §. 15.* *Corunniæ ædificatur Conventus.* *Gonz. cit. Con. 2.* *Addit. Prov. S. Jac. in Convent. Oveten.* *Infra ann. 1216. n. 2.*

IX. Diſcipulum alium, cui nomen Petrus Compater, deſtinavit ad Aſtures tranſmontanos, qui Oveti (quod Provinciæ metropolis eſt, a quibuſdam, ut notat Rodericus Toletanus, *Civitas Epiſcoporum* nominata) ſedem ſuis poſuit, in qua parum ipſe vixit, moriens anno MCCXVI. Juxta portam Eccleſiæ a parte interiori diu humi jacuit, donec XXVI. Maii anno Domini MCCCCLXXXVII. ad eminentiorem, atque honorabiliorem locum ad inſtantiam, & ſumptibus nobilis viri Alphonſi de Balder-

Ovetum deſtinat fratres S. Franc. *Rod. l. 4. de reb. Hiſp. c. 18.* *Gonz. cit. Con. 3.* *B. Petrus Compater.*

cabano, Aſturum Gubernatoris, ſupra præcipuam Eccleſiæ portam tranſlatus fuit, ubi religioſa veneratione colebatur a Populo, ut ſanctus, & Deo carus. Sepulcro impolitum epitaphium hoc a piis quibuſdam viris appoſitum fuit.

Frater Petrus ego, cognomine Compater ante,
Carnis hic oſſa tego, me Salvatore vocante.
Annis millenis centum bis, decem ſex octo plenis,
Sanctus obiit Frater de gente Minorum.
Compater, imo Pater appellatus miſerorum,
Filius atque Dei, voce favente Dei.

Quibus verſibus indicatur in populo habitum pro ſancto, compaſsivum fuiſse erga pauperes, & favore aliquo cœleſti affectum, quo Deus dignaretur eum filium ſuum appellare, & menſe Octobri anni MCCXVI., ut dixi deſunctum. Alia adhuc tranſlatio reliquiarum ſancti hujus Viri facta eſt anno MDXCIV. die XV. Junii per Ludovicum de Quiros Guardianum, & Theologiæ profeſsorem in locum honorabiliorem, dum murus, in quo antea conditæ erant, ruinam minaretur. Invenit in ſepulchro tres arculas plumbeas, per quas diviſa erant Viri ſancti oſsa dura & integra. In prima erat hæc memoria primæ tranſlationis, pecorina charta, ſignata: *Reliquiæ cujuſdam ſanctiſſimi viri ſocii Patris noſtri Franciſci, qui nuncupabatur fr. Petrus Compater; cujus tranſlatio facta fuit* XXVI. *Maii anno Domini* MCCCCLXXXVII. In ſecunda erat aliud membranum cum his verbis: *Reliquiæ, quæ continentur in his tribus thecis, ſunt fr. Petri Compatris ſanctiſſimi viri, quondam ſocii ſigniferi Patris noſtri Franciſci, quæ tranſlatæ fuerunt* XXVI. *Maii anno Domini* MCCCLXXXVII. *frater Thomas.* Idem repetebatur in membrano tertiæ capſulæ. Adſuerunt huic tranſlationi D. Ludovicus Carillo de Mendoça Aſturiæ Gubernator, & illius ditionis Nobiles quinque, & Viri præcipui, quibus aliquæ partes diſtributæ ſunt oſsium, & byſsini veli, quibus involvebantur reliquiæ, quæ non pauca operatæ ſunt miracula, ut ad illum, ſi Deo placuerit, annum enarrabimus. In eadem etiam Eccleſia conditum eſt corpus Alphonſi à Palenzuela Minoritæ, Provinciæ D. Jacobi alumni, atque Ovetenſis Epiſcopi, viri doctiſſimi, diſertiſſimi Concionatoris, Catholicorum Regum Ferdinandi, & Eliſabethæ Confeſſarii; a quibus miſſus fuit in Angliam acturus cum Henrico VIII. de matrimonio cum Chriſtianiſſima Catharina, eorumdem Catholicorum Regum filia, anno MCCCCLXX. Obiit hic pius Antiſtes, non ſine ſanctitatis opinione, maximum ſui deſiderium omnibus relinquens.

Duę factę tranſlationes reliquiarum.

Addit. ad Conventur Prov. S. Jacobi.

Gonza. cit. Con. 4.

Ribadei Conventus.

X. Alterius ejuſdem ſancti Viri ſodalis operâ, ut firma habet traditio, extructum eſt Monaſterium extra oppidum Ribadeum, olim Dactonium nuncupatum, in finibus Gallecorum verſus Aſtures tranſmontanos. Ejus oſſa eminentiori in loco recondita in Eccleſia, hoc epitaphio inſigniuntur: *Jeſus. Hic jacent venerabilia oſſa cujuſdam Fratris ſocii B. Franciſci, qui obiit anno Domini milleſimo ducenteſimo, ſecundo & vigeſimo*; novennio ſcilicet ab ingreſſu ſancti Patris in Hiſpaniam. Hujus fundatoris nomen, licet ipſe in veneratione magna ſit apud populum, penitus ignoratur. Majus loci Sacellum modo habet patronos nobiles quoſdam ex Familia Anleorum, uti patet ex characteribus fornici ejuſdem Sacelli inciſis.

Quando tranſierint Minores in Hiberniam.

XI. Tradunt noſtrates, etiam tunc ad ſe miſſum in Hiberniam, unum ex Franciſci ſociis ex civitate Compoſtellana, idque eo tempore,

re, quo ejuſdem Civitatis extruebatur Conventus. Traditionem hanc videtur confirmare Gonzaga, dum aſſerit, *quemdam ex ſeraphici Franciſci ſociis, qui ex Compoſtella in Hiberniam trajiciens aliquot monaſteria in Inſula conſtruxit, & tandem ibi cum maxima ſanctitatis opinione diem clauſit extremum, fundatorem erectoremque Provinciæ Hiberniæ fuiſſe*. Clarius rem dixit, dum & hunc ipſum annum ſignavit adventus hujus pii viri in Hiberniam R. P. Antonius Daça hujus Curiæ in rebus familiæ Ultramontanæ Commiſſarius, ſpectabilis meus amicus, in tomo primo Chronicorum, quem elaborabat, ante injunctum ei hoc officium, & ex ſua erga me benevolentia mihi communicavit. Idipſum inculcant duæ, ad me miſſæ ex Hibernia, ejuſdem Provinciæ hiſtoriæ in ordinem redactæ circa annum MDCXVII. & MDCX. Attamen annales antiqui Hibernici MSS. duo, & tertius alter codex membraneus Joannis Clyn Minoritæ Hiberni Lagenienſis (de quo Richardus Stanihurſtus in deſcriptione Hiberniæ, qui rerum notabilium ſeriem fideli hiſtoria a Chriſti nativitate ad annum MCCCL. deduxit, vixitque ad annum MCCCCV. quo jam ſenex creatus eſt Hiberniæ miniſter, intermiſitque munus ſcribendi) Minores in Hiberniam tranſfretaſſe dicunt anno MCCXXXI. vel ſequenti. Quibus ego ſubſcribendum putem, utpote vetuſtis, & candidis rerum Hibernicarum obſervatoribus, ſinceraque, & conſtanti aſſertione concordibus: præſertim cum oppoſitam traditionem nullius ex ſuperioribus ſæculis teſtimonio nobis conſtet ab antiquis ad recentiores deſcendiſſe: & quod Gonzaga aſſerit, nullo enumerato tempore, poſſit cum præfatis annalibus cohærere. Accedit, quod communiter feratur Dominicanos in Hiberniam, ut & in Angliam priores veniſſe, quorum adventus annum ſtatuunt duo ex dictis codicibus manuſcriptis MCCXXVI. Veruntamen nihil hîc definio, probabilius tamen puto Clyn aſſertum. Quid vero ſe mihi offerat in eo difficultatis ad annum MCCXXX. explicabo.

Gonza. in Prov. Hiberniæ parum poſt initium.

Daza 1.p.Chron. MSS. l.1.

Clyn in Chron. MSS. fol.189.

XII. Multum excurri, ſed jam ad Franciſcum redeo. Deſtinatis itaque ſupradictis ſociis, jactis Compoſtellani conventus fundamentis, præſcriptaque ædificii norma ex Sodalibus alteri, eo diſceſſit loco, ex quo in Luſitaniam trajeciſse judicarim; nec enim aliunde commodius venire potuit Araducam, villam ſcilicet Vimarienſem, vulgô Guimaraes, Braccarenſis Diœceſis, ad quam acceſſiſse, præterquam quod noſtri omnes Hiſpani referant Chronici, conſtantem illius populi traditionem eſse ipſe probavi ad annum MDCII. quo illic per aliquot menſes hæſi, dum a ſtudiis Conimbricenſibus licuit feriari. An mari, terrave illuc trajecerit non liquet; faciliter, & breviter ex quopiam vicinorum portuum navigando appelleret Vianam, vel Eſpoſendam maritimos portus, a quibus paululum diſtat Vimaranum. Illud hîc memorabile feciſse obſervatur, quod hoſpitis ſui filiam defunctam ad vitam revocarit, propter quod ſanctè audivit in tota illa regione. Viſitaſse deinde fertur Reginam Urracam, Alphonſi II. Luſitani uxorem, & Alphonſi IX. aliis VIII. Caſtellani Regis filiam, a qua perbenigne & reverenter ſuſceptum dicunt. Ubi eam inviſerit, aut quid cum ea tractarit, nemo eſt qui referat; quod narrationem dubiam reddit. Etenim ſatis diligenter, ſuperiori anno notarunt, qui de ea ſcripſerunt, collocutionis Franciſci cum Caſtellano Rege locum, quod & ſemper ab hiſtoricis obſervatur in congreſſu cum Regibus & viris illuſtribus. Dubium etiam auget, quod ſi cum pia Regina ſermonem injerit, quomodo non de plantando in illis dominiis ſuo Sodalitio egerit, quomodo non locellum, vel tuguriolum ali-

Tranſmeavit Franciſcus in Luſitaniam.

Vimarani defunctam exuſcitat.

Marcus, & Rebell.cit.& alii.

Dubium an viderit Reginam Urracam.

aliquod ſuis obtinuerit? qui tam vehementer, & ad votum ad ſolum conſpectum, efficacemque ſermonem hominis, & Rerumpublicarum Rectores flectebat: maximè patratis jam in illa regione miraculis, quorum fama per adiacentem undique percrebuerat regionem. Niſi dici placuerit ad penetralia Regni, diſtantemue, in qua degebat Regina, Provinciam, famam hanc non perveniſſe. Cui facile occurritur, non dici, nec ſcribi Franciſcum ultra Interramnenſem regionem, ſeu illam Regni portionem, quæ Minio & Durio circumſcribitur, amplius tetendiſſe verſus Oceanum Occidentalem ad civitatem Conimbricenſem, in qua tunc Regina degebat, ſed ad extremos Caſtellæ terminos regreſsum. Quare merito quis dubitaverit, quod, vel quale fuerit Joanni Marianæ fundamentum, ut ſolus aſſereret, eum ultimam penetraſſe Luſitaniam.

Marian. cit.

Quid ſentiendũ de vaticinio Luſitanico S. Franciſci.

XIII. Hinc & jam ambigua fides illius, quæ circumferebatur prophetiæ, qua vaticinatum dicebant Franciſcum ad hujus Reginæ quæſitum, Luſitaniæ Regnum numquam uniendum iri cum Hiſpanico ſeu Caſtellano. Sane de ipſo alloquio, ut dixi, ſubeſt ſcrupulus major de hoc vaticinio. Neque primus, & ſolus qui illud retulit Marcus Ulyſſiponenſis, ad firmam præbendam fidem ratione aliqua ſeu fundamento nos adegit, neque ampliorem præſtitit ipſe, vel præſtandam voluit, quam quæ leviuſculo cuipiam rumori, vel inani cuidam ſchedæ; cum nec à gravi ullo hiſtorico, nec conſtanti traditione id ſe accepiſſe, ſed alicubi ſcriptum, vel dictum, nec locum tamen, nec librum, nec populum aſſignans, ſe reperiſſe teſtetur. Forſan ex quopiam verbulo circa regni gubernium, vel in alium ſenſum prolato, occaſionem ſumpſerunt quidam parum fidi Interpretes in hunc detorquendi, atque hoc vaticinium efformandi, quod quam maxime tunc arrideret Luſitanis, quibus frequentia bella, alternæque aliquando clades fomitem præbuerunt tepidioris amoris, ne dicam odii, erga Caſtellanos, quibuſque nihil tam averſum erat, quam in horum devenire poteſtatem. Hæc vehementis affectus vis, ut quod quis velit, ab aliis dici putet, non quod profertur, ſed quod deſideratur, mente concipiens. Etenim ut habet Chryſoſtomus, *quemadmodum oculis turbatus aliud pro alio cernit; ita mens, affectione perturbata, idem pati conſueſcit*. Id ſane ego teſtificari poſsum in Urbibus, & Oppidis Luſitanis, quorum plurima, & optima percurri, quoties de hoc egerim oraculo, toties mihi reſponſum nequaquam habitum aliquando pro vero, aut à Franciſco prolato, ſed aliunde adinvento.

Marc. lib. 1. c. 45.

Chryſ. hom. 25. ad populum Antioch.

XIV. Nec tamen obinde dubiam aut rejiciendam prophetiam hanc prætenſam judicarim, quod minus vera ſit, & videatur eluſa, ut putant quidam recentes Scriptores, qui dum ſanctos viros, etiam prophetico afflatos ſpiritu, aliquando quædam ex proprio penu tamquam fatidica oracula deprompſiſſe, in iiſque erraſſe, comminiſcuntur; cujus rei exemplum hoc unum adducunt, propterea que ſubjungunt in poſterioribus Marci Ulyſſiponenſis Chronicis prophetiam expunctam, nullamque ejus fieri mentionem, quia rerum eventus eam falſam eſſe oſtendit. Etenim præterquamquod minus religioſum, minuſque modeſtum putem, abſque ſufficienti fundamento temeritatis in vaticinando, & ſtudioſi mendacii, quaſi cum Pſeudoprophetis aſſerant: *Dominus dicit*, cum Dominus non dicat, incuſare viros ſanctos, præſertim quos ſacrarum legionum duces Dominus in Eccleſia conſtituit; ipſam illam prophetiam (ſi ut talis proferretur, vel admitteretur) ſuâ adhuc conſtare veritate admittet, qui rerum

Villeg. in florib. SS. in feſto Concept.

Moura de incan. 4. opuſc. 1. ſect. 2. c. 3. n. 23.

Alcazar notat. 22 proœmial. in Apocal.

Jerem. 23. 31.

rerum ſtatus recte perpenderit. Quid enim vaticinatum? quid aliud prædictum? quam non uniendum cum Hiſpanico, ſeu Caſtellano Regnum Luſitanicum? Idipſum jam falſum apparuiſſe dices ſtatim ac Philippus II. rerum potitus eſt in Luſitania. At ſi ad conditiones, & pacta deditionis & acquiſitionis Regni te vertas, diligenterque examinanda proponas, etiam ſub uno Domino regnum utrumque, Caſtellanum & Luſitanum, utrinque diviſum, & ab invicem ſeparatum invenies. Capita conventionis, quæ Regis nomine Dux Urſaonenſis, ſive Oſſunenſis Regius orator publicavit, & Regem conceſſurum eſſe ſpopondit, quæ & ſtatim a coronatione Rex ipſe conceſſit, nihil tam cavent, quam unionem Regni utriuſque. Eorum ſummam legere licebit apud *Joannem Annium Viperanum libro de obtenta Portugallia, Hieronymum Coneſtagium lib. 4. de eodem argumento, Herreram in hiſtoria Luſit. lib. 3. num. 80. & alios.*

An conſtare poſſit illud vaticinium.

Hieron. Franch in hiſt. Luſ. l. 3.

XV. Sane Pontificiæ leges circa Eccleſias decreverunt, quod ea, quæ alteri unitur, aſſumat naturam, privilegia, & conſuetudines ejus cui adjungitur, illius legibus regatur, & ſua jura deperdat, quodque etiam translato ſacerdotio neceſſe ſit, ut translatio legis fiat. Et Imperatoriæ ſtatuerunt, quod ſi Provincia adjicitur Regno, reguletur ſecundum regulas & privilegia primi cui accedit, & iiſdem legibus ſit gubernanda. Ex quo inferunt Juriſconſulti, aliud eſſe Eccleſiam alteri uniri, aliud ei ſubjici, vel quod ab eodem Prælato regatur. At hinc conficitur, unita non eſſe hæc regna; quippe diſtinctæ ſunt omnino Caſtellanæ & Luſitanæ leges, diſcreta jura, diverſa privilegia, in nihilo diminutæ ſanctiones antiquæ Regni noviter adepti. Imo id ante omnia cautum eſt, Regia interpoſita fide jurisjurandi ſacramento confirmatá, ne privilegia, neque immunitates civitatum Portugallenſium unquam imminuerentur, non mores, non leges, non judicia commutarentur; eadem Regni ac Regiæ munera, iidem ordines militares retinerentur. Eadem plane Regni facies, eadem aulæ adminiſtratio, iidem Regni adminiſtri adhuc perſeverant. Idem Sacerdotum collegium, iidem Sacelli regii cantores more priſtino aluntur Ulyſſipone, qui ſacra peragunt cantu & ritu conſueto. Omnia officia, quæ apud Reges ſuperiores in uſu fuerunt, tum in aula, tum in reliquis Regni partibus, conferuntur Indigenis, qui adminiſtrabunt eadem officia, cum Rex in Luſitania perſtiterit. Prælaturæ omnes, Abbatiæ, Beneficia, & Penſiones ſolis conferuntur Luſitanis; neque Caſtellanis Civitas, Oppidum, Pagus, Juriſdictio, vel ullum Jus regale poterit concedi. In arcibus plerumque præſidiarii milites conſtituuntur Luſitani. Auro, argento excudendo in Luſitania, & regionibus ab illa dependentibus, ſola inſignia & arma Luſitaniæ, nullis aliis admixtis, imprimuntur. Utrinque Luſitani & Caſtellani habentur pro alienigenis, nec eorumdem beneficiorum poſſunt eſſe participes.

Baptiſta Moles lib. Prophetiarum S. Franciſ. c. Recollentes de ſtat. monach. c. Temporis qualitas 16 I qu. 1. & gl. ib. c. Translato de conſtit. l. peculium in princip. ff. de leg. 2. & l. grege ff. de leg. 1 Bar. in l. ſi convenerit. §. ſi nuda. ff. de pignor. actione, & Menoch. in addition.

Innocen. in c. Paſtoralis de donat. Joan. de Lignano in c. Unire de exceſſ. Præl.

Petrus à Peruſia de unione Eccleſiarum in tract. to. 15. p. 1.

An vere coierint in unum regnum Caſtellanum & Luſitanicum.

XVI. Regnum Legionenſe, Murcianum, Granatenſe, Gallecum, & alia, quia verè unita ſunt regno Caſtellæ, iiſdem reguntur legibus, & quidquid in hoc ſtatuitur in iiſdem ſtatutum eſſe cenſetur. Imo Aragoniæ regnum, & Cataloniæ Principatus, qui ſua tuentur, & illæſa volunt jura, ſeque non admixta vel unita cum regno Caſtelle gloriantur, non adeo ab eodem disjuncta, vel ſeparata ſunt, ut Luſitanicum. Etenim nec cauſæ fidei læſæ vel corruptæ, quantumcumque graves, devolvuntur ad ſupremum Hiſpaniarum Inquiſitorem, veluti ſuas tranſmittunt Aragonenſes & Cataloni; ſed coram ſuo Luſitanico Inquiſitore majore termi-

terminantur. Neque communem habent ſuarum cauſarum vindicem in curia Romana Oratorem Regium, qui omnia Hiſpanica curat negotia, ſed peculiarem mittunt heroëm, qui ſolius Luſitaniæ, regnorumque ab ea dependentium res peragat: quod modo æquè feliciter atque prudenter hîc præſtat, Dominus Michaël Suarez a Pereira, cujus ego olim eruditionem in Academia Conimbricenſi celebrabam, in qua tandem primam juris Pontificii cathedram rexit. Regia diplomata circa res Luſitanas, Luſitanico dictantur idiomate, nec ſubſcribuntur à Rege multiplici illo titulo regnorum, quibus feliciter ad multa, orem, ſæcula gaudet, uti ſolet in ceterorum Regnorum ſchedulis & indultis; ſed ſolo nomine Regis Luſitaniæ, & ſubjectorum Luſitanis Regnorum. Tandem occurrentibus ſibi regiis claſſibus, ſive maris Tyrrheni, ſive Mediterranei, ſive Oceani, ſola Luſitanica non demittit inſignia ad præſentiam Regii Caſtellani vexilli, eodemque expandit & elevat modo, quo fieri ſolebat ſub Regibus Luſitanis.

XVII. Quid plura recenſeam? Aut quid amplius inmorer? Separata, nec unita eſſe Rex ipſe Philippus II. qui primus utrumque obtinuit dominium, voluit declaratum, cum in villa Neobantia, vulgo *Tomar in Ciſtagana*, inter Schababim, & Conimbricam, ab hac XXXVI. ab illa XXIV. M. P. diſtante, ubi totius Regni concilium indixerat, Civitatum & Oppidorum Procuratoribus anno MDLXXXI. petentibus, ut Regnum Luſitaniæ ſemper ſeparatum maneret a ceteris Hiſpanicis, velut erat ſub Regibus Luſitanis quoad ſuas leges & jura, id liberaliter conceſſit. *Garibay. l. 19. cap. 7.* Neque id profecto mirum, cum ejuſdem Catholici Regis avus Sereniſſimus Rex Emanuel anno MCCCCXCVIII. ſimiliter apud Toletum pepigerit cum Caſtellæ, Legioniſque Regibus & Dynaſtis; modò illorum dominia devolverentur ad ejus filium Michaëlem, Regum Catholicorum nepotem, quod immatura morte inſantuli in ipſis cunis fuerat præpeditum. Simile quid in Parlamento Anglicano, ſub Eduardo III. *Harſpheeld. ſæcul. 14. c. 3.* circa Galliæ & Angliæ regna ſtatutum refert Nicolaus Harſpheeldius Archidiaconus Cantuarienſis in ſua hiſtoria Anglicana Eccleſiaſtica. Sane non alia ratione, quam ex hac Regis Philippi conceſſione & ſponſione de non uniendis regnis, neque de commiſcendis ſtatibus offenſi ſunt Luſitani ad Philippi diſceſſum e Luſitania, quod Albertus Cardinalis Regni adminiſtrator nolebat ſubſcribere mandatis, aut aliis diplomatibus, quæ ſuper negotiis Regni conficiebantur, ſed tranſmittenda eſſe curabat Ma- *Hier. Coneſtag. cit. l. 9. in fine.* dritum ad Philippum. Quia cum cuperent ad Regis promiſſum regnum Luſitaniæ ſeparatum manere a regno Caſtellæ, videbantur ſibi animadvertere hanc regnandi rationem, qua Philippus Madriti uti voluit, eſſe arctiorem conjunctionem, quam ipſi vellent. Tota ergo conjunctio eaque ſola eſt, ut unus ſit utriuſque Rex, qui moderetur habenas, & Regni præſcribat officia; ſed neque hoc ipſum præſtat abſque conſulibus Luſitanis, qui ſibi aſſident in Curia: cetera vero omnia reguntur per Triumviratus, aut Proreges, ut plurimum Luſitanos, Ulyſſipone Regni emporio longe lateque dominantes, & ceteras Regni Provincias moderantes.

XVIII. Quis ergo vere, aut ſcite dicat mendacis Prophetæ illa fuiſſe verba? Aut quomodo non vere negaverit non conjungenda, aut unienda hæc Regna, quorum adeo tenuis unio, & tam ingens diverſitas, multiplexque *Obſcuræ & ambiguæ Prophetarum voces.* ſeparatio? Quis Prophetæ fuit conſiliarius, aut internam comprehendit, immiſſam cœlitus, inſpirationem, adeoque penetravit, ut non potius de

de hac ampla disjunctione, quam de illa exili unione ſit intelligenda? Obſcuræ ſunt, ut plurimum, ſemper prophetiæ, nec ſemper in cortice ſenſus. *Clauſi, ſignatique ſunt ſermones* Prophetarum, neque quod ipſi exterius proferunt, quid velint interius, aliquando percipiunt. Præſagiunt omnes Prophetæ, ſed non in omnibus Eliæ duplex ſpiritus, ut omnino quod præſagiunt, intelligant. Quidam internas habent viſiones, ſed id ipſum quod vident non comprehendunt: alii quod pronunciant exactius intelligunt. Optime Irenæus dixit: *Prophetias, antequam compleantur, eſſe ænigmata*, quia profecto adeo obſcuræ ſunt, ut nec Œdipus illas explicet, & varias interpretationes admittant. Sit ergo unus aut alter, qui dicat prophetiam hanc de unione qualicumque, etiam extrema vel minima, intelligendam, & conſequenter minus pie addat in ea eructanda Franciſcum, modò illius ſit, fuiſſe deceptum; erunt alii plures, & doctiores, qui tamquam veram defendant, & vere prophetam, ſi quis erat, recte prophetaſſe, dum immutatum in omnibus, excepto ſolo Gubernatore, regnum manſerit Portugallenſium. *Dan. 12. 9.* *Iren. l. adverſus hæreſes.*

XIX. Quiſquis ergo illius vaticinii auctor aſſignetur, & cujuſcumque habeatur auctoritatis aut veritatis apud viros cordatos nihil amplius Franciſcus in illo Regno perpetraſſe notatur. Primumque ejus veſtigium in regreſſu ad Hiſpanos occurrit apud Civitatenſes, vulgo *Ciudad Rodrigo*, non longe a Luſitaniæ finibus, ubi ad quamdam ædiculam, divo Ægidio longule ab urbis mœnibus erectam divertit, inibique per aliquot dies ſubſtitit. Poſtmodum ejuſdem civitatis Senatus, de erigendo Minorum Monaſterio, ſerio egit, in eamque venit ſententiam, ut is locus fabricæ deſtinaretur, quem B. Pater per eos tranſiens inhabitandum elegerat. Præfatæ ædiculæ accrevit Cœnobium ſatis amplum & honorificum ex publicis & privatis Civitatenſium facultatibus. Admiſit ædicula Franciſci titulum, & ſub invocatione utriuſque Sancti magna habetur in veneratione. Satis decenter ornatam & muneribus auctam ipſe aliquoties perſpexi, ad quam non ſemel oravi. Extra Sacrarium in hortulo memini mihi oſtenſum aquæ fontem triangularem, quem ex Trinitatis veneratione ad eam formam S. Franciſcus effodit, ejuſque aquas, ultra naturam ſalubres, ad varios morbos effugandos ab infirmis cum devotione potari. Ad ædiculæ latus aliud ſibi nobile Sacellum conſtruxit Antonius ab Aquila Zamorenſis Epiſcopus, ex Civitatenſibus oriundus, in quo ſepulcrum ſibi elegit, ſufficientibus relictis redditibus ſuis hæredibus, eorumque ſucceſſoribus, ut ſemper Fratribus hoc in loco capitulariter congregatis neceſſaria miniſtrent: quod & illi quam diligentiſſime, atque pro voto exequuntur. Addidit quoque nobiliſſimus idem Præſul gratiſſimum ſibi fore, ſi unam & eamdem ſecum ſepulturam Fratres habere vellent. Quod ſane patentiſſimum humilitatis, atque in Franciſcanam religionem benevolentiæ indicium fuit. Meminerat ſiquidem ex Sapientiæ libro unum & eundem introitum eſſe omnibus, vitam, ſimilemque exitum; ideoque piiſſimus vir, licet ſanguine clarus, atque Epiſcopali dignitate fulgidus, non eſt ad inſtar aliquorum, qui ſe ex aliorum contactu contaminari timent, quique propriis cineribus, ſi alienis commiſcentur, injuriam fieri exiſtimant, aſpernatus pauperum Religioſorum in Sarcophago ſocietatem. *Regreditur Franciſcus in Caſtellam.* *Inviſit Civitatenſes.* *Gonz. in prov. S. Michael. Con. 1* *Antonii ab Aquila in Minores pietas.* *Sap. 7. 6.*

XX. In æde majori dictæ Civitatis, ſupra templi fornicem curioſis rerum indagatoribus & viatoribus illac tranſeuntibus ſpectanda proponitur lapidea S. Franciſci ſtatua, qua ſynchronus quiſquam ejus perſo-

nam

nam habitumque, quem tunc præferebat ad artem expreſſit. Alia eſt etiam ejuſdem ſancti Patris in dicta Eccleſia ſolemnis memoria, propter defunctum Epiſcopum ad vitam revocatum, ut plene referemus ad annum MCCCCXXXIII. quo res ipſa ſucceſſit. Interim itinerantem ſequimur Franciſcum, & non longe ab oppido Robledillio Cantianæ, vulgo Corianæ diœceſis, ſeparato cujuſdam editi montis jugo in quadam aprica planitie ejus memoriam comperimus. Cum enim Aquilam, ad rivulum procul decurrentem, juxta quem nidificare ſolebat, volantem conſpexiſſet, prophetico afflatus ſpiritu, locum indice oſtendens, ſequentibus narratur dixiſſe diſcipulis: *Ad illius Aquilæ fluenta perpetuò ardebit facula, Deoque Opt. Max. fideliſſime deſervietur*. Id rei eventus facilè comprobavit. Nam Canonicus quidam Eccleſiæ S. Jacobi in Compoſtella ex eorum numero, qui Cardinales a tempore & conceſſione Paſchalis I. Pontificis appellantur (quem tamen per errorem ex Romanis Cardinalibus fuiſſe putavit Baptiſta Moles) ad Seraphici Patris doctrinam, ferventiſſimaſque conciones, pœnitentiæ agendæ ſtimulis tactus, relictis dignitate, ſæculo, ac omni re familiari, ſanctum Virum ſecutus, ejus licentia & benedictione obtentis, ad locum non multo diſtantem ab eo, quem B. Pater inſinuarat, e ſocietate ſancti Patris in Italiam tendentis, ut fertur regreſſus, inibi humili, ſub S. Spiritus invocatione, conſtructo tuguriolo pœnitentiæ viam maximo cum fervore ingreſſus eſt, eamque pro voto emenſus, omnibus adjacentibus Populis mirabilis omnino apparuit. Eum tertii Ordinis, a Franciſco inſtituti, a quibuſdam creditum refert Gonzaga; ſed plures poſt annos illam vivendi normam Franciſcus Sæcularibus præſcripſit. Ejus diſcipulum ſub primo Inſtituto ego crediderim, niſi forſan maluerit ſua libertate gaudere, & accepta aliquali à Franciſco norma ſolitarie pœnitere, & poſtea audita a Fratribus tertii Ordinis inſtitutione, eumdem obſervarit.

Gonzag. in prov. S. Gabriel. Con. 1.

Propheticè prædicit ſuis ædificandum Cœnobium.

Ei adhæret Cardinalis Compoſtellanus. *Moles de prov. S. Gabriel c. 29. & 30.*

Gonzag. cit.

XXI. Quidquid autem ſit de Inſtituto, vacabat pius vir divinis concionibus, ſacramentalibuſque Sæcularium excipiendis confeſſionibus, plureſque a ſæculi vanitatibus revocavit. Accidit interim, dum ad tugurioli oſtium ſtaret, ut paſtor paſtori à ſe ſciſcitanti, quo gregem ſibi commiſſum minaturus eſſet, reſponderet: Ad Aquilæ fluenta. Quamobrem intelligens eum eſſe locum a B. P. Franciſco præmonſtratum, relicto antiquo tugurio, pœnitentibus quibuſdam fœminis ad ſalutaria ejus monita ad frugem redactis, & in communi viventibus, præfata Aquilæ fluenta, ad tertium lapidem inde diſtantia, petiit, ibidemque quodam in ſpecu pœnitentiæ ſtrictioris iter arripuit. Poſt tranſactum vero aliquantulum temporis miſit ad eum, idque juxta condictum, Seraphicus Pater Franciſcus aliquot Fratres, qui una ſecum ad lapidis jactum à præmemorato ſpecu hunc Conventum Sanctiſſimæ Mariæ de Angelis ſacratum, tum ex lapidibus temere congeſtis, tum quoque ex impolitis lignis, atque vili materia a fundamentis ad verticem uſque ædificarunt. Diſtat hic Conventus, qui & divinorum contemplationi, atque divinis recipiendis immiſſionibus aptiſſimus eſt, a ſupradicto oppido ſibi proximiori Robledillio III. M. P. altiſſimiſque montibus in gyro cingitur, ubi miraculoſe ſæpius Fratribus, ſepta, ut neceſſaria quærerent, egredi non valentibus propter obſeſſa undique altiſſimis nivibus itinera, opportune cum omnium admiratione proviſum eſt. Jacent hoc in loco, cum præfato Cardinali, Fr. Rodericus Robicius, Joannes a Pontevedra, & Franciſcus Civitatenſis, miraculis illuſtres, quorum illuſtriorem dabimus, ad annos quibus dies obierunt, notitiam.

Extruitur conventus S. Mariæ Angelorum in diœc. Cantiana.

XXII. In

XXII. In eodem Epiſcopatu ab oppido Gatta, Hiſpanice dicto, ad tertium lapidem diſtat domus alia, de Monte cœli nuncupata, in profunda valle altiſſimis montibus circumcincta, cœleſtium rerum meditationibus apta, favore nobilis Alcantarenſis militiæ pluribus ante annis exortæ, primo obtento monaſterio in oppido Pereyro, ad decem milliaria a ſuperius dicta Roderici civitate ad Coam fluvium diſtante, in cujus territorio ſita eſt, feliciter erecta, vel ab ipſo ſancto Franciſco, vel a ſociis, quos ſecum duxit in Hiſpaniam, ut communis habet æſtimatio. Quæ ſane movit Philippum II. Regem Catholicum, & præfatæ militiæ adminiſtratorem, ut magna in ædem pietate & animi propenſione, collabentia præ vetuſtate ædificia refecerit, & ab imminenti ruina præſervarit. Floruerunt hoc in loco Viri religione & virtute ſpectabiles, Joannes a Spinoſa, quondam Provinciæ S. Gabrielis moderator, vita & miniſterio, cum ſanctitatis opinione, functus: Cyprianus quidam, vir devotiſſimus, & ſupra modum patientiſſimus; & Michaël laicus profeſſus, cujus ſanctitatem indicant, quod ſanctus Franciſcus ejus adfuerit funeri, & cadaver in feretro poſitum ſigno crucis munierit, & dum terræ traderetur campana cœnobii, nemine pulſante, ſonuerit.

Item cœnobium Montis cœli. Gonza. cit. Con. 2. Franc. Rades de ord. Alcant. c. 1. Mennenius de ordinibus equeſtrib.

XXIII. Aliam nobis miniſtrat ſemitæ Franciſci facem traditio Arevalenſis populi, diœceſis Abulenſis, qui mordicus aſſerit Conventum Minorum apud ſe erectum, ejuſdem S. Patris operâ exordium ſumpſiſſe. Quibus adſtipulari videntur antiquiſſima ædicula prope ipſum conſtructa (quæ & ab eodem beatiſſimo Patre ædificata fertur, eaque de cauſa ab iiſdem Oppidanis in maxima veneratione habetur) & alabaſtrinum ſepulcrum in hujuſmet loci Eccleſia ad latus pronunciandæ epiſtolæ deputatum, ſatis artificioſe erectum, in quo admirandæ religionis Pater Leo, unus ex Seraphici Patris Franciſci ſociis, alius tamen ab eo, qui inter primos duodecim ſocios computatur, honorificè quieſcit. Pertinuit præterea antiquitus hæc ſacra domus ad Conventuales Franciſcanos Patres, a quibus ad ejuſdem Inſtituti Obſervantes ex Apoſtolica auctoritate, ſub anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXXXII. devoluta eſt. Cumque omnimodam minaretur ruinam a Sereniſſima Maria Caſtellæ Regina, Regiſque Joannis ejus nominis II. uxore, atque Regis Henrici IV. matre ab ea vindicata, omninoque reparata fuit. Ibidem tumulatus eſt Fr. Laurentius Rapariegos miraculis ante & poſt mortem inſignis, de quo aliâs ad annum MDXVII. ſermo redibit. Huic Conventui coævum eſſe Abulenſem tradit Gonzaga, facileque perſuaderi poteſt ex locorum vicinia. Nam vel accedendo, vel recedendo ab Arevalo oppido ad Abulam civitatem, vel vice verſa potuit tranſire; vel per aliquem ex ſociis Abulæ Conventum occupare.

Gonzag. in prov. Conc. Con. 30. Conventus Arevalen.

Conventus Abulen. *Indidem Con. 15*

XXIV. Idem prorſus fundamentum nobis ſuppetit, ut ex Arevalo, vel Abula Mantuam Carpentanam, aliis Majoritum, vulgo Madritum tetendiſſe S. Franciſcum judicemus, quod pro indubitabili, & omnino certo referunt Mantuani Franciſcum ad ſe deflexiſſe, adeo ut in dubium hoc vocare nefas putent, & inexpiabile piaculum. Quod & in cauſa eſt, ut tum ipſi loco, tum quoque ejus habitatoribus afficiantur, faveantque, & ut procurantibus fratribus ob aëris inſalubritatem fluminiſque proximitatem, cujus exhalationes aliquando nocivæ, ejus deſertionem, atque ad alium ſitum multo ſalubriorem tranſlationem, Madritenſis Senatus perpetuo reſtiterit, ſeſeque oppoſuerit; aſſerens rem inhoneſtam, atque vituperio plenam fore, ſi filii, & ſucceſſores domum

Cœnobium Madriten. *Idem in Prov. Caſt. Con. 5.*

ſibi a tanto Patre relictam, quavis, etiam urgentiſſima, de cauſa deſererent. Huic etiam traditioni adſtipulatur is fontulus, qui inter duos hujus ſacræ ædis populos ſcaturiens, B. P. Franciſco ab omnibus Madritenſibus aſcribitur. Aſſerunt enim B. ipſum Patrem, ut primum Madritenſe Oppidum applicuiſſet, tentorium ibidem fixiſſe, atque tuguriolum pro ſui, ſuorumque ſociorum habitatione, ex pauperrima vilique materia conſtruxiſſe. Poſtea ab Oppidanis conſtructum eſt, juxta priſcam illam Franciſcanam formam, ut aliqua ejus adhuc veſtigia commonſtrant, ſub qua diu permanſit, donec temporis lapſu in multo elegantiorem, multoque auguſtiorem, ſuppeditantibus interim Regibus, Magnatibus, atque Madritenſibus Oppidanis, quæ ad ejus promotionem neceſſaria erant, translatum eſt. Nec facile alicui ex ceteris Madritenſibus Monaſteriis (tanta eſt Oppidanorum ad eum benevolentia, animique propenſio) cederet, niſi quædam antiquioris illius paternæ domus ſibi auguſtius, atque juxta architectonicam normam debite exædificando maximo eſſet impedimento, & tanti Fundatoris reverentia hujus provinciæ Patres maxime cohiberet a paternis veſtigiis abolendis.

XXV. Pulchra, & percommoda habet Valetudinaria duo, unum æſtivum, alterum hyemale, ſatis inſtructa: architriclinium etiam elegans & nobile. Sacella in Clauſtro materia, & opere præſtantiſſima, quæ viri Principes, qui in curia Regis Catholici degunt, ex ſumma erga domum, & Fratres benevolentia, quotidie ſuis ſumptibus ædificant. Ibi reſident communiter ſupremi hujus Sodalitii Rectores, atque optimi quique ex univerſis Hiſpaniæ Provinciis Concionatores, & litteris illuſtres; quorum aliquando tanta me ſubiit veneratio, ut in graviſſimorum, magnorumque Antiſtitum conſeſſu, & Eccleſiæ Prælatorum concilio me verſari putarem: tot erat hinc inde in quocumque ampli Cœnobii angulo videre homines omnis generis eruditionis, morumque claritate conſpicuos. In Eccleſia, quæ vel a Franciſco, vel ab ejus ſociis conſtructa creditur, propterea que in majori habetur veneratione, ad dextrum majoris ſacelli latus, ſacro decantando Evangelio deſtinatum, Sereniſſimæ Reginæ Joannæ, Henrici ejus nominis IV. atque Caſtellæ Regis legitimæ uxoris corpus, alabaſtrino quodam, atque pulcherrimo mauſolæo reconditur „ „ appoſito hoc epitaphio. *Hic jacet excellentiſſima, præclariſſima, & „ potentiſſima Regina, Dom. Joanna uxor excellentiſſimi, ac potentiſſimi „ Regis Dom. Henrici IV. quorum Deus animas habeat; illa obiit die Sancti Antonii* MCCCCLXXV. Poſt conjugis obitum a turbis ſemota vixit „ in ædibus contiguis Cœnobio S. Franciſci cum pediſſequis perpetuo „ recluſa, hominum vitans conſortium, proſpectum habens in Eccle„ ſiam. „ E veſtigio vero, id eſt, ad ſiniſtrum ejuſdem ſacelli cornu, epiſtolæ pronunciandæ deputatum, Illuſtriſſimi herois Henrici à Villena corpus, ſub nobili alio ſepulcro tumulatum eſt. „ In eadem Eccleſia in „ Sacello gentis Luxanæ ſepultus eſt Ferdinandus de Illeſcas Minorita „ doctus, & probus, ſumma pollens auctoritate apud Joannem I., Hen„ ricum III. ejus filium, & Joannem alterum nepotem Caſtellæ Reges, „ quibus erat à ſacris confeſſionibus, & ab arcanis conſiliis, legatus „ ſæpiſſime ad Principes, & ad Concilium Conſtantienſe. Sæpiſſime „ illius occurret in Tomo quarto ', & quinto memoria. Epiſcopum „ fuiſſe Zamorenſem, & Ferdinandi Regis Aragonii Confeſſarium ait „ Hieronymus de Quintana. Sed ego neque primi, neque ſecundi aſſerti

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Sepulcrum Reginæ Joannæ.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Et Fr. Ferdinandi de Illeſcas.

Quint. de reb. Madritenſ. l. 2. c. 101.

„ ſerti apud alios invenio veſtigium, neque Epiſcopatus ulla eſt mentio,
„ quæ ſolet adhiberi, in ſepulcrali hac inſcriptione.

„ *Hoc jacet in tumulo vir præſtantiſſimus omni*
„ *Virtute ornatus, nobilitate fuit.*
„ *Conſilio prudens, inter ſapientior omnes,*
„ *Nomine Fernandus, Religione Minor.*
„ *Confeſſor Regum, quem ad magna negotia miſſum,*
„ *Illuſtrem cecinit fama ſuprema virum.*
„ *Hic jacet heu corpus! ſed ſpiritus alta petendo*
„ *Sidera, ſuſcepit præmia pro meritis.*

XXVI. Non infirmior, ſed æque tenax Aillonii Oppidi Saguntinæ Diœceſis, quam Mantuæ præmemoratæ traditio, de recepto in ſe S.Franciſco, & Cœnobio ejuſdem loci ab eodem ædificato. Traditionem hanc confirmant certiſſima indicia. Primò quidem, fonticulus in horto emanans ejuſdem S. Patris nomine inſignitus. Deinde antiquiſſimum ſacellum in Clauſtro erectum, cujus fornici ſequentes litteræ inclſæ ſunt: *Hanc S. Franciſcus fecit Eccleſiam*. Tertiò demum ejuſdem Seraphici Patris cubiculum ex arundinibus, arborumque ramuſculis contextum, quod ante centum annos in illo loco conſpicere licuit. Modo capax, & ampla eſt domus, Marchionum de Villena, ad quos artinebat Oppidum, beneficentiâ, & amplis Oppidanorum eleemoſynis ædificata. *Jaen in Prov. Concept. Con. 32.* Aillonii Conventus.

XXVII. Antequam ad hoc Aillonii Oppidum S. Franciſcus perveniret, oporteret ut e Mantua Carpentana tenderet ad Nuete urbem, ſi vera eſſet fama, quæ velit eum in quodam tuguriolo, ibi ad lapidis ab Oppido jactum, aliquantum ſtetiſſe; cui rei confirmandæ inciſæ ſunt quædam Hiſpanicæ litteræ fornici cujuſdam Sacelli: *En eſta capilla eſtuvo nueſtro Padre S. Franciſco anno* MCCXIV. quæ aſſerunt in eodem fuiſſe Sacello: erantque qui aſſeruerint loco illius Sacelli præextitiſſe cubiculum, vetuſtate collapſum, ab eodem Sancto Patre inhabitatum, dum illac limina D. Jacobi viſitaturus pertranſiret. Sed per Navarræ Regnum & Juliobrigam, ut ſupra diximus, ingredienti Hiſpaniam impoſsibilis erat per hanc urbem tranſitus, niſi ad Occidentem tendenti, longo irritoque conatu, & multis millibus paſſuum rectâ vergendum eſſet ad meridiem. Nec etiam in regreſſu, in hac, quam ſequimur, ſemita, adeo facile erat, niſi plurimum diſtorto itinere ad hunc locum deflectere: ceterum quidquid ſit de hoc, de quo nihil definio, nec famam, aut traditionem, ſi conſtans eſt, intercido. In circuitu hujus Oppidi, aut Conventus longe lateque non eſt aliud invenire ſancti Viri veſtigium, quod ex recto itinere excurſionem ejus ad hunc locum confirmet. Nuete Cœnobium. *Gonzag. in Carth. Con. 2.* *Anno 1213. nu. 56.*

XXVIII. Numantiam tamen (ſi modo Soria Civitas ita appellanda ſit, quod in dubium vocant Geographi) ab Aillonio curſum direxiſse, ego probabilius, & verius judicarim, ubi cum ad Patrum Benedictinorum monaſterium, ſub titulo Dominæ noſtræ de Emperio, ibidem erectum, hoſpitii ergo declinaſset, pratum inde non multum diſtans ſequenti luce petens, quinque acervos ex lapidibus hinc inde diſperſis, inibi erexit. Interrogatus vero à ſociis, quid ſibi hujuſmodi lapidum congeries vellent, ſpiritu prophetico reſpondit, eum locum a Domino ad Conventum ſui Ordinis ædificandum electum, ideoque velle ſe materiam pro ſuo modulo diſponere, ac præparare. Cui reſponſioni rei eventus fidem adſtruxit; nam Joannes Parens, primus Minorum in Hiſpania, deinde totius Ordinis moderator, dum Generalatus officio *Merula p. 2. l. 2. Coſmogra. c. 19. Marian. libr. 3. cap. 19. & alii Gonzag. in Prov. Conc. Con. 13.* Numantiam venit S. Franciſcus.

fungeretur, Generalem quamdam Patrum Ultramontanorum congregationem, Sariæ, vel Numantiæ in Conventu, juxta Patris Franciſci præſagium, erecto anno Domini MCCXXXIII. qui ſeptimus a ſancti Patris obitu fuit, celebravit.

Idem in Prov. Burg. Con. 3.

Conventus Tudellæ.

XXIX. A Numantia non nimium diſtat ad Iberum flumen Tudella Vaſconum, ſive Navarrorum Civitas in ipſis Regni oris extructa, ubi Monaſterium S. Pater, non in ſuo adventu in Hiſpaniam, ut quidam volunt, ſed in regreſſu obtinuit, non longe a Civitate. Ibidem per CL. & plures annos conſtitit Cœnobium, donec ingraveſcente inter Navarræ, & Caſtellæ Reges cruentiſſimo bello, quod civitati plurimum incommodi, hoſte ſuperveniente, poſſet afferre, communi conſilio fuit deſtructum; ſed poſtea alium in locum translatum per Paulum II. Navarræ Regem, ut commodius ſuo loco dicemus.

Marian. c. 10. §. 16.

Gonzag. in Prov. Caſt. Con. 2.

Monaſteriũ Barcinonen.

Regnum deinde Aragoniæ cum perambulaſset, ut habet Marianus, nec Monaſterium aliquod, quod ſciam impetraverit, Barcinonem venit Cataloniæ opulentum, & nobile emporium. Ibi a longo itinere aliquantulum reſpiraturus, in Hoſpitali D. Nicolai, tum mari, tum quoque Barcinonenſibus mœniis contiguo, ſubſtiterat. Barcinonenſis Senatus ejus humilitatem, ſanctimoniam, atque paupertatem ſummopere admiratus, hujuſcemodi Hoſpitale in Monaſterium, quamvis à paupertate juxta Patris votum non abhorrens, ut aliquot interim ex ejus Fratribus apud ſe habere poſſet, transferri curavit. Hujuſmodi Monaſterii pars, nempe Eccleſia, & Clauſtrum, adhuc perſeverat, & a Barcinonenſibus, ipſo die B. Patris, devotiſſime viſitatur. Aliquot poſt annis ampliatum, & ſumptuoſis ædificiis vario incremento locupletatum eſt Monaſterium Regum Aragoniæ, Leonoræ Cypri Reginæ, Joannis Calaritanorum Archiepiſcopi e Minoribus aſſumpti, & Barcinonenſium benigna liberalitate. Extruebatur anno MDCXVIII. quo illuc in triremibus Hiſpanicę claſſis cum Illuſtriſſimo D. Fr. Antonio a Trejo Epiſcopo Carthaginenſi, & Regio Oratore ad Paulum V. Summum Pontificem, appuli, illius ædis Clauſtrum ſecundum, multo ære abſolvendum; quo ad exitum jam deducto domus hæc inter præcipuas, & nobiliſſimas totius Hiſpaniæ venit connumeranda.

XXX. In hujus Conventus Eccleſia, quam B. Ludovicus Toloſanus Epiſcopus, Bernardo Barcinonenſi Epiſcopo præſente ſub anno MCCXLVII. conſecravit, jacent Sereniſſimus Alphonſus III. Aragoniæ Rex, qui omnes virtutes, præcipue vero caſtitatem, qua etiam de cauſa *caſtus* cognominari meruit, nec uxorem duxit, mirifice coluit; quique anno Domini MCCXCII. ætatis vero ſuæ XXVII. viam univerſæ carnis ingrediens in Minoritico habitu ſepeliri voluit. Et pientiſsima Aragoniæ, atque utriuſque Siciliæ Regina Conſtantia, præfati Regis Alphonſi mater, atque Manfredi Siciliæ Regis filia, quæ Siciliæ Regnum Aragoniæ Regi, cui nupſit, in dotem contulit. Et nobiliſſima Maria Jacobi II. Aragoniæ Regis uxor, atque Hieroſolymorum, & Cypri Regis filia. Et Sibilia Fortiana, vulgaris cujuſdam hominis filia, ſed ſpecioſiſſima, quam Petrus ejus nominis IV. Aragoniæ Rex connubio ſibi junxit. De qua Lucius Marinæus Siculus, hæc ſcribit: Rex Petrus IV. jam ſenio confectus, amore hujus Sibiliæ mulieris viduæ deperditus, mortua Leonora filia Regis Siculorum conjuge, eam uxorem duxit. Sepulta tandem jacet in hujus Monaſterii Eccleſia Leonora Cypriorum Regis uxor, & Petri ejus nominis III. Aragonum Regis ex filio Petro neptis. Sereniſſimæ

hujus

hujus Reginæ Leonoræ pater, Petrus ſcilicet, Conſtantia ejus uxore defuncta, Minoriticum habitum induit, & ante expletum probationis annum, ex Apoſtolica ſibi facta auctoritate, in manibus R. P. Fratris Bernardi Bruni Provinciæ Aragoniæ Miniſtri ſolemne votum de religioſo more hoc in eodem Monaſterio emiſit. Etiam hoc in Conventu ſepulturam nactus eſt doctiſſimus, atque religioſiſſimus P. Fr. Pontius Carbonellus, a quo præfatus S. Ludovicus Toloſanus Epiſcopus litteris, & bonis moribus extitit imbutus, & qui integra Biblia poſtillavit ſanctorum Patrum ſententiis.

Rodul. fol. 284.

XXXI. Quid amplius egerit in principatu Cataloniæ Vir ſanctus non comperio, niſi quod menſe Octobri, cum apud ſancti Celoni Oppidum, inter Barcinonam, & Gerundam, ſancti Viri ſocius ex obvia vinea racemum unum aut alterum decerpſerit, ad famem vel ſitim temperandam, ſtatim ſupervenit vinitor ea, qua ſolet, feritate, & verbo, ac verbere male affectum mantello ſpoliavit. Oravit, qua potuit humanitate & humilitate, Franciſcus, ut injuſte ereptum pignus redderetur; neque enim damnum erat ullum, uvarum legere racemulum, quod ubique ferme terrarum communi hominum commercio & humanitate, viatoribus licet. Exorare non potuit durum cuſtodem; quare Dominum aggreſsus eventum narravit, & facile obtinuit pauperculi mantelli & vilis, forſitanque inferioris pignoris, reſtitutionem. Hinc comiter habuit viro gratias, initoque cum eo placido & longiuſculo de rebus cœleſtibus ſermone, adeo eum ſui juris reddidit, ut quidquid poſset, minus eſset, quàm vellet in Viri ſancti obſequium præſtare. Promiſit deinde ſe hoſpitio excepturum omnes in poſterum Fratres Minores illuc appellentes, & quantum liceret neceſsaria miniſtraturum. Franciſcus e regione, ut beneficium rependeret, in partem eum admiſit bonorum operum, quæ in ſuo fierent Sodalitio, & Patris Fratrum Minorum nomine donavit. Optime deinceps dum vixit vir bonus promiſsum adimplevit, nec erat ullus ea Fratribus advenis, qui non haberet unde hominem digne laudaret. Longævus demum vitam meliori mutavit, ſed dum juſta ſolverentur, Clero convocato, neque adventante ex Fratribus ullo, qui in locis & Civitatibus vicinis jam habebant domicilia, exortum eſt murmur in Populo, quo taxabantur de ingratitudine. Subito ad valvas Eccleſiæ, in quam delatum cadaver, apparuerunt viginti duo Minores, qui alternis choris pie & devote pro Eccleſiæ more defuncti animæ parentarunt. Expletis funeralibus a Conſanguineis vocantur ad prandium; ſed templum egreſſi, ex omnium oculis mirabiliter evanuerunt: quo facto non immerito univerſus judicavit Populus Angelos, vel ſanctos Fratres e Cœlo huc miſsos fuiſse precibus, & meritis S. Franciſci, in obſequium & honorem optimi ſui benefactoris.

Marc. lib. 1. c. 15.
Caſtillo c. 53.
Reboll. cit.
Maria. cit.
Chron. 24. gener.

Socium vinitor ſpoliat mantello.

Reſtitutori, & benefactori impenſe gratiam rependit Franc.

XXXII. Ultimum tandem Viri ſancti veſtigium in Hiſpania apparet in ultimis etiam finibus illius Provinciæ in Oppido Perpiniani, inter munitiſſimas arces facile principe, Sigiſmundi Imperatoris, & Ferdinandi Aragonum Regis Conventu pro ſedando periculoſo, & inveterato Pontificio ſchiſmate, ope Conſtantieſis Concilii, percelebri. Vetuſtæ traditionis tenaces ibi in receſsu domicilium ſuis obtinuiſse ferunt; neque refragatur Gonzaga, qui Perpinianenſem Conventum Seraphico Patri coævum credi recenſet. Sane eſt in Eccleſia ſepultura cujuſdam nobilis viri Arnaldi Coſtæ ibidem ſepulti anno MCCXCII. quod aliquantulum ſuperiori aſſertioni videtur adſtipulari. Crevit mirum in modum Monaſterium,

Cœnobium Perpinian.

Gonzag. cit. Con. 3.

rium, ita ut tres etiam habeat Eccleſias, quarum altera B. Patri Franciſco (& hæc major eſt, divinoque perſolvendo officio deſervit) altera Angelorum Imperatrici, alia vero S. Mariæ de Clauſtro conſecrata eſt. Quare modo ſubfuerit Provinciæ Provenciæ, modò Provinciæ Aragoniæ, largiorem affert Gonzaga rationem. Habuit incolas Viros illuſtres Fr. Paulum martyrem, cujus mortem dabimus ad annum MCDLVIII. Fr. Franciſcum Ximenium virum doctiſſimum, Epiſcopum Elnenſem, alium a Franciſco illo Ximenio Toletano Archiepiſcopo: & venerabilem

Angelus del Pas.

Dei ſervum Fr. Angelum del Pas, cuius miranda opera modo examinantur in Urbe, ut Sanctis adnumeretur; & cujus elucubrationes, eruditæ ſane & multæ, noſtra ſolicitudine & opera modo ſudant ſub prælo. Ampla nos expectat ſuæ laudis materia, cujus corpus penes nos eſt in hujus Conventus Eccleſia, quotidie ab advenis, & indigenis frequentatum.

XXXIII. E finibus egreſſus Hiſpaniæ quid amplius egerit Franciſcus in itinere, donec redierit in Italiam, non conſtat. Vel celeriter abſque ſparſo ſemine verbi Dei propter turbulentas tunc Gallorum res, per Galliam tranſiit Narbonenſem, & Gothicam; vel ſi quæ egit, noſtrorum incuriâ cuncta nos latent, præterquam quod duntaxat refertur in Montepeſſulano, quibuſdam dicto Agathopolis in Gallia Linguaoccitana, qui tunc ſub hæreſi Albigenſium, aſylo tutoque refugio Catholicis fuit, prædicaſſe, & prophetice prædixiſſe, in ipſo, in quo hoſpitabatur Xenodochio, ſuis Fratribus conſtruendum fore domicilium: quod circa annum MCCXX. inceptum eſt, ſed ad annum MCCXXX. completum expenſis inclyti Jacobi Majoricarum Regis, quod ſub illo tempore amplius referemus. Illud etiam memorabile, quod langueute viro Dei, tum ex veterano morbo, tum ex itineris, & hyemis incommodis, antequam Pedemontanam attingeret regionem, in oppidulo quodam decumberet, & Fratri Bernardo (quem ut proximo diximus anno, ab eo ſecum loco reduxit, quo ei infirmi curam commiſit) ſignificaret ob aliorum ciborum nauſeam, nihil tam appetitum revocaturum, quam ſilveſtrem aliquam aviculam. Non prius deſiderium aperuit, quam præ foribus adfuerit Angelus Dei in forma nobilis equitis, qui ad infirmi lectum accedens, volucremque optime præparatum apponens, dixit: *Accipe, ſerve Dei, quod tibi mittit Dominus*. Statimque diſparuit ab oculis circumſtantium, per quod Franciſcus intellexit Dei erga ſe benignitatem, eòque libentius cœlitus miſſum cibum ſumpſit, per quem ita refocillatos ſenſit artus, & ſpiritum, ut ſtatim exſiliret e lecto laudans Deum, qui voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit.

Marian. Marc. citati. — *Marian. ſ. 18.* — *Supra n. 58.* — Cœlitus ei mittitur avicula in cibum.

XXXIV. Hoc anno adhæſerunt S. Claræ ſoror Balbina, alia à Claræ nepte, de qua anno ſequenti, tantæ virtutis & perfectionis diſcipula, ut aliarum mereretur eſſe magiſtra, & fundatrix Conventus Hiſpellenſis in Valle Gloriæ, de quo nos ſuperiori anno. Interſuit miraculoſis quibuſdam Claræ operibus, de quibus ſuo loco ſermonem inſtituemus. Obiit ante S. Claram in eodem quod fundavit Monaſterio. Advenit tunc & alia nomine Benedicta, quæ poſt Claram prima electa eſt Abbatiſſa S. Damiani, miraculis clara: honorifice repoſita eſt in Sarcophago lapideo in Eccleſia S. Georgii Aſſiſii.

B. Balbina Claræ diſcipula. — *Anno ſeq. n. 16.* — *Num. 62.* — B. Benedicta.

XXXV. Hoc item anno Gertrudis mater S. Eliſabethæ interfecta eſt, jure an injuria, id contendant alii, a Bancbano Regni Hungariæ relicto gubernatore, dum Andreas Rex expeditionis Chriſtianæ, & belli in Turcas deſtinatus Imperator, proficiſcitur in Orientem. Annum tunc

Bonfin. rerũ Hungaric. decad. 2. l. 7.

Occiſa mater S. Eliſabethæ.

Surius ad diem 19. Novemb.

Jacob. Montan. in vita S. Eliſab. c. 2.

Adoleſcentulæ Eliſabethæ virtutes.

Reverentia in templis.

tuncagebat Eliſabetha ſeptimum vel octavum: amiſſæ matris damnum majori conſtantia & prudentia, quam ab illa ſperari potuit ætate, pertulerat, matricidæ non vindictam parans, ſed veniam exorans. Magnum hoc indicium futuræ ſanctitatis in tenera puella omnes judicabant, neque hoc ſolum, ſed alia multa argumenta cœlitus inditæ virtutis, & ſuperinduendæ pietatis, veluti progymnaſmata, in omnium oculis edebat. Baſilicas namque ſanctorum ingreſſa pro altari quolibet nunc genua figere, nunc puellari decentia proſterni, nunc oculos manuſque attollere; &, ſi quando inter ludendum, ut habet ætas illa, proxime clauſi templi fores acceſſiſſet, humi procumbere, & ſacra limina crebrius oſculari. Luctandi etiam ſtudio, occaſionem humilitatis quærebat, ſtaturam ſuam ſcite admodum ad alicujus e Sodalibus menſa corpuſculum, quam ubi tenero arctatam complexu, artifici rotatu afflixiſſet, ſtatim & ipſa proſtrata, veniam petendo, offenſiunculam, ſi qua intereeſſiſset, deprecabatur. Decimam quamque portiunculam lucelli, quod ſibi ex luſu proveniſſet, pauperibus erogabat puellis, debito illas obſtringens Dominicam precationem, & Angelicam ſalutationem fundendi.

Orationes quotidianæ.

Joan. Apoſtolum patronum coluit.

XXXVI. Jam nonum ingredi annum cœperat, cum repente præter omnium opinionem Princeps ipſe, Ludovici, cui deſponſata erat, pater, ex hac vita migravit. Ætatis deinceps incrementum acceſſione profectuque virtutum accumulans, id in primis faciendum ſibi deſtinaverat, ut omnibus in rebus Deum præ oculis haberet, illum inſpectorem cordis humani cogitaret, illum pœnitus præſentem haud ſegniter obſervaret, illius cauſa veſtium decorem, carnis lenocinia, mundi vanitatem abjiceret, proculcaret, contemneret. Votivas quotidie preces Deo fundebat, quas interdiu, ſi quopiam impedita negotio intermiſiſset, noctu perſolvebat. Divum Joannem Apoſtolum, præter ceteros carum, ſibi patroni loco delegerat; imitsta pietatem Chriſtianorum, quibus ſingulatim eligere aliquem e cœtu Apoſtolico, quem familiarius clientium more colant, conſuetudo eſt. Ne tamen electionis eventu, ut aſſolet, incerto, quia ſorte agebatur, alium quam Joannem nanciſceretur, præmiſſa ad Deum prece effecit, ut quem ſummopere volebat, ſemel, iterumque, ac tertio ſortiretur. Cujus voti compos effecta, adeo dilexit, coluitque adeptum, ut ob ipſius nomen, meritumque rogantibus, nihil denegandum putaret.

Feſtos dies ut colebat.

XXXVII. Feſtos dies pro ingenii modulo, religioſe admodum pergebat, ita ut, quod fuit ea ætate mirum, ſemper aliquid ſibi de ornatu corpuſculi decerperet; ſciens Deo magis mentem, quam veſtem placere; acceptioremque animum eſſe, religionis ſtudio deditum, quam corpus margaritis, purpura, lapillis, auroque & argento præfulgidum. Proinde chirothecarum uſum tantiſper intermittebat, dum res divina compleretur, volens officio quantumvis psruo, conſuetudini ſuæ aliquid detrahere, & voluntati aliud ſuadenti, pro Deo contrarium ingerere. Puellari luſu præpeditæ, ſi quando fortuna lætior aſpirabat, ceſſandum ſibi ocyus ajebat; quandoquidem proſperioris auræ demulceretur afflatu. In choreis, quas vitare non poterat, ſemel tantummodo circumiſſe contenta, ſatis eſſe dicebat, uno ſe gyro mundi amatoribus geſſiſse morem, reliquos ob Chriſti amorem intermiſſuram. Ita quotidiano ferme exercitio, & affectioni aliorſum propenſæ renitendo, & diſsolutioris vitæ laxamenta declinando, ad majora Chriſtianæ pietatis officia, ſemet ſubrigebat.

XXXVIII. Educabatur una cum Eliſabetha Agnes ſoror Sponſi, virgo admodum pulchra, quæ duæ dum ad Eccleſiam eundum eſset, pari veſtium ornatu decoratæ, parique coronarum, gemmis, auroque fulgentium inſtructæ, geſtamine Sophiam Sponſi matrem modico intervallo, ut nobilium mos eſt, antecedebant. Ingreſſis templum, coronam Eliſabetha confeſtim deponebat, atque tamdiu inglorium verticem oſtendere perſeverabat, quoad ritu ſacrorum completo, domum redire monebatur. Quod cum Sophiæ, veluti temere factum, vehementer diſpliceret, percon̄tanti cauſam, ita reſpondit Eliſabetha. Abſit a me tanta procul impietas, ut ibi caput meum turrito faſtu micantis coronæ ſuperbiat, ubi caput Salvatoris mei ſpinis coronatum acerbe compungitur. Ita jam tunc divina caritas in caſta puellaris animi præcordia, animadverſione Dominicæ paſſionis, veluti mucrone quodam, vulnus agere cœpit, eaque ſibimet deinceps vendicare.

In conſpectu Chriſti crucifixi coronam deponebat.

XXXIX. Auxit quoque invidiam, quotidianæ converſationis humilitas, per quam ſacra Virgo relictis nobilibus & purpuratis, pauperum magis, & ancillarum gaudebat conſortio, fruebatur alloquiis, operibus occupabatur: in tantum ut Sophia crebro diceret, illam Sanctimonialium contubernio ſociandam eſſe, quod vitam ipſis quam ſimillimam præ ſe ferret, nihilque ageret genere ſuo dignum. Erant & procerum quidam, qui Eliſabetham, quod dotem, ut ipſi garriebant, deſtinatis imparem nuptiis, attuliſſet, aut Hungaris remittendam, aut alteri cuilibet ex Nobilibus collocandam in matrimonium, contenderent. Inter hæc invidentium verba, veluti roſa ſpinarum aculeis compuncta Eliſabetha, quam latiſſime diffuſo manſuetudinis odore, cum ſe contemptui haberi videret, ab iis præcipue, a quibus obſervari debuerat verita ne quovis detrahentium molimine ſuperata, viam deſereret humilitatis, poſt uberrimas lacrymas, totis ad Deum præcordiis confugiens, ſuam illi cauſam enixiſſime commendavit. Nec ſpes orantem fruſtrata eſt, ſponſo deinceps ad ejus amorem argumenta non dubia demonſtrante, propenſumque animum, ubi ex itinere domum revertiſſet, tum munuſculis, tum caſto amplexu edente.

Injuriis afficitur propter virtutes.

Sponſus eam magis amat.

XL. Nec tamen interea temporis, jactare procerum quorumdam ceſſabat improbitas: nihil prorſus nuptiarum inter Principem, & Eliſabeth fore: dotem ab Hungaria eſſe perquam tenuem: puellam, nobiliſſimi Principis nequæ præſtantiæ congruere, neque animo cedere; proinde remittendam ſuis quamprimum eſſe. Hanc falſam perſuaſionem paſſim in vulgus diſſipari, Gualterus de Varila (unus ex præcipuis Legatis, qui Eliſabetham e domo paterna in Thuringiam duxerant) moleſte ferens, Principem aliquando inter viam, quid de aſciſcenda ſibi in matrimonium Eliſabetha deſtinaſſet, familiarius percon̄tatur. Cui ille, oſtenſo grandi monte, reſpondit, ſe, ſi mons aureus totus eſſet, ſibique daretur optio, altero dumtaxat, id eſt, aut monte, aut Eliſabetha matrimonio potiendi, poſthabiturum ſacræ Virginis conjugio ampliſſimam auri molem, ob id invidorum blaterationes prorſus minimi facere ſcire. Illos, quæ jactaſſent probare non poſſe; perbrevi declaraturum, quo erga Virginem animo eſſet. Hoc reſponſum ad Eliſabetham perferre Gualtero poſcenti, non modo à Principe facta eſt perferendi facultas, verum etiam quo verbis major fides haberetur, additum munus. Erat autem e ſpeculari lapide, in tenuiſſimas cruſtas ſiſſo, gemina facie ſpeculum ſic fabrefactum, ut pars una vitri modo tranſlucida, colorumque fucis nuda eſset; altera Chriſtianæ

Magna aulicorum protervia.

S. Virgo ſponſo ſuo carior aureo monte.

Mittit ei amoris indicia.

ſtianæ crucifixionis picturam præferret. Quo munere donata Virgo, dici non poteſt, quanto ſit affecta gaudio; cum & ſponſum in admiſso ſemel amore conſtare, & oblatrantium invidiam nihil effeciſse experimentis adnotaret. Hæc ſunt, quæ de infantia, atque adoleſcentia S. Eliſabethæ præcipui ejus vitæ Scriptores ſignarunt uſque ab nubiles annos, ad quos dum pervenire licuerit, caſtas nuptias, & reliquam vitæ ſanctitudinem proſequemur.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. Reliquerat S. Pater anno proxime elapſo in Hiſpaniarum in-
,, greſſu apud Juliobrigam, vulgo *Logronium*, Hiſpanis *Logro-*
,, *gno*, Cantabrorum prius, ſed poſtea Caſtellæ Veteris civitatem ad Ibe-
,, rum fluvium Fratrem Bernardum à Quintavalle ad cujuſdam pauperis
,, ex infirmitate decumbentis curam. Hiſpaniâ redux ibidem adhuc hæ-
,, rentem cum reperiiſset, ſecum, in Italiam reverſurus, aſsumpſit. Quid
,, egerit regrediens ſub ſilentio eſt, ac mala tempora Regionis, incuria-
,, que Scriptorum incuſantur. Vix apparet ſanctum Patrem in quodam
,, oppidulo veterno morbo laborantem, & ſilveſtrem aviculam, ad
,, evincendam ſtomachi nauſeam appetentem, Angelico miniſterio ſub-
,, levatum fuiſse: quamobrem perfacile recuperata valetudine, reſtitu-
,, tiſque corporis viribus, in Pedemontanas oras direxerit iter; at an
,, hoc eodem anno trajecerit Alpes, ſub dubio relinquitur. Attamen
,, cum didicerim a nonnullis fide dignis, Seraphicum Patrem Vercellis
,, pro ſuis Religioſis hoc anno conſtabiliviſse domum, & conſtans tradi-
,, tio ſit, Riparolium, & Eporediam etiam viſitaſse, ſacriſque eloquiis
,, recreaſse, ejuſdem adventum in eas partes ante anni finem, haud in-
,, conſulte reor. Non eſt autem noſtrum Heſperias tranſvolare intactas,
,, cum id cordi habeamus, quæ alios ſubterfugerunt, adinventa collige-
,, re, & Studioſis, ſuis temporibus, reſerare; ſperantes eorumdem piæ
,, curioſitati nos fore profuturos: erit igitur hic ſubſequenti hiſtoriæ
,, locus.

S. Pater regreſſurus in Italiam apud Juliobrigã reaſſumit Bernardum a Quintavalle.

Silveſtri avicula recreatus fuit ab Angelo.

,, II. Per Tutelam, ſeu Tudelam, Vaſconum, ſive Navarræorum
,, civitatem ad Iberum, ſanctum Patrem Hiſpanias ingreſsum, in eaque
,, locum ſibi, & ſuis acquiſiviſse, Frater Joſeph Antonius de Hebrera,
,, temporum accurate perquiſitor ſcripſit; indeque Turiaſonem, ſive
,, Taraſonem perrexiſse. Favent illi Gregorius *Argaiz* Benedictinus,
,, Conventus noſtri Turiaſonis huic anno fundationem adſcribens, &
,, Didacus de Caſsanate hiſtoricus Turioſanenſis, cum Civium traditio-
,, ne conſtanti: nec ab his longe abeſt Waddingus, qui, licet ſerius,
,, illiuſdem Conventus primos lapides initio noſtræ Religionis aſsenti-
,, tur. Eſt autem Turiaſo, vulgo *Tarazona*, civitas Epiſcopalis antiqua
,, Hiſpaniæ Tarraconenſis in Regno Aragoniæ, & apud fines Caſtellæ
,, veteris, proxima Graccuri, & Belſino, nobilis, ac in plano, a Cæ-
,, ſarauguſta Metropoli in Occidentem æſtivum XIV. M. P. Regionis diſſi-
,, ta. Apud hanc Urbem locum ſibi, & ſuis faciendi ſancto Patri occaſio
,, fuit, quod parvulæ campanæ ſonus, non longe nimium remotæ, ad
,, conſueta meditationis & contemplationis invitaverit: etenim lex
,, inviolabiliter ſervanda illi erat, quam ceteris Fratribus in ſua Regula
,, præſcribebat, ſcilicet ita corpore honeſte laborandum ad otia vitanda,
,, ut devotionis ſpiritus non extingueretur. Ad eum igitur ſonum ſuos

Per Tutelam tranſiens locum acceptat.

Turiaſonem attingens Cœnobium fundat.

F. Joſeph. Anton. de Hebrera Provin. Aragoniæ Chronologus de Conv. S. Franciſci Turiaſonis. Gregorius Argaiz to. 7. Solitudinis laureatæ in Religione Benedictina ad an. 1214. Didacus de Caſſanate hiſtor. in memoria rerum Turrianis.
Wadd. tom. 4. ad ann. 1400. nu. 31.
Topogr. Ferre. in Martyr. Rom.

„ greſsus dirigens, Eremitoriolum quinquaginta paſsus ab Urbe remotum, juxta quod Eccleſiola S. Martino dicata, & in memoriam S. Patris Benedicti, cujus Ordinis Monaſterium olim ibidem præextiterat, conſervabatur, pro voto offendit. Juxta morem in ea oravit, ac ingruente nocte ab Eremicola hoſpitio exceptus, quæ promiſimus didicit, & prolixa oratione, cruenta cum corporis flagellatione, conſulens Dominum, ſpem concepit, ibi fieri poſse Cœnobium pro ſuis Religioſis, ubi Monachorum præfuerat habitatio. Veri prudentis eſt in agendis, quantumvis piis, nihil aggredi, niſi prius humili prece ſibi Altiſſimum propitium fecerit. Facto mane ſoporis nimii ſe incuſans, qui nihil fere dormierat, exiliit veluti a profundo ſomno expergefactus, & præmiſſa oratione, Urbis Epiſcopum adiit, cui ſimplex & humilis ſua deſideria aperuit. Communicata re Cathedralis Capitulo, ſine difficultate, vel parua, minimave contradictione, ſuorum votorum compos effectus eſt. Etenim Antiſtes, & Canonici, quadam occulta vi amoris Dei impulſi, & gratia petentis capti, unanimiter eam Eccleſiolam Sancti Martini viro Dei conſenſerunt. Interea divulgabatur Franciſcus, & magno nomine Sancti per univerſam Urbem ab omnibus venerabatur. Hujuſmodi autem rumorem, non tantum ipſe idem dulcedine divini eloquii ex ſuo ore profluentis, & admirabili præſentia, qua corda rapiebat in Deum, excitavit; ſed etiam ſui Hoſpitis teſtimonium cunctis acceptum, qui præcedente nocte vigileum obſervaverat. Laudantes itaque Deum, benedicebant omnes Domino, qui per Servum ſuum eos viſitare dignabatur.

„ III. Non erat ad præfatam Eccleſiolam ſitus ad ædes, quantumvis pauperes excitandas, ſufficiens, præter anguſtum illud Eremitoriolum, vix Aſcetæ unius capax, ſed attiguum omnem agrum jure optimus Civis poſſidebat; qui ſecum id recogitans, ob amorem Dei, pro Cœnobii ædificatione liberaliter illi dono dedit. Illius piiſſimi viri nomen in vitæ libro ſcriptum, nobis excidit, ſervato nihilominus Familiæ cognomine de *Novallas*. Præfatæ donationis in perpetuum memoriale, etiamnum ad Eccleſiæ Conventus fores, quatuor ſtant imagines lapideæ eam exprimentes, quarum duæ viri ſunt, & mulieris conjugum; reliquæ vero, S. P. Franciſci una, & altera ejuſdem ſocii. Illæ videntur flexis genibus in actu offerendi, ſed Sancti acceptantis, & librum Regulæ ſui Inſtituti apertum oſtendentis: qui quidem ibi pietate Civium fretus parvulam habitationem de terra conſtruxit, & adhuc perſeverat, cum quibuſdam imaginibus antiquiſſimis in ingreſſu illius domus depictis, quas aliquando poſtea ob reverentiam antiquitatis, & devotionem aliqualiter Religioſi Fratres exornarunt. Extructas ædes, nonnullis, quos ad Religionem admiſerat, vivendique normam voce, & exemplo docuerat, habitandas conſignavit Beatus Pater, & ipſe ab Epiſcopo, qui erat de Familia *Huerta*, benedictione accepta, Cæſarauguſtam perrexit. Loco nomen S. Martini manebat, at in Divorum numerum relato Franciſco, ejus nomini poſtea dedicatus fuit. Ceterum præfatæ fundationis relatio certa eſt adeo, ut a nemine ſanæ mentis in dubium revocari queat. Extat publicum Inſtrumentum venditionis cujuſdam hæreditatis, quam Don Garcia *Loriz* Conſiliarius Regis Aragonis, & Regni Valentiæ Gubernator, cum D. Guillerma *Perez* de Alcolea, in favorem D. Thereſiæ *Loriz* eorum filiæ die XXIV. Novembris anno MCCXXX. fecit: in quo inter cetera, hæc

Civis Familiæ de Novallas agrum ad ædes contulit.

Epiſcopus, qui erat de Familia Huerta, benedicit S. P. Cæſarauguſtâ pergenti.

„ hæc leguntur. *Item mas unos hortales confrontan con hortal de Gonſalvo*
„ *de vera, con Acequia de Zerces; y hortal del Convento de S. Franciſco.*
„ Porro factum, & receptum fuit Inſtrumentum Turiaſone die, & anno
„ prædictis, per Joannem Martinum de *Calahorra* publicum Notarium
„ ejuſdem Urbis. Ex hucuſque fideliter enarratis, illi Cœnobio ſuæ an-
„ tiquitatis honor ſubtrahendus non eſt, & maxime quod a Sancto Patre
„ Franciſco fundatum dignoſcamus.

„ IV. Pluribus autem poſt annis, eximia quando incrementa Reli-
„ gio Minorum ſuſcipere videbatur, procul pulſis priſcæ paupertatis an-
„ guſtiis a locuplete Civium liberalitate, ſumptuoſis ædibus excitatis,
„ dilatatum eſt adeo Monaſterium Univerſum, quod Urbi vere decori
„ ſit, amplum ad excipiendos totius Provinciæ congreſſus Capitulares,
„ quatuor Clauſtris magnificis, & elegantibus ornatum, in quibus duo-
„ decim pia Sacella adventantium devotionem excitant. Eccleſia, licet
„ una tantum nave concluſa, nihilominus ſpatioſiſſima, & pulchra ni-
„ mis, duodecim & illa numerat Sacella, inter quæ majus & ſumptuo-
„ ſius quatuor Altaribus cohoneſtatum, eorum tamen uno præ aliis de-
„ coro Sacratiſſimæ Virgini de pietate nuncupato, & auguſtiſſimi Cor-
„ poris Chriſti cuſtodiæ dedicato, admiratur. Hac in Eccleſia Confra-
„ ternitas Matris Dei ab antiquis erecta, omnes Proceres Turiaſonis
„ complectens, & ceteras Urbis præcedens, piis operibus fulgens, vo-
„ tivis eleemoſynis abundat. In majore hujus Eccleſiæ Sacello, magnus
„ ille Franciſcus Ximenes *De Ciſneros*, noſtræ Religionis decus, Cardi-
„ nalis S.R.E. & Archiepiſcopus Toletanus, coram Ferdinando, & Iſa-
„ bella Regibus conſecratus fuit: & ad augendam loco devotionem,
„ D. Joannes de *Herla* a Gregorio XIII. Summo Pontifice perpetuum
„ privilegium obtinuit ſub die XXV. Julii anno MDLXXXIII. Cathedralis
„ Eccleſiæ Clerus plurimum favet Religioni, & Religioſis Conventus,
„ quorum unum quotidie ad excipiendas confeſſiones Fidelium, & Be-
„ neficiatorum in eadem devote admittit: & duos alios ad regendas
„ Scholas, ex quibus magnum eleemoſynarum emolumentum Conven-
„ tui provenit. Reverendiſſimus P. F. Joannes *Perez* Vicarius Generalis
„ Ordinis omnes hujus Cathedralis Beneficiatos ad Religionis Fraterni-
„ tatem admiſit. Tandem hic locus tyrocinii cum ſit, alatque triginta ſex
„ incolas, religioſitate ac doctrina ſplendens, plures habuit, habet-
„ que in dies, quorum ſuis temporibus nonnullorum, Deo dante, me-
„ moriam agemus. Hæc primo dicenda viſa ſunt, a quibus expeditus,
„ reducem in Italiam S. Patrem ſequor.

Præfatum Cœnobiũ ſumptuoſe dilatatur.

In majori Sacello illius conſecratur Frãciſ. Ximenes coram Regibus Ferdinando, & Iſabella.

Joannes de Herla obtinet privileg. a Greg. XIII. pro eodem Sacello.

„ V. Secuſiam B. Pater, poſt longum & laborioſum iter, lætus re-
„ viſit, ædeſque ſecundum ſua vota jam utcumque habitabiles, quas piiſ-
„ ſima Heroina Beatrix conſtrui ſatagebat, ingreſſus cum ſociis, quos ibi-
„ dem reliquerat, ac Fratre Bernardo a Quintavalle ſolemnes gratias
„ reddidit Altiſſimo, ſibi pauperculo, & indigno (ita enim de ſe ubi-
„ que, & ſemper ſentiebat) concedenti adhuc propriis oculis Ordinis
„ pauperum incrementa poſſe videre; etenim debilis corpore valetudi-
„ narius erat, ut innuimus, licet ætatis annum XXXII. tantum percur-
„ reret. Secuſianis ſe devote inviſentibus, & quos apud eos liquerat
„ Religioſos laudantibus, & petentibus benedici, ſoſpitatem, felici-
„ tatem, & in bono propoſito melioris, & ſanctæ vitæ perſeverantiam
„ ab alto precatus eſt; & memor Illuſtriſſimorum Principum Sabaudiæ
„ benedictionem Dei ſuper omnes invocavit. His meis temporibus adhuc

Secuſiam reviſit S. Pater cum F. Bernardo a Quintavalle.

Secuſianis, & Principibus Sabaudis benedicit.

,, ibi piis fidelibus oſtenditur menſa, cui S. Pater accubuit; qui tandem
,, in Italiam deſcendens, Salaſſorum, & Lebetiorum campos, ubique mi-
,, rabilis, peragravit.

Gens Salaſſa ubi ſit. Duria Riparia & Balthea eam concludit. Salaſſi alii inferiores, alii ſuperiores.

,, VI. Gens Salaſſa inter duas Durias, Ripariam unam, & alteram
,, Baltheam, notiſſimos amnes ab Alpibus in Padum irruentes, proprias
,, ſedes habet; diſtinguitur nihilominus ratione ſitus in ſuperiorem &
,, inferiorem. Salaſſi inferiores, ſub montibus altiſſimis Geneuro, &
,, Ciniſio, humiliores Alpium colles tenent, ac etiam plana uſque ad
,, Padum: Superiores vero ſunt inter montes eminentiores, & proxi-
,, miores Alpium jugis, Auguſtanamque vallem inhabitant. Has gentes
,, a Salutio, ſeu Salutiis, Civitate nominatas, nonnulli Juniores cum
,, P. Bertio, perperam aſſerunt; nam Salutiæ, vulgo *Saluzzo*, in Pede-
,, montana regione ad Alpium radices, quibus Gallia Narbonenſis ab
,, Italia ſeparatur, Civitas in montis aſcenſu, Marchionatus Salutienſis
,, caput, ab Auguſta Taurina recedit in Meridiem XXVIII. M. P. di-
,, ſtatque a Foſſano altera civitate X. ac totidem a Cuneo: at Salaſſi ab
,, Auguſta præfata in Septemtrionem, & Ortum abeunt; unde Salutii
,, & Salaſſi longe plurimum diſtant inter ſe. Porro Salaſſi ſuperiores &
,, inferiores utrique ſuam Salaſſam habent, a quibus nuncupati fuere:
,, & quidem in Salaſſis inferioribus, qui nunc Canapitiani dicuntur,
,, prope Valpergiam nobile municipium, eſt Salaſſa Oppidum antiquiſ-
,, ſimum, ante Eporediam civitatem a Romanis extructum; apud autem
,, Salaſſos ſuperiores, qui Auguſtani nominantur, eſt altera Salaſſa,
,, vetuſtiſſimum & ipſa Romanorum opus. Sed Lebetii populi, qui
,, etiam Lybui, vel Lybici dicuntur, quorum ager late patens plurimum
,, diffunditur, Vercellarum urbem præclariſſimam, ac Orbi univerſo no-
,, tiſſimam, ut ſuum caput venerantur, & audiunt. His miſſis, ad
,, Salaſſos inferiores, per quos S. Patris fuit iter, regredior; quorum
,, Provincia inter Montes & Colles extenſa, plures Valles fertiles, &
,, amænas concludit; indeque in planum ſe expandens, ubique incolas
,, habet, quorum Oppida & Loca ſingula enumerare nimium tædii le-
,, gentibus afferret.

P. Bertius in deſcrip. Tabulæ Pedemontii.

Aug. ab Eccleſia in deſcrip. Pedemontii.

Lebetiorum populorum Vercellarum caput.

Cornietum Oppidum ad Morgum fluvium.

,, VII. A Taurinorum Auguſta in Wulturnum XVI. M. P. regionis
,, recedit Cornietum Oppidum, noſtratibus *Cornið*, jacetque in plano ad
,, Morgum fluvium, elegantur conſtructum, muris cinctum, & mer-
,, cimonium (confluunt enim ad illud, ut emporium ex circumvicinis
,, locis gentes) dives, & bonitate ſoli opulentum. Per illud ſanctum
,, Virum tranſiiſſe dicitur, & in eo locum accepiſſe. Si ſpectes etiamnum
,, religioſarum ædium annoſam vetuſtatem, & humilem, devotamque
,, ſtructuram, facile credes (niſi dubitaveris a Sociis ejuſdem S. Patris,
,, poſt aliud Cœnobium, de quo mox dicemus) ibi manſionem conſtabi-
,, litam fuiſſe: ut ut res ſit, antiquiſſimam illam domum incolunt Patres
,, Conventuales Provinciæ Januenſis. A præfato Cornieto per tria mil-
,, liaria deflectenti in Libonotum, juxta eumdem fluvium Morgum fra-
,, goſe defluentem, ſed auriferum, ut Luſitaniæ Tagus, & piſcoſum,

Riparolium Oppidum.

,, in alta ripa occurrit Riparolium, municipium perantiquum, vaſtum,
,, elegans, civile nimis, populo in duas paræcias ſecreto pene refer-
,, tum, pluribus nobilibus Familiis ornatum, Civitatis non parvæ ſpe-
,, ciem referens; muris, aggeribus, foſſis & adjacente Caſtro, eo tem-
,, pore munitum. Illuc primo S. P. Franciſcum ab Auguſta Taurino-
,, rum perveniſſe, contentioſa fama, ac ab antiquis immemorabilis,

„ uſque modo perſeverat, deprædicatque Incolarum devotionem, caritatem, & reverentiam, quibus admiſſus fuerat: enarratque quanta attentione auditus, quantaque pietate ſequutus; quæ omnia deſcribere meis viribus impar cum ſit, piorum meditationi relinquo, certus nil adeo humile ſenſuros, quod Franciſci ſanctitatem, locive honorem dedeceat. Id unum tantum referam, quod reticere injuria eſſet, & eſt, quod ita ab ore prædicantis Franciſci penderent omnes, ut publica compunctione, & lacrymis erratorum ſuorum, quam intime perceperant, pœnitentiam conteſtarentur: in unumque conſpirantes, pro Viro Dei, ſuiſque Sociis apud ſe manſionem perpetuam conſtabilire, atque conſtruere decreverint.

„ VIII. Inter hæc autem nobiliſſimi loci Dynaſtæ Comites de ſancto Martino, & Petrus cum Oberto Fratres de familia Carrociorum, Communis prævenientes vota, ad fundandam Eccleſiam, & Domum S. Patri locum dederunt a muris Oppidi, ducentis circiter paſſibus diſtantem: cujus quidem donationis authenticum Inſtrumentum in charta pergamena exaratum, propriaque S. Patris manu ſubſcriptum, in illius Conventus Archivo diu ſervatum, diligenterque cuſtoditum, tandem a quodam loci Guardiano, de Parella nuncupato, bellorum in tumultu, cum aliis ſcripturis ejuſdem Conventus, circa annum Chriſti MDCXXXIX. ad Conventum S. Franciſci Auguſtæ Taurinorum tranſlatum, ac ſubinde cum iiſdem deperditum fuit, ut Rev. Adm. P. Fr. Joannes Franciſcus Raſetus Riparolienſis, in ſacra Theologia Magiſter, ſuæ Provinciæ Januenſis perpetuus Diffinitor, & Regiæ Celſitudinis Ducis Sabaudiæ Theologus, ætatis annorum LXXXIV. qui illud viderat, legerat, & pluries conſideraverat, ſub juramento, coram Teſtibus & Notario publico Taurini anno ſalutis MDCLXXVI. die XII. Maji, depoſuit. Porro exhibitus a præfatis Dominis, & a S. Patre admiſſus ſitus, longitudinis erat CCCVI. palmorum Italiæ (ceteris enim tunc Italica menſura prævalebat) latitudinis autem CCIV. In ejus parte una, quam Comites de ſancto Martino dederunt, Eccleſia; in altera vero, quam Comites de Carrocio contulerunt præfatæ attiguam, Cœnobium pro quindecim, ut ut commode hoſpitandis Religioſis Fratribus, cum hortulo ad neceſſaria Coquinæ, & recreationi honeſtæ, pauperibus Religioſis concedenti, excitatum fuit. Illius Conventus in Eccleſia, olim in tres naves diſtincta, aſſeritur Sacellum fuiſſe exornatum Carrociorum inſigniis gentilitiis; at ad duas tantum naves, a quodam Patre Oclerio redacta, evanuiſſe: unde non ſine cauſa lamentationes exortæ fuerint. Veruntamen ſi rem juſta lance penſaveris, neſcius unde cauſa fuerit, concludes ſub tempore nihil eſſe æternum. Cœnobium nimia vetuſtate ruinoſum Patres Conventuales noviſſimis temporibus auguſtius inſtaurarunt; retinet nihilominus etiam priſcæ humilitatis, & paupertatis veſtigia: & in eo ſervatur ſuggeſtum, de quo S. Bernardinus Senenſis populo concionabatur: plures etiam ibidem doctrina, & pietate floruerunt.

Comites de ſancto Martino cum Petro & Oberto Carrocii dant ſitum pro ædibus.

Suggeſtum ſancti Bernardini Senenſis.

„ IX. A Riparolio in meridiem V. M. P. recedit Caluſium, Oppidum civile, antiquum, mœnibus firmis, & arce olim valide munitum bellorum tamen, ac temporum injuria, munimentis ſolo fere æquatis, patulum; ſed ubertate agrorum pingue, Cœli clementia ſanum. Incolas habet acutos ingenio, ſolicitos in agendis; ſed placidis, & urbanis moribus ornatos. Subeſt Dominis Marchionali titulo claris. In eo

Caluſium Oppid.

In eo ædes Minorum antiquiſs.

„ eo ædes Minorum videntur, quarum ætatem, quantumvis curioſè quæſitam, noſcere non potui. Dicitur S. Patrem locum luſtraſſe, eaſque pro ſuis acceptaſſe; nihilominus dubitatur an a Riparolio relicti Fratres a B. Patre, ab Oppidanis poſtea acciti locum acquiſierint, eamque domum conſtruxerint: hanc vero dubietatem nullum huc uſque authenticum teſtimonium ſuſtulit. Porro præfata Cœnobia in inferioribus Salaſſis Provinciæ Januenſi adſcripta, a Patribus Conventualibus uſque in præſentem diem religioſè inhabitantur.

Vercell. civitas caput Lebetiorū inter Mediolan. & Taurinum.

Marcus Cuſanus in ſerm. Epiſcop. Vercell. fol. 15. n.1.2.3.
Claud. Ptol. Geog. l.3.c.1.tab.6.

„ X. Salaſſis prædictis confines Lebetii, vel Lybui, ſeu Lybici populi ſunt, quorum caput Vercellarum civitas habetur, ut ſupra dicebamus. Porro Vercellæ Lebetiorum antiquiſſima, & nobiliſſima Metropolis, etiam hoc anno, ſub quo ſcribimus, fauſte nobis occurrit. Inter Mediolanum,& Auguſtanam Taurinorum urbes ab hac in Ortum æſtivum XXXVI. M. P. ab illa vero in Occaſum pariter æſtivum totidem recedens, Novariæ,& Caſali ſancti Evaſii Civitatibus proximior, reperitur. Olim, ut ſcripſerunt Auctores, a Beloveſo adeo dilatata fuerat, quod Servium, ſive Cervium, atque Seſiam e vicinis, ac præruptis Alpibus in ſuam planitiem irrumpentes fluvios amplecteretur. Trecentis turribus munita, ac centum millibus Civium inhabitata, ſtadia, ab uno latere ad alterum oppoſitum, viginti novem cum dimidio, ex altero vero longius protracta, nonniſi tribus ſuper quadraginta circumſcriberetur, & finiretur. Hæc adeo magna, & populoſa Civitas varietate temporum perplures paſſa injurias, & mutationes, enormia decrementa ſenſit, ob quæ plurimum reſtricta, & ad anguſtias redacta, illius priſcæ majeſtatis, & vaſtæ amplitudinis, vix aliqualem ideam his temporibus præ ſe ferre videtur. At

Gloriatur de ſua antiquitate.

Siſicus hiſt. Ital. de bello Punico l.8.

Sed magis, quod fidem hauſerit a Petro Apoſtolo.

Cuſ. ſup. cit. p.1. ſ.2.

nihilominus etiamnum haud adeo ſuæ antiquitatis honore, ſupra Mediolanum, Venetias, Neapolim, Florentiam, ipſamque Romam, & alias Italiæ Urbes præclaras, gloriatur; aut quod olim validas nimis auxiliares copias Romanis, belli Punici temporibus, dederit; quin potius nobilitatis ſuæ coronidem exiſtimet, ac teneat prima noſtræ ſacroſanctæ Fidei rudimenta ab Apoſtolorum Principe Petro, Neronianam ſævitiam declinante, ac tranſeunte ad Francos, ante Taurinum, Avillianam, & Secuſiam, unde rerum mutata facie Romam regreſſus fuerat, feliciter hauſiſſe; in eaque per ſanctos Sabinianum diſcipulum Chriſti, & Barnabam ejuſdem Apoſtolum, cujus hortatu eidem Petro adhuc viventi Eccleſiam ædificavit, & aliam a ſancto Enſebio adeo conſtabilitam fuiſſe; ut immunis ab Ariana hæreſi inſolentiſſima, & aliis, a Divina pietate conſervari meruerit.

„ XI. Ea præfata Urbs, quæ valde potens, & libera late dominabatur, & ſuperba nobilitate ſplendens ſeipſam, ut omnium primam venerabatur, pauperem Aſſiſiatem, ut novit adventantem ſibi, veluti ſuæ majeſtatis oblita, ſic extra ſe ipſam exiliit læta, ut omni applauſu cordis, & oris eum admitteret, haud inutiliter ſperans ab adeo celebre edictore Evangelico ita ſancte per lavacrum pœnitentiæ reformari,

Admiſit S. Franciſcum Hugo Seſſa Epiſcop. Vercell.

Ping. in Auguſt. Taur. Cuſan. ſup. cit. ſerm. 76. de Hugone Epiſc.

ſicut ab Apoſtolorum Principe per fidem Chriſto regenerata fuerat. Vercellenſem Eccleſiam Hugo Seſſa avita nobilitate clarus,ſed virtute & paſtorali vigilantia longe clarior, eo tempore proſpera forte moderabatur; qui ſuo cum Eccleſiaſtico, & Religioſiſſimo Senatu, univerſo Clero, ac tota Civitate Franciſco prædicanti, ut adſtitit, expertus ſingularem, & prorſus divinam in ejus verbis efficaciam, Deum

Cœli

Anno Christi 1214.	Innocentii III. anno 17.	Friderici II. Imp. anno 4.	Religionis Minorum anno 7.

„ Cœli benedixit, qui per Servum ſuum fidelium corda luſtrare, & a
„ ſordibus vitiorum expiare dignabatur; exclamanſque non ſine piis la-
„ crymis dicebat: O quam mirabilis Deus in ſervis ſuis. Pauper hic dum
„ nobis evangelizat pœnitentiam, peccatoribus ad ſalutem æternam
„ conſequendam omnino neceſſariam, profecto Regnum Chriſti, & Dei
„ renovat in nobis: idipſum interea Primores in cordibus ſuis penſantes,
„ invicem conferebant; & congredientes locum Viro Dei unanimes
„ decreverunt.

„ XII. Apud Urbem antiqua erat Eccleſia Divo Matthæo Apoſtolo
„ nuncupata, cui ut minus Clero, at Viro Apoſtolico, cujuſque humili
„ Inſtituto plurimum conferens, Antiſtes cum Clero, & Proceres hæſe-
„ re, ut illi pro ſuo, & ſociorum ſuorum incolatu adſignaretur: & inte-
„ rea iidem præfati Proceres, quibus Reipublicæ regiminis onus incum-
„ bebat, ut religioſis neceſſitudinibus provide, & prudenter occurre-
„ rent, competens terræ ſpatium, prædictæ Eccleſiæ adjacens, ad con-
„ ſtruendas ædes regulares juxta morem S. Patris exemplo determi-
„ narunt; ac ibidem communibus eleemoſynis brevi Cœnobiolum
„ excitatum fuit: quod cum per aliquod tempus perſeveraſſet, ſæculi
„ tandem viciſſitudinibus ceſſit. Locus ille nunc extra arcem, & verſus
„ Bethlem, antiquæ pietatis in memoriale perenne, fundamentorum
„ fabricæ reliquias oſtendit. Ceterum Seraphicus Pater mirabilia Ver-
„ cellis operatus, ut inquit Cuſanus, nonnullos de ſuis ſociis ad opus *Cuſan. ubi ſup.*
„ Dei proſequendum reliquit.

„ XIII. De hujus Vercellenſis Conventus fundatione cum nihil effa-
„ tus eſſet Waddingus, occaſione cujuſdam Indulgentiæ illius Eccleſiæ *Wading. ad an. 1290. n. 26.*
„ conceſſæ a Summo Pontifice Nicolao IV. tandem ejus meminit ſub
„ anno MCCXC. cum nihilominus in Capitulo Narbonenſi ſub Divo Bo-
„ naventura anno MCCLX. pridie idus Junii celebrato, jam Vercellarum
„ Civitas Cuſtodiæ peculiaris Vercellenſis, in Religionis Provincia S. Dominicus fuit
„ Mediolanenſi, quintum locum habentis, caput haberetur, & eſſet. Vercellis cum S.
„ Non reticebo eodem ſub anno MCCXIV. cum Patre noſtro, Sanctum Franciſco, & ob-
„ Patrem Dominicum pariter fuiſſe Vercellis, ut Cuſanus ſcribit, & tinuit Eccleſiam
„ ſumma caritate a Civibus, & Præſule Hugone exceptum, Eccleſiam S. Pauli ad aquas Servii.
„ Sancti Pauli extra Urbem, & aquis Servii, ſeu Cervii fluminis proxime *Harol. ad ann. 1540. n. 15.*
„ decurrentis vicinam, pro ſe, & ſuis obtinuiſſe. *Cuſan. ibidem.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

Regreſſus in Italiam per Pedemontanos, Alexandriam a Palea cognominatam & Cortonium ubique mirabilis in ſignis, & prodigiis pervenit; ac deinde Aſſiſium. Initiato Joanne Simplici, viro optimo, pergit Alvernæ montem luſtraturus, male affectus in via a Dæmonibus. Rebus in Monte diſpoſitis deſcendit in Marchiam Anconitanam, cujus præcipua Oppida, & Urbes percurrit, multos ſuæ aggregans Sodalitati, & plura acquirens domicilia. Verbis & factis multos undique erudiens ad ſalutem, venit ad Concilium magnum Lateranenſe, in quo Pontifex Innocentius III. denuo ejus Inſtitutum probat, & jam a ſe approbatum declarat. B. Ægidius hoc anno Hieroſolymorum, Montis Gargani, & alia pia loca perluſtrat; & ad Claram, quæ ex humilitate volebat Abbatiſſæ munus deponere, plures accedunt diſcipulæ.

Reverſus in Italiam Franciſcus.

I. IN hujus anni limine per Pedemontanos pervenit Vir ſanctus Franciſcus ad Civitatem Alexandriæ a Palea cognominatæ, inter fluvios Tanarum, & Bormiam ex Apennino labentem, amœniſſimo loco in Lombardia Ciſpadana ſitæ. Illic a pio & locuplete viro hoſpitatus, ſtabat præ foribus, quaſi ad ſtipem quidam male ſanæ mentis homo, quem

Anton. tit. 24. c.2. §.2.

Marian. §.19.

Nebulo quidam ſtruit inſidias Franciſci honori.

infidelem dicit Antoninus, exploraturus & obſervaturus Franciſci actiones, quippe quem livor edax agebat, ut ægre ferret Dei ſervum tanti æſtimari, & pro Sancto reputari in civitate. Appoſitæ ad prandii horam in menſa dapes, atque inter cetera fercula, pro hoſpitis dignitate & benevolentia parata, infertur altilis capus. Pauperis affingens vocem & faciem, eleemoſynam petit pro Dei amore nebulo præ foribus; ſtatim Franciſcus audito Dei nomine, quam coram habebat in catino capi partem tranſmiſit ficto mendico. Ille maligne reſervans integram cruris, vel alæ acceptæ partem, in craſtino, dum Vir ſanctus coram multa prædicat plebe, revelat, & diaboli inſtigatione ſuadet non venerandum, nec habendum pro Sancto, qui ſartiles ſaginataſque devorat aves. Sed Deus

Pſal. 138. 17.
Luc. 10. 8.

Sed a Deo miraculoſe defenditur.

cujus *nimis honorificati ſunt amici, & confortatus principatus eorum*, quique juſſit ſuos, ut *manducarent quæ apponerentur eis*, propitius fuit Viro ſancto, & ulciſcens in adinventiones inimici. Fecit enim, ut ab univerſo populo reputaretur & videretur piſcis, quod vere fuerat caro, & velut inſanus vir nequam in toto exſibilaretur & confunderetur conſeſſu. Erubuit ad communem ſui confuſionem, & pœnituit, Dei agnoſcens publice

Pſal. 82. 17.

circa ſuos providentiam, juxta illud Davidicum: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. Redierunt itaque carnes ad priſtinam ſpeciem, dum rediit prævaricator ad mentem.

II. In Burgo S. Domnini, pernobili caſtro in via Æmilia, aliquando Palavicinorum ditionis, prope ſplendidum olim D. Columbæ Cœno-

Idem §. 20.

Miraculoſe ei proviſum de panibus.

bium a Friderico II. poſt cladem ad Parmam acceptam exciſum, alio ei proviſum miraculo. Cum etenim ad Fratrum domicilium cum pluribus ſociis, qui de reditu in Italiam gratulabundi ei obviam procedebant, accederet, nec erat unde eis provideretur de pane, dum nullus fratrum incolarum refectioni ſupereſſet, juſſit vir Dei ut architriclinus caniſtrum, in quo reponi panes ſolebant, reſpiceret: facit juſſus quod alias in vanum fieri putabat, & invenit plenum pane recenti, quod antea abſque ullo vacuum non ſemel probavit. Sancti Patris virtutem filii agnoſcentes,

tes, reverentes & hilares panem e cœlo miniſtratum manducaverunt, Deum glorificantes, qui talem dedit hominibus poteſtatem.

III. Per alia pergens Fratrum Cœnobia, & accepto Opreni Provinciæ Mediolanenſis, & Cuſtodiæ Modoetiæ Patrum Conventualium loco, in quo B. Amadeus primam celebravit miſſam, tandem devenit Cortonium, ubi ſumma omnium lætitia exceptus eſt. Fratres vero, qui in Monaſterio Cellarum, de quo nos ſupra, audientes eum in urbem veniſſe cum Fratre Guidone, viſum magna aviditate venerunt, & cum eodem ibidem illa nocte requieverunt. Poſtridie prædicavit coram univerſa multitudine ex eminentiori lapide, qui adhuc in veneratione habetur in populo. Finito ſermone, dum voluit recedere, & ad Cellas cum Fratribus ſe recipere, non potuit, adhibitis in portis Civitatis cuſtodibus, qui exeuntem prohiberent. Detentus per tres dies, totidem habuit ſermones ad populum, ſed in tertio humiliter rogavit, ut dimitteretur, obſidem pro ſe relinquens Fratrem Guidonem, cujus ſane ſanctitas jam elucebat ubique, & cujus meritis publice prædixit urbem a multis liberandam periculis. Auſi non ſunt, propter Viri reverentiam, renitentem amplius detinere; quapropter eum ad Monaſterium comitati, ſe ſuaque ejus precibus commendarunt. Hæſit ibi per paucos dies, quibus Fratres hortatus eſt ad perfecta virtutis officia.

Rod. fol. 273.
VenitCortonam.
Idem §. 26.
Anno 1211. n. 9.
Retinetur a populo.

IV. Perveniens deinde Aſſiſium, inenarrabili lætitia exceptus a filiis, deſideratuſque a Virgine Clara, ut vidit extructam, juxta Cœnobium poſt ſuum receſſum, novam domum, quam ejus Vicarius Petrus Cataneus innumeris adventantibus hoſpitibus præparaverat, interrogavit, quid ſibi vellet nova illa ſtructura? Reſponſum a Vicario, gratia hoſpitum, & ut commodius divinum poſſit ſolvi officium, ſe domum illam ædificaſſe. Cui Vir ſanctus iratus, inquit: Frater Petre, locus iſte norma eſt, & exemplar totius Religionis: volo proinde, ut qui hic vivunt, & qui huc adveniunt, tolerent patienter paupertatis incommoda, ut dum redeunt ad ſuos, referant quam pauperem gerant vitam Incolæ S. Mariæ de Portiuncula. Si enim advenis plene, & ad votum ſatisfiat, & quæ volunt eis miniſtrentur ſolamina, vivantque ſub bonis & recentibus tectis a Fratribus extructis, imitabuntut in ſuis Provinciis, quæ hic viderunt, & experti ſunt; allegabuntque nihil ſe amplius facere, quam quod fiat apud Portiunculam, a qua univerſum Sodalitium ſuſcepit originem. Permiſit tamen ad multas Fratrum preces, & manifeſtam capacioris receptaculi neceſſitatem domum ſubſiſtere, quam alias dirui præcepit.

Aſſiſii reprehendit Vicarium ob novas ædes extructas.
Idem c. 11. §. 1.

V. Ingens erat filiorum gaudium ad tanti Patris præſentiam, & multorum fiebat populorum concurſus ad videndum eum, quem fama fecit notiſſimum. Plures eum expectabant, ut adſcriberentur Sodalitio, e quibus non pauci nobiles, alii bonis litteris probe exculti. Ille, ut erat animo generoſus, & diſcretione præcipuus, honorifice & comiter eos pertractans, unicuique quod ſuum erat, & conditio expoſcebat, libenter impendebat. Joannem cognomento Simplicem, agricolam hac ratione tunc initiavit. Vicina percurrens Caſtella dolebat, quam leviter curarent presbyteri de munditia ſuarum Eccleſiarum, arreptiſque ſcopis multoties eas verrebat. Dum ita ſemel faceret in derelicto quodam fano, pervenit fama ad vicini Oppidi populos adeſſe Franciſcum, atque in ſuburbana Eccleſia ſcopis purgamenta educere. Præ ceteris accurrit ad humile ſpectaculum Joannes hic ruralis, qui in proximo arabat cam-

Marian. cit.
Rodulph. fol. 114.
Marc. l. 1. c. 18.
Converſio Joannis Simplicis.

campo, & verrentem ſummo ſtudio videns Dei ſervum, indignum tulit, niſi ipſe opem ferret. Eidem ergo operi incumbens, ſanctumque Virum rogans, ut a labore quieſceret, ſcobem omnem & ſordes eduxit, aranearum operam, & texturam improbam perdidit. Surſum deorſumque mundata æde iniit cum Viro Dei ſermonem, dixitque ſimpliciter: Frater a multis diebus, ex quo de te, tuiſque Fratribus audivi, quæ undique narrantur, cogitavi ſimiliter Deo ſervire, ſed qualiter ad te accederem ignoravi: nunc autem, quia ita Domino placuit, ut te hic ad votum viderem, me tibi offero, ut faciam quodcumque tibi placuerit. Vir Dei conſiderans hominis ſimplicis pium affectum, & ſuper huic ſimiles requieſcere facilius ſpiritum Dei, tamquam a Deo ſibi miſſum ſtatuit recipere, & de ſui Sodalitii oneribus inſtructum monuit, ut ſi hæc perferre vellet, a contemptu & expropriatione rerum terrenarum inciperet, amotaſque res familiares pauperibus diſtribueret. Abſque ulla mora ſuperno actus impetu protinus bonus vir ad vicinum aratrum perrexit, & diſſoluto boum jugo, unum minavit ad ædem, inquiens: Pater, tot annis ſervivi patri meo, familiam omnem meo juvans labore; proinde licere puto, ut vel hunc unum bovem pro tot annorum ſtipendio, & hæreditatis meæ portione mihi adſcribam, & in pios, quos tu præſcripſeris, uſus diſtribuam. Quibus dictis domum abiit ſuis valedicturus, & rem ruralem commendaturus.

VI. Illi autem commoti ad hominis ſibi ſumme neceſſarii receſſum, cum magno ejulatu venerunt ad fanum, & Joannis inſtructorem rogarunt multa prece, ut ſibi eripere nollet vitæ ſuæ refugium, & victus remedium. Dulci eos hortatus alloquio Franciſcus dixit, ut domum redirent, prandiumque pararent; ſe etenim apud eos recubiturum, ſolamenque ſaturum promiſit. Strata menſa adfuit Vir Dei, expletoque prandio, ad Joannis patrem ſermonem & vultum convertens, ait: Amice hoſpes, filius tuus, impulſu ductus divino, Deo vult inſervire, quod tibi nequaquam diſplicere, imo ſumme placere debet; cauſa etenim hæc eſt ſummæ lætitiæ, non triſtitiæ, & propter quam maximas Deo debes gratiarum actiones, quod dignatus ſit ex tua progenie ſibi ſervum adſciſcere. Neque parum in hac re tibi lucri conſurgit, dum pro uno quem dimittis filio, plures tibi acquiris, & Fratres conſtituis tuos, univerſos undique hujus Sodalitii Sectatores. Præterea Dei creatura eſt; quod ſi eum ſibi addicit Creator, quis audebit ejus voluntati reſiſtere, aut dicere, cur ita facis? Omnipotens eſt, & juſtus, ſuum repoſcit: fiat ergo voluntas ejus, & perveniat ſuper hunc filium tuum miſericordia ejus. Ego eum repellere non debeo, nec poſſum a domo Dei, dum concupiſcit, & deficit
Pſalm. 83. 1. anima ejus in atria Domini, a quibus neminem licet arcere. Quod ſolum poſſum, præſtabo, ut quem in pauperes volebat, & decebat erogare, bovem vobis relinquat, ut ſic relinquens mundo quæ ſua ſunt, nudum ſe committat brachiis Chriſti. His aliiſque hujus generis rationibus flexi parentes, libere & cum gaudio abire permiſerunt, quem antea nullatenus patiebantur avelli. Hoc modo Franciſcus Joannem hunc lucratus eſt
3. Reg. 19. 19. diſcipulum, velut alter Elias Eliſæum vocans ex aratro, ut cordis terram araret, campumque animæ excoleret multarum ſemine virtutum.

VII. Initiatus Joannes cœpit ſervire Deo in ſimplicitate, & puritate
Perfectus evaſit Franciſci ſectator. cordis, in utraque adeo proficiens, ut Magiſtro valde placeret, eumque ſæpiſſime ſibi ſocium adhiberet. Ille autem Franciſci vitam ſibi normam propoſuit, ad quam ſuas adæquaret actiones, quod ita ſedulo curavit, ut ni-

ut nihil facientem videret præceptorem, quin ſtatim idipſum ipſe patraret. Si orabat, ſi ambulabat, ſi oculos in cœlum, aut brachia in altum elevabat, ſi tuſſiebat, ſi quidpiam aliud agebat, ſecundas hic vices addebat; idque diligenter obſervabat, ut nihil præteriret infectum, quod fieri a ſuo deprehendebat Magiſtro. Adnotavit hæc aliquando Inſtitutor, piumque æmulum leniter corripuit, monens quibuſdam videri poſſe vanas, & geſticulatorias has actiones, atque ex animi levitate procedere. Cui Joannes: Pater, ego Deo promiſi te ſequi, te imitari, cuncta quæ feceris pro virili æmulari: parce ergo meæ ſimplicitati & inſcitiæ, quæ te duce non timet errare. Meæ parum, aut nihil fido ruditati, hoc unum ſcio me nihil ſcire, proinde bonum nactus magiſtrum, illud ſolum efficiam, quod te præeuntem, & opere docentem prius feciſſe conſpexero. Miratus Præceptor ſimplicis diſcipuli candorem & ſinceritatem, amplius dilexit quotidie in Dei obſequio adeo proficientem, ut quam citiſſime factus ſit condiſcipulis multarum virtutum exemplar, qui ut bonus diſcipulus optimi Magiſtri crevit exemplo. Paucos poſt annos migravit ad Dominum non ſine nota ſanctitatis, cujus laudabilem converſationem ſæpius Vir ſanctus referebat & extollebat, ita ut non Fratrem Joannem, ſed ſanctum Joannem Simplicem appellaret.

VIII. Multi hoc tempore acceſſerunt Fratres, ut a longo tædioſoque itinere redeuntem Patrem ſalutarent; ſed præ aliis adfuerunt, qui ſacrum Alvernæ montem occupaverant. Retulerunt quam comiter ſecum a Comite Orlando actum, quomodo poſſederint locum, quam aptus ad cœleſtes immiſſiones recipiendas, quam commodus ad res divinas contemplandas, quam remotus a tumultu, quam liber a ſcandalis. Voluit ipſe Montem luſtrare, aſſumptiſque ſecum Fratribus Leone, Maſſæo, & Angelo, pro ſuo more & humilitate itineris Guardianum conſtituit Maſſæum, interdicens ei, ne ſollicitus eſſet animæ ſuæ quid manducarent, aut biberent; ſed curaret ut diligenter & pie divinum ſolveretur penſum, religioſum obſervaretur ſilentium, ſumma reluceret in omnibus actibus modeſtia. Tranſeuntibus deinde per caſtrum Citernæ in Valle Caſtellana, prope Burgum ſancti Sepulcri, voluit prædicare populo ad ſe convenienti in agro ſub quadam quercu, quam formicis ebullire notaverat. Imperavit ſtatim ut recederent; quibus illico obedientibus populum monuit, ut viam aperiret. Abierunt recto tramite omnes, neque ulla amplius ad illam quercum, etiamfuturis temporibus ſe recepit. Illud etiam in hac concione memorabile, quod procaci & importunæ adoleſcentulæ cymbalum pulſanti, dum prædicaretur; nec ſecundo, & tertio, admonita ut taceret, acquieſcenti, ſed moleſtius obſtrepenti, dixerit Vir ſanctus alta voce coram omnibus: Tolle, tolle Diabole, quod tuum eſt. Quibus dictis repente in altum rapta mulier ex omnium oculis evanuit, neque deinceps uſquam apparuit.

Maria. §.2. Auguſt. Miglius l.2. de monte Alvernæ c. 2. Piſan. conf. 2.

Pergit montem Alvernæ luſtraturus.

Luca 12. 22.

Verbo formicas abigit.

Procacem juvenculã tradidit Satanæ.

IX. In eodem itinere venit ſero ad Tyſi villam, juxta caſtrum Capreſi, quinto ab Alverna milliario, extra quam ad cccc. P. erat quædam derelicta Eccleſia, in hanc ſe recepit illa nocte oraturus. Etenim quia in oratione perceperat ſancti Spiritus deſideratam præſentiam, tanto familiarius ſe offerre precantibus, quanto plus invenit elongatos a ſtrepitu mundanorum; ideo ſæpius loca ſolitaria quærebat, & ad Eccleſias derelictas nocte pergebat. Quieſcentibus vero ſociis, in prima noctis vigilia ad orandum ſurgentem aggrediuntur undique Diaboli, variis modis diverſiſque artibus, & minis deturbare conantes ab oratione. Deinde hor-

Idem §. 4. Bonav. c.10. Hiſtori. antiq. montis Alvernæ in princ.

Libenter orat in derelictis Eccleſiis.

Miglius cit.

A Dæmonibus male afficitur.

horribiles pugnas ſuſtinuit, & ſenſibiliter cum illis conflixit. Armis vero munitus cœleſtibus, quanto vehementius impetebatur ab hoſtibus, tanto fortior in virtute, & ferventior reddebatur in prece, fidenter dicens ad Chriſtum: *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum, qui me afflixerunt*. Ad Dæmones autem: facite quidquid in me valetis maligni Spiritus & fallaces; non enim poteſtis, niſi quantum vos manus ſuperna relaxat, & ego ad perferendum omnia, quæ illa infligenda decreverit, cum omni jucunditate paratus aſſiſto. Tunc Dæmones horribilius & ſævius in eum irruentes plagis multis & verberibus affecerunt, huc illuc impellentes, & per pavimentum trahentes. Ad Dominum cum tribularetur, clamavit Vir ſanctus dicens: Gratias tibi ago Domine Jeſu Chriſte, pro univerſis beneficiis tuis, quorum hoc minimum non eſt, ſed magnæ tuæ caritatis erga me certum indicium, dum errata mea in hoc ſæculo punis, ut in alio evadam impunis. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum ad ſuſtinenda plura, ſi quæ ſuperſunt, aut infligi placet, flagella.

Pſ.16.8.9.

Ex animo omnia fert.

X. Hac mentis conſtantia ſæpiſſime vir Dei dæmones fugabat, qui tam invictam patientiam nec vincere, nec ferre valentes abſcedebant confuſi. Ille autem frequenter ſolitarius remanens & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lacrymis, pectora manu tundebat, & quaſi occultius ſecretarium nactus, confabulabatur cum Domino ſuo. Ibi reſpondebat Judici, ibi ſupplicabat Patri, ibi colloquebatur Amico. Ibi quoque, a Fratribus ipſum pie obſervantibus, aliquoties auditus eſt clamoſis gemitibus divinam pro peccatoribus interpellare clementiam; deplorare etiam alta voce, quaſi coram ſe poſitam, Dominicam paſſionem. Ibi viſus eſt nocte orans manibus ad modum crucis protenſis, toto corpore ſublevatus a terra, & nubecula quadam fulgenti circumdatus; ut illuſtrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet.

Variis modis ſuâ cauſâ agit apud Deum.

Manibus extenſis in aere levatis miro fulgore circumdatur.

XI. Ex hac tamen pugna & colluctatione adverſus Spiritus tenebrarum hatum fatigatus, & ex multo verbere debilior, dum non potuit ultra pedes procedere, Socii tanto Patri compaſſi redierunt Tyſum, & rogaverunt ex Villa quemdam, ut pro Dei amore vehendo infirmo accomodaret jumentum. Quibus Villanus ruſticana loquela: eſtis vos de illis Fratribus fratris Franciſci de Aſiſio, de quo tot bona dicuntur? Reſpondentibus illis, ſe ex illis eſſe, & animal pro ipſo petere Franciſco, magna devotione ſtravit aſellum, & ex Eccleſia ſanctum Virum reduxit in Villam, ut debilitatas vires aliquantum in ſua domo reficeret. In brevi autem illo ſpatio, quod intererat inter Eccleſiam & Villam, appetitus obrepſit apud hominem aliquantum hærendi, & gallinæ aliorumque ſimilium obſoniorum, quæ in Villis habentur, beneficio corpus refocillandi. Accedentibus autem ad domum aſinarii, vidit in ſterquilinio præ foribus jacere mortuam & fœtentem gallinam, quam elevans, & ad os nareſque apponens, inquit: en, gluto, gallinæ carnem quam appetiviſti, ſatia te, comede quantum libuerit. Deinde projecta, ad jentaculum ſolum admiſit incineratum panem & aquam; gratiiſque redditis viris propter ſuam benevolentiam, ejus domui benedixit, & prædixit progeniei a generatione in generationem duraturæ, neque divitias, neque paupertatem Dominum daturum, ſed quæ commodæ vitæ & victui eſſent neceſſaria. Antiqui hujus vaticinii, adhuc recens eſt in dicto loco memoria, domus illa vocatur ſancti Franciſci, omnibuſque tranſeuntibus Fratribus patet

Marian. §.3. Miglius cit.

Aſello ducitur Tyſum.

Punit in ſe appetitû edendæ gallinæ.

Benedicit ad perpetuam incrementum hoſpitis domum.

patet ad hoſpitalitatem, in qua Auguſtinus Miglius ſæpe ſe refectum, & caritative receptum commemorat. *Miglius cit.*

XII. Sub meridie pervenerunt Cluſium, ubi ſumma lætitia & exultatione excepti ſunt a Comite Orlando, qui dum obtinere non potuit a ſancto Viro, ut illo apud ſe die requieſceret, poſt prandium eos eſt comitatus ad montem. At clivum montis aſcendentibus, aſinarius hærens jumento, Orlando, & Sociis ſancti Viri pone venientibus, inquit ſimpliciter: Frater Franciſce multa bona audio de te, plurimumque te Deo judico debere. Cui Franciſcus: Amice, magna eſt Dei noſtri erga me miſericordia, quia reſpexit humilitatem & vilitatem famuli ſui. Adjunxit vir bonus: Stude quæſo talis eſſe, qualis diceris, quia multi in te confidunt; & moneo te ut nunquam aliter ſit, quam de te ſperatur, ne de te bene opinantes decipiantur. Qua ſimplicis viri audita monitione proſiliit in terram, & pedes ejus exoſculatus gratias egit humiliter, quod tam utiliter, & ſincere eum monere voluerit. Elevatum a terra Socii iterum jumento impoſuerunt, ſed cum aſperum clivum conſcenderent, ad aſcenſuſque medium pervenirent, aſinarius aſperioris & longioris viæ itinere fatigatus (ut habet Bonaventura, licet loci non meminerit, quem tamen uterque Dialogus Montis Alvernæ, & Marianus notarunt) nimioque ſitis ardore deficiens, inſtanter cœpit clamare poſt Sanctum: en morior, inquit, ſiti, niſi poculi alicujus beneficio continuo refociller. Abſque mora vir Dei proſilivit de aſino, & fixis in terra genibus, palmas tetendit in cœlum, orare non ceſſans, donec ſe intellexit auditum. Oratione tandem finita: Feſtina, inquit, viro, ad petram, & illic aquam vivam invenies, quam tibi hac hora, miſericorditer Chriſtus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ Servis ſuis tam facile ſe inclinat! Bibit ſitiens homo aquam de petra, orantis virtute productam, & poculum hauſit de ſaxo duriſſimo. Aquæ decurſus ibidem ante non fuit; nec, ut eſt diligenter quæſitum, deinceps potuit inveniri.

Simplex & pia ratiocinatio ruſtici ad Franciſc.

Marian. §.7. Miglius cit.

Bonav. cap. 9.

Eduxit Franciſcus aquam de petra.

XIII. Dum in monte ſuperando ultra laborarent, voluit pauliſper Vir ſanctus ſub quercu quadam reſpirare, ſtatimque advolavit, ut alias diximus, magnus avium numerus applaudens & congratulans ejus adventui. Pars in humeros, pars altera in ſcapulas, & caput deſcendit; aliæ ſinui & manibus ejus ſe commiſerunt, roſtris & alis geſtientes, ſuo more gaudium explicantes de hominis acceſſu. Quo raro eventu dixit ad ſuos: Credo, fratres cariſsimi, quod Domino placet ut hic habitemus; magnam enim præferunt ſorores aves de noſtro adventu lætitiam. Lætus ergo conſurgens jugum montis conſcendit, donec ad Fratrum tuguriolum pervenit, in quo ob locelli humilitatem & paupertatem vehementer ſibi complacuit. Sub nocte Cluſium rediit Orlandus, ſed poſtridie regreſſus ad Fratres, neceſſaria quæque aſportari curavit, ut ſimul pranderent. A prandio multas viro habuit gratias Franciſcus, ob talem ac tantam benevolentiam, ſed præcipue propter donatum ſuis montem, ſibi quam gratiſſimum; quippe ſolitariæ & religioſæ vitæ percommodum. Deinde rogavit, ut ſub procera quadam fago ad lapidis jactum a Fratrum tugurio ſibi conſtrui curaret ædiculam, in qua ſolus oraret. Cujus votis libenter annuit generoſus heros, & ſeorſim vocatis Fratribus, inquit: A biennio ferme vobis montem hunc conceſsi inhabitandum, & poſsidendum; ſupervenit, qui ſolum deſiderabatur, veſtri Inſtitutoris conſenſus: veſtrum impoſterum judicate, & me, meoſque habe-

Anno 1213.n.31.

Geſtientes aves Franciſcum excipiunt.

Marian. & Miglius cit.

Placet ei montis diſpoſitio.

habebitis tutelares, atque ſubſidiarios benefactores in quibuſcumque neceſsitatibus. Nihil ſane mihi gratius præſtare poteritis, quam ut, quotieſcumque libuerit, vel ſuggeſſerit occaſio, ad hunc veſtrum ſervum, & ſi dignamini, fratrem, recurratis.

Docet ſuos non reponere fiduciâ in hominibus.

XIV. Redditis Heroi, quas debuerunt pro tanta benignitate gratiis, poſt ejus diſceſſum, inquit Vir ſanctus ad ſuos: Filii cariſſimi, magna & inenarrabilia ſunt erga nos Dei beneficia, qui adeo flectit erga humiles & inutiles ſervos ſuos corda fidelium. Ex acceptis quotidie accipienda ſperemus; ſi parva videntur conceſſa, adjiciet majora, dum in divinorum mandatorum obſervantia perſtiterimus. Jactate ergo in Domino cogitatum veſtrum, & ipſe vos enutriet in monte hoc, qui Eliam in deſerto, Antonium & Paulum in eremo nutrivit. Volucres cœli non nent., neque congregant in horrea, & tamen Pater cœleſtis paſcit illas; quanto magis Servis ſuis alimenta præbebit, qui non dabit in æternum fluctuationem juſto, cujus oculi ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus, ut eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame. Nolite ergo confidere in Principibus, nec in caritativis oblationibus optimi hujus noſtri benefactoris Orlandi ſpem veſtram aut fiduciam ponatis, maledictus quippe eſt, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Ille ſecundum nobilem ſuam pietatem egit nobiſcum, fecit ſane quod ſuum erat; reſtat ut, quod noſtrum eſt, nos non omittamus, ne videlicet in tantillo offendamus ſanctam paupertatem, recurrentes ad hujus Domini ſubſtantiam, tamquam ad reconditos nobis theſauros. Illud certiſſime ſcitote, filii cariſſimi, nullum nobis noſtræ relevàndæ neceſſitati ſecurius eſſe refugium, quam nullum habere. Si enim veri & Evangelici fuerimus pauperes, mundus noſtri miſerebitur, & affluenter nos paſcet; ſi autem a paupertate defecerimus, mundus nos fugiet, & indigentias illicito modo repellentes, majores patiemur penurias.

Pſ. 54. 23. — Matth. 6. 26. — Pſ. 54. 25. — Pſ. 32. 18. — Pſ. 145. 1. — Jerem. 17. 5.

XV. His & ſimilibus documentis Franciſcus hujus montis incolas inſtruebat, normaſque præſcribebat, ad quas vitam adæquarent. Hæſit ibidem per aliquot dies, dum formam cellæ ſibi conſtruendæ, & Eccleſiæ ædificandæ juxta eam, quam ſacratiſſima Virgo, & uterque Joannes Baptiſta & Evangeliſta tradiderant, ut ſupra diximus, delinearet. Luſtravit interim uudique montem; videnſque magnas petrarum ſciſſuras, præter illas, quas ſupra memoravimus, hianteſque ingentes lapides, ſuſpenſas immenſas montis moles, quæ primo aſpectu terrebant, oravit Deum ut ſibi revelare dignaretur an concuſſi montis hæc fuerit commotio, an aliunde hæ rupturæ, vel naturales, vel monti coævæ? Apparuit in oratione Angelus, qui in paſsione Chriſti ſciſſum hunc montem referret, unumque ex iis eſſe, de quibus Evangeliſta terræ commotionem in morte Creatoris referens, dixit: *& ſciſſæ ſunt petræ*. Major deinceps ſancti Hominis devotio in montem hunc, quod etiam ſuo more ſenſerit Chriſti mortem, & ſuorum lapidum ſciſſura, eam, quæ inter Chriſti Animam & Corpus, adeo crudeliter & inhumane facta eſt, repræſentaret. Neque aliquando ad has reſpiciebat ſciſsiones, quin ſtatim veniret in mentem Chriſti paſsio, ſeque ſcindi, vulnerari, & cruciari vellet, ut particeps fieret Crucifixi dolorum, quos ſibi objici videbat in lapide inanimato. Ita ſane mirabili Dei providentia fieri decuit, ut mons ille in Chriſti paſsione ſcinderetur, in quo eadem Chriſti paſsio & vulnera noviſsimis temporibus renovarentur.

Anno 1213. n. 31. — Ibid. num. 35.

Petræ hujus môtis ſciſſæ in paſſione Domini.

XVI. Præ-

XVI. Præruptos inter hos lapides magna aſpera ſaxea moles dividitur a reliquo monte alto circumquaque præcipitio, non niſi tranſmiſſi pontis beneficio acceſſibilis. Illuc tamquam in inſulam, vel in fidam cuſtodiam relegabat famoſus quidam illius eremi prædo, quos auxiliariis ſatellitibus prehendebat viatores, quibus in viis regiis ſternebat inſidias. Emiſſos per pontem verſatilem illic tenebat, donec ſtatuto pretio redimebantur. Multa inferebat vicinis populis damna, ſtrages undique exercens, propter quas, Lupi nomine, undique audiebat. Doluit vehementer ad Franciſci & ſociorum adventum, nolens ſui latibuli & perditæ vitæ conſcios habere. Sæpius juſſit ut recederent, minas adjiciens. Quodam tamen die ſerio accedentem prædonem, ut omnino eos a monte deturbaret, Vir Dei adeo placide excepit, & minas tonantem, mala verba effundentem, adeo patienter audivit, placidiſque rationibus furentis fregit iram, ut non ſolum cohabitatores voluerit in monte, verum & ſeipſum admitti conſodalem in tugurio. Probavit per aliquot dies terreſtrium hominum angelicam vitam, quam libenter amplexus, mutatus eſt in virum alterum, Agnelli nomen ex Franciſci impoſitione, pro Lupi nomenclatura ſortitus. Vixit poſtea religioſiſſime, velut recens adhuc ejus teſtatur in monte memoria, a quo in hunc diem aſperæ illæ & ſolitariæ petræ crepidines vocantur: *Carcer fratris Lupi*.

Marian. §.9. Piſan. conf. 11.

Carcer fr. Lupi qualis?

XVII. Tandem de monte recedens Franciſcus venit ad montem Caſalem ſupra Burgum S. Sepulchri, ubi cum in deſerta oraret Eccleſia, intellexit per ſpiritum ſacras ibidem remanſiſſe reliquias; quas cum longo jam tempore, defraudatas honorificentia debita non ſine mœrore conſpiceret, præcepit Fratribus, ut eas cum reverentia deferrent ad locum. Sed cum poſcente cauſa diſceſſiſſet ab eis, mandati Patris immemores Filii, obedientiæ meritum neglexerunt. Die vero quadam cum ſacra celebrare vellent myſteria, ſuperiori altaris operimento ſubmoto, oſſa pulcherrima & redolentia nimis, non ſine admiratione, reperiunt, intuentes reliquias, quas non hominis manus, ſed Dei virtus attulerat. Reverſus paulo poſt Vir Deo devotus, diligenter cœpit inquirere, ſi quod de reliquiis mandaverat, eſſet impletum. Verum neglectæ obedientiæ culpam Fratres confitentes humiliter, cum pœna veniam meruerunt; & ait Vir ſanctus: Benedictus Dominus Deus meus, qui per ſe ipſum implevit, quod vos facere debuiſtis.

Marian. §.12. Bonav. cap. 6.

Revelátur ei ſecretæ Reliquiæ.

Divinitus ad Franciſci votum transferuntur.

XVIII. A monte Caſali tranſivit ad Marchiam Anconitanam, alias Picenum, prædicans ſemper per obvia Caſtra & Civitates, pertranſiens benefaciendo & ſanando oppreſſos, multa domicilia ſuis acquirens, & plures adoleſcentes ſuo adſcribens Sodalitio. Statim in ingreſſu ſub primis Apennini collibus occurrit ei Fabrianum, nobile & magnificum illius regionis Oppidum, a fabro Jano ita appellatum, ut quidam tradiderunt, & confirmare videtur ipſius Caſtri ſymbolum, quod Jani imago eſt manu malleum tenentis, uti ſubjectæ incudi impreſſuri. Hic dum pro ſuo more ſermonem haberet ad populum, & clamoribus ſtrepituque cæmentariorum, e regione Palatium quoddam extruentium, impediretur, ne libere verbum Dei ab audientibus exciperetur; in vanumque rogaret, ut pro concionis ſpatio ab opere ceſſarent, prædixit, quod quia Dominus illam non ædificaverat domum, in vanum laboraverint, qui ædificabant eam, quia brevi erat ruitura, ſed in ruina nullum hominum animaliumve læſurum. Ita evenit, nam paucis diebus poſt completum ædificium, taliter corruit ut animalium nullum offenderit.

Deflectit in Marchiam Anconitanam.

Marian. §.13. Chronic. MS. Fabrian.

Fabriani prædicit domum ruituram.

XIX. Poſt ſermonem receptus eſt hoſpitio a nobili quadam vidua nomine Maria, relicta nobilis Domini „ Alberici Gentilis de Fabriano, a qua

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ a qua dum interrogaretur quomodo territorium, ſive locus ille appel-
„ laretur, accepit nominatam in populo *Vallis paupercula*. Tunc pro-
„ phetice Vir ſanctus: In Valle hac paupercula pauperculi Fratres mei
„ aliquando habitabunt. Non fuit irritum vaticinium; nam cum Fra-
„ tres anno MCCXXXIV. die VII. Martii, annis octo ab obitu ſancti Franci-
„ ſci, in oppidulo Cantiri, alias Cantiæ, ſecundo a Fabriano lapide obla-
„ tum ſibi a quinque piis viris Fabrianenſibus fundum acceptaſſent, præ-
„ ſente Philippo Epiſcopo Camerte, Petro Vercellenſi Minorum Mini-
„ ſtro Provinciæ Piceni, & magna populi multitudine, ibique conſtru-
„ cto habitaculo commorati eſſent, ubi nunc conſpicitur Eccleſia S. An-
„ geli, uſque ad annum MCCLXVII. quo ad Portam Cavaram, alias
„ Cervariam, ædem tranſtulerunt, non defuit, qui commoneret, non
„ illic, ſed in Valle paupercula Cœnobium extruendum. Ita factum po-
„ ſtea anno MCCLXXXII. ſive, ut Mariano placet, anno MCCXCII. acce-
„ dente etenim totius populi conſenſu & ope, empta ipſa illa domo, in
„ qua Vir ſanctus prophetaverat, & contigua turri, nobile ſtruxerunt
„ domicilium, quod temporis decurſu magnum accepit incrementum;
„ ad quod tranſlati ſunt Fratres in ipſa ſolemnitate Tranſlationis ſancti
„ Franciſci. Fortaſſis de iſto Fratrum tranſitu, vel ultimo ædis comple-
„ mento, intelligendus eſt Mariani calculus, & prior numerus de opere
„ inchoato. De his duabus Tranſlationibus clarius, & diffuſius deſignatis
„ hic annis agemus.

Marian. lib. 1. cap. 11. Chron. Fabrian. MSS. Vita B. Franciſci Fabr. MSS. cap. 1

XX. Audiens autem Vir ſanctus, quarto ab illo loco milliario ad Appennini montis radices in valle Saxi, inter altos colles remotum a turbis & aſperum fuiſſe locum, inibique Eccleſiam Beatæ Mariæ conſecratam, contiguumque Monaſterium derelictum a Sanctimonialibus ſancti Benedicti, quæ, ingraveſcente bello, jam aliquot ante annis Fabrianum ſe receperunt, ob ſummam erga ſacratiſſimam Virginem devotionem, incredibilemque ſolitudinis affectum, voluit illuc ire, ut ſi videretur idoneus ad habitandum locus, eum ſuis Fratribus obtineret, tum ut non eſſet Beatæ Virginis ædes abſque cultu, tum ut in pio & ſolitario loco commodius Religioſi cœleſtibus intenderent meditationibus. Dum autem eo ſe conferret cum Socio abſque alio ductore, atque in itinere oberrarent, petiit a quodam agricola, agellum arante, ut eos comitaretur, & eo uſque vellet perducere. Ille autem indignabundus: *Quid*, inquit, *ego aratrum propter vos deſeram, tempuſque agri culturæ ſtatutum veſtro teram in obſequio?* At ſanctus Pater blando & pio ſermone hominem flexit, certo certius ei promittens nihil temporis inaniter elapſurum, neque ipſum quidquam diſpendii in agri culturæ intermiſſione paſſurum. Ducens ergo pios exploratores ad locum, acceptaque benedictione rediens ad campum, quem incultum diſcedens reliquit, aratum jam totum invenit. Manſit autem ſanctus Pater in præfato loco, ſumme ſibi grato, per aliquot dies, ex ſparſis per montes ædibus victum conquirens, exploranſque loca vicina, ex quibus commodius Fratres locum inhabitaturi neceſſaria alimenta poſſent accipere. Tandem omnibus prudenter diſpoſitis, & obtento Monaſterio a nobili Saxorum Familia, coli curavit per tranſmiſſos illic ſui Inſtituti viros religioſos, vocarique voluit Eremitorium ſanctæ Mariæ de valle Saxea; vel ut habet Gonzaga a Saxorum multitudine montis vicini; vel a vallis & regionis Dominis ſupra nominatis ex Saxorum progenie ita nuncupata. In eo tamen decipitur idem Reverendiſſimus Gonzaga, quod a Bonifacio IX. dicat hoc

Acquirit ſuis Eremitorium Fabriani.

Colitur miraculoſe ager hominis Franciſco ſervientis.

Gonzag. in Prov. March. Conv. 34.

hoc Monaſterium a Monialibus Benedictinis ad noſtros translatum, cum jam ante adventum S. P. Franciſci, ipſæ illac ſponte bellorum metu diſceſſerint. Diploma dicti Pontificis, de quo citatus Gonzaga, agit de nova & reiterata conceſſione, quippe, ut vel ipſe hic habet auctor, aliis ingruentibus bellis, dictum Monaſterium Fratres, etiam plurima incommoda atque pericula vitaturi, deſeruerunt. Ad illorum autem regreſſum novum poſſidendi titulum a præfato obtinuerunt Pontifice, qui in ipſis ſuis litteris expreſſe aſſerit B.P. Franciſcum hujus acceptandi Conventum, ſive Eremitorii auctorem, atque etiam inhabitatorem fuiſſe.

XXI. Devotiſsimus eſt hic locus, a multiſque Viris ſanctis inhabitatus, ſæpius ab ipſo S. Franciſco viſitatus, deinde a SS. Bernardino, Joanne Capiſtranenſi, Jacobo Piceno, ſive a Marchia, ab ejus comite B. Marco a Sancta Maria Gallo, aliiſque perfectiſsimis Minoritis, quibus in tirocinio educandis perpetuo eſt deſtinatus. Unum & alterum manifeſtum teſtimonium Dei providentiæ circa hujus Eremitorii incolas ad ſuos annos referemus. Structura ædificiorum admirationem gignit ſpectantibus, conſiderantibus quomodo in tam arduo & excelſo loco, inter horridos montes, tanto operi potuerint materia & cœmenta præparari. Hujus loci meminit Blondus egregius, ſi quis alius, rerum Italicarum Hiſtoricus. *Eſt vero*, inquit, *ad Eſis fluvii dexteram ſub ipſis Appennini jugis, qua validum Umbriæ Oppidum petitur, locus Fratrum Seraphici Franciſci, Eremita dictus, quo viſo, ut inquit Poëta Ovidius, potes dicere*, numen ineſt: *ædificiis certe, quantum religioſis Viris ſat ſit, in ea locorum aſperitate tam commode inſtructus, ut alia ejuſdem Ordinis Italiæ Urbium loca amœnitate ſuperet*. Et Leander Albertus Bononienſis in deſcriptione Italiæ, Regione XIII. ſub titulo *Umbri Senones*, ubi admirandus: *Sub Apennini jugis*, inquit, *Eremita Fratrum Minorum Cœnobium apparet nobile, ac ædificiis tam magnificum, ut prorſus abſque ingenti admiratione conſpici nequeat, ſi quæ facultas eſſe potuerit in his aſperis, horridiſque locis tam ſplendide ac luculenter ædificandi cogites*. Succeſsivis tamen incrementis ad perfectam tantamque dignitatem evaſit; nam primitus extructa eſt ibi arx, ſive fortalitium; deinde evaſit Monaſterium Sanctimonialium: tertio novis incrementis, ſumptibus illuſtris D. Ciavelli de Ciavellis evaſit in Cœnobium Minoritarum; ac tandem, creſcente erga pios incolas hominum pietate, crevit & eorum liberalibus expenſis ipſum ædificium.

Laudatur hujus loci ſtructura.

Blond. in Ital. illuſt. in regione Piceni.

Ovid. 6. Faſt.

Leand. Albert.

XXII. Dum autem Franciſcus tractum illum luſtraret, pervenit ad ædes cujuſdam Raynerii Plebani Eccleſiæ, quæ Civitas dicebatur, in montibus juxta Fabrianum, a quo adeo benigne & benefice receptus eſt hoſpitio, ut magnam cum illo inierit amicitiam. Ad hunc aliquoties deflexit, ſuæque conſcientiæ arcana ſacramentali confeſsione detexit, ac tandem una dierum poſt confeſsionem ad ejus pedes genuflexus, hominem humiliter admonuit ex ſuis conſodalibus futurum, neque tam arctam pati neceſsitudinem, ut vitæ genere, aut terræ intercapedine perpetuo diſſociarentur. Plenam autem hanc ſocietatem, & vitæ ſimilitudinem, ineundam poſt ſuam mortem ſubjunxit: atque ita vere factum eſt, ut Vir Dei prophetavit; nam ut amicum ſuum tanta miraculorum gloria coruſcantem in Sanctorum numerum relatum Plebanus audivit, ſtatim ejus Inſtituto nomen dedit, & ad ejus Regulam ſuos mores ſanctiſsime coaptavit, ut ſuo loco dicetur. In Conventu Fabrianenſi Patrum Conventualium, in quodam lapide ad turrim campanariam affixa ſunt hæc verba:

Prædicit Plebano futurum Minoritam.

Hic ſunt oſſa Venerabilis Fratris Raynerii, qui fuit Confeſſarius B. Franciſci, qui ei prædixit quod futurus eſſet Frater Minor.

Livius l.41.
Marianus §.16.

XXIII. Fabriano tandem valedicens ſanctus Pater pervenit Auximum Piceni Civitatem antiquam, Livio Oximum dictam, in Colle ſitam, cujus radices Muſon amnis alluit x. M. P. a mari Adriatico. Hujus Urbis Incolæ, ut adventantem ad ſe audierunt, obviam perrexerunt, atque omni, quo poterant, honore, honores omnes reſpuentem, in ſuam Civitatem deduxerunt. Poſtero autem die ita mundi pompas, honores & vanitates deſpicienda mirifice perſuaſit, ut ſtatim triginta adoleſcentes ſpretis, quæ Vir ſanctus docuit ſpernenda, Dei obſequio ſub ejus inſtitutione ſe manciparint; ceteri vero auditores interne compuncti de reformandis moribus varie cogitarint. Hinc Anconam, etiam antiquiſſimam urbem, ſub promontorio Anconi, olim Poëtis, & Hiſtoricis percelebri, qua ſe in mare torquet, erectam, deinde Maceratam, hinc Aſculum venit, ubique prædicans, & ſignis coruſcans. Hic, locum qui Eremita vocatur, occupavit. Poſt deflectens Camerinum, in Apennini jugo munitiſſimo loco ſitum, ſupra montem ſanctum, alias montem Agnani, alium obtinuit, qui Conventus Experimenti vocatur; nam periculum facturi Camertes, ſive Camerinenſes morum vitæque Franciſcanorum, an cum ſui Patris doctrina cohærerent, eis illum Conventulum ad mille paſſus diſtantem, ex publicis facultatibus conſtrui curarunt, quem & ab hujuſmodi experientia *Sperimento*, quod latine experimentum ſonat, vocari voluerunt. Tandem poſt plures annos, cum in ipſis nihil, niſi ſanctum, bonum, atque laudabile perſpexiſſent, relictis in priori locello ſex Fratribus ob ſui Patris venerationem, quibus abunde & pie cuncta neceſſaria miniſtrabant, in Civitatem eos introduxerunt in ædificatum ab Univerſitate Conventum, qui ſub Alexandro VI. datus fuit Fratribus de Obſervantia, ut ſuo loco cederent, quem tunc poſſidebant, ubi nunc arx eſt munitiſſima Civitatis. Jacet hoc in Conventu B. Joannes de Parma.

Auximi triginta adoleſcentes ſuo acquirit Inſtituto.

Plura obtinet in Marchia domicilia.

Gonzag. cit. Con. 31.

Côventus Experimenti unde dictus.

Conzag. cit. Con. 31.

Rodulph. in Pro. March. in Cuſtod. Camerini fol. 256

XXIV. Hoc anno ſunt, qui velint obtentum a ſancto Viro etiam Conventum Matellicæ, Oppidi ſexto a Fabriano lapide, quibus tamen nec ſcripturam firmam, nec adeo probabilem traditionem certam adſtruere fidem notat Gonzaga. Id ſolum firmum eſt ex Bulla Leonis X. anno MDXVIII. a Patribus Conventualibus ad Obſervantes tranſlatum per Senatum Matellicatem, tempore Magiſtri Guidi de Sancto Leone Provincialis, & Fratris Marini Albanenſis Guardiani. Certior eſt illa traditio de occupato per ſanctum Patrem Conventu Siroli, qui maritimis Anconitani maris fluctibus alluitur, diſtatque a Sirolo, Anconitanæ Diœceſis Pago, paſſibus centum, atque totidem a Sirolano caſtro. Eam confirmat arbor e veſtigio Eccleſiæ a B. Patre plantata, virentibus foliis adhuc perſeverans, ab omnibus *ſancti Franciſci arbor* nuncupata, quæ ceraſorum quoddam genus, convicinis Populis mirabile & appetibile, producit. Locum autem ædificavit illuſtris quidam Comes Albertus, ignoti cognominis, non juxta eam, quam modo habet, ſed juxta formam humiliorem. Obiit hic venerandæ ſanctitatis vir frater Petrus a Monticulo, vulgo Montecchio, in veneratione habitus a Populis vicinis; quippe qui dicat plura edidiſſe miracula. Primo altari ad dextram ingredientis inciſa ſunt hæc verba: *Hic jacet B. Petrus de Monticulo.* Ad natalitii annum iterum de eo redibit ſermo.

Conventus Matellicæ.

Gonzag. Con. 32.

Rodul. in Cuſtod. Æſina fol. 257.

Idem Con. 12.

Conventus Siroli.

Piſan. conf. 11. in cuſt. Anconit.

Conventus S. Sabini.

XXV. Sancti Sabini Conventum ad mille paſſus a Civitate Aſculana ultra

ultra Truentum flumen, in Regno quidem Neapolitano, ſed in Aſculano Territorio & Provincia, quam Fratres vocant Marchiæ, in ſupercilio eminentis cujuſdam montis amæni, cui collis Columbarius nomen eſt, extructum aſſerit hoc anno Marianus a S. Franciſco. Sed nihil certum in hac re ſe invenire potuiſſe, ait Gonzaga, & mirum ſane videretur, ſi non aliqua eſſet traditio a tanto Viro factæ primæ fundationis, vel acceptæ poſſeſſionis. Scrupulum etiam auget, quod hujus loci non meminerit Piſanus, recenſens cetera Monaſteria Cuſtodiæ Aſculanæ; neque enim videtur, quod ſi adeo a principio in noſtram veniſſet poteſtatem, atque a ſanctiſſimo Inſtitutore occuparetur, a tam ſerio Provinciarum, Cuſtodiarum, & Monaſteriorum ſui temporis ſupputatore, prætermitteretur. Quidquid autem ſit de fundatione, vel prima poſſeſſione, id certo conſtare ait citatus Gonzaga, primitus hoc Cœnobium a Senatu Aſculano ex publico ærario pro Monialibus Sancti Benedicti extructum; deinde cum earum fama ob liberam ſolitudinis licentiam periclitaretur, eumdem Senatum curaſſe, ut ædificato, ad earumdem habitationem ex eodem ærario, alio intra Civitatis muros novo Monaſterio, hoc quod antiquius erat, Fratribus noſtris penſa in ſingulos annos præfatis Sororibus unica tantum ceræ libra, in uſum & habitationem traderetur, & Sorores ad illud transferrentur. De qua quidem translatione extat adhuc penes eaſdem Moniales Pontificia quædam bulla, ſive potius ejus bullæ authenticum tranſumptum. Licet ſacra hæc ædes, quam frequentius ſex Fratres inhabitant, inter Montes ædificata ſit, nihilominus tamen eſt ita diſpoſita, ut ejus accolæ ex una parte totam Civitatem, ex altera patentiſſimos Neapolitani Regni campos, atque præterlabentem Truentum flumen, & ex altera Mare ad quindecim milliaria inde diſtans facillime, atque delectabiliter contueri poſſint. Mirabile dictu eſt, quanta in hunc locum, atque in ſanctum Sabinum ejus Patronum devotione Aſculani cives, præſertim vero mulieres ferantur; quam vel hinc ſaltem colligere licet, nam & puerulos ſemineces, poſtpoſitis Medicis, in dies ſummo altari exponunt, beatoque Sabino offerunt, quos & redivivos ſæpe ſæpius recipiunt, & frequentiſſima vota in neceſſitatibus promiſſa fideliter reddunt, & Eccleſiam ſumma cum devotione frequentant, atque tandem Fratribus neceſſaria liberaliter miniſtrant.

Marian. §. 19. *Gonzag. Con. 3.* *Piſan. cit. in Cuſtod. Aſculana.* Aſculani in hunc locum devoti.

XXVI. Demum recepit in hac Provincia locum de Trabe Bonatæ, ſive Bonantis, ut habet Piſanus, Cuſtodiæ antiquæ Camerini Cœnobium, quod dum ædificaretur, & operarii magno ſitis ardore laborarent, vireſque ſibi ad opus defeciſſe quererentur, niſi aliquantulum vini miniſtraretur, miſit ſanctus Vir ad caſtrum Jovis vicinum duos ex Fratribus, qui illud a benefactoribus procurarent. Sed moram facientibus, & ultra querentibus cœmentariis, compaſſus eorum inediæ ad vicinum fontem perrexit ſanctus Vir, & facto deſuper ſigno crucis, ſcaturientem aquam in vinum optimum convertit, ex quo per integram horam licuit haurire. Adfuit tunc quidam Joannes de Villa Alterini comitatus Camerini, qui miraculoſum hoc potavit vinum, remque cœlitus geſtam narravit Fr. Bonaventuræ Tolentinati, a quo & ab ædificioli ſtructoribus undique divulgata eſt.

Marian. §. 10. *Piſan. in Cuſtod. Camerini.* *Rodul. in eadem Cuſtod. fol. 256.* Cóvertit aquam in vinum.

XXVII. Alia plura ſunt in hac Provincia Picena Monaſteria, quæ ad ſanctum Inſtitutorem ſuam referant originem. Quo tamen certo anno ea occupaverit, vel extruxerit non ſatis conſtat: veroſimilius hoc tempore, quo univerſam ferme Marchiam, & adjacentes peragravit regiones, ea

Conventus Mondavii. *Rodulph. fol. 258. Hugolin. in Provin. March. Con. 19.* *Idem f. 269.* *Conventus Maſſæ.* *Idem Con. 21.* *Con. S. Joan. de Saxo.* *Idem Con. 27.* *Conventus Colfani.* *Idem Con. 40.* *Conventus Pignani.*

ea obtinuiſſe. In cuſtodia Fanenſi Conventum Mondavii Patrum Conventualium a ſancto Viro extructum vult Petrus Rodulphus, antequam ipſum Mondavinm Oppidum conſtrueretur in monte Silneſo & Hermo, cujus Eccleſia poſt annum MDXXX. refecta eſt. Oratorium etiam extruxiſſe ait Arimini, & hoſpitatum in loco ſancti Bartholi, ubi nunc Moniales ſanctæ Claræ morantur in loco dicto Vallis. Franciſcus Gonzaga ex receptiſsima Seniorum traditione eidem tribuit auctori Conventum Maſſæ, parvi, ſed opulentiſsimi Pagi Firmanæ juriſdictionis, extructum, & ſacrum Annunciatæ Virgini in accliviori parte Montis Stalii, quingentis a Pago paſsibus ſuper placidum & delectabile Lethæ flumen, quem ut fideles & vicini Populi ſæpius inviſerent, propter ſancti Viri reverentiam, multi ſummi Pontifices elargitis indulgentiis commendarunt. Conventum item ſancti Joannis de Saxo Montiſfalconis ad M. P. ab Oppido, ab ingenti quodam Saxo ſilva veſtito, ſuper quod ædificatum eſt, ita cognominatum. In ſilvæ meditullio fonticulus perennibus aquis abundans, ſuum auctorem Franciſcum, a quo & nomen hæreditavit, agnoſcit, cujus epota aqua febres curat, alioſque morbos probibentium fide, & devotione propellit. Ab eodem etiam Structore exordium ducit Monaſterium Colfanum extructum in pagorum Campi Rotundi, & Ceſſa Palumbi Camerinenſis Diœceſis confinibus, in media ſilva ad oram dilabentis Fiaſtræ fluvii, quod etiam amœniorem reddit fonticulus, a ſancto Viro e ſitienti loco deductus. Jacet hic B. Franciſcus a Caldariola frequentibus miraculis clarus. In media quoque ſilva, educto item miraculoſe fonte, alium reædificavit locum, quem Patres ſtrictioris Obſervantiæ incolunt, ad ſeſquimilliare a Pignano Oppido, in quo B. P. Conradi Offidani corpus magna colitur devotione.

Corripit graviter ſocium ſiniſtra de paupere ſuſpicantem. *Bonav. c. 7. Legen.* *Vinc. Belluac. l. 30. c. 106.* *Anton. tit. 23. §. 5.* *Marc. Marul. l. 5. memorab. c. 1.*

XXVIII. In hoc ſancti Viri per Picenum diſcurſu evenit, ut cum quemdam locum prope Roccam Brini, Cuſtodiæ Eſinæ prædicatum veniſſet, accederet ad eum pauperculus infirmus rogans, ut ejus miſereretur, ſuiſque commendaret auditoribus. Innata miſericordia homini compaſſus, quam ei condoleret, & cum infirmitate infirmaretur, & cum indigente ipſe indigeret, affectuoſus & collacrymans ſocio expreſsit. Ille autem, vel nt patris mitigaret dolorem, vel ex minori & tepidiori in pauperes compaſsione; verum eſt, inquit, quod ſi ad laceram, & pannoſam attendamus veſtem, exterioreſque hominis nobis judicandi ſint effectus, pauper eſſe dicetur; ſed fortaſſe ſi interiora ſcrutari liceret, non inveniretur in tota hac Provincia alius voluntate ditior, aut mente ſuperbior, quod & in multis hujuſmodi mendicis ſæpius eſt compertum. Statim durius Vir ſanctus temere judicantem, & abſque ſufficienti fundamento malignantem increpavit, obque oculos ei poſuit, quam graviter offendit. Aſpera ſancti Patris increpatione homo compunctus, ad pedes ejus procumbens humiliter ſui errati veniam popoſcit; ſed abſque pœnitentia & ſatisfactione non condonandam tam gravem culpam reſpondit pius pauperum amator. Reſpondenti itaque diſcipulo ſe quamcumque libenter ſubiturum, injunxit ut, exuto habitu, nudus ad ipſius pauperis pedes ex animo culpam ſuam fateretur, & humiliter peteret ut ſibi vellet ignoſcere. Ita fecit promptiſsime, & humiliter, obtenta venia, rediit ad patrem, qui miſericorditer & amanter eum ulnis excipiens, adjunxit: Non tam in pauperem, fili mi, quam in Chriſtum peccaſti. Etenim in paupere Chriſtus, qui in paupere tamquam in ſpeculo nobis obiicitur. Quotieſcumque ergo pauperes, aut infirmi tibi occurrunt, inopiam & infir-

firmitates, quas pro nobis dignanter Chriſtus aſſumpſit, pie conſidera & humiliter venerare.

XXIX. In eodem itinere adjunctus eſt ei quidam ſocius, apud quem non erat æqua Viri ſancti æſtimatio, neque digna de ejus ſanctitate opinio, ut plerumque fit, non omnibus omnes Sanctos probari. In quodam ergo ex eis locellis, quos jam poſſidebant Minores in prædicta Provincia, ad quem declinavit Vir ſanctus, alium ſibi ſimilem invenit hic modicæ fidei ſocius, qui invicem murmurantes dicebant: Unde Fratri Franciſco tanta hominum veneratio, & ſanctitatis opinio? Quid plus ceteris præſtat? nonne cum ceteris edit, bibit, dormit? Eadem lacerna veſtimur, iiſdem veſcimur cibis, eamdem omnes agimus vitam, ejuſdem ſumus conditionis; unde ergo hic potius reputandus pro Sancto? Unde adeo reſpiciendus in populo? Dumque hæc, & alia inter ſe proferrent, ſtatuerunt majori ſolicitudine ſancti Viri obſervare actiones. Nocte ergo illa, dum poſt refectionem, poſt brevem initam cum Fratribus collationem, in cellulam ſe recepit, ut breviuſculo ſomno refectis artubus liberius ad orandum conſurgeret; unus ex his vitæ ſancti Viri exploratoribus, curioſius obſervans, quatenus ante ceteros Fratres iverit cubitum Franciſcus, rediens ad ſocium, irriſorie inquit: Qualis eſt hic Frater Franciſcus, qui adeo opportune indulget ſomno! Hic ne ille adeo admirandæ ſanctitatis, & ſuperexcellentis virtutis homo? Sed dum circa hæc per aliquantulum temporis ſpatium confabularentur, denuo rediit explorator ad cubiculum obſervaturus, an adhuc Vir ſanctus dormiret, altoque ſterteret ſomno. Invenit autem patens oſtiolum, & lectum abſque decumbente, propoſuitque deinde ſerius inveſtigare, quo ſe contulerit Vir ſanctus. Perluſtratis fruſtra ædiculæ angulis, inventoque reſerato oſtio, quo tendebatur ad nemus Cœnobiolo contiguum, illuc ſuſpicatus eſt perrexiſſe; audivit enim id Franciſco familiare orare in nemoribus, ſilvis, abditiſque receſsibus, & locis idoneis libera cum Deo colloquia ineundo. Dum itaque interiora nemoris penetraret, audivit Virum Dei fervoroſius pro hominum ſalute clamantem, voceſque ſuas Cœlo inſerentem, dulcia tandem ſuſpiria ad ſacratiſsimam Virginem emittentem, rogantemque humiliter ut Filium ſuum dilectum ei vellet oſtendere. Vidit deinde lucem magnam univerſum locum circumdediſſe, & in miro ſplendore ineffabilique pulchritudine ſanctiſsimam Virginem Filium in ulnis geſtantem e Cœlo deſcendiſſe, & Franciſci brachiis amice & familiariter tradidiſſe; quem ille tenerrime amplexans, & velut alter Simeon ſumma cum reverentia & lætitia in brachiis, tamquam in ara tenens, interpellabat modis omnibus pro peccatorum converſione, univerſique Orbis ſalute, dulces intermiſcens caſti amoris blanditias. Ad hæc territus ſocius, animoque & corpore conſternatus, jacebat veluti exanimis in ſemita, per quam ad ædiculam erat redeundum, donec pulſantibus Fratribus ad Matutinum, reſtituto ſacratiſsimæ Matri dilecto Filiolo, regrederetur Vir ſanctus, videretque jacentem in terra. Cui ſublevato, & ad ſe reverſo, præcepit ut nulli, dum ipſe viveret, quæ vel vidit, vel audivit, referret. Ille e contrario putans non eſſe bonum, talentum Regis abſcondere, ſed ad majorem Dei gloriam excelſa hujuſmodi opera eſſe manifeſtanda, Fratribus omnibus ſecreto rem narravit; conceptaque jam altera de Viro Dei opinione, temerarii ſui judicii dignam egit cum ſocio murmuratore pœnitentiam, & deinceps tamquam angelum Dei ſanctum veneratus eſt Patriarcham.

Marian. §.22. Hugol. cit.

Inique duo Fratres murmurant contra Virũ ſanctum.

Sed quam injuſte ipſi compererunt.

XXX. In

Hugolin. citatus.

Tirunculus ſancti Viri explorat actiones, & ſtupet.

XXX. In hac eadem Provincia ſimile accidit cuidam tironi columbinæ ſimplicitatis, quem ad Sodalitium receptum Vir ſanctus ad domum tirocinii deducebat. Sed cum in itinere ſub dio quadam nocte pernoctare oporteret, dum ſanctus Magiſter dormire pauliſper ſtatueret, pie exploraturus adoleſcens, quid illa nocte facturus erat Præceptor, juxta illum procubuit. Ne vero contingeret, ut ipſo altum dormiente, Vir ſanctus exſurgeret, ligavit tacite chordæ ſeu funi, quo præcingebatur, ſancti Patris cingulum. Poſt paucas horas, dum ad orandum Vir ſanctus exſurgeret, colligatoſque funiculos præſentiret, ſolutis nodis quiete receſſit ad condenſas arbores vicinas. Adoleſcens autem poſtea expergefactus, & pie ſe videns illuſum, huc illuc diſcurrit, Magiſter ubi eſſet, inveſtigaturus. Magni autem & cœleſtis luminis beneficio ad locum, ubi orabat, deductus, timidus & venerabundus aliquantum retro perſiſtens, intra arbores proſpiciens, vidit choro cœleſti circundatum, Chriſtum Dominum, ſacratiſſimam Matrem, utrumque Joannem Baptiſtam & Evangeliſtam colloquentes cum Franciſco. Ad viſionem ſtupefactus corruit in terram, donec Vir ſanctus ſuperne edoctus, quid tenello evenerit diſcipulo, eum elevavit de terra & ad animum revocavit, præcepitque ut viſionem nulli diceret. Obſecutus eſt bonus juvenis ſancte vivens in Religione, & ad ſuperos translato ſancto Patre, rem omnem ubique propalavit.

Legen. antiqua. Hugol. citatus. Piſan. confor. 12. c. 40.

Benignum Hoſpitem ad ſuum ducit Sodalitium.

XXXI. In dicta etiam Provincia benigne, ſupra quam dici poteſt, receptus eſt Hoſpitio a quodam nobili & pio viro, qui collatis in ſanctum Virum & ſocium omnibus humanitatis officiis, dum recederent, omne ſuum obſequium, facultateſque devote obtulit illorum relevandis inopiis. Vir Dei, inquit, ecce me, meaque vobis trado; omnia veſtra ſunt, iiſque ad placitum utimini. Si quibus indigetis, habitu, palliolo, libris, aut aliis quibuſcumque rebus, confidenter vobis emite noſtris ſolvenda pecuniis. Certo certius credite me undequaque paratum ad veſtra obſequia, & miſericorditer Dominum mihi amplas tribuiſſe facultates, quibus pauperum poſſim & debeam inopiæ ſubvenire. Admiratus eſt Franciſcus ad hominis benignitatem, multotieſque de eadem in itinere cum ſocio protraxit ſermonem; tandemque ſubjunxit: vere Frater vir iſte eſſet bonus pro noſtra ſocietate, qui tam humiliter a Deo accepta beneficia recognoſcit, qui proximos ſuos tam impenſe diligit, qui pauperibus res ſuas libenter impendit, & adeo alacriter curialiterque Hoſpitalitatem exercet. Curialitas hæc, quam adeo ſincere præ ſe fert, Deo eſt gratiſſima, quippe una eſt de ipſius Domini proprietatibus, qui Solem ſuum oriri facit ſuper juſtos & injuſtos, & omnia ſua illis curialiter adminiſtrat. Eſt etiam curialitas ſoror caritatis, extinctrix odii, & ſervatrix amoris. Quapropter cum tantopere hæc virtus & aliæ dotes in hoc bono viro refulgeant, libenter eum mihi adſciſcerem in conſodalem. Redibimus proinde altero die ad ædes ejus, & ad Deo ſerviendum in noſtro Sodalitio exhortabimur, fortaſſe interius divinus hoc ei ſpiritus perſuadebit. Interim Dominum rogemus, ut noſtrum hoc deſiderium, modo juſtum & æquum, velit complere. Itaque oratione præmiſſa non ſemel pro hac re, deſiderium cordis ejus tribuit Dominus Viro ſancto, & voluntate labiorum ejus non fraudavit eum; nam paucis poſt diebus cum ad prædictum Hoſpitem regrederetur, ferventiuſque in ejus æde tota nocte oraret, ſecreto tamen Hoſpite, quid faceret, inſpiciente, elevatus eſt a terra, & magna circumfuſus luce, certificatus eſt de capienda,

quam

quam deſiderabat, præda, feliciter exauditus ad votum: eaque ipſa hora ſenſit Hoſpes cœleſtem quamdam ſub pectore flammam, magnumque ſibi immitti de imitando & ſectando Franciſco deſiderium. Quod ſtatim, ut dies illuxit, ſancto Viro devote & humiliter expreſſit, qui gratias agens Patri ſpirituum, quod bonam hanc metem tanto viro infuderit, alteque contemplans, quod hæc fuerit mutatio dexteræ Excelſi, ſummo cum gaudio & alacritate eum initiavit, diſtributis prius in pauperes ejus facultatibus. Qui poſtea ſanctiſſime vixit in Religione ſumme gratus ſancto Inſtitutori, quod innata illa curialitate adventantes in Cœnobia omnes comiter excipiebat.

XXXII. Pervenit deinde ad quoddam Monaſterium Sanctæ Mariæ de Monte Majori quorumdam Monachorum, in cujus Eccleſiam intrans ſtatim exultavit in ſpiritu ſumma repletus conſolatione, quod in majori altari ſibi revelatum fuerit latuiſſe pretioſas Reliquias Sacratiſſimæ Virginis Mariæ. Quod audientes Monachi periculum hujus rei fecerunt, inveneruntque ſicut Vir Dei ante prædixerat. Dum autem in interiori Clauſtro pauliſper cum eiſdem confabularetur, & illi de quibuſdam Virum, tanquam a Deo illuminatum, interrogarent, percontati ſunt etiam, quid faciendum incidente Natalis Domini feſtivitate in diem Veneris? An veſcendum eſſet carnibus, an ab eis abſtinendum? Quod eo curioſius quæſierunt, quo tenerius viderunt hominem ſemper loquentem de Verbi Divini Incarnatione & Nativitate, neque abſque cordis & corporis jubilo audire potuiſſe Verbum carnem factum. Ille autem, non ſolum, inquit, homines puto illo die carnes manducare poſſe, verum & ſi parietes, eis ſi veſci poſſent, abundanter eis miniſtrandas velim, vel deforis carnibus liniendos, in die quo Verbum caro factum, natum eſt nobis, & ad mundi ſalutem. Imo cuperem quod etiam in Regiis viis Divites & Principes carnes & frumentum projicerent, ut beſtiæ campi, & volucres cœli haberent, quibus abunde ſuis ſatisfacerent neceſſitatibus, & ſuo modo tali, tamque feſtivo die jubilarent. Ita rem hanc ſub hoc anno narrat Marianus, ſed reſponſum hoc B. Fratri Morico datum refert Piſanus, qui fortaſſe tunc erat Viri ſancti ſocius; & interrogantibus de aliis rebus Monachis, de hac percontatus eſt Moricus. An autem ex hac reſponſione ſancti Viri inferri aliqualiter poſſit, eum voluiſſe ut Fratres Minores ita incidente Natali Domini carnes manducarent, largius tractavi in Opuſculis ſancti Franciſci ad regulam Clariſſarum, probavique nequaquam eis licere tali die carnibus veſci.

In die Natalis Domini ſumme gaudendum dicit.

Marian. §.25.

Piſan. conf. 8. in Conventus Urbis veteris.

Tom. 2. opuſc. S. Franciſci in adnot. 16. ad reg. Clariſſ.

XXXIII. Dum autem Romæ jam omnia erant in promptu, ut inciperetur frequentiſſimum & celeberrimum Concilium univerſale Lateranenſe menſe Novembri, ut habent Matthæus Pariſ. & Abbas Urſpergen. & XVII. ejuſdem menſis die, ut peculiariter notat Marianus, venit in Urbem ſanctus Patriarcha in dicto Concilio de rebus ſui Inſtituti acturus, quod & fecit. Nam ad ejus inſtantiam, ut his ipſis verbis rem refert Marianus: *Dominus Papa coram omnibus Ordinem ſuum eſſe approbatum pronunciare fecit, & regulam per ipſum prius ſine bulla approbatam manifeſtare fecit.* Idemque expreſſe aſſerunt B. Leo in Legenda trium Sociorum & B. Angelus Clarenus in proœmio expoſitionis in Regulam Minorum apud me MS. & in caput primum ejuſdem.

Matth. Par. & Urſperg. ad an. 1215.

Marian. cit.

Declarat in Concil. Lateran. Innoc. III. Ordinem Minorum a ſe fuiſſe approbatum.

XXXIV. Quod omnino veroſimile & rationabile erat; nam cum tot moleſtias paterentur per varias Regiones, præcipue Ultramontanas, ejus Sectatores propter vitæ & habitus novitatem, eo tempore quo tot vigebant

gebant hæreſes, efferueſcebantque undique Sectarii pernicioſi, quorum in limine horum Annalium mentionem egimus, neceſſarium erat agere apud Pontificem, ut in ſolemniſſimo & frequentiſſimo Conventu totius Orbis Patrum (utpote bis mille ducentorum duodecim, ut ex æquo computo deducit Severinus Binius) declararet ſe ſuoſque non ex numero Hæreticorum, ſed ex grege Fidelium eſſe, manifeſtarique juberet in Concilio ſuum Inſtitutum & Regulam quibuſdam jam annis a ſe approbatam. Idem confirmat Reverendiſſimus D. Gonzaga dicens: *ſub Innocentio III. celebratum fuit Romæ Concilium generale, in quo ab Eccleſia receptus, approbatus & confirmatus eſt Ordo Minorum*. Hoc idem velle judico Chronicon magnum Belgicum, dum ait: *In Concilio Lateranenſi conſtitutum fuiſſe Ordinem Minorum*. In eodem hunc Ordinem receptum fuiſſe ſcribunt Jordanus de Saxonia, & S. Antoninus. In quo etiam egit ſanctiſſimus Pater noſter Dominicus Prædicatorum inclytus Patriarcha de ſua confirmanda Religione. Cujus preces (viſo jam noctu ſanctiſſimo Viro ſuis humeris labentem Laterani Eccleſiam fulciente, ad eum modum, quo prius vidit Franciſcum ejuſdem ruinis obſiſteutem, ut diximus ſuperius) hilariter admiſit Pontifex, & pium propoſitum commendavit. Hortatus vero eſt ſanctum Inſtitutorem, ut Toloſam ad ſuos Fratres rediret, communicatoque cum eis conſilio, regulam quamdam approbatam deligeret, quam Ordo approbandus ſectaretur, atque ita ad ipſum rediens, confirmationem pro voto reportaret. Quod & Vir ſanctus fecit, ut ſequenti anno dicemus. Ex his totque graviſſimorum teſtium conſenſu apertius habebitur ſenſus genuinus Canonis Concilii Lugdunenſis *Religionum diverſitatem, de Religioſis domibus in 6.* in quo dum declaratur Conſtitutionem factam de tollendis omnibus ordinibus Mendicantibus adinuentis poſt Concilium magnum hoc Lateranenſe, qui nullam meruerint confirmationem Sedis Apoſtolicæ, non extendi ad Prædicatorum & Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos; ita intelligendum eſt, ut non ante Concilium Lateranenſe inſtitutos, ſed ſolemniter confirmatos neget, ſeu diplomate Pontificio ſtabilitos non fuiſſe ſupponat. Jam enim per plures annos conſiſtebat utraque Religio, & Franciſcana, ſaltim voce tenus, ab Innocentio III. quadriennio vel amplius ante, approbationem obtinuit, ut in ſolemnis confirmationis bulla teſtatur Honorius III. & ipſe Innocentius in hoc Concilio ſcitum voluit, largiuſque referunt Annales utriuſque Inſtituti.

Binius in notis ad Concilium Lateran.

Gonzaga in Provin. Turon.

Chron. Belgic. ad annum 1215.

Jord. l.1. de vit. Fr. q.14. Anton. tit.24. c.14.§.1.

Theodoric. ab Apoldia lib.1. vita S. Dominici c.ult.

Supra an. 1210. n.8.

Infra. n.14.

XXXV. Hoc anno inſtanter petiit & obtinuit a ſancto Franciſco B. Ægidius licentiam inviſendi Sepulcrum Domini, quo dum tenderet venit Brunduſium, ubi cum dies multos hærere cogeretur, ſitulam acquiſivit ſibi, eaque per plateas ferens aquam, victum neceſſarium obtinebat ſibi & ſocio; deinde tranſmiſſo mari, cum multa animi pietate vidit Sepulcrum Domini, & alia loca ſancta, venienſque ad Oppidum quoddam, ſeu Civitatem Anconæ (ut meus habet Anonymus auctor vitæ Italice ſcriptæ, beato Viro ferme coævus) morabatur illic cauſa ſibi victus parandi labore ſuo. Texebat enim ſportellas ex viminibus, quarum illic magnus uſus erat, extincta corpora deportabat in cœmeterium, & per vicos circumferebat aquam, iis laboribus ſeſe ſuſtentans. Si autem nihil horum poſſet efficere, ad Domini menſam properabat oſtiatim panem mendicans. Inde tandem rediit ad ſanctam Mariam de Portiuncula ſui Patris aſpectu & conſolatione fruiturus, a quo tamen non longe poſt

B. Ægid. pergit Hieroſolymam.

Vita M. S. B. Ægid. Surius ad 23. April.

Qualiter ſibi victum acquirebat.

pote-

poteſtas facta eſt alterius ſuſcipiendæ peregrinationis ad Montem Garganum, ſancti Michaëlis delubro & apparitione celebrem, & ad ſanctum Nicolaum Barenſem inviſendum. In quibus itineribus ſolebat hortari viros & fœminas, ut Deum timerent & amarent, & ob ſua malefacta agerent pœnitentiam.

B. Balbina neptis S. Claræ. *Rodulph. l. 1. fol. 137. Marian. in appen. l. 1.*

XXXVI. Hoc item anno B. Balbina neptis ſanctæ Claræ, filia Domini Martini de Carano, Monaſterium ſancti Damiani aſſumpto habitu intravit, in quo ſanctiſſime vixit, totque dedit ſuæ virtutis ſpecimina, ut ad alia Monaſteria, juxta regularem obſervantiam fundanda vel reformanda, ſæpius a ſancto Franciſco & beata Clara mitteretur. Primum omnium extruxit Aretii Cœnobium nobile juxta Evangelicam perfectionem, quam a ſua Inſtructrice didicit, ubi cum per annum unum & menſem, ut habet Rodulphus, vel menſes quinque, ut Marianus, ſtetiſſet, apteque cuncta diſpoſuiſſet, rediit Aſsiſium ad Monaſterium S. Damiani, a quo ad alias, ut dictum eſt, ſacras ædes, juxta diſpoſitionem S. Patris Franciſci & B. Matris Claræ excurrebat. Valde diligebatur a ſua magiſtra, quæ & eam infirmantem ſuis precibus curavit, & alias a morbo iliaco liberavit. Supervixit ſanctæ Claræ paucis annis, & plena dierum bonorumque fructuum obiit apud ſanctum Damianum, inde tranſlata in ædem ſancti Georgii intra Civitatem.

B. Philippa. *Rodulph. & Marian. citati.*

B. Cæcilia.

B. Lucia Romana.

XXXVII. Tunc etiam acceſſit Beata Philippa Aſſiſias Leonardi Chiſlerii filia, ſalutaribus B. Claræ exhortationibus ad Dominum converſa, quæ perfecte tantæ Magiſtræ veſtigiis inhærens, ſancte vixit, ſancteque obiit apud Sanctum Damianum, modo condita in Eccleſia Sancti Georgii. Quam etiam imitata eſt, & ſtatim ſecuta B. Cæcilia Gualterii Cacciaquerra Hiſpellenſis, vixitque XXXIX. annis ſub diſciplina S. Claræ, magna cum laude, & pietatis admiratione. Hæc etiam ſenſit ſuæ Inſtitutricis divinam virtutem in curandis languoribus, dum ejus precibus liberata eſt a moleſta tuſſe, & periculoſa pectoris ægritudine. Tumulata eſt cum aliis pleriſque ſanctis Monialibus in prædicta Eccleſia S. Georgii, ubi etiam requieſcit B. Lucia Romana, hoc eodem tempore in tenella ætate ſancto huic Virginum Collegio adſcripta, cujus mors pretioſa fuit ex tranſactæ vitæ ſanctitate.

S. Clara renunciat officium Abbatiſſæ.

Sed retinere cogitur a S. Franciſco.

Omnia exercet humilitatis officia.

XXXVIII. Primarius autem hujus Ordinis lapis, ac nobile fundamentum Virgo Clara, dum in fundamento ſanctæ humilitatis virtutum omnium fabricam ab ipſo principio ſtuduit collocare, voluit ſub hoc anno renunciare in manibus ſancti Franciſci (cui a converſionis initio obedientiam promiſit) nomen, & officium Abbatiſſæ, volens humiliter potius ſubeſſe quam præeſſe, & inter Chriſti ancillas libentius ſervire, quam ſerviri. Coegit autem Vir ſanctus regimen retinere pauperum, & ſanctarum Dominarum, de quo in Claræ corde timor, non tumor exoritur; nec libertas, ſed ſervitus augmentatur. Quo enim jam aliqualis prælationis ſpecie altior cernitur, eo reputatione propria vilior, obſequio promptior, cultu deſpectior reperitur. Nullos jam famularum reſpuit actus, adeo ut plerumque Sororum manibus aquam infunderet, ſedentibus aſsiſteret, comedentibus miniſtraret. Invita valde aliquid præcepit, ſpontanea vero fecit; magis eligens per ſeipſam facere, quam Sororibus imperare. Infirmarum ſedilia ipſa lavabat, ipſa tergebat, ſuo illo nobili ſpiritu, nec ſordida fugiens, nec fœtida perhorreſcens. Pedes famularum de foris revertentium ſæpius abluit, & ablutis oſcula impreſſit. Lavabat ſemel cujuſdam ſervientis Sororis pedes, quos dum deoſculari

lari properat, illa tantam humilitatem non ferens, pedem ſubtrahit, dominamque ſuam pede in ore percuſſit; at illa pedem famulæ blande reſumit, & ſub ipſa planta ſtrictum oſculum figit. De ceteris præclaris ſanctæ Primiceriæ virtutibus alias erit ſermo opportunior.

Conventus Carceris. XXXIX. Circa hunc annum accepit a Patribus Benedictinis alium Conventum, cui Carcer S. Franciſci modo nomen eſt, a diuturna & frequenti ſancti Viri in eo recluſione, & animi recollectione: ſitus eſt in Monte Subaſio, ſecundo ab Aſſiſio milliari. Magna habetur in veneratione a circumvicinis populis, eumque Franciſcus ipſe valde dilexit propter frequentes, & moleſtas in eo ſuperatas tentationes. Nec ſatis fuit Satanæ ſancto Patri inſidiatum eſſe, niſi & ejus cariſſimo diſcipulo Ruffino pedicas laqueoſque, ut ſuo tempore dicemus, hoc eodem loco tetendiſſet. Inter cetera vero, quæ hanc ſacram ædem commendatiſſimam celebrioremque reddunt, potiſſima ſunt Cubiculum Beati Patriarchæ Franciſci: ejuſdem Sacellum, in quo continuo orationi vacabat: lapideus Lectulus, in quo idem defatigatus omnino laſſuſque decumbebat aliquando: ligneum cervical quo utebatur: fons, ipſius Patris precibus à Deo impetratus, qui ſcaturientibus venis largiſſimas propinat, miniſtratque aquas: Oratorium præfati beati Patris Ruffini; & aliud quoque Oratorium beati itidem Patris Bernardi a Quinta Valle. Habentur hac in æde plurimæ Franciſci exuviæ, ſanguis qui ex ejus Stigmatibus profluit, panniculus croceus ſericus, quo B. Leo profluentem ſanguinem excipere ſolebat; pixis, qua ſanctus Pater Chriſti corpus recondebat; calix, ex quo poſt ſacram communionem lavatorium hauriebat; baculus, cui in itinere innitebatur; & pars bona habitus ejuſdem, & cilicii S. Claræ.

Gonzag. in Prov. Bononien. Con. 1.

Conventus de Villa. XL. Circa idem tempus, paulo poſt receptionem Montis Alvernæ, acquiſitus etiam Conventus de Villa, omnium Provinciæ Bononienſis ferme antiquiſſimus, in quo habetur magna in reverentia quædam ſancti Viri Cella, quam inviſunt circumvicini populi ſingulis Kalendis Auguſti. Hic Vir ſanctus garrientes inter umbroſas arbores aviculas, quod, ſacris meditationibus intento, impedimento eſſent, ab eo correptæ & ut ſilerent juſſæ, ad nutum & ex tempore paruerunt; indeque ſub ſilentio recedentes, numquam amplius vel ipſæ, vel aliæ ſimiles ibidem viſæ ſunt. Tres hic arbores, nempe laurum in primo ædificii Clauſtro, cupreſſum in ſecundo, & olivam in prato ſancti Patris manibus plantatas inviſere licet. Domum inhabitarunt multi probatiſſimi, & ſanctiſſimi Patres, & Eccleſiam conſecravit XVI. Junii anno MCD. Nicolaus Montis Corvini Epiſcopus.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Wadd. hoc anno. Alexandr. Paleæ Urbs Epiſc. inter Tanar. & Bormidam fluvios.

„ I. NOſter Waddingus in hujus anni limine, per oras Pedemon-
„ tanas a Francia reducem ſanctum noſtrum Patrem, in Ale-
„ xandriam Paleæ Urbem Epiſcopalem, Tanarum inter & Bormidam
„ ab Appenninis Montibus præcipites fluvios poſitam, cellerime defert.
„ Nec mirum id, cum prudens non niſi ea, quæ ipſe noverit, vel a fide
„ dignis acceperit, revelare poſteris audeat, nec ullo pacto præſumere
„ velit. Haud ergo mirandum, ſi hujus ævi poſtrema tempora, quæ plu-
„ ribus ſæculis latuere ſepulta, veluti nova ac inaudita pandant; nec
„ enim oblivionis adeo tenebris præterita involuta ſunt acta, quin ali-
„ quando & ipſa erumpant in lucem, maxime ſi ab alta, & ſana radice

pro-

„ progenita fuerint; nam, & ab eadem pietate ſancte, & irrequiete cu-
„ rioſa indagatrice, quæ incuria, vel temporum malignitas antiquave-
„ rat, vel etiam oblivioni dederat, inſperate produntur.

„ II. Ante Alexandriam ergo primo hujus anni tempore duos ſan-
„ ctiſſimos Patriarchas a Vercellis viginti milliaribus in occaſum defle-
„ ctentes, ab Eporedia, ſive Yporia Urbe exceptos fuiſſe, in eaque
„ locum pro ſuis obtinuiſſe conſtans, & continuata traditio refert. Por-
„ ro Eporedia, ſive Yporia, vulgo *Jurea* ſub latitudine Arctoa XLV. gr.
„ & longitudine XXIX. cum dimidio, ab Auguſta Taurinorum in Se-
„ ptentrionem quatuor ſupra viginti milliaribus abeſt. Epiſcopalis ſe-
„ des, ac ter antiqui Marchionatus Italiæ in Salaſſorum inferiorum con-
„ finiis caput, ad oſtium Auguſtani Prætorienſis Ducatus inter Alpes
„ Cottias, & Grajas exiſtentis, adverſos in hoſtes evigilat; conſtructaque
„ in Colle, ad pedes vaſtarum rupium, quæ minantes in Cœlum, vix
„ Duriæ Baltheæ ex anguſtiſſimis, & profundiſſimis Vallibus irrumpenti,
„ exitum præbent, perpulcri promontorii ſpeciem refert, unde nomen
„ a Græcis, per vicinas Alpes in Italiam tranſeuntes, habuiſſe reor;
„ etenim *Ὑπόριον*, a quo Yporia, illis parvum promontorium ſignificat.
„ Fundatores Gajum Marium, & Lucium Flaccum Romanos Conſules
„ habuiſſe fertur. Marchionum, quos Carolus Magnus Italiæ tutelares
„ conſtituerat, prima Sedes; ſubinde Reges, & Cæſares protulit, quos
„ Conradus deturbavit. Diu ſuis Epiſcopis paruit, nonnunquam proprii
„ juris; mox a Marchionibus Montis-Ferrati oppreſſa; denium a Sabau-
„ diæ Ducibus liberata, pace & bello clara, Catholica fide clarior,
„ ac proinde Religionis amatrix, dum in hoſtes viſibiles firmiſſimis pro-
„ pugnaculis vallata ſatis tuta quieſcit, contra tartareos, & inviſibiles,
„ ut ſemper munitiſſima foret, præter numeroſum ſub ſuo vigilantiſſimo
„ Præſule Clerum, utriuſque ſexus Monaſteria, veluti potentiſſima ſpi-
„ ritualium militiarum præſidia diverſis temporibus piiſſimo zelo, ſibi
„ excitavit; & præſertim hoc anno, quo BB. PP. Dominici, & Franciſci
„ fama percelebri excita, eos habere, & piiſſime audire, ſimulne an di-
„ viſim? neſcio, differentes de mundi contemptu, virtutibus amplexan-
„ dis, & de pœnitentia peccatorum agenda, meruit; etenim, & ipſa
„ loca pro eorum & ſuorum perpetuo incolatu, Eccleſia, & ſufficienti
„ domo conſtructis aſſignavit. Ultimis his temporibus ædes Minoritæ,
„ adnumeratæ Cuſtodiæ Vercellenſi in Provincia Mediolani PP. Con-
„ ventualium, pauperes, humiles, devotæ ſuam antiquitatem intuen-
„ tibus fatentur: & Eccleſia pluribus Sacellis ornata, & nobilium Civi-
„ tatis inſcriptionibus antiquiſſimis, cui pariter Peronorum Palatina do-
„ mus attigua communicat, & Franciſcanæ Religioni avita pietate plu-
„ rimum favet, priſcam Sanctimoniam exhalat. Commemorat hunc
„ Conventum Waddingus, cujuſdam Indulgentiæ ejuſdem Eccleſiæ con-
„ ceſſæ occaſione, ſub anno MCCXC.

SS.PP. Dominicus & Franciſc. Eporediæ excipiuntur, & loca eis dantur.

Eporedia Civ. Epiſ. Antiquiſſimus Marchionatus Italiæ.

Gajus Marius, & Lucius Flaccus ipſius Fundator.

Domus Palat. Peron. commé.

Wadd. ad ann. 1290. *n.*28.
Vide ad ann. 1300.

„ III. Ab Yporia in Ceciam milliaribus Regionis novem elongatur
„ Bugella Vercellenſis Diœceſis inſigne Municipium, partim in plano,
„ & partim in monte prope Servium, ſive Cervium fluvium, e vicinis,
„ & præruptis montibus præcipitem, & violentum (cujus tamen utram-
„ que ripam Pons lapideus connectit) ample, & eleganter conſtructum,
„ civili & induſtrio populo plenum; quod licet Epiſcopali fulgore non
„ ſplendeat, attamen pluribus familiis notæ, ac perantiquæ nobilitatis,
„ nec non illuſtrium titulorum ubique famoſum, & non parvæ, nec ob-

Bugella Civ. Ducal.

,, ſcuræ Provinciæ caput, Civitatis nomen, & honores promeruit. Et
,, quidem ejus amplitudinem, qua magnifice dilatatur, muros quibus
,, præcingitur, ædificia quibus ornatur, Eccleſias Parochiales, quibus
,, inſtruitur, utriuſque ſexus ampla Monaſteria, antiqua & ſumme
,, religioſa, Circumvicinorum confluentiam ad nundinas, opes & opu-
,, lentiam, ac regiminis ordinem ſi ſpectes, merito Urbem, & non Mu-
,, nicipium dixeris. A Bugella in Circium ſi aſcendas, emenſis tantum
,, quatuor milliaribus Regionis, arduus nuduſque mons emicabit

Mons Oropa, & in eo rivulus aurifer.

,, Oropa, a limpidiſſimo æque, ac frigidiſsimo rivulo inde errumpente,
,, ſed aurifero, nuncupatus. Etenim cum minutiſſimis & nigerrimis
,, arenulis, ſquamulas puriſſimi auri, dum ejus aqua præceps devehit,
,, quaſi e ſuis viſceribus aurum pariat, Oropa, vel Europa dicitur, &
,, ab eo non longe abeſt Mons Vitumulus, & a S. Beſſo ibidem paſſo,

Fr. Auguſt. ab Eccleſ. in relat. Pedemont. c. 15.

,, *de la Beſſa* vulgo nuncupatus, a quo Romani aurum excavabant, ut
,, narrat Strabo, & Euſebius ad Vercellas aurifodinas fuiſſe teſtatur.
,, Plinius etiam commemorat in agro Vercellenſi cenſoriam fuiſſe le-
,, gem, qua cavebatur, ne plus quinque M. hominum in opere Publicani

P. Bertius in deſcript. Pedemont. fol. 381.

,, haberent, ut refert Bertius. Id vero in Lebetia Provincia, ditione-
,, que Vercellarum, in qua Bugella & Valles ſibi hærentes contine-
,, bantur, cum fieret, in agro Vercellenſi fieri dicebatur. At hujuſmodi
,, vanitatibus expergefactam, & exhilaratam mentem, ut reor, ſanctum

S. Euſebius Calaritan. Ep. Vercellen. Hieroſolymis adinvenit tria ſimulacra Virg. Deiparæ.

,, primo Euſebium, ex iis Bugellæ Montibus melius aurum cælicæ virtu-
,, tis eruentem ſub ſpe adinveniendi utiliora, contemplari minime pi-
,, gebit. Hic Athleta Chriſti, Calaritanus Patria, Epiſcopus Vercella-
,, rum, Sanctiſsimus Fidei Catholicæ eximius aſſertor & Vindex, Hie-
,, roſolymis Dei monitu alte defoſſa humo, tria Deiparæ Virginis ſimu-

Cuſan. ſerm. 1. ex Brit. progreſ. Eccle. occident. ſæc. 4.

,, lacra, Nicodemi, vel Evangeliſtæ Lucæ adinvenit; quorum unum
,, Calari Patriæ, S. Reſtitutæ M. & ſuæ genitrici propria dedicata do-
,, mo, ubi nunc S. Annæ templum viſitur, dono dedit: alterum in
,, Monte Crea Montis-Ferrati collocavit; ſed tertium Oropæ Monti,

B. P. locum admiſit Bugellæ.

,, de quo hic ſupra, locum rupe concedente, dedicavit. Graviſsimas
,, Arianorum perſecutiones ad tempus declinatura, Crea, vel Oropa
,, aſyla erant, in quibus præpotens ſub præſidium Deiparæ tutus, eam

Cuſan. ibi ex tabel. Ec. Vercel. & Corb. in vit. S. Euſ.

,, jugiter Eccleſiæ Catholicæ tutelarem deprecabatur, & cœleſtium con-
,, templationi vacabat. Diu latuere hujuſmodi theſauri, ſed tandem
,, prodiere; ac in utroque loco fidelium pietas excitatis ædibus in ho-
,, norem Deiparæ, gratiarum divinarum largam venam omnibus commu-
,, nem adaperuit. Oropæ ſacram eam ſolitudinem aliquando juvenis, ut
,, Sanctuarium religioſiſsimum inviſi, ibique nonnullis diebus commo-
,, rans, ut Paradiſum Domini cum gaudio mentis colui. Quamobrem
,, parce lector, ſi præterita reminiſcens, prolixior fuerim quam deſide-
,, raſſes: addam nihilominus priſcæ devotionis, qua ſanctus Patriarcha
,, exceptus fuit a Bugellenſibus, atque apud eos locum admiſit, ut fama
,, conſtanſque traditio ſuggerit, teſtem Sacellum illud in Oropæ San-

In Sanctuario Montis Oropæ Sac. Portiuncula veneratur.

,, ctuario præfato tertium in ordine, perpulcre & magnifice conſtru-
,, ctum, in quo S. Franciſci Indulgentias easpercelebres, Portiunculæ
,, nuncupatas a Chriſto JESU, intercedente ipſa Deipara Virgine, pe-
,, tentis, hiſtoria ad vivum, ſimulacris egregia manu confictis, viſitur
,, expreſſa. Illud enim opus in ſignum, & monimentum perpetuum an-
,, tiquiſſimæ devotionis Majorum in B. Franciſcum erectum docet po-
,, pulum Bugellenſem eandem avitam pietatem in ſuos ſucceſſores fide-

liter

,, liter tranſmittendam conſervare . Hujus præfati Bugellenſis Cœnobii
,, memoriam nullibi habet Waddingus, quod viderim; legitur nihilo-
,, minus apud Joannem Franchinum de Mutina in Provincia Mediolani
,, conſcriptum, religioſeque a Patribus Conventualibus inhabitatur.

Joan. Franchin. de ſtatu Relig. Minor. Convent.

,, IV. Bergomum civitas Epiſcopalis in aſcenſu montis conſtructa, mœ-
,, nibus ſepta, ampla, formoſa & opulenta, Civibus induſtriæ, & mercaturæ
,, præſertim deditis, ex præcipuis Langobardis Urbibus, inter Brixiam &

Bergomum Civit. Ep. deſcribitur.

,, Novocomum xxx. m. p. quot a Mediolano in Boream, & Cæciam re-
,, cedit, diſtans. A Brenno Gallo temporibus Tarquinii Regis, pulſis
,, Tuſcis, conſtructa: ab Arnulpho Imperatore, in Italiam a Formoſo Pon-
,, tifice accito, ad patibulum affixo Ambroſio ſuo Comite, capta a Franciſco

Nova Topograph. in Martyr. Roman. Ferrerii. Juſt. & Bertius in deſcript. Agri Veronen.

,, Soardo Bergomate ſubacta : a Ludovico Franciæ Rege domita ; & po-
,, ſtea tandem a Venetis in deditionem accepta, tot peripetiarum oblita
,, fere, hujus tantummodo memor hodie conſpicitur, ſe anno ducen-
,, teſimo quinto decimo ſupra milleſimum a nato D. Patriarcham pau-
,, perum religioſiſſime excepiſſe, cum ſingulari ſpiritus profectu audi-
,, viſſe, eique in teſſeram ſui cordis domum ad incolatum devoviſſe.

B. P. excipit, & domum devover

,, Bergomenſem Cathedralem Eccleſiam, inquit Ughellius, cum ab an-
,, no mccx. regeret Joannes Tornellius Novarienſis Monachus S. Sepul-
,, cri de Aſtino, Ordinis Vallumbroſani, hoc anno mccxv. ſanctiſſi-
,, mos Patriarchas Dominicum & Franciſcum Bergomi humaniſſime
,, excepit, illiſque commodiſſima loca, ubi ſui Ordinis Monaſteria
,, excitarent, attribuit : & Franciſcanorum quidem S. Vigilio dedica-
,, tum eſt; Dominicanorum vero D. Magdalenæ: hæc ille. Aſt Waddin-

Ital. Sac. tom. 4. fol. 675.

Jo: Tornell. Novarien. Bergomi Ep. SS. PP. Dominic. & Franciſ. excipit.

,, gus ex pluribus Scriptoribus haud omnino cohærentibus, hanc hiſto-
,, riam anno mccxx. conſignat, de more laudabili inter utroſque me-
,, dians. Et quidem Bartholomæus de Peregrinis, Marius Mutius, &
,, Cœleſtinus, rerum Bergomenſium Scriptores, volunt S. Patrem Ber-
,, gomum perventum anno mccxviii. biennium ibidem conſumpſiſſe;
,, ſed hos Cœleſtinus poſterior, conſideratis ſancti Franciſci itineribus,

Doglion. ad annum 891.
Wadd. ad annum 1220.
Idem ad annum 1403.
Idem ad annum 1505.
Idem ad annum 1512.

,, redarguit. Joannes vero Guarnerius, qui opus M. Antonii Benalii
,, de SS. Bergomenſibus ex decreto Decurionum Urbis perfecit, ait ſan-
,, ctum Franciſcum anno eodem præfato Bergomum trajeciſſe, & quidem
,, moratum ibidem; ſed quantum temporis in mora fuerit, reticet. Ad-
,, dit nihilominus, quod forſan duobus diverſis temporibus illuc acceſ-
,, ſerit, & hinc errorem biennii pendere poſſe: ex his ergo Waddin-
,, gus, ut prædixi, rem ad annum mccxx. diſtulit. Sed Ughellium haud
,, præfatorum Auctorum ignarum conſiderans, & virum diligentiſſimum,
,, & oculatiſſimum in ſuis celeberrimis operibus dignoſcens, loca ſan-
,, ctis Patriarchis oblata primo ab Epiſcopo, eadem, quæ ex aliis Wad-
,, dingus affert, proferentem ſub hoc anno mccxv. reticentem vero
,, poſteriora, aliter ſentiendum puto. Scilicet hoc anno quidem ſan-
,, ctos Patriarchas, ſive eodem tempore ſimul, vel unus poſt alium
,, Bergomum perveniſſe, Epiſcopo præfato, in quo Waddingus con-
,, cordat, Joanne Torniello Novarienſe; eumdemque Antiſtitem ſæpius
,, viſitaſſe, ſicut & Monachos Vallis de Aſtino ſub ipſa Urbe, & cum
,, iiſdem plura de animarum ſalute egiſſe; imo publicas conciones ha-
,, buiſſe, & apud Monachos prædictos ſancto Dominico ſacra facienti,
,, profunda humilitate & inſigni ſanctimonia Diaconum B. Patrem in
,, functionibus miniſterialibus adſtitiſſe. His igitur in compendium di-
,, ctis, commota Civitate, Epiſcopus vere Catholicus, Apoſtolicis viris,

S. P. Franciſ. aſſiſtit pro Diacono S. P. Dominico.

ut

„ ut ait Ughellius, loca præfata pro eorumdem incolatu aſſignavit. Ce-
„ terum tandem Clerum & Senatum cum Populo Bergomenſi ſubſecuti-
„ vis temporibus ſanctis Viris Dominico & Franciſco, pro primis præfa-
„ tis, alias duas Eccleſias, nempe S. Patri Dominico S. Stephani, &
„ & S. P. N. Franciſco S. Joannis Baptiſtæ, ut illis opportuniores, &
„ Civibus commodiores, dediſſe minime detrecto. Et quidem S.P.Fran-
„ ciſco anno MCCXX. a Senatu Bergomenſi S. Joannis Baptiſtæ Eccle-
„ ſiam in culmine Civitatis, in regimen & habitationem Fratrum da-
„ tam fuiſſe lego, quæ poſt apotheoſim S. Patris ejus nomini dicata fuit.
„ Porro ad S. Joannem Baptiſtam conſtructum Cœnobium a Patribus
„ Conventualibus Provinciæ Mediolanenſis inhabitatur.

M.S.noviſ. Prov. Brixiæ.an.1681.

„ V. Ad celeberrimum Concilium Lateranenſe IV. ſanctum Patrem
„ Franciſcum acturum de rebus ſui Inſtituti iviſſe hoc anno commemo-
„ rat Waddingus; & ad ejuſdem inſtantiam ſummum Pontificem in
„ eodem Concilio Minorum Ordinem, a ſe vivæ vocis oraculo approba-
„ tum, declaraſſe. Conſiderans ergo S. Pater quanto calore res Eccle-
„ ſiæ Summus Pontifex pertractaret, quantoque fervore in eodem
„ Concilio ageretur a Patribus, ut declinanti Chriſtianitati in locis
„ Sanctis ſuccurreretur, viſum eſt ſibi convocare ſuos ad Capitulum
„ Generale celebrandum Aſſiſij apud ſanctam Mariam de Portiuncula in
„ feſto Pentecoſtes anni ſequentis; ut cum ipſis in animarum ſalutem,
„ Ordiniſque Minoritici dilatationem, & ſolidum incrementum delibe-
„ raret. Quamobrem Romæ hærens encyclicas litteras ad Univerſos ex-
„ pedivit; ac ſubinde, Patrum Concilii ſoluto conſeſſu, Aſſiſium petiit.
„ At ſummus Pontifex bellum, & Cruciatam contra Saracenos, pro re-
„ cuperatione Terræ Sanctæ, edita Bulla, *Ad liberandam &c. Datum La-*
„ *terani* XIX. *Kalendas Januarii, Pontificatus anno* XVIII. indixit.

S. P. pergit ad Concil. Lateranenſe IV.

Wadd. ad annum 1215. n. 33.

Innoc. III. P. M. Ord. Minor. approbat.

Wadd. ad annum 1216. n. 1.

B. P. per litt. convoc. Frat. ad Capit. Gen. Aſſiſii.

Bullar. Rom. noviſ. Cherub. to. 1. fol. 77.

Bulla Innoc. pro recuperat. Terræ Sanctæ.

ARGUMENTUM.

Convocatos undique Fratres ad Comitia generalia, eos ad univerſas Europæ Provincias, inſtitutis ubique Rectoribus, deſtinavit. Illi male affectis multis in locis, tandem multa vicerunt patientia, & plurima ſibi conſtituerunt domicilia. Ex Germania omnino pulſis, miſſio reddita eſt inanis. Franciſcus in Galliam perrecturus, prius viſitat limina Apoſtolorum, quorum interceſſione verum obtinet ſpiritum paupertatis. Init ibi ſtrictum fœdus & dulcia colloquia cum SS. Dominico, & Angelo Carmelita, quibus ſalutatis, iter proſecuturus, Senas pervenit.

Anno præced. num. 33.

Convocat Franciſ. ad Comitia generalia Aſſiſii.

I. PUBLICATA, uti diximus, in Concilio Lateranenſi approbatione Regulæ & Ordinis ſui, Franciſcus, diſſoluto Patrem conſeſſu, Aſſiſium abiit, ſcriptis ex Urbe litteris convocatoriis ad Fratres ſuos hinc inde diſperſos, ut ad Comitia generalia convenirent apud ædem ſanctæ Mariæ Angelorum Ordinis primævam, in quibus de ejuſdem propagine, & Fratrum miſſione ad communem hominum ſalutem communibus ageretur ſuffragiis. Adfuerunt, quibus licuit, ad ſtatutum a Viro ſancto Pentecoſtes diem, qui eo anno incidit in III. Kalendas Junii, quo felix dedere ſuo conſeſſui principium. Primum hoc fuit Generale capitulum, ut vocant, Religionis, licet alii celeberrimum illud Storearum anno MCCXIX. habitum, pro primo recenſeant. At cur non & hoc Gene-

Generale dicatur neſcio, cum in eo univerſaliter Fratres omnes, qui poterant, convenerint; & de generali Religionis beneficio in eo actum ſit, & aſſignati fuerint pro omnibus fidelium partibus Miniſtri & Prælati, & ad univerſas ferme Europæ Regiones Fratres deſtinati; quorum Superioribus commiſſa fuit auctoritas alios huic Sodalitio aggregandi, & tanto Inſtituto dignos admittendi, quod nulli alii ab ipſo Franciſco eo uſque licebat. Nihil ergo mirum, ſi alii Conventus annuatim habiti, in quibus tanti momenti res non tractabantur, nec tot Fratres conveniebant, non dicantur Generales; hic autem pro Generali habeatur, a quo etiam Marianus, cum aliis ex noſtris, Generalia omnia Capitula recenſent. Neſcio itaque unde irrepſerit occaſio docto viro Alphonſo Ciaconio aſſerendi primum Generale Capitulum Minorum a beato Franciſco celebratum fuiſſe anno MCCXXIII. apud ſanctam Mariam de Portiuncula, cum præter hoc, unum & alterum Generale, ante præfatum annum habuerit.

Marian.c.12.ſ.1 Beſſa, Hugolin. cit. & alii. Ciacon. in Honor.III.

II. Ex hoc Conventu, & hoc ipſo anno miſſos Fratres ad diverſas nationes ait Marianus, & Franciſcum diviſiſſe ſuis terram in funiculo diſtributionis. Novi tamen Marcum Ulyſſiponenſem, Rodulphum, & alios Concilium hoc repoſuiſſe ſub anno ſequenti, ſed placuit Marianum his anteriorem & vetuſtiorem Auctorem ſequi, qui germanius concordat rerum ſequentium Chronologiæ, & Rodulphus confundit res hujus Capituli, cum iis, quæ evenerunt in Comitiis anni MCCXIX. præſertim cum illud mihi ſuppetat efficax hujus rei argumentum, nimirum ex omnium ſententia Franciſcum, non niſi in hoc Capitulo, poſt ſignatas ceteris Fratribus alias Provincias, eam, quæ Franciæ dicitur, ſibi delegiſſe, & poſt abſolutum Capitulum illuc iter direxiſſe, viſitatis tamen prius Apoſtolorum liminibus, & ſalutato Romæ, ut ſtatim dicemus, S. Dominico, antequam ſuæ Regulæ confirmationem obtinuerit. At hæc omnium calculo inciderunt in annum MCCXVI. Capitulum ergo quod ad hæc omnia præceſſit, non potuit celebrari anno ſequenti. Quinam vero tantæ meſſis operarii ab hoc Conventu miſſi ſint, nullo alio clarius & uberius quam ab eodem Mariano accipere potui, quos ita ille recenſet & diſtinguit. In Hiſpaniam deſtinati ſunt cum fratre Bernardo de Quintavalle, Viri ſancti primogenito, alii duo ejuſdem nominis, frater Bernardus de Humanalis, & frater Bernardus de Moraria, frater Zacharias Romanus, frater Clemens Tuſcus, frater Benincaſa de Tuderto, & frater Gualterius, viri omnes ſanctiſſimi: fr. Joannes ignoti cognominis Sacerdos, & fr. Petrus Laicus, qui ad annum MCCXXX. martyrium ſubierunt in Regno Valentiæ, ut diffuſius ad illud tempus dicetur. Cum his etiam miſſi alii Fratres, quorum nos nomina latent.

Marc.l.1. c.43. Rodul. fol.217.

Vide Antonin. tit.24. c.70.

Mittuntur Fratres in Hiſpaniam.

Ad Galloligures, ſeu Provinciales Galliæ Narbonenſis tranſmiſſi cum fratre Joanne Bonello de Florentia Provinciæ Miniſtro, frater Monaldus Florentinus, frater Chriſtophorus de Romandiola, frater Joannes de Penna Picenus, & alii triginta, quorum nomina non occurrunt. Pariſiorum tractum & Galliam Belgicam ſibi reſervavit ſanctus Pater, ſed detentus a Cardinali Hugolino ne illuc iret, ut mox dicetur, ſubſtituit ſibi fr. Pacificum Picenum, in ſæculo *Rex verſuum* dictum, & fratres Angelum, & Albertum Piſanos, quorum ille primus Angliæ Miniſter, hic quartus fuit Ordinis Primicerius. In Germaniam ſuperiorem & inferiorem miſſi cum alio fratre Joanne de Penna, altero ab illo, quem ſupradiximus miſſum in Galliam Narbonenſem, Fratres ſexaginta.

In Galliam.

Anno 1217. n. 1.

In Germaniam.

III. Eo-

Miniſtri creati in partibus Ciſmontanis.

III. Eorum, quos per Provincias Ciſmontanas diſtribuit, illi dumtaxat qui ſequuntur a Scriptoribus notantur. Lombardiæ inſtituit Miniſtrum Joannem de Strachia, quem tamen juxta ſæculi prudentiam, plus ſapientem & ſibi fidentem, quam oporteret, poſtea abſolvit ab officio. In Piceno, ſeu Marchia Anconitana fratrem Benedictum de Aretio, ſibi familiarem & gratum, quem poſt ſanctiſſime gubernatam illam Provinciam miſit ad Græcos & Antiochenos. In Calabria fratrem Danielem Tuſcum, ubi Ordinem propagavit, qui demum Septæ cum aliis ſex Martyrium pro Chriſti fide ſubivit. In Apulia alium inſtituit, cujus memoria non extat. In Terra Laboris fratrem Auguſtinum de Aſſiſio, virum vere ſanctum, qui ſuum Inſtitutorem in Cœlos meruit comitari, ut ſupra tetigimus, & amplius ex Bonaventura alias referemus ad annum MCCXXVI. In Tuſcia fratrem Eliam Cortonenſem non aliunde, ut ſupra probavi, natum, quem poſtea totius Ordinis creavit Vicarium, & poſt Viri ſancti mortem Fratres cooptarunt in Generalem.

Anno 1210. n. 17. Bonav. in legen. c. 14. Anno 1226. n. 38. Anno 1211. n. 9.

Alacriter pergunt omnes ad ſuas miſſiones.

IV. Diſtributis ita piis viris Europæ Regionibus, libenter unuſquiſque ſanctæ obedientiæ acceptavit mandatum, dum omnes non ſuam, ſed ſui Inſtitutoris religioſa humilitate ſequi didicerunt voluntatem. Non fuit ex omnibus qui reluctaretur, nec qui quereretur, quod ad longinginquiores remotaſve mitteretur Provincias, nec qui peteret, ut ad propinquiores deſtinaretur; ſed tanquam ſi unicuique, quam deſideraret, contigiſſet regio, alacriter & libenter ſolutis Comitiis ad ſibi ſtatutam ſe præparabat miſſionem, illud Sapientis ſecum perpendens: *Vir obediens loquetur victoriam*, quia dum alienæ voluntati homines humiliter ſubduntur, ſeipſos in corde ſuperant, rebelles hominum voluntates vincunt, deviantеſque a via veritatis ſecreta quadam virtute ad Deum reducunt. *Sola*, inquit Auguſtinus, *obedientia tenet palmam*; namque nihil ferme propter obedientiam tentatur, quod Dei virtute, propter quem obeditur, non facile ſuperetur. Conſonat illud Curtii: *Obſequio mitigantur imperia, & Principum ſævitia in manſuetudinem vertitur Civium obedientia*. Ad Orbis ergo victorias mittendi viri religioſi a ſui victoria incipiendum eſſe probe noverunt, nihilque proinde difficultatis in præcepto cauſantes, promptos & expeditos ſe monſtrabant ad opus.

Prov. 21. v. 28. Vide Greg. lib. 35 Moral. c. 10. Auguſt. in Pſ. 70. Curt. lib. 8.

Præſcribit eis quomodo ſe habeant in miſſionibus.

V. Convocatis ergo omnibus in unum, & flexis genibus coram in terram procumbentibus, tenero quodam Patris affectu, nec abſque interiori contemplatione magni operis, ad quod mittebantur, ita omnes affatus eſt: *In nomine Domini ite bini & bini per viam humiliter & honeſte, maxime cum ſtricto ſilentio a mane uſque poſt tertiam, orantes Dominum in cordibus veſtris. Verba otioſa & inutilia non nominentur in vobis: licet enim ambuletis, tamen converſatio veſtra ſit ita humilis & honeſta, ſicut ſi in Eremitorio, aut in Cella eſſetis; nam ubicumque ſumus & ambulamus habemus ſemper Cellam nobiſcum. Frater enim corpus eſt Cella noſtra, & anima eſt eremita, quæ moratur in Cella ad orandum Dominum, & meditandum de ipſo. Unde ſi anima non manſerit in quiete in Cella ſua, parum prodeſt Religioſo Cella manufacta. Talis ſit veſtra converſatio inter gentes, ut quicumque vos audiet, vel videbit, glorioſum Patrem cæleſtem & Deum laudet devote. Pacem annunciate omnibus, dicentes: Dominus det tibi pacem; ſed ſicut pacem annunciatis ore, ſic in cordibus veſtris pacem, & amplius habeatis. Nullus per vos provocetur ad iram, vel ſcandalum,*

Vide collat. 22. inter opuſc. ſancti Franciſci. Corpus Cella animæ.

ſed

ſed omnes per manſuetudinem veſtram ad pacem, benignitatem & concordiam provocentur. Nam ad hoc vocati ſumus, ut vulneratos curemus, alligemus confractos & erroneos revocemus. Multi enim vobis videbuntur eſſe membra Diaboli, qui adhuc Diſcipuli Chriſti erunt.

VI. Accepta ſancti Patris benedictione nullam interponentes moram, Sociis valedicto, perrexerunt quo obedientia dirigebat. Statutam ſibi normam ad unguem obſervantes eodem animo, eademque mente ad meſſem multam procedebant ſancti operarii, triticum mox congregaturi in horreum patrisfamilias. Varii tamen illorum eventus in ſingulis Provinciis, in ipſo miſſionis limine, quos hic ſub brevitate libet tranſcurrere, præſertim quæ hoc anno acciderunt. Qui ad Hiſpanos tendebant in diffuſæ planitiei ſolitudine magna ſiti laborantes, viribus deſtituti, tandem pervenerunt ad fontem aquarum, quibus univerſi ex præcepto ſancti Viri fr. Bernardi ſui Primicerii benedixerunt, quas poſtea haurientes, virtute ſanctæ Crucis, in vinum optimum converſas compererunt. Quo miraculo refocillati ad itineris incommoda alacrius toleranda, & quoſcumque labores pro Chriſto ſubeundos conſtantiores evaſerunt. Ita miraculum hoc refert ex Chronicis antiquis Marianus, licet Peregrinus Bononienſis, vel qui auctor eſt Chronicorum quindecim Generalium a ſancto Franciſco uſque ad Gondiſalvum, eveniſſe dicat quibuſdam Ultramontanis ad Capitulum ſecundum Generale accedentibus.

Miſſionis Hiſpanicæ Patres miraculoſe providentur.

Peregrin. de Bonon. ſub. S. Franciſco.

VII. Non paucos ſane labores perpeſſi in locis illis, ad quæ hujus Inſtituti, jam a biennio in Hiſpaniam introducti, notitia non pervenerat; nam novitates omnes in principio ſuſpectæ, & plurimi hinc inde Hæretici diſcurrebant per illam Regionem. In aliis partibus humanius recepti, Chriſtianam benignitatem, & devotam in pios Hiſpanorum propenſionem experti ſunt. Sed durius paſſi beati Patres Zacharias & Gualterus cum tertio quodam ſocio ad Luſitanos tranſmiſſi, donec tandem piæ Reginæ Urracæ, de qua nos ſupra, gratiam inierunt. Hujus & Sanciæ Principis, Alphonſi Regis ſororis, beneficia in pios hos Viros anno ſequenti retexemus. Felicius evenit iis, qui ad Catalonos deflexerunt; nam dum ad civitatem Ilerdenſem (non procul a Sycori fluvio, inter Cæſarauguſtam & Barcinonem extructam, victoria illa celebrem, qua Marcum Varronem, Lucium Afranium, & Marcum Petrejum, Pompejani exercitus Præfectos, Julius Cæſar profligavit) perveniſſet, obviuſque fieret quidam heros Raymundus de Barriacho dictus, qui eos domum conduxit, & caritative refecit, tantam inierunt cum eo amicitiam, ut de conſtruendo eis habitaculo ſerio penſitaret. Illi animum addentes ſpondebant, nequicquam pauperiorem fore ob expenſas in pio hoc opere pecunias, neque exhauriendas, quas in alios uſus domeſticos repoſuit. Pia fiducia credidit perſuadentibus, opuſque tentavit, ſed ad ſtructuræ menſuram decreſcente pecunia, & omnino exhauſtis loculis, irritaque ſpe, quam ad ultimum ferme quadrantem fovebat, Fratres convenit de facta ſibi ſponſione, ſibique impoſitum aſſeverans. Illi autem in Domino fidentes in cujus nomine ſuo benefactori ſpoponderunt, rogaverunt ut tranquillo eſſet animo, & ad ſua ſcrinia rediret, omnem ſuam pecuniam cum magno fœnore inventurus. Rediit homo pecuniæ avidus ad loculos, quos antea vacuos probavit, & ultra nummos in fabricam diſtractos, non modicam ſummam adauctam numeravit. Quo miraculo, & ille humilius ſe dedicavit quibuſcumque Fratrum obſequiis, & Cives univerſi in eorum uſus ſua abunde miniſtrabant. Primum hunc Provinciæ Aragoniæ Con-

Multa paſſi in Hiſpania.

Anno 1214. n. 12. Infr. nu. 23. Marc. lib. 10. c. 11. Marian. cap. 13. § 6. Gonzag. in Prov Catal. Con. 5. Beuter. in hiſt. Valent. 1. p. l. 2. c. 22.

Ilerdæ conſtruitur miraculoſe Monaſterium.

ventum fuiſſe affirmat Marianus, in quo plura meritis S. Franciſci patrata ſunt miracula, quæ ſuis temporibus diſtinguemus. Fratribus alio commodiori erecto, datum eſt hoc Monaſterium Sanctimonialibus Clariſſis, in quod deductæ ſunt ſolemni comitatu utriuſque Senatus Ilerdenſis, Eccleſiaſtici ſcilicet, & Laici anno MDLXXVII.

Cóverſatio Fratrum in Gallia.

VIII. Gallicana miſſio feliciter a magno incœpit miraculo; nam ut ſupra jam retuli, dum per aliquot dies poſt peractum Capitulum hærerent de rebus in Provincia peragendis inſtruendi, deficiente pane eo die quo diſceſſuri erant, tribus panibus uno videlicet domeſtico, & binis a B. Clara miſſis, ultra triginta Fratres ſaturati ſunt, ſuperfueruntque copioſa fragmenta. Dum autem ad ſtatutum miſſionis locum pervenerunt, per plurimos dies multa inediæ, famis, & frigoris pertulerunt incommoda, tamquam peregrini, & ignoti frequenter repulſi, donec hominum duritiem miro pietatis exemplo flexerunt & emollierunt. Namque intempeſta nocte ad ſacras ſurgebant excubias, matutinumque recitabant devote in iis Eccleſiis, quarum copia fiebat, vel in derelictis Sacellis, aut Eremitoriis, & in Cathedralidus ædibus unanimiter perſiſtebant in oratione Dei ab hora octava uſque ad undecimam; quo tempore ſi invitabantur a quopiam ad prandium humiliter ſequebantur: ſin vero mendicabant oſtiatim. A prandio ſerviebant in Xenodochiis, leproſis præcipue miniſtrantes, lectos ſternentes, ulcera curantes, ſaniem abſtergentes, & quibuſcumque humilitatis officiis ſemet exercentes. Quibus Chriſtiana pietate dignis ſpectaculis hominum in ſe converterunt oculos, & animos conciliarunt, ita ut plures haberent ſectatores, & tandem plura ſibi conſtruerent domicilia.

Dure repulſi Fratres in Germania.

Chron. MSS. Saxon.

Gonzag. in proœ. Prov. Saxoniæ.

IX. Miſſio vero Germanica omnino fuit irrita; dure enim recepti Fratres Teutonici idiomatis prorſus ignari, crudeliterque in fugam & reditum ex univerſa Provincia acti, propter metum & ſuſpicionem Hæreticorum, qui ex Italia illuc tunc declinabant. Simplicitatem autem Fratrum & idiomatis imperitiam, lepidam huic ſevæ repulſæ occaſionem miniſtraſſe referunt Chronica M. SS. Provinciarum Saxoniæ, Argentinæ, & Germaniæ inferioris, quorum penes me ſunt exemplaria, quam etiam Illuſtriſſimus recenſet Gonzaga his verbis. Fratribus Teutoniam aggredientibus cum quidam occurriſſent, rogaſſentque an hoſpitari vellent, illos Germanice *ia*, quod Latine ſonat ita, reſpondentes perhumaniter exceperunt, & eis cibum & potum ſubminiſtrarunt: quare cum Teutonicum idioma ignorarent, præfatam reſponſionem cuicumque interrogationi accommodare ſtatuerunt, arbitrantes ſemper, ex illa ſimiles eleemoſynas ſe reportaturos, & hujuſmodi beneficiis proſequendos fore. Attamen contra evenit; nam aliis percontantibus, an Hæretici eſſent, & ad avertendam a fide Catholica Teutoniam illuc acceſsiſsent? Cum ſuum ſtatutum reſponſum in medium proferrent, ab ipſis non ſolum comprehenſi, & in vincula conjecti ſunt, ſed etiam ludibria publica, atque varia ſupplicia ſubierunt. Quare in Germania ſe nihil proficere conſpicientes, in Italiam remearunt, narrantes Confratribus ea, quæ in Germania fuerant perpeſsi. Ex quo eventu Teutonia tale nomen apud Fratres ſibi vendicavit, ut nullus niſi martyrio flagrans illuc conferre ſe vellet, & aliqui Deum precarentur ut illos a ſævitia Teutonicorum liberare dignaretur. Prima autem hæc repulſa fecit, ut denuo adventantes Fratres benignius reciperentur, & diffuſius ibidem eorum Inſtitutum propagaretur.

1

X. Porro

Anno Christi 1216.	Honorii III. anno 1.	Friderici II. Imp. anno 6.	Religionis Minorum anno 9.

X. Porro ſanctus Patriarcha indignum putans domi torpere, dum natos præmiſerit ad laborem, Pariſienſi ſe paravit itineri, ad quem tractum libentius ſe perrexiſſe dicebat, quod magna tunc ibidem vigeret reverentia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, quam indicibili amore & honore Vir ſanctus colebat. Prius tamen ſtatuit illuſtre Baſelenſium genus in Umbria, diſſidiis domeſticis, & diuturnis diſcordiis turpiter & miſerrime pene extinctum, ad concordiam revocare; quod & feliciter perfecit. Illi autem in accepti beneficii memoriam ſuis Sodalitiis Monaſterium ſtatim hoc anno ædificarunt in ſuo territorio, ſancti Angeli de Pantanellis dictum, juxta Tiberis marginem inter condenſas arbores. Quem locum ſæpius B. Jacobus Tudertinus inhabitavit, in quo etiam plurima ex ſuis canticis compoſuit, & quem demum ruinæ propinquum, multis poſt luſtris, ſanctus Bernardinus Senenſis refecit. Dehinc voluit limina Apoſtolorum viſitare, ut proſperum faceret iter ſuum, & adſcito ſibi in ſocium fratre Maſſæo, in via mendicans pervenit prandii hora ad quemdam fontem limpidiſſimum; ad cujus oram dum conſediſſet, expoſitis ab utroque in tabula lapidea exigui panis fruſtulis, quæ oſtiatim mendicando collegerant, & quidem bonam partem acidis & duris, ille ſpiritu exultans, Fratremque compellans, excitare illum cœpit ad gratias Deo agendas de illo tam ingenti paupertatis theſauro, idque ipſum elata gradatim voce iterare. Quærenti autem Maſſæo, quiſnam is eſſet theſaurus in tanta rerum, etiam neceſſariarum, inopia, ubi non obſonium, non vinum, non etiam menſa ſuppeteret? Reſpondit illud ipſum eſſe magnum beneficium, quod illa omnia quæ deeſſent a Deo ſupplerentur, qui illum eis panem ac fontem, illum etiam lapidem tam provide præparaſſet. Paulo autem poſt inde digreſſus, in quodam templo, quod primum occurrit, orare inſtitit Deum, ut ſibi & ſuis ſanctæ paupertatis amorem inſpiraret, idque tanto fervore, ut ex facie ignis emicare videretur.

S. Franciſcus ſibi elegit tractum Pariſien. & quare? *Gonzag. in Prov. S. Franciſci Con. 42.* *Chro. MSS. Prov. S. Franciſci* Baſelenſes dominos pacificat. *Plat. de bono ſtat. Relig. l. 3. c. 8.* *Marian. c. 13. §. 1.* Ingenti repletur gaudio in rerum inopia.

XI. Itaque hoc divino ardore incitatus, movit ſe verſus Maſſæum brachiis apertis, eumque magna voce ad ſe advocavit, qui cum admirans & ſtupens in ſancti Patris brachia ſe immiſiſſet, tantus fuit Franciſci æſtus interior, ut anhelitu ſolo per oris hiatum erumpente, multis illum cubitis in ſublime ejaculatus ſit: in quo aſcenſu, is poſtea ſæpius narravit, tanta ſe dulcedine delibutum, quantam antea numquam in vita ſua guſtaſſet. Tum Franciſcus: eamus, inquit, Romam ad Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum exorandos, ut nos doceant tam præclarum paupertatis theſaurum recte & fructuoſe poſſidere; is enim ita præſtans, itaque divinus eſt, nos autem ita viles & abjecti, ut indigni ſimus, qui eum talibus vaſis teneamus. Hæc enim eſt virtus de cœlo in nos influens, quæ nos ita inſtituit & informat, ut terrena cuncta ultro conculcemus, quæque obices omnes e medio tollit, quo humana mens cum Domino Deo ſuo liberrime, atque expeditiſſime conjugatur. Hæc eſt, quæ animam adhuc in terris poſitam, facit in Cœlis cum Angelis converſari. Hæc eſt, quæ Chriſtum in cruce aſſociat, cum Chriſto in tumulo abſconditur, cum ipſo reſurgit, & cum ipſo in Cœlum aſcendit. Hæc eſt, quæ dotem agilitatis ſuper Cœlum volandi animabus ipſam amantibus etiam in hac vita concedit, cum veræ humilitatis & caritatis alas ſe amantibus impertiat: eamus proinde rogatum Apoſtolos Sanctiſſimos, ut hanc gratiam nobis impetrent a Domino Jeſu Chriſto, ut ipſe paupertatis forma & obſervator præcipuus eam nobis donare dignetur.

Mirum paupertatis ſtudium. Paupertatis commendatio.

XII. Cum ergo Romam perveniſſent, intraverunt Eccleſiam ſancti

Ad limina Apoſtolorum ſanctâ petit ditari paupertate.

Petri in Vaticano, & in diſtinctis Sacellis orantes, qua poterant efficacia rogabant ſanctos Apoſtolos, ut eos dignarentur inſtruere, quatenus ſanctam paupertatis virtutem perfecte poſſent acquirere, & ſuis meritis a Domino impetrarent, ut vitam Apoſtolicam addiſcere poſſent, & ſectari. In pia hac ſua petitione, cum devotione & lacrymis perſeveranti Franciſco apparuerunt magna cum claritate Petrus & Paulus Apoſtoli, pia benignitate eum amplexantes & dicentes: Frater Franciſce exauditæ ſunt in conſpectu Dei orationes tuæ, & uberes lacrymæ, quas effundis pro acquirenda ſancta paupertate, quam Chriſtus magiſter noſter, ejuſque Sanctiſſima Genitrix amplexi ſunt, & nos ipſius Apoſtoli ſumus ſectati. Miſit proinde nos ad te Dominus Jeſus Chriſtus, ut annunciemus tibi, quod feliciter exoraſti, & conceſſus tibi tuiſque eſt theſaurus ſanctiſſimæ paupertatis, quam qui vere poſſederint, & perfecte profeſſi fuerint, ipſorum erit Regnum Cœlorum. Quibus dictis diſparuerunt, infuſa Franciſco ſumma animi conſolatione, qua exultans & exiliens venit ad fratrem Maſſæum, remque ut evenit, enarravit. Accedentes itaque ad Confeſſionem, Petro maximas, quas poterunt, reddiderunt gratias pro ingenti hoc beneficio, & ſingulari conſolatione.

Hugolin. cit. Marian. cit.

Feliciter exaudiuntur.

Moritur Innocent. III.

Onuphr. Ciscon. Plat. Bellar.

Creatur Honorius III.

Humbert. lib. 1. de vitis Frat. c. 1. Flamin. & Garzon. in vita S. Dom. Apold. l. 2. c. 1. Anton. tit. 22. c. 5. Caſtillo l. 1. c. 18. Plat. cit. l. 1. c. 14.

XIII. Incidit in hoc tempus mors Innocentii Pontificis Peruſii, cum illac tranſiiſſet ad tollendas diſcordias, & extinguendum bellum, quod erat inter Genuenſes & Piſanos cum Ciſalpinis. Nam tertiana febri, quæ brevi tranſiit in acutam, deinde paralyſi, demum lethargo correptus obiit XVII. Kal. Auguſti, cum ſediſſet annos XVIII. menſes VI. dies IX. Uno ut quidam volunt, vel tribus, aut quatuor poſtea diebus, ut aliis placet, ei ſucceſſit Honorius III. presbyter Cardinalis SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii S. R. E. Vicecancellarius, Cencius antea vocatus, nobiliſſima gente Sabella ortus. Ab hoc ergo anno Honorii Pontificium auſpicamur, proſequemurque. Ille autem quamprimum Romam reverſus approbavit, confirmavitque inclytum Ordinem Prædicatorum XI. Kalendas Januarii inſtante ſanctiſſimo Inſtitutore Dominico, qui ad hoc ipſum in Urbem redierat. Dum autem confirmationem hanc expectaret, continuis & ardentiſſimis vacans orationibus, Apoſtolorum Principis corpus ſæpius viſitabat. In cujus Baſilica, dum noctu ſacris precibus intenderet, magnum ſuæ curæ levamen eſt aſſecutus, ita ut minime dubitaret afforre tantis cœptis ac ſuis votis Deum. Vidit enim Chriſtum ira ingenti ſuccenſum, ob intoleranda hominum flagitia, a Patris dextera exurrexiſſe, tria manu jacula tenentem, ut uno eorum ſuperbos, altero avaros, tertio libidinoſos deleret; Virginum vero Principem, ac Cœli Reginam ejus venerabilem Genitricem, ad illius genua procumbentem ſeſe illi oppoſuiſſe, ac rogaſſe, ne genus humanum tanta clade afficeret: habere ſe, per quos emendari hominum flagitia poſſent. Matris precibus ac verbis motum, cui nihil petenti negare poteſt, ſubſtitiſſe ac petiiſſe, ubinam eſſent, per quos fieri, ea quæ diceret, poſſent? Tunc humani generis tutelam ac ſervatricem hinc Dominicum Prædicatorum, inde Franciſcum Minoritarum Inſtitutores, ac Principes oſtendiſſe, ac dixiſſe: Hi ſunt, Fili, per quos quaſſa in terris, & collapſa pietas inſtaurabitur, ac reſtituetur. Delinitum pollicitatione Matris Filium continuiſſe paratam ad feriendum manum, ac ſententiam mutaſſe & jacula depoſuiſſe. Quo quidem divino ſpectaculo Vir ſanctus fiduciæ plenus, ac minime ambigens voti ſe compotem futurum, dum ex Templo egrederetur obvium habuit, quem non noverat ante, nec viderat unquam,

Confirmatur Ordo Prædicatorũ.

Mira S. Dominici viſio.

bea-

beatum Franciſcum , quem , ut ſocium ſibi a Deo ad inſtaurandam Eccleſiam traditum , injectis collo brachiis pie admodum & cum ingenti lætitia complexus eſt . Tum , quæ vidiſset & audiſset illi omnia narravit , & addidit ; ſtemus ſimul , & nullus prævalebit contra nos ; inter quos mutua , & incredibilis deinceps caritas fuit . Quæ quidem , tanquam a beato Dominico viſa divus poſtea Franciſcus Prædicatoribus narravit .

XIV. Dignum putat divinum hoc ſpectaculum Theodoricus ab Apoldia , & opportunam hanc pientiſſimamque Virginis Mariæ pro humano genere ab inſtanti clade præſervando interceſſionem , ut ejus potentiam, clementiam , & circa nos ſtudium pauliſper conſideremus . Libuit ergo piam ejus conſiderationem , & ſacram apoſtrophen ipſis ejus verbis hic ſubnectere . *Quid illa* , inquit , *potentius , quæ Omnipotentis judicis iram , qui jam ut fulgur exacuerat gladium ſuum , & arripuerat , judicium manus ejus , ſupplici prece retinere potuit , ne diffuſa ejus ira devoraret impios ſicut ſtipulam , & arderet uſque ad inferni noviſſima ? Clementiam ejus abunde teſtatur , quod pro perituris tam humiliter , tam benigne , tam inſtanter interpellavit . Ejus clementiam ambiunt peccatores ne pereant juſti ut proficiant . Porro ſtudium , curam , & diligentiam tuam erga nos , ó Domina noſtra , in his plane experimur , quod non modo potentiſſimi furorem ardentem judicis intercipis , & pro nobis apud Filium clemens intercedis ; ſed etiam quod omnium ſalutis miniſtros egregios exhibuiſti Filio tuo : nempe viros lectiſſimos Dominicum , & Franciſcum , quos tu Virgo Mater Filio offerens præclare commendas , & Filius acceptans veritatis teſtimonio approbat , & perinde ut agnos a ſe miſſos inter lupos firmiſſimis præſidiis tuetur , ac munit . Benedicamus ergo , Fratres cariſſimi , Patrem cum Filio & Spiritu Sancto , cujus ſuper nos inſcrutabile videmus conſilium , & benigniſſimum ſentimus affectum . Benedicamus & Matrem Dei , cujus precibus placatus Filius , miſericordiæ memor fuit cum eſſet iratus peccatis hominum , relinquens nobis ſemen divinum , ſine quo ſicut Sodoma fuiſſemus , & quaſi Gomorrha periiſſemus . Ex eo vero nos enati benedicto ſemine , mittamus radices deorſum , & faciamus fructum ſurſum , ut ſit in nobis agnitio propriæ vilitatis , & animus incommutabili intentione addictus æternitati . Nos enim ſumus ſemen ſervorum ejus , cum quo bona permanent : ſemen , cui benedixit Dominus , ut creſcat , & hæreditate capiat terram viventium cum beatis mitibus , & portas poſſideat inimicorum ſuorum , id eſt Dæmonum . Amplectamur amanter , & imitemur conſtanter tantorum Patrum clariſſima exempla & eximias virtutes , ut digni efficiamur , qui cum eorum ſemine in Dei filiis numeremur .*

Apold. cit. Vide Caniſ. de B. Virg. lib. 5. c.27.

Mariæ Virginis in humanum genus pietas .

XV. Ut autem ad viſionem ipſam redeamus , Franciſcum etiam eamdem ipſam habuiſſe expreſſe aſſerit ex aliis S. Vincentius Ferrerius , & pie judicat Ferdinandus Caſtillo , atque Ludovicus Rebolledo , qua moneretur quid de tanto Viro ſibi in ſocium dato , & de ſemetipſo Deus ex alto ſtatueret , quantoque operi & oneri eos dedicaret . Itaque colloquentes ad invicem firmiſſimum , & ſanctiſſimum inierunt fœdus amicitiæ , & ſtatuerunt quibuſcumque ſe objicere difficultatibus , nec labori ulli ſuccumbere cum divini honoris detrimento . Dignum plane , inquit Caſtillo , admiratione & conſideratione erat videre duos homines exterius deſpicabiles , inermes , veſte lacera , frigore algentes , fame & ſiti laborantes , abſque Principum favore , aut Sæculi potentia mundi triumphum meditantes , ingentia ultra humanas vires ſecum ſtatuentes , Orbis converſionem inter ſe partientes . Quis talia meditantes , & ſerio pro-

Unic. ſerm. 1. de B. Domin. poſt med. Caſtillo citatus . Rebell. 1. p. l. 2. c. 23.

Eandem habuit viſionem Franciſcus .

po-

ponentes audiret, qui veluti Thraſones non irrideret, aut veluti fatuos non contemneret? Sane ſi rem ipſam cum perſonis conferamus, inacceſſibilem & inſuperabilem humana judicabit prudentia. At illa eſt Dei potentia, qui miſellos & contemptibiles Miniſtros ad res excelſas aſſumit, ut inde magis divina virtus eluceat, & non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Ita binos hos deſpectos, & infirmos viros elegit, ut confunderet ſapientes, & deſtrueret mundi ſuperbiam. Miſit eos in Orbem terrarum, tamquam duo luminaria magna, qui peccatorum tenebras ſuæ virtutis luce depellerent, tamquam novos miſit Apoſtolos, qui homines, velut equos & mulos effectos, pulloque laſcivienti ſimiles a ſuarum concupiſcentiarum vinculis ſolverent, & ad Chriſtum adducerent. Tamquam veros Angelos miſit, qui Loth juſtum, & qui prædeſtinati erant ad vitam æternam, ab univerſali Sodomæ incendio liberarent. Tamquam populi duces miſit, qui populum Dei educerent ex domo ſer-
Sabell. Ænead. 6. lib. in princ. vitutis, & in libertatem vendicarent Chriſtianam. Vere, ut Sabellicus, duo Chriſtianæ Pietatis lumina terris affulſere, quibus multo maxima parte Ortbodoxa crevit fides. Vel, ut duo illi utriuſque Ordinis Minorum & Prædicatorum Primicerii, Sancti Bonaventura, & Humbertus ad
Gen. 1. 16. ſuos Fratres ſcripſere: *Hi ſunt duo magna luminaria, quæ lumine cæleſti ſedentes in tenebris & umbra mortis, ubique terrarum illuminant, &*
Num. 10. 2. *coruſcant. Hi ſunt duæ tubæ veri Moyſis Chriſti Dei noſtri, quorum miniſterio multitudinem populorum jam ad ſuum principium convocavit. Hi ſunt duo Cherubim pleni ſcientia, mutuo ſe reſpicientes, dum idem ſentiunt, & alas ſuas extendentes ad populum, dum ipſum verbis & exemplis protegunt, & diſcurrunt ſecundum obedientiæ volatum, ſuper omnem populum*
Cantic. 4. 5. *diſſeminare ſcientiam ſalutarem. Hi ſunt ubera ſponſæ, ex quibus parvuli in Chriſto lac ſugunt quo nutriantur, & augmenta recipiant in ſalutem.*
Zac. 4. 14. *Hi ſunt duo filii olei ſplendoris, qui aſſiſtunt dominatori univerſæ terræ, prompti ad ejus imperium, quocumque voluntas ejus eos duxerit ſuam lega-*
Apoc. 11. 3. *tionem implere. Hi ſunt duo teſtes Chriſti, qui ſaccis amicti jam prædicant, & teſtimonium perhibent veritati. Hi ſunt illæ duæ ſtellæ lucidæ, quæ ſecundum Sibyllinum vaticinium habent ſpecies quatuor animalium, in diebus noviſſimis nomine Agni vociferantes in directionem humilitatis & vo-*
3. Reg. 7. 21. *luntariæ paupertatis*. Addam. Hi ſunt duæ illæ Columnæ Jachin, & Booz quæ porticum Templi fulciebant, quarum prima ſignificat, firmabit, ſtabiliet; ſecunda, in eo robur, & fortitudo. Hi duo Cherubim propitiatorii, qui arcam Dei, id eſt Eccleſiam vehant, ferant, ſuſtineant; hiſque Deus invectus ſacra reſponſa, oracula, monita ſalutis mundo effundat. Plurimis aliis horum magnorum Virorum dignis Elogiis, ne longior fiam, ægre tamen, ſuperſedeo.

XVI. Nullo alio quam hoc, & ſuperiori anno inveni ſimul conve-
Propheticũ horum Patriarcharum cum B. Angelo Carmelit. colloquium. niſſe Romæ hos ſanctos Patriarchas; quare perſuaſum mihi habeo, vel illo, vel iſto ſuperveniſſe ſanctum illum Virum Angelum Carmelitam, egregium mox fidei athletam martyrio coronandum apud Siculos, & propheticum, admirandumque illud iniiſſe cum his Patriarchis collo-
Enoch. Hieroſol. quium apud Lateranum, quod ſequentibus verbis retulit Enoch Patriarcha Hieroſolymitanus Carmelita coætaneus ipſius beati Angeli, capite
Tho. Bellorioſ. duodecimo ejus vitæ, quam Thomas Bellorioſus Prothonotarius Apoſtolicus excudi curavit. *Romam*, inquit, *venimus, ubi loca Sanctorum omnia devote luſtrantes, mane proximo, maxima cum Cleri tum populi multitudine coacta in Baſilica ſancti Joannis Lateranenſis, ſanctus Dei Angelus magno*

gno

gno ſpiritus fervore prædicare cœpit. Aderant ibi ſancti Dei Viri Franciſcus, & Dominicus, quos cum nuſquam antea vidiſſet, ſupernæ claritatis ſplendore mens illuſtrata, novas ſed ſublimiſſimas Eccleſiæ columnas adeſſe prædixit. Sermone tandem finito, ſanctus Dominicus ſpiritu elevatus dixit ſancto Franciſco: hic eſt Angelus Hieroſolymitanus, Chriſti & fidei Catholicæ Defenſor, & Declamator ardentiſſimus, qui doctrina & ſanctitate vitæ incredibiliter Chriſtianæ fidei profuit. Cui ſanctus Franciſcus reſpondit: hic eſt civis cæleſtis, qui in Sicilia martyrio coronabitur, & ambo ſimul animo hilari ad ſanctum Angelum veniunt, & cum incredibili humilitate ſalutant, ac mutuo pacis oſculo proſequuntur. Tunc Angelus: Salvete, inquit, maximi Chriſtianæ militiæ Doctores, Dominice impugnator hæreſum ſtrenuiſſime, & Franciſce Chriſti præcipue imitator, qui virtute humilitatis vera portabis Stigmata Chriſti. Dominicus vero: Tu, inquit, Angele gaude & lætare; tibi enim privilegio datum eſt, mortiferam hæreticorum rabiem compeſcere, Chriſtianam nomen defendere, & Eccleſiam augere & illuſtrare. Et Franciſcus ſubdit: Tibi Angele veritatis Defenſor, merito geſtiendum eſt, brevi namque in Sicilia martyrio vitæ militiam terminabis, & triplici laurea coronatus divinæ fruitionis & ſempiterni gaudii præmia ſuſcipies. Ad hæc Angelus: Vobis ſanctiſſimi Viri, vobis magis gaudendum eſt, quibus Chriſtianam rempublicam felicibus cœptis, meritis & doctrinis amplificare conceſſum eſt. Iis aliiſque ultro citroque inenarrabili caritatis ardore dictis, de multis & magnis Scripturarum & Fidei myſteriis humiliter inter ſe locuti ſunt, & cum prope ad ſanctam Sabinam perveniſſent, homo quidam, genere nobilis, ſed leproſus obviam eis veniens dixit: Orate ſanctiſſimi Viri, ut Deus fœdo hoc morbo veſtra interceſſione me liberet; quem illi in pace abire jubent, & ſubito ſanus effectus dat gloriam & honorem Omnipotenti Deo. Angelus autem cum Dominico, & Franciſco illum diem, & noctem divinis ſermonibus & oratione tranſegit. Leproſum repente ſanant.

XVII. Hujus colloquii meminere Franciſcus Maurolicus in ſuo Martyrologio, Thomas de Trugillo tom. 2. Theſauri concionatorum ad v. Maii, Petrus de Natalibus in vita ſancti Angeli poſt librum duodecimum de Sanctis nuper canonizatis cap. 10. necnon Baptiſta Mantua lib. 10. Faſtorum de ſancto Franciſco; largius autem in Apologia pro Carmelitis in vita ejuſdem Angeli, qui ſanctum alloquens Virum, ſequenti carmine rem docte deſcripſit. *Bapt. Mant.*

Cum mare tranſiſſes cupiens inviſere Romæ
Reliquias ſacras, cineres, monumentaque Patrum,
Et Lateranenſis ſtares in limine templi,
Contigit æternis res memoranda diebus:
Nam minor Hetruſcæ veniens de monte Labarum
Ad tua Franciſcus ſeſe veſtigia flexit
Proſtravit genibus, ſacris dedit oſcula plantis,
Inſuper adjecit, ſalve pater Angele, montis
Incola Carmeli, te mors manet inclyta Chriſti.
Teſtis eris tibi Rex divum decus annuit iſtud,
Te quoque Franciſco memorant reſponſa dediſſe
Talia, ſolvendo tanto pro munere grates.
O Franciſce Deo, ſed erit tua gloria nuſquam
Inferior tibi; Chriſtus enim ſua vulnera quinque
Imprimet, & fies Chriſti patientis imago.

Do-

Dominicus, Hiſpaniis qui tunc veniebat ab oris,
Forte aderat, tam mira notans præſagia Patrum,
Et tulerat caſus mundi hæc tria lumina in unum, &c.

Hugolin. Marian. Bonav. c.7.

Tres paupercula mulieres ei occurrunt.

Sub anni finem ſalutatis his ſanctis Viris, Roma diſceſſit Franciſcus iter ſuum in Galliam proſecuturus. Tum autem accidit, uti aſſerunt Marianus & Hugolinus, quod narrat Bonaventura, antequam ad Senarum urbem, per quam ſibi tranſeundum erat, accederet, tres mulieres pauperculas, ſtatura, ætate, ac facie per omnia ſimiles, in quadam ei magna planitie inter Campilium & ſanctum Quiritum (non vero Quirinum, ut ex errore Typographorum legitur apud Bonaventuram) occurriſſe, novum ſalutationis munuſculum ei offerentes: Beneveniat, inquiunt, domina paupertas. Quo audito verus paupertatis amator indicibili repletus eſt gaudio; utpote qui nihil in ſe ſalutandum ab hominibus tam libenter haberet, quam quod illæ decreverant. Subito diſparentibus illis, conſiderantes Fratres ſocii tam admirabilem in eis ſimilitudinem, ſalutationis, occurſus, & diſparentiæ novitatem, myſticum aliquid deſignari circa Virum ſanctum non irrationabiliter perpenderunt.

Tria vota ſignificantes.

XVIII. Sane per illas tres, ut videbatur, mulieres pauperculas, ſic uniformi facie occurrentes, ſic ſalutantes inſolite, ſic ſubito diſparentes, Evangelicæ perfectionis formoſitas, quantum ad caſtitatem ſcilicet, obedientitiam, & paupertatem, ſatis convenienter oſtenditur in Viro Dei, pari forma perfecte fuiſſe: licet gloriari prælegerit in privilegio paupertatis, quam modo matrem, modo ſponſam, modo dominam nominare ſolebat. In hac ceteros cupiebat excedere, qui ex ipſa didicerat inferiorem ſe omnibus reputare. Si quando igitur pauperiorem ſe quempiam, ſecundum exteriorem habitum cerneret, ſemetipſum protinus arguens excitabat ad ſimile; tanquam ſi æmula paupertate concertans vinci ſe timeret in illo. Accidit enim, ut pauperculum quemdam obvium haberet in via, cujus cum nuditatem aſpiceret, compunctus corde lamentabili voce dixit ad ſocium: Magnam verecundiam intulit nobis hujus inopia, quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus, & ecce magis relucet in iſto.

Hugolin. cit. Marian. cit. Spec. S. Franc. 1. p. c.77.

Turtures a morte præſervat.

XIX. Cum autem ad ipſam Civitatem Senarum appropinquaret, occurrit ei quidam juvenis auceps, qui quos cœpit turtures vivos deferebat in Civitate vendendos. Ut erat Franciſcus compaſſivus & pietate plenus, præcipue erga manſueta & caſta animalia, tenerrime inquit ad aucupem: Bone adoleſcens, quam affectuoſe te deprecor, ut meæ fidas cuſtodiæ innocentes has aviculas, quibus in ſacra Scriptura caſtæ & fideles animæ comparantur, neque velis eas tradere in manus crudeles occiſorum. Commotus pietate viri, aliiſque quas adjunxit rationibus adoleſcens, libere quas portabat, ei tradidit volucres, qui eas in gremio recipiens, tanquam rationis capaces, ſancta quadam ſimplicitate ita colloquebatur: Sororculæ meæ turtures, ſimplices, innocentes & caſtæ, ut quid ita vos capi permiſiſtis? Sane ſi in alterius avidioris aucupis, quam in hujus adoleſcentis manus incideretis, certum vobis imminebat mortis periculum, a quo nunc ego, juvenis iſtius liberalitate, vos eripiam, faciamque vobis nidos ut fructificetis, & ſecundum Domini primævam illam rerum diſpoſitionem creſcatis & multiplicemini. Deductiſque ſecum uſque ad locum fratrum in Ravacciano prope mœnia Senarum, præ Cœnobiolo baculum, quod manu geſtabat, fixit in terram; quod die ſequenti inventum eſt in proceram & opacam ilicem excreviſſe, quæ etiamnum

num revireſcit. In hanc, dimiſſis turturibus, juſſit ut incolerent, & ibidem ſuis temporibus nidificarent: quod in plurimos annos fecerunt, ita familiares Fratribus effecti, ut ad cibum accederent, veluti domeſticæ gallinæ. Adoleſcenti vero id reddidit pro accepto dono mercedis, ut ei prædiceret in ſuo Sodalitio religioſe victurum, regnumque acquiſiturum æternum: quod vere prædixiſſe, juvenis non diu protracta initiatio, & ſancta ejus in Ordine converſatio perſuaſerunt. Quo modo factum eſt, ut turturibus temporalem, & adoleſcenti Vir ſanctus vitam procurarit æternam. ,, De prædicta ilice integrum compoſuit librum Academicum, par-
,, tim poeticum, partim hiſtoricum; & Franciſco Cardinali Cennino de- *Additio Patris Lucæ Waddingi.*
,, dicavit Maſicejus Filomatus Senenſis, in quo multa curioſe obſer-
,, vat, locum deſcribit, arboris qualitatem, & menſuram ſubjecta icone
,, demonſtrat. Perſeveraſſe, ait, uſque ad annum MDCXV. quo nimia quo-
,, rumdam pietate excorticatam exciderunt Patres Conventuales, & in
,, partes diſſectam ſub Altari majori ſuæ Eccleſiæ reverenter depoſue-
,, runt. Chriſtina Medicea, Sereniſſima Hetruriæ Dux, miſſo Jacobo
,, Leonis Plumbinenſi, rigoroſe obſervatum voluit in miraculoſæ arbo-
,, ris offenſores; & ſeveriſſima lege, mortis pœna ſtatuta, quod & ſub
,, excommunicationis latæ ſententiæ prius interdixit Camillus Burghe-
,, ſius Archiepiſcopus Senenſis, cavit, ne ullus audeat attingere ilicem
,, alteram, quæ ex hujus radice germinavit, aut virgulta inde pullulan-
,, tia abſcindere; obductoque muro, & vallo defendi voluit a tranſeun-
,, tium injuria. Exciſam arborem duplici commendatam miraculo refert
,, hic Auctor: primo, quod agricolam obtruncare volentem immiſſum e
,, Cœlo fulmen repente occiderit. Secundo, quod in navigatione Indica
,, periclitantem ſæva tempeſtate navem, quidam Minorita, immiſſa mari
,, Cruce, ex hac arbore compacta, ſedatis ſubito fluctibus ſalvavit. Multa
,, confecta ſunt ex hoc ligno vaſcula, quæ viri Principes in prætio habent:
,, unum dono dedit Franciſcus Maria Cardinalis Tauruſius Clementi
,, VIII. ex quo bibere ſolebat; alia miſſa in Hiſpaniam, & Galliam, aquæ
,, immiſſione liquori multoties tantam conferunt vim, ut a febribus, aliiſ-
,, que morbis bibentes liberentur. Antiquitus quidam Heros, ſive po-
,, tius ipſa Senarum Urbs, fuſo æreo numiſmate, perpetuam voluit hujus
,, miraculi memoriam.

XX. Hoc anno aliquantiſper, antequam diem obiret, commoratum apud Urbevetanos Innocentium, auctor eſt Rodulphus, ibique ædificaſſe Minoribus Eccleſiam; idque ait conſtare ex Archivo Civitatis & Epiſcopi. Quidquid ſit de ſtructuræ tempore, in Urbevetano hoc Conventu floruerunt B. Ambroſius & Moricus ibidem prognati, de quibus nos amplius ſuis locis agemus. Porro ædis ſtructuram abſolvit D. Bonaventura ob ſingularem memoriam illius loci, quia, ut idem habet Rodulphus, ſacras litteras ibi profeſſus eſt una cum D. Thoma Aquinate, & Archerio Gallo Cardinali. Dubiam mihi reddit primam ſtructuram ab Innocentio, quod S. Dominici, Carmelitarum, & aliarum Religionum, adhuc non approbatarum, ſed a Succeſſoribus confirmatarum, Eccleſias ab eodem Pontifice ſimul cum illa S. Franciſci aſſerit fabricatas.

Rodulph. fol. 259. in Cuſtod. Urbev.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. Convocatoriis Fratrum litteris expeditis, hoc anno ex Orbis di-
,, verſis partibus, quotquot legitime non impediti potuerunt, *Capitulum Gen. Aſſiſi.*
,, ad S. Mariam Angelorum Aſſiſii convenerunt; ubi a S. Patre excepti

„ humaniſſime, omni caritati ſanctaque familiaritate colloquentes, ſua-
„ rum miſſionum fructus referebant, omnibuſque attente collatis in pro-
„ feſto Pentecoſtes, qui eo anno in III. Kal. Junii incidit, ſub invocatio-
„ ne Spiritus Sancti congregati, de animarum ſalute, Religionis incre-
„ mento, laboribuſque od id ex corde ſubeundis generaliter egerunt,
„ & concluſerunt. Quamobrem S. Pater ſuos in Fide Catholica repa-
„ randa & conſtabilienda, vel etiam pro viribus amplificanda, ut optime
„ concordes agnovit, redditis gratiis Altiſſimo, pro omnium Fidelium
„ partibus Miniſtros & Prælatos, delegata eiſdem ſua auctoritate reci-
„ piendi & admittendi ad Ordinem, aſſignavit & ad univerſas ferme
„ regiones Europæ Fratres operarios abundanter deſtinavit.

Quæ in ea tractata fuerunt.

„ II. Interea vero catholicis Principibus arma in hoſtes Crucis
„ Chriſti parantibus, Summus Pontifex Roma diſceſſus, ut Piſanos &
„ Genuenſes inter ſe diſſidentes componeret, Peruſii tertiana primo,
„ quæ brevi tranſiit in acutam, deinde paralyſi, ac demum lethargo cor-
„ reptus, fama virtutis & doctrinæ clariſsimus obiit XVII. Kal. Auguſti,
„ cum ſediſſet annos XVIII. menſes VI. dies IX. magnis exaltatus præco-
„ niis; inter quæ illud audiebatur, duos Ordines Sacros Prædicatorum,
„ & Minorum, ut Eccleſiæ Lateranenſis opportuna fulcimina in mundum
„ invexiſſe. Tanto Pontifice fatis functo, uno, ut quidam volunt, vel
„ tribus, aut quatuor poſt diebus, Innocentio III. ſucceſsit Honorius
„ itidem III. presbyter Cardinalis SS. Joannis, & Pauli tit. Pammachii,
„ Cencius antea dictus, patre Haymerico de Sabellis natus.

Moritur Pontif. Innoc. III. Peruſii.

Honor. III. eligitur. *Onuphr. Clacon. Plat. Bell.*

„ III. Hic Summus Pontifex, vix gregis Chriſti aſſumpta cura, pro
„ auxilio Terræ Sanctæ ad Regem Hieroſolymitanum ſcripſit VIII. Kal.
„ Auguſti *Magnus Dominus &c. Pontif. an.* 1. Nonis vero Decembris
„ exhortatoriam ad Cruce ſignatos pro Terra Sancta dedit *Cum dicatur
„ &c.* Pontif. eodem anno; ac tandem III. Kal. Februarii anni ſequentis,
„ ſed ſui Pontif. 1. ad Regem Ungariæ pro ſubſidio Terræ Sanctæ, &
„ Cruceſignatorum bullam edidit *Illa dilectionis &c.*

Litteræ ipſius ad Regem Hieroſolym. pro auxilio Terræ Sanctæ.

Petr. de Alva, & Aſtorg. in ſuo indic. ex Odorico Raynaldo to. 13. fol. 212. 253. & 317.

„ IV. Rebus igitur Eccleſiæ ſic diſpoſitis, à S. Patre Franciſco miſſi
„ Fratres, ut fidelium operariorum arduum munus in Chriſti vineæ
„ cultura ex corde ſuſtinerent, ſcientes eum minime feriari, non otio
„ torpebant, ſed nulli parcentes labori, nec ulla adverſitate fracti, ſtre-
„ nue ac ſolerter ad opus ſuum peragendum vigilabant.

„ V. Hic non reticebo, initio hujus anni, vel ſaltem præcedentis,
„ Andegavenſium pietatem pro Religioſis Cœnobium vel ſaltem in-
„ choaſſe, proſequutamque magnifice fuiſſe, argumento ex regeſto de-
„ functorum, qui in Eccleſia ejuſdem Conventus ſepulturam habuere,
„ capto; legitur enim in eo de quodam Joanne *Chercuiter*, qui pater &
„ amicus Fratrum Minorum obiit, & apud eoſdem tumulum accepit hoc
„ anno MCCXVI. Porro Andegavum urbs eſt ampla, elegans, & amæna,
„ ac ſimul antiquiſsima, ut oſtendunt vetuſtæ quædam theatri ruinæ,
„ quæ Urbi imminent, inter quas numiſmata perantiquæ notæ aliquando
„ effodiuntur. Comitatus titulo inſignita, Ducatus Andegavenſium,
„ Metropolis ab anno MCCCL. a Ludovico II. Duce ſchola publica anno
„ MCCCLXXXIX. cohoneſtata fuit. Hujus urbis Antiſtes Archiepiſcopi
„ Turonenſis ad Lygerim ſuffraganeus in ordine tertius ſcribitur. Porro
„ Turonenſem eccleſiam Juellus de Mateſelon, qui Joanni *de Faya* fatis-
„ functo anno MCCXI. ſucceſſit, anno MCCXVI. regebat.

Cœnob. Andegavenſe inchoatur.

Ex monum. noviſ. prov. Tur. major. in Cuſtod. Bituricen.

„ VI. Andegavum igitur cum perveniſſent Minoritæ, Joannem
Cher-

„ *Chercuiter* ut patrem, & amicum nacti ſunt, cui ut vere tali fatis functo, eoſdem titulos ad perennem memoriam in regeſto defunctorum attribuerunt, ut ſupra retulimus. Veruntamen quod ipſum fundatorem non ſcripſerint, nec recentiores poſteri præſentis ævi hujuſmodi honoris nomine cohoneſtarint; maxime quod in Archivis nullus earum ſacrarum ædium fundator ſingularis legatur, creditum eſt plures ad earumdem constructionem concurriſſe: varia ſiquidem ſtemmata Ducum Britanniæ, Catharinæ *de Haya*, *& de Bella-Vale* in utriſque lateribus Eccleſiæ viſuntur; quæ aliter hæc intuentibus perſuadere videntur. Exiſtimaverim hujus Cœnobii primordia priſcorum eorum ſanctorum Fratrum vitæ conformia; ideoque brevi manu ex Joannis præfati præcipue, & aliorum piorum eleemoſynis pro incolatu eorumdem pauperum Religioſorum, domunculam cum eccleſiola excitatam fuiſſe; nec aliquem ob id titulum fundatoris exoptaſſe. Magnum tamen patris & amici nomen eſt, quo defunctus *Chercuiter* perpetuo cohoneſtatur. Succeſſu temporis illud Cœnobium varia incrementa ſumpſit, ut ſuis locis commemorabimus: interim vero admoneo Waddingum ejus meminiſſe ſub anno MCCLXXXV., inquiens: ante hunc annum obtinuerunt Minoritæ Andegavis in Gallia ſedem; quippe illorum benefactor Mauritius de Cerdonio eques regius, poſt extructum ſibi Sacellum, apud eoſdem ſepultus eſt anno MCCLXXXVII. ita ille: ex quibus liquet accuratiora monumenta non habuiſſe.

Fr. Minorum Andegavum perveniunt.

Duc. Brit. Cathar. de Haya, & de Bella-Val. ſtemmat. in Eccl. Min.

Mon. præc. Prov. Tur. Majoris.

Vide infr. ad ann. 1268.

Wadd. ad ann. 1285. n. 14.

„ VII. Admonendus eſt etiam hic pius lector, ne inter legendum apud Waddingum pulcherimam eam viſionem S. P. Dominico oranti in templo Principis Apoſtolorum Romæ oſtenſam de Chriſto tribus jaculis, uno in ſuperbos, altero in avaros, ac tertio in libidinoſos directis, e mundo peccatores delere volente, ſed per Virginem Matrem ſibi offerentem Dominicum, & Franciſcum delinito & placato, ambigendi ſumat occaſionem: ait enim, quo divino ſpectaculo Vir ſanctus, ſcilicet Dominicus, fiduciæ plenus, ac minime ambigens voti ſe compotem futurum (expectabat ſiquidem ſui Ordinis confirmationem, quam hoc anno ab Honorio Summo Pontifice obtinuit) dum ex templo egrederetur obvium habuit, quem non noverat ante, nec viderat unquam B. Franciſcum &c. quod iis repugnat, quæ ſupra retulimus, ex quibus ante hunc annum viros Dei ambo ſe vidiſſe, & cognoviſſe conſtat; hujus vero repugnantiæ cauſa monimentorum caritas fuit. Ceterum Aſta, Taurinum, Vercellæ, & Bergomum ſub iiſdem temporibus ambos exceperunt, iiſdemque loca, quæ incolerent dono dedere, ut dicebamus. Veruntamen ſicut S. P. Dominicus non ante hanc viſionem noverat de ſe cum ſuis quid futurum eſſet, ita & de B. P. N. Franciſco & ſuis nunc primo ex ea viſione quid futurum foret agnovit. Quamobrem e Templo exiens, ut B. Franciſcum offendit, eum ut ſocium ſibi a Deo ad inſtaurandam Eccleſiam traditum, injectis collo brachiis, pie admodum & cum ingenti lætitia complexus, quæ vidiſſet, & audiſset enarravit, & addidit. *Stemus ſimul, & nullus prævalebit contra nos*. Et deinceps inenarrabili caritate fuere conjuncti.

Wadd. ad ann. 1216. n. 14.

Adnot. circa Viſionem S.P. Dominici de Chriſto tribus jaculis in Mundum furente.

SS.PP. Dominicus & Franciſc. ante hunc annum amici.

Et ubi ſe novetint.

Quomodo intelligitur ea Viſio.

SS.Patriar. complexus & Conſilium.

Vide ad annum 1215. n. 2. 4.

„ VIII. Florebat hoc anno B. F. Angelus de Burgo S. Sepulcri, Oppido mœnibus, arcibuſque quatuor munitiſſimo, uno a Tiberi milliari verſus Apenninum, cujus converſionem ex Mariano in annum MCCXIII. rejicit Waddingus, dum S. Pater eo tempore per Oppidum

F. Angelus a Burgo S. Sepulcri memoratur.

Mons Caſalis Oppidum.

,, Montis Caſalis in Apennino tranſiret; narratque ex Auctore con-
,, formitatum, & Fratre Hugolino quæ ſibi viſa fuere, & utique non
,, diſſona ab iis, quæ mox exprimemus ex præfatis congeſta. Itaque
,, cum S. P. Franciſcus ad Oppidum Montis Caſalis, quatuor milliaribus
,, a præfato Burgo S. Sepulcri verſus Montana diſtans, perveniret; qui-
,, dam juvenis nobilis de præfato Burgo oriundus, a verbo & vita tanti
,, Patris commotus interius, acceſſit ad eum humiliter rogans, ut ſe ad
,, Ordinem ſuum reciperet. Non obſtupuit Vir Dei, divinæ virtutis
,, efficaciam callens, ſed eum tentans ut probaret, ait: fili nimium de-
,, licatus es; poteris ne paupertatem noſtram, ac auſteritatem vitæ con-
,, ſtanti animo ferre? Reluctatur arduis caro, cui ſpiritus plerumque
,, ſuccumbit: quid tibi ſi a cœpto declines? In finem prudentis eſt pro-
,, prias examinare vires, adhibere ſapientum conſilia, & a Deo expoſtu-
,, lare flamen. Juvenis es, ſpiritui ne, an carni obedies? O fili, inter
,, utroſque hoſtes magna concertatio hucuſque ab omnibus experitur:
,, quid ais? His auditis juvenis, quem jam gratia cœleſtis prævenerat,
,, audacter ſed non temerarie, cum quadam animi demiſſione admirabili
,, ſancto Viro reſpondit: o Pater cum tuis nonne homines eſtis? eodem
,, luto fragili confecti? iiſdem, ut ego, paſſionibus ex natura ſubjectis?
,, nihilominus vos video poſſe a Deo, qui vobis opitulatur, quæ ex meis
,, viſceribus expeto aggredi. An vobis tantum Deus, & non etiam mihi
,, ſuam gratiam conferet, qua ad eumdem ſimul pervenire poſſimus?
,, Omnia complebo cum adjutorio Altiſſimi, quæ te magiſtro adimplen-
,, da cognovero.

Ad Ordinem recipitur per S. P. Franciſcum.

,, IX. Juvenis prudens cordataque reſponſio ſancti Viri adeo præ-
,, cordia rapuit, ut eum ex tunc in filium adoptaverit, ac ſuo Ordini
,, adſcripſerit: at licet gratus, nihilominus nova tentatione probandus
,, erat; hic etenim mos Altiſſimi ſemper fuit. Fratrem Angelum in po-
,, ſterum appellandum edixerat S. Pater; ſub eoque nomine ſecundum
,, Regulæ præſcripta brevi adeo profecit, ut paulo poſt a ſui cooptatione
,, in ordinis Fratrem ab eodem S. Patre in Cœnobiolo Montis Caſalis
,, præfati in Guardianum inſtitutus fuerit. Res hucuſque integra erat,
,, & nihil querelæ audiebatur, lætabaturque ſanctus Vir tantum diſci-
,, pulum, & filium ſe nactum fuiſſe. Accidit autem ſanctum Patrem
,, ſuperno ſpiritu actum illuc acceſſiſſe, ſuumque cor ad annunciandum
,, verbum ſalutis Burgenſibus, ſive Oppidanis ſancti Sepulcri exarde-
,, ſcere. Non oportet autem hic ſancti Patris in animarum converſio-
,, nem enarrare zelum, cum jam palam omnibus innotuiſſet; at omnipo-
,, tentis Dei vias, modoſue experiendi ſuos, eſt admirari. Accidit dum
,, illic eſſet S. Pater, quod illi præciperet pergere ad Burgum prædi-
,, ctum ſancti Sepulcri, & nunciare populo, ſe præſignata die adfuturum,
,, ut eis divinum verbum proponeret. Id ut audivit Angelus erubuit,
,, patriam enim, & ſuos ob pudorem declinabat; quamobrem illuc ire
,, differebat. Cunctationis cauſam, ut agnovit beatus Vir, ad eam evin-
,, cendam eidem mandavit, ut ex quo juſſis non paruerat, nudus illa
,, adimplere feſtinet: cui Angelus, Pater, quid inde mihi meriti erit?
,, ſecurum te facio, inquit, quia mecum eris in Paradiſo, vitamque
,, æternam poſſidebis; & in hujus tantæ promiſſionis arrham, eum Cruce
,, ſignavit in fronte, & oſculatus eſt: ac ſtatim Angelus victa erubeſcen-
,, tia, depoſita palla, minoribus tantum ſuper induſiis cohoneſtatus,
,, ſumma cum alacritate ſibi injuncta complevit.

Quæ accid. ibi inter B.P.&Frat. Angelum circa mat. obedientiæ.

Hugol. de Monte Sanctæ Mariæ in Chron. M. S. Seraph. P. Franciſc.

Wadd. cit. ſup. n.27.

X. Ædis

„ X. Ædis præfectum dum ageret Angelus, illac tranſeunti S. Franciſco enarravit tres inſignes illis in montibus prædones plura mala viatoribus inferre, & a Cœnobiarchis quotidie panem extorquere, ſeque neſcire qua ratione illorum extorſionibus poſſet mederi: cui ſanctus Vir, ſi quæ dixero tibi peregeris, confido in Domino, quod illorum animos lucraberis. Optimum quem habes panem & vinum defer eis in montem, & ſtrata mappa in terra, invita fratres latrones manſuetis & placidis verbis ad edendum: quod dum fecerint, ſuaviter ſpiritualia verba tu cum ſocio tuo proponite. Deinde humiliter petite, ut vobis promittant, ſe neminem amplius vulneraturos, aut læſuros: quod ſi promiſerint, die ſequenti regredimini etiam cum pane, vino, & obſonio; & dicite hæc vos illis perferre, tum quia Fratres, tum quia amice pridie vobis promiſerunt quod petiſtis. Si ſimiliter tertio feceritis, non dubitetis, quin Dominus illuminet conſilia cordium illorum, & doceat eos viam bonam per quam ambulent. Fecit omnia Angelus, & ad tantam homines efferatos deduxit manſuetudinem, atque erga Fratres amicitiam & familiaritatem, ut præſtita obſequia rependerint, ſuis humeris e ſilva ligna portantes ad Eremitorium, Fratribuſque in aliis humiliter ſervientes. Eorum unus eis adhæſit, & ejus ſocii alio ſe contulerunt pœnitentiam de reatibus acturi.

Per obedient. & humilitatis actus tres latrones cõvertuntur.

„ XI. Alios tres ſimili caritatis officio, orante pro eis S. Franciſco, convertit, trahens eos in funiculis amoris ad tantam ſcelerum diſplicentiam; ut ſanctam deinceps egerint vitam in Ordine, de quibus conſule Waddingum. Ceterum Angelus, nominis ſui naturam æmulatus, vitam ſanctam, & miraculis illuſtrem agens, dum in loco Montis Caſalis in Umbria floreret, ibidem creditur nonis Julii, ut ex Hugolino citatus Bajardus in ſuo Theatro Seraphico manuſcripto penes me ſervato.

Alii tres cõvertuntur per caritatis officium & orationis S. Patris.

Wad. tom. 2. ad ann. 1270. n. 23. Hugolin. ſup. cit. Hyacin. Bajardus in ſuo Theatro MS.

ARGUMENTUM.

Diſſuaſus S. Franciſcus a Cardinale Hugolino ne pergeret in Galliam, Romam rediens petiit, & obtinuit a Pontifice eumdem Cardinalem in Protectorem, cujus in Minores mira fuit pietas, & beneficentia. Aſſiſium tendens Franciſcus hæret pauliſper in valle Reatina, in qua res miras operatur, & domicilia ſuis ædificat. Plura etiam extruuntur in Luſitania, & Hiſpania per miſſos ab eo ſodales.

I. SENAS hoc anno relinquens Franciſcus Florentiam appulit, viſitatis prius ſuis Diſcipulis Montis Alvernæ incolis. Ut intellexit, tunc ibi Apoſtolica legatione functum Hugolinum Cardinalem, Epiſcopum Oſtienſem, & Veliternum (qui ob ſpectatam prudentiam, & rerum agendarum peritiam, ſæpius ab Innocentio, & Honorio ad hujuſmodi functiones mittebatur in Galliam, Tuſciam, Langobardiam & alias regiones) allectus fama pietatis & chriſtiani zeli tanti Viri ſalutatum abiit. Ille benigniſſime ſervum Dei excepit, quem per hominum ora longe lateque jam volitantem, ſummopere alloqui & audire cupiebat. Quo apud ſe per unum aut alterum diem retento, familiariterque de rebus ſuis interrogato, a tanto proſequendo itinere diſſuaſit, dicens: Ado-

Diſſuadet iter in Galliam Card. Oſtienſis.

Adoleſcit adhuc tuum Inſtitutum Franciſce, nec deſunt in Curia, qui peſſumdarent, ſi poſſent. Noſti quos habuiſti contradictores in principio, adhuc habes occultos adverſarios, & niſi adſit in Curia, qui res tuas curet, & ad perfectum deducat, facile acta revocantur, & doloſe ſupplantantur. Te præſente magis ſerio tuum fovebitur Inſtitutum, & efficacius incitabuntur tibi addicti, ut tuis velint adeſſe, & tibi in adjutorium. Quod ad me attinet, jam ex hoc tempore totum me vobis addico. Gratias retulit Vir ſanctus pro tanta benevolentia, ſed iter ſibi proſequendum, vel hac ſuaderi voluit ratione: Domine, quamplurimos ex meis Fratribus ego præmiſi ad varias & longinquas Nationes; ſi ego domi ad lares & focos quietam & laboris expertem vitam duxero, non deerit pauperibus peregrinantibus, ſiti & fame inter extraneos laborantibus occaſio murmurandi, nec mihi cauſa verecundandi: ſin autem etiam me ſub eodem vitæ genere ſecum collaborantem intellexerint, alacrius perferent quæ me ferre audieriut, rationabiliuſque alios potero ad opus provocare. Compatiens autem pius Cardinalis ad remotiſſimas regiones miſſis: quare, inquit, frater adeo dure cum tuis egiſti, ut tantis calamitatibus exponeres, quas per longos & ignotos terrarum tractus oportet ut patiantur? Cui ſanctus Pater magno cum fervore & ſpiritu prophetico reſpondit: Domine vos judicatis, quod propter has duntaxat Provincias Deus Inſtitutum hoc crearit; attamen ego vobis in veritate dico, quod ad univerſale totius Orbis bonum, & ad ſalutem omnium illud inſtituit. Neque ab hoc beneficio excluduntur Infideles, quarum terras hujus Sodalitii Fratres penetrabunt, & dum ad Evangelicam normam & ſuum Inſtitutum vitas compoſuerint & mores, Deus etiam inter ſui nominis hoſtes abunde eis cuncta miniſtrabit. Ad hæc verba majorem induit erga Franciſcum affectum pius Legatus, magiſque ſerio egit, ut pro tam utilis & neceſſarii Inſtituti beneficio remaneret
Anno 1216. n. 2. in Italia. Cui morem gerens Vir ſanctus, ſibi ſubſtituit, quos ſupra diximus, fratrem Pacificum Picenum, & alios.

Redit in vallem Spoletanam. II. Inito cum piiſſimo Principe ſtricto amicitiæ fœdere, rogatoque ut ſuis velit eſſe patrocinio, & generalibus proxime futuris Comitiis intereſſe, rediit in vallem Spoletanam, ibique dum plures exciperet ſuorum querelas, qualiter dure patiebantur, minuſque pie tractabantur a multis Eccleſiarum Prælatis, neque deeſſent, qui in Curia ſancto obloquerentur Inſtituto, ſtatuit a ſummo Pontifice petere in Protectorem
Monetur cœlitus ad petendū Cardinalem Protectorem. & Defenſorem ſui Ordinis unum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui a novello & tenero grege truculentorum luporum rabiem arceret, & longe lateque propagatum ſua auctoritate protegeret. Cœlitus
Legen. 3. ſocior. monitum hac viſione ait Legenda trium Sociorum: Vidit in ſomnis gallinam pullos plurimos ſub alis congregare a ſupervolitantibus milvis defendere volentem, nec tamen omnes potuiſſe, plureſque proinde patuiſſe rapinæ; magnæ vero alterius volucris ſub alis pericula ſubterfugiſſe. Expergefactus dum ſomnii interpretationem expeteret a Domino, eam ita accepit, ut intellexerit ſe per gallinam, diſcipulos per pullos, & Cardinalem, in Protectorem aſſumendum, per volucrem magnarum alarum demonſtrari. Convocatis ergo Fratribus rem omnem & Protectoris neceſſitatem expoſuit, brevemque deinde adjecit de omnimoda ſubjectione ad Eccleſiam Romanam collationem, cujus petitioni voluit Or-
Vide collat. 20. in opuſc. S. Fran. dinem commendare. Mater omnium Eccleſiarum, inquit, eſt Romana, & Domina omnium eſt Religionum: Vadam & recommendabo Fratres meos

meos ſanctæ Eccleſiæ, cujus potentiæ virga percellantur malevoli, & filii Dei in æternæ ſalutis augmentum ubique plena gaudeant libertate. Recognoſcant ex hoc filii dulcia beneficia matris, & ſpeciali devotione ſemper ipſius reverenda veſtigia complectantur. Non erit, ipſa protegente, in ordine malus occurſus, nec filius Belial per vineam Domini tranſibit impunis. Paupertatis noſtræ ipſa ſancta Eccleſia æmulabitur gloriam, & humilitatis præconia per ſuperbiæ nubilum offuſcari non ſinet. Caritatis & pacis vincula in nobis ſervabit illæſa, cenſura ſtrictiſſima percutiens diſſidentes. Evangelicæ paupertatis obſervantia ſacra continue in ejus aſpectu florebit, nec odorem vitæ vel ad horam elabi patietur. *Nahum 1. 15.*

III. Romam deinde pergens illic invenit Cardinalem Hugolinum ex Hetruria regreſſum, cui dum rem detexit, deſideriumque aperuit de Pontifice alloquendo, ſuum viciſſim manifeſtavit Cardinalis, ut Vir Dei publicum haberet ad eumdem Pontificem & Purpuratos Patres ſermonem. Excuſavit ſe quantum licuit, ſuam prætexens ignorantiam, ſimpliciorem ſe & rudiorem eſſe conteſtans, quam ut in ſupremo mundi conſeſſu poſſit aut debeat prædicare. Superavit omnia hæc Cardinalis deſiderium de audiendo hominis in Conſiſtorio concionem, proindeque rogavit obnixius, amiceque præcepit ut obtemperaret, ſeriumque adhiberet ſtudium, ut doctum & tanto auditorio dignum ſermonem præpararet. Ad importunas tanti ſui benefactoris, moxque futuri Protectoris preces, non obſequi non potuit, fecitque quod ille juſſerat, politamque elaboravit concionem, cum eouſque non humanæ inventionis ornatum prætenderet, ſed divinæ revelationis afflatum redoleret. Cum ergo ſtatuto die ſtetiſſet in medio, ut ædificationis verba proponeret, ſic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino neſciret. Verum cum hoc veridica humilitate narraſſet, conferens ſe ad Spiritus Sancti gratiam invocandam, tam efficacibus ſubito verbis cœpit effluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum ſublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipſe, ſed in ipſo Spiritus Domini loquebatur. *Legen. 3. ſocior. Bonav. c. 12.* *Prædicat coram Pontifice, oblitus eorum quæ ſtuduit.*

IV. Terminata concione introductus ad familiarius colloquium, præſente dicto Domino Hugolino, tandem circa ſui Ordinis Protectorem Chriſti Vicarium affatur: Pater ſancte & Domine, veſtræ continuæ curæ & inceſſabili ſollicitudini circa univerſam moderandam Eccleſiam, ego miſellus & indignus ſervus ex corde compatior, & cum timore ac verecundia accedo, quotieſcumque pro Minoribus veſtris ſervulis loqui, aut intercedere oportet. Curas enim veſtras humilibus rebus noſtris novi ſuperiores, videoque præ foribus Heroes, ac hujus ſæculi Locupletes, aliarumque Religionum Viros graves & doctos, neque adeo facilem eis poſſe aditum patere, propter gravium, quæ veſtram Beatitudinem circumdant, Chriſtianæ Reipublicæ negotiorum multitudinem. Nos ergo omnibus viliores & contemptibiliores, quomodo audebimus pro rerem noſtrarum opportunitate aut neceſſitate ad veſtra penetralia ingreſſum attentare? Quin & timemus verecundamurque, tamquam indigni, accedere ad oſtium veſtrum, & pulſare ad tabernacula Principis Chriſtianorum. Quare Sanctitatem veſtram ſupplex oro, ut Dominum hunc Oſtienſem nobis dignetur pro Papa, & vice tua concedere, ut ad eum tempore neceſſitatis poſſimus recurrere, ſalva tamen & integra ſemper veſtræ præeminentia dignitatis, a quo tamquam a capite hujus corporis myſtici vigor deſcendit, & poteſtas omnis emanat. Annuit huma- *Petit a Pontifice Card. Protectorem.* *Legen. 3. ſocior.*

manifeſtiſſime Pontifex Viri ſancti precibus, & ſuam Cardinali conceſſit poteſtatem circa Minores, ſeriam adjungens commendationem de fovendo & protegendo eorum Sodalitio.

Oſtienſis primus Ordinis Protector

Supra an. 1210. n. 7.

V. Primus hic fuit Ordinis Protector poſtulatus & obtentus a ſancta Sede Romana; quamvis enim vere protectoris, defenſoris, & benigni patroni officium egerit opere & affectu vir ille optimus Joannes a ſancto Paulo Cardinalis, cujus nos mentionem & laudem ſupra præmiſimus, attamen non aſſignatus a Pontifice, nec communi Fratrum exoratus inſtantia, ſed innata pietate & ſponte tantam gratiam Fratribus ipſe præſtiterat. Præter illam autem rationem jam aſſignatam, ut Protector Ordinis peteretur, alias etiam duas ſubſuiſſe ſcribunt Rodulphus, Marianus, & Philippus a Peruſio Theologiæ Magiſter; nimirum, ut Religio eſſet capax temporalium rerum, & ut per Protectorem majori & humiliori ſubjectione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Ordo ſubeſſet juxta illa Regulæ verba: *Petant a Domino Papa unum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector & Corrector hujus Fraternitatis; ut ſemper ſubditi & ſubjecti pedibus ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ ſtabiles in fide Catholica*, &c. Poſteriorem hanc dumtaxat cauſam aſſignat Gonzaga, ſed tres jam relatas complectitur, ſtatuitque hujus protectionis rationes prædictus Magiſter Philippus a Peruſio in epiſtola ad Gondiſalvum, ſeu Gonſalvum Generalem Minorum XV. ſcripta circa annum MCCCVI. in ultima jam ſenectute: quippe qui hunc ipſum Protectorem Hugolinum ad Pontificatum evectum ſe vidiſſe teſtatur Peruſii. Conſuluit eum prædictus Generalis Miniſter de modo, quo Protector poſtulari debet, & de iis, qui jam præceſſerunt: ad quem totius rei ſeriem plano & candido ſtilo per longiuſculam dedit epiſtolam, quam ex vetuſto codice MS. e Cœnobio ſancti Joannis Baptiſtæ Piſaurienſis ad me delato, ad hujus rei pleniorem notitiam, & ad magnam atque æquam primorum Protectorum commendationem opportune hic ſubjicio.

Rationes petendi Protectorem.

Rodulph. fol. 231. Marian. cap. 13. §. 8. Philip. a Peruſ. in epiſt. ad Gondiſal. Gonz. 1. p. tract. de Protector.

Venerabili in Chriſto Patri fratri Gonſalvo Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro frater Philippus de Peruſio ſenectutis ejus qualeſcumque reliquias cum affectu reverentiæ filialis.

Reverendus in Chriſto Pater Alexius, Miniſter Provinciæ Bononienſis, mihi notificare curavit, quod voluntatis veſtræ erat, imo quod mihi per ipſum Paternitas veſtra mandabat, ut de modo petendi Cardinalem a Domino Papa, juxta quod Miniſtris in Regula præcipitur, vobis ſcriberem, ſi quid noſcerem, quid videlicet antiquorum Patrum conſuetudo hactenus habuiſſet. Libenter igitur acquievi, ob id maxime, quia mens repræſentavit aliqua, quæ etſi forſitan non videntur ad veſtrum valere propoſitum, reputo tamen digna eſſe memoria, & quæ facere poſſunt ad alicujus informationis & devotionis augmentum. Dico igitur in primis, quod ratio, quæ movit beatum Franciſcum ad hoc, quod præciperet, ut a Domino Papa peteretur Cardinalis, fuit triplex. Prima accipitur ab antiquis Patribus, videlicet quia ſi quando propter aliquam cauſam oporteret Fratres ad Apoſtolicam Sedem recurrere, cum Fratrum & ſtatus ipſorum exiguitas prohiberet, ne facilis eis ad Papam daretur ingreſſus, voluit ut unus Cardinalis daretur Ordini, ad quem, quaſi vice Domini Papæ, poſſent Fratres habere

Prima ratio petendi Protectorem.

in

in opportunitate recurſum. Alia ratio eſt, quod audivi a Domino Joanne Secunda ratio.
Gajetano, antequam eſſet Papa, quando habebat Ordinis curam, hoc modo *Videlicet Nicolaus III.*
loquebamur invicem de Ordinis paupertate, quæ Fratres ab omni dominio
& jure rerum temporalium reddidit penitus alienos. Tunc dixit: pruden-
tiſſime fecit beatus Franciſcus, qui voluit, quod Ordo haberet unum Caput
extra ſe. Ratio hæc videtur confirmari per id quod Gregorius IX. ſcripſit
in declaratione cap. 4. quod eſſet temporalium rerum capax per hoc caput,
quo quaſi mediante uſus rerum Ordini conveniret. Et hæc ratio confirma-
tur per illud caput declarationis Regulæ: Quia vero dominium libro-
rum &c. *ubi dicetur de Procuratore inſtituend. per Cardinalem. Item ter-* Tertia ratio.
tia ratio eſt, quod in Regula ponitur, ut ſemper ſubditi & ſubjecti &c.
Habuit ergo Ordo uſque ad tempora Domini Clementis Papæ V. quatuor
tantummodo Cardinales; quorum primus fuit Dominus Hugolinus Epiſcopus Primus Protector Hugolinus.
Oſtienſis, qui poſtmodum fuit Papa Gregorius IX. de iſto quomodo datus vel
petitus fuit, neſcio. Hoc tantum audivi ab antiquis Patribus, quod ipſe
cum beato Franciſco Patre noſtro ordinaverunt, & ſcripſerunt Regulam So- Scribit ſimul cũ S. Franc. Regulam S. Claræ.
rorum Ordinis ſancti Damiani, qui modo vocatur Ordo ſanctæ Claræ ad in-
ſtar Regulæ Fratrum Minorum, propter cujus Regulæ arctitudinem partim
compaſſione Cardinalis ipſe profundebatur multis lacrymis in ſcribendo. Hic
poſtmodum factus Papa, tanta devotione ac dilectione iſtum Ordinem proſe- Hujus amor erga Minores.
cutus eſt, ut ſicut audivi ab uno Fratrum, qui fuerat de ſua Familia, qui
vocatus fuit frater Benedictus Florentinus, mondatum quod ſummi Ponti-
fices conſueverunt facere pauperibus de lotione pedum, in habitu Fratrum
faceret, & Fratres ipſum coadjuvare ſolebant. Aliqui pauperes, qui talia
erant ſoliti recipere obſequia, ipſius Papæ, ſibi tamen incogniti, recuſa-
bant ſervitium, & Fratrem alium adducebant, dicentes Papæ: Vade fra-
ter, quia tu neſcis benefacere, permitte iſtum facere, qui facit melius quam
tu. Hic etiam Papa, ut audivi, interdum aliqua pia loca in habitu Fra-
trum, conſociatus a Fratribus infra Urbem, ut incognitus eſſet, vadens &
rediens viſitabat. Iſte itaque, ut dictum eſt, ad Papatum aſſumptus dedit
Ordini Dominum Raynaldum, qui & ipſe factus erat Epiſcopus Oſtienſis Raynaldus ſecundus Protector.
poſt illum, de quo neſcio, an nominatus, vel aliter fuerit poſtulatus. Hic
poſtmodum factus Papa, fuit nominatus Alexander Papa IV. Hic quamvis
requiſitus, nullum Cardinalem dare voluit Ordini, dicens quod nolebat Alexander IV. alium præter ſe Protectorem noluit concedere.
quod Fratres, ipſo vivente, haberent alium Cardinalem, ſed Ordinem vo-
luit retinere ſibi ipſi, & ipſe volebat ejus immediatus eſſe Protector. Quod
qualiter ipſe fecerit, res in manifeſto eſt. Nam detrahentes miraculo ſa-
crorum Stigmatum ſancti Patris noſtri, quæ ſupradictus Papa Gregorius per
univerſum Orbem ſuarum litterarum tenore, tamquam viſa certitudinali-
ter & cognita promulgarat, hic Alexander per ſuas litteras in partibus Ejus in ordinem beneficia.
Lombardiæ ſententia, & pœna gravi compeſcuit. Hic Guillelmum de San-
cto Amore damnantem ſtatum pauperum cum ſua doctrina damnavit, &
libellum quem idem Guillelmus contra pauperes ediderat, in virgulto Do-
mini Regis Franciæ Pariſiis, ipſo Rege præſente, ſcilicet ſancto Ludovico,
publico tradi fecit incendio. Hoc itaque defuncto a ſucceſſore ejus Domino
Urbano Papu IV. natione Trecenſi, celebrato Capitulo Generali Piſis a fra-
tre Bonaventura, tunc Generali Miniſtro, & a Miniſtris ceteris anno Do-
mini MCCLXIII. *Dominus Joannes Gajetanus ſancti Nicolai in Carcere Tul-* Tertius Protector Joan. Gajetanus.
liano Diaconus Cardinalis petitus & obtentus eſt; quamvis, ut intellexi,
idem Papa nepotem ſuum Dominum Ancherum dare Ordini voluiſſet; ſed non
acceptantibus Fratribus Dominum Joannem Gajetanum petitum contulit

tamquam Patrem Ordini præcipua devotione conjunctum. Nam pater ipſius Cardinalis, Dominus videlicet Matthæus Rubeus de Tertio extitit, de quo audivi aliquando ipſum Dominum Joannem, etiam cum eſſet Papa publica confabulatione gloriari. Iſto igitur ad protectionem Ordinis deputato, accidit quod Fratres ex certis ſuperinductis Dominarum Ordinis ſancti Damiani temeritatibus, quibus ſibi jus miniſteriorum ab Ordine vendicabant, Fratribus petentibus & Cardinali ipſo aſſiſtente, Fratres ipſi, ſive Ordo ab earum obſequiis abſoluti ſunt per Dominum Urbanum prædictum, adjecta declaratione, quod Ordo nullo eis debito tenebatur. Unde Papa ipſe alium eis Cardinalem præfecit, ſcilicet Dominum Stephanum Epiſcopum Præneſtinum. Sed quia hic volebat quaſi ex auctoritate Fratres ad ipſarum obſequia revocare, factum eſt quod uni tantum, ſcilicet Domino Joanni præfato uterque, quemadmodum & aliis præcedentibus, fuit Ordo commiſſus; qui eis ordinavit Regulam, quam nunc habent ſub Bulla Domini Urbani prædicti. Iſte itaque ad Papatum, ut priores, aſſumptus, in primo Generali Capitulo, quod poſt ipſius creationem extitit celebratum, in quo frater Bonagratia electus fuit in Generalem Miniſtrum apud Aſſiſium, monuit ipſum Miniſtrum cum toto Generali Capitulo, ut providerent ac deliberarent ſi quid viderent eis pro ſtatu Ordinis a Sede Apoſtolica poſtulandum, propter quod idem Generalis cum Miniſtris diſcretis aliquibus ad hoc aſſumptis, ad ejus ſe præſentiam conferentes, inter quos ego fui unus, qui, licet indignus, eram Fratrum Tuſciæ tunc temporis ſervitio deputatus: Miniſtri ipſi, qui præſentes erant ex parte Miniſtrorum Cardinalem ſecundum Regulam petierunt. At idem Pater ſummus Pontifex ſingulorum votis per privatum ſcrutinium diſquiſitis, Ordinem Domino Matthæo commiſit & commendavit, tamquam Ordinis præcipuo dilectori, cujus commiſſionis modum, ſi ex parte tetigero, credo quod ipſius Domini Papæ magis oſtendetur, affectus. Conſtitutis in ipſius Domini præſentia Generali & Provincialibus Miniſtris, qui ad hoc venerant, ac ipſo Domino Matthæo ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali, Dominus Papa in Cardinalem intendens, ſic exorſus eſt. Ad te noſter ſermo dirigitur: Si beneficia quæ tibi provenerunt per nos recenſere vellemus, invenirentur magna & utilia, & numeroſa; ſed in nullo, ſicut exiſtimo, dedimus tibi arrham vitæ æternæ, ſicut in iſto quod modo præſtamus. Damus enim tibi, quod introducat te in Paradiſum, ſcilicet ſuffragia omnium ſanctorum Fratrum iſtius Ordinis. Damus tibi melius quod habemus, damus tibi cordis noſtri deſiderium, pupillam oculorum noſtrorum. *Tunc tanta cum iis verbis eliquata eſt amoris dulcedo a corde Pontificis, tanta ab oculis lacrymarum abundantia profluit, tantus ſingultuum impetus proſilivit a pectore, me teſte, quæ narro, ut quaſi intercluſo anhelitu, non ſolum loqui non poſſet, ſed nec tanti Viri maturitas ab ejulatu vocem potuerit refrænare. Unde factum eſt, ut omnes, qui aderant, laxatis lacrymarum rivulis cum flente flerent, ejularent cum ejulante, & non parva mora temporis cum tacente tacerent. Tandem utcumque ſpiritibus quietatis, reſumpta voce Pontifex ait:* Non poſſumus nos in hac materia dilatare, quia natura non patitur. Et extenta manu proprium annulum Cardinali, cum oſculo manus recipienti, porrexit dicens: Committimus tibi Ordinem Fratrum Minorum, *& convertit ſe ad illa vocabula declaranda, quæ ponuntur in Regula, ſcilicet:* ut ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis, *& dixit:* Tua gubernatione Ordo non indiget, quia tot ſapientibus & prudentibus perſonis abundat, quod ad ſe gubernandum bene ſufficit ſibi ipſi: correctioni quoque te non opor-

Nicolaus III. gloriabatur ſe patrem habuiſſe tertii Ordinis S. Franciſci.

Datus Protector ſeparatim Clariſſis, ſed ſtatim revocatus.

Scriptor epiſtolæ fuit Miniſter Tuſciæ.

Quartus Ordinis Protector D. Matthæus.

Quo affectu ei commendatus a Pontifice.

Ad quid plus indiget Ordo Protectore.

oportet inſiſtere, quia inter Fratres res ſunt taliter diſpoſitæ, quod in hac parte non videtur eſſe poſſe defectus; habent enim Guardianos, quod ſi deficerent, poſſunt recurrere ad Cuſtodes, & a Cuſtodibus ad Miniſtros, ſuper quos eſt Miniſter Generalis, & adhuc Capitulum Generale. Itaque non eſt veriſimile apud eos ea, quæ correctione indigent, præteriri. Unum autem eſt, in quo tuo patrocinio opus habent. Sunt enim imbecilles & pauperes, & multos habent frequenter, qui eos indebite inquietant, quibus per ſe repugnare non poſſunt, & ideo indigent brachio & fortitudine Protectoris. Hoc eſt potiſſimum, in quo ipſis tua cura debet aſſiſtere. *In his & ſimilibus, paucis tamen, ut credo, amplius ſua verba concluſit. Ab illa die in anima Papa intendit declarationi Regulæ, ita quod fere per duos menſes, omnia alia negotia, non ſine admiratione totius Curiæ, prætermiſit, cum omnino quod ageretur, extra eos cum quibus hæc agebantur, omnibus eſſet incognitum. De Domino Matthæo, meo non indigetis teſtimonio. Omnium enim quatuor ego habui notitiam aliqualem; nam Dominum Gregorium recolo me vidiſſe Peruſii, non quidem Cardinalem, ſed Papam, cum adhuc infantulus eſſem. Et poſt mortem ipſius, pater meus Cardinalis voluit me intereſſe ſuis exequiis Peruſii celebratis, licet non ibi defuncti. Dominum Alexandrum etiam Cardinalem vidi, de cujus mandato & gratia, cum eſſet Papa, Pariſienſem ſtudioſum me quadriennio alait. Dominus etiam Joannes Gajetanus, qui Nicolaus Papa III. fuit, ut ſupra dictum eſt, cum haberet curam Ordinis, me in ſuum aſſumpſit familiarem, & ad ſua obſequia me coegit. Per cujus occaſionem Dominus quoque Matthæus, multa me familiari gratia proſecutus eſt ſemper. In his forſitan aliqua, ut prædixi poſita ſunt, quæ poſſunt videri eſſe præter propoſitum. Sed pro tanto mihi dicenda fuiſſe videntur, quod & petentes & dantes Ordini Cardinalem, ad illum ſemper habuerunt ſingulariter oculum, qui Ordinem ipſum amplexaretur carius, & dulciori proſequeretur affectu. Et hoc non videtur ab aliquibus poſſe tam vere percipi quam ab eis, quos contingit tales effectus per evidentiam affectuum experiri. Hæc omnia prævia conſcientia, quantum mihi ſubminiſtravit memoria, ſcripta ſunt; ad quorum firmitatem rogavi Cuſtodem & Guardianum meos, ut præſentes litteras ſigillorum ſuorum munimine conſignarent. Paternitatem veſtram conſervet incolumem clementia Salvatoris.*

Nicolaus III. quantum cogitaverit circa Regulæ declarationem.

Pater auctoris creatus Cardinalis.

VII. Ex hac liquet Epiſtola quam devote, quam ſerio Hugolinus, & qui eum ſecuti ſunt, Religionem protexerint, & quibus rebus ſe ingeſſerint. Multi dubitarunt, & motis quæſtionibus controverterunt, an circa omnia regenda plena ſit poteſtas Protectorum, & an ad ſingula eotum extendatur auctoritas. Eo devenit controverſia, ut eam ſuis litteris & ſententiis determinarint Gregorius XI. Sixtus IV. & alii Pontifices, quorum diplomata tranſcripſerunt Rodulphus, Emanuel Rodericus, & alii; ſed nihil in hac re omnino certum, aut ſtabile, dum juxta Pontificum decreta aliquando reſtringatur auctoritas, aliquando juxta rerum indigentiam amplificetur, & ipſe Dominorum Cardinalium varius affectus, & diverſa conditio poteſtatem exaltet, vel remittat. Largius ſcripſerunt de hac re Ludovicus Rebolledo, Antonius Cordubenſis, prædictus Emanuel Rodericus, Ludovicus Miranda, Illuſtriſſimus Franciſcus Gonzaga, & alii plerique. Sane, ſi ad poſteriora noſtræ Inſtitutionis, aut Regulæ verba attendatur, amplam & magnam in univerſum Sodalitium eis conceſſit Legiſlator poteſtatem.

De poteſtate Protectoris.

Rodulph. citatus.

Roderic. in collect. Bullarum.

Rebol. 2. par. I. 1. c. 1.
Cordub. in addit. in compen. Mendic. tit. Protector.
Roderic. to. 3. regul. q. 42. art. 1.
Miran. in reg. Min. c. 1.
Gonzag. cit.

VIII. Vere Hugolinus non poteſtative & imperioſe, ſed paterne & ami-

& amice hoc ſuum munus obivit. Super Minores conſtitutus factus eſt quaſi unus ex eis, nihil tam curans, quam ut a moleſtiis & injuriis ubique terrarum defenderentur, ab Eccleſiarum Prælatis foverentur, amice reciperentur, & per univerſas Orbis Provincias ad omnium ſalutem diſtenderentur. Prima, quam ſcripſit Thomas Celanus, Legenda & quæ Gregorii IX. vocatur, miram habet tanti Viri & piiſſimi Protectoris commendationem, quam hic libuit tranſcribere: *Tamquam fidelis ſervus & prudens conſtitutus ſuper familiam Domini, ſtudebat modis omnibus cibum æternæ vitæ ſibi commiſſis miniſtrare in tempore opportuno. Sollicitus erat ubique ſacram Religionem plantare, & in remotis partibus claram famam clarioris vitæ ipſius ampliare. Cui adhærens ſanctus Pater, tamquam filius matri ſuæ, ſecurus in ſinu clementiæ ſuæ dormiens quieſcebat; paſtoris certe iſte implebat vicem, & faciebat opus, ſed ſancto Patri paſtoris reliquerat nomen. Dictus Pater neceſſaria providebat, ſed felix iſte Dominus proviſa effectui mancipabat. Dedit illi Dominus linguam eruditam, qua confundebat adverſarios, qui novellæ plantationi inſidiabantur in iſto principio, ut perderent, & electam vineam eradicare ſtudebant, & primos & puriſſimos furari, & conſumere nitebantur fructus; qui omnes tam Reverendi Patris gladio interfecti, & ad nihilum ſunt redacti. Erat enim ei, ut diximus, rivus eloquentiæ, quæ reducebat errantes a via, diſcordes pacificabat, & concordes fortiori caritatis vinculo colligabat. Conformabat ſe moribus Fratrum, & in deſiderio ſanctitatis erat cum ſimplicibus ſimplex, cum humilibus humilis, cum pauperibus pauper. Erat Frater inter Fratres, inter Minores minimus, & velut unus ceterorum, in quantum licitum erat, vita & moribus ſe gerere ſtudebat. Erat in Eccleſia Dei lucerna ardens & lucens, ſagitta electa parata in tempore opportuno. O quoties depoſitis precioſis veſtibus, vilibus indutus, diſcalceatis pedibus, quaſi unus ex Fratribus incedens, rogabat ea, quæ ad pacem ſunt. Hoc inter virum & proximum ſuum quoties aperiebat, hoc inter Dominum & homines ſemper ſollicite faciebat, & non ſolum, cum eſſet in minoribus, hæc talia faciebat, ſed etiam cum paulo poſt electus fuiſſet Paſtor in univerſa Eccleſia.*

Protectoris Hugolini commendatio.

IX. Concordant plerumque cum his, quæ de præclaro hoc Viro, & ſancto Pontifice habet Codex MS. Vaticanus Cencii Camerarii de cenſibus Eccleſiæ in fine: & alius inſcriptus Regiſtrum Nicolai de Aragonia Cardinalis in Archivo Vaticano, cujus aliud exemplar pervetuſtum ex inſtructa ſua Bibliotheca, pro magna in me benevolentia, mihi præbuit Illuſtriſſimus Cardinalis Scipio Cobellutius, bonarum litterarum ſincerus fautor, & induſtrius promotor in Urbe, cui magnum meorum ſtudiorum ex Vaticana penu ſubſidium ego acceptum refero: & tertium vidi penes Reverendum Patrem Conſtantinum Cajetanum Abbatem ſancti Barontis Benedictinum. *Hic*, inquit Auctor, *forma decorus, & venuſtus aſpectu, perſpicacis ingenii, & fidelis memoriæ prærogativa dotatus, liberalium & utriuſque Juris peritia eminenter inſtructus, fluvius eloquentiæ Tullianæ, Sacræ paginæ diligens obſervator & doctor, zelator fidei, diſciplina virtutis, rectitudo juſtitiæ, ſolatium miſerorum, Religionis plantator & cultor, caſtitatis amator, & totius ſanctitatis exemplar. De Capellania Domini Innocentii Papæ in honorando Collegio in Cardinalem ſancti Euſtachii modica interjectione promotus, non multo poſt in Oſtienſem Epiſcopum ordinatur. Cujus officii tempore pœnitentium Fratrum, & Dominarum incluſor, novos inſtituit Ordines, & ad ſummum uſque provexit.*

Nicol. de Arag. in Greg. IX.

Inter-

Interjectis deinde quibuſdam ſuboſcuris & ambiguis de Inſtitutione Ordinis, & Regula Minorum, quæ ſane non cohærent, nec ſubſiſtere poſſunt, ſubjungit: *Quorum*, Minorum, *eodem rigante ad eos limites incrementa venerunt, ut præbente divina potentia per ſingulos Orbis terminos eorumdem venerando conſortio vix viculus reperiatur immunis. Præter illa quidem mira æſtimatione notanda, quæ Fratrum neceſſitatibus pia liberatione conceſſit, Dominabus eiſdem*, ſanctæ Claræ Monialibus, *in Urbe Monaſterium unum, ſcilicet Monaſterium ſancti Coſmæ in Lombardia, in Tuſcia. Expenſis innumeris, & miniſterii ſui ſubventione conſtruxit, providendo poſtmodum neceſſitatibus earum, id eſt, ſingularum, eas quæ ſuæ prædicationis ſtudio, divinitus inſpirante, parentibus dimiſſis & Patria, nec lacrymis emollitæ, natorum mundi ſuperbiam & temporales divitias commutaverant in paupertatem extremam, & in aſperæ lanæ mordentes aculeos veſtis pretioſæ contextam, poſt ſummi Pontificii Solium colligebat, ut filias venerabatur & matres, ipſarum indigentiam uberioribus auxiliis proſecutus.* Pluta ſane his beneficia pius Vir in Ordinem Minorum & Clariſſarum conceſſit aſſumptus ad Pontificatum, quorum ad ſuos annos, & hujus Monaſterii ſancti Coſmæ deſcriptionem amplior & grata erit memoria. Nunc Protectoris & Cardinalis pia munia recenſemus.

Lacuna hæc in omnibus habetur exemplaribus.

X. Ad omnia, dum per Curiæ negotia licebat, Fratrum Comitia præſens aderat, quem prope accedentem Fratres omnes proceſſionaliter excipiebant, ille vero, e curru vel equo ſtatim exiliens, pedes eos comitabatur. Solemnioribus deinde Comitiorum diebus ſolemniter ſacrum peragebat, levita Franciſco Evangelium concinente. Sermones deinde publice habebat ad populum, in quibus Inſtitutum laudabat, & ipſos Fratres religioſis & gravibus inſtruebat exhortationibus. Ipſum Inſtitutorem miro ſuſpiciebat affectu & reverentia, & tamquam hominem de Cœlo collapſum colebat, atque in ſolo conſpectu illius ſummo gaudio, & exteriori replebatur exultatione. Sæpe teſtatus eſt ipſe, ut ſcribit Thomas Celanus, quod poſt initam cum Franciſco familiaritatem, in quantacumque magna hæreret mentis perturbatione, vel animi mœſtitia, ſtatim ad ejus conſpectum & alloquium omne cordis evaneſceret nubilum, rediretque ſerenum ae tranquillum, & remota accidia ac ſpiritus tepiditate, mens ejus perfecte exultaret in Domino. E regione Franciſcus modis omnibus, & ſingularibus humilitatis obſequiis ſe Cardinali ſubjiciebat, illumque miro ac reverenti venerabatur affectu: unde accidit, quod eum aliquando, in Conventu Carceris ſupra Aſſiſium, ei diceretur, Cardinalem præ foribus adeſſe eum viſitaturum, fugerit per abrupta montis, inter denſaſque arbores ſemet abſconderit. Quod ut Cardinalis reſcivit, admirabundus cauſam voluit explorare, neque ab eo per ſe, & per ſervos ſuos inveſtigando deſtitit, donec latentem detexit, cauſamque latibuli amice quæſivit. Cui humilis vir: Domine & Pater, ut audivi tuam Celſitudinem me pauperculum & vilem tanto dignaturum honore, conſiderans meam vilitatem & indignitatem confuſus erubui, indigniorem vilioremque me judicavi, quam ut mererer in tuo conſpectu apparere, & tantum a veſtra dignatione honorem recipere. Te enim pro Domino meo humiliter & reverenter ſuſpicio. Augebat etiam hanc reverentiam revelatio illa cœleſtis, qua intellexit eum Chriſti Vicarium, univerſæque Eccleſiæ Patrem & Dominum futurum: quare ita ſuperſcribebat, quas ad eum dirigebat, litteras: *Reve-*

Leg. 3. Soci. Leg. Greg. IX. Leg. Antiq.

In Comitiis Fratrum mira Protectoris pietas.

Ejus erga Franciſcum affectus.

Franciſci erga illum reverentia.

Prævidit eum creandum Pontificem.

Reverendo Patri, ac Domino Hugolino totius Mundi Epiſcopo, & Patri gentium futuro &c.

Blond. & Alber. in Umbria.

Romæ abiit Franciſcus in vallem Reatinam.

Mira ibi operatur, & quatuor extruit habitacula.

XI. Tantum itaque ac talem ut obtinuit Protectorem, reſque ſuas in Urbe compoſuit, rediens Aſiſium hæſit quantiſper in valle Reatina, Italiæ umbilico, ut ex Plinio & Varrone volunt Blondus & Albertus, quem & deſcripſiſſe indicant Virgilium 7. Æneidos illo verſu: *Eſt locus Italiæ in medio ſub montibus altis*, & ceteris quæ ſequuntur carminibus; nam omnia, quæ in deſcriptione habet Vates, in hac Valle reperiuntur, omnique ex parte præcelſi imminent montes, qui civitatem Reatinam & agrum ingenti lacu circumfuſum claudunt. In planitie hac, in civitate ipſa, in lacu, & in montibus mira inveniuntur Franciſci veſtigia; nam & undique in hoc tractu per eum Deus mirabilia operatus eſt, & quatuor ſui Sodalitii habitacula in formam Crucis in locis eminentioribus Vir ſanctus ipſe conſtruxit. Omnia ſub hoc anno referemus, quamvis non eodem omnia evenerint, tum quia non omnia certa conſtant Chronologia, tum ut omnia unius loci delectabilius & clarius comprehendamus. Quædam ſunt, quæ ſuos repoſcunt annos, & quæ propter hiſtoriæ ſeriem ſuis temporibus ſunt diſtinguenda, quæ tamen hic ſimul cum ceteris levi penicillo indicabimus.

Angel. Reatinus cit.
Marian. §. 16.
Joann. Franc. Nunno in deſcrip. vallis Reatinæ.

Græcii tuguriolum ſibi conſtruit.

XII. Primum itaque Cœnobiolum hoc anno, non ſine miraculo, obtinuit, juxta Caſtrum Græcii, vulgo *Greccio*; nam cum Oppidanis verbum Dei proponeret, emolliretque hominum corda ad pœnitentiam, rogaverunt eum, ut quantiſper apud ſe moraretur; quibus libenter morem gerens, tum ob loci pauperiem, amænitatem, & ſolitudinem; tum ob componendos reformandoſque incompoſitos hominum mores, qui abſque ullo conſcientiæ remorſu cognatas, ſecundo, aut altero gradu conſanguineas, ſibi deſponſabant, & verbum Dei, Sacramentaque Eccleſiæ quam raro frequentabant, ſibi conſtrui fecit in monte alto, procul ab Oppido, tuguriolum, inter duas proceras carpinos, quæ conjunctis & intertextis ſuis ramis ab aëris inclementiis, & Solis ardore protegebant humile pauperum receptaculum. Dum autem ab Oppido Cotanello, extra Vallem, juxta Calentinum torrentem, haud procul a Tiberi ſito, rediret ad tuguriolum, & ruſticum quemdam filiolum ulnis geſtantem rogaret, ut ſe comitem & itineris ducem adhiberet; ille vero ſe excuſaret propter frequentem & quotidianum luporum incurſum, qui undique Regionem illam, quaſi plaga cœlitus miſſa, divexabant, fidejuſſit pro lupis nullum ei, nec eunti, nec redeunti nociturum: quod experimento comperit; nam noctu domum redeunti cum filiolo duo occurrerunt lupi cauda blandientes, qui ad ſuam uſque caſellam, abſque ulla injuria, magna hominis admiratione aſſociarunt.

Fidejubet pro lupis.

Medetur malis Græcienſium.

Bonav. cap. 8.

XIII. Rem proximo mane narrat in vicinis Oppidulis, & ex ſucceſſu infert virum hunc Deo eſſe quam maxime carum, cœleſtemque ei ineſſe contra luporum rabiem virtutem. Conveniunt omnes ad tuguriolum Viri ſancti, & ſupplices orant a ſe tantam ferorum animalium, quæ bruta & homines conſumebant, peſtem arceret, aliiſque quibus divexabantur malis mederetur; nam, ut habet Bonaventura, etiam grando, annua tempeſtate, ſata & vineas devaſtabat. Afflictis compaſſus Vir ſanctus, de virtutibus ſectandis & vitiis extirpandis, propter quæ dicebat hæc immiſſa flagella, ſermonem habuit, tandemque ſubjunxit: Ad honorem, & laudem Dei Omnipotentis fidejubeo vobis, quod peſtilentia hæc omnis abſcedet, & reſpiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis,

ſi mihi

ſi mihi credentes miſereamini veſtri, ut, vera confeſſione præmiſſa, dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuncio vobis, quod ſi beneficiis ingrati ad vomitum converſi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, & major in vos ira deſæviet. Ab illa utique hora pœnitentiam ad exhortationem ipſius agentibus illis, ceſſaverunt clades, periere pericula, nec moleſtiæ quicquam lupi intulere, vel grandines. Imo quod majus eſt, ſi quando vicinorum arva grando pervaderet, iſtorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. Ceſſavit grando, ſervaverunt & lupi pactionem Servi Dei; nec contra pietatis legem in homines ad pietatem converſos attentaverunt amplius deſævire, quamdiu juxta condictum contra piiſſimas Dei leges impie non egerunt. Tantum autem beneficium, non abſque memoria & gratitudine, recipiendum putarunt, impoſitoque ſibi ſpontaneo tributo de dandis certis olei menſuris perpetuis illius Eremitorii Incolis, id ſedulo præſtant; nam vel ad vomitum peccatorum redeuntes, vel beneficii immemores continuo ab irruentibus lupis ſui officii monentur, ut ipſi qui modo vivunt teſtantur Ruricolæ, & non ſemel etiam ſuis temporibus eveniſſe ſcripſerunt Angelus Reatinus, Bartholomæus Piſanus, Marianus Florentinus, & poſtremus Concinnator Hiſtoriæ vallis Reatinæ apud me MS. quorum unuſquiſque diſtincto floruit ſæculo.

Angel. de rebus Reatin. Piſan. conf. 12. Marian. §. 14. Hiſt. Reat. MS.

Mutat locum non ſine miraculo.

XIV. Ex prædicto ſermone, præ ceteris vitam commutavit in meliorem, & intimo amoris vinculo hæſit Viro ſancto generoſus quidam ex Græcio eques, Joannes Velita dictus, jam grandævus, & obeſus, cui proinde nimis moleſtus, & oneroſus aſcenſus aſperi Montis, in quo Vir Dei latebat, quem ſæpius & familiariter inviſebat. Fatigatus ergo aliquando ex itinere ſuum explicuit tædium, & circumvicinorum populorum dolorem, quod tam longe abeſſet Vir Dei, rogavitque ut ad commune omnium ſolamen propius ad Caſtrum accederet, moraturus in habitaculo ſibi ad votum conſtruendo. Viri votis ſe aſſenſurum ſubridens promiſit, nec longius a Caſtro receſſurum, quam puerulus quiſquam torrem poſſet projicere. Conducto itaque ſecum Franciſco deſcendit gaudens eques de Monte, & ad Caſtri januam vocato obvio puero, torrem commiſit projiciendum. Lacertoſo tamen & pluſquam virili brachio, divina virtute, ultra milliarium ejuculatus eſt puerulus facem in oppoſitum monticulum ſilveſtrem, cujus Joannes dominus erat, quæ incenſo nemore cecidit in locum petroſum in declivitate Collis, ad quem obſtupeſcentes cum Franciſco acceſſerunt Oppidani, & tamquam divinitus oſtenſum elegerunt in ſitum novi domicilii. Domunculam totam, ſtatim ut potuerunt, exciderunt in petra, ita ut etiam monumenta Fratrum ibidem poſtea morientium, excidenda fuerint in duro lapide. Quo humiliter completo, primum tuguriolum dimiſit Franciſcus, cujus adhuc cernitur veſtigium, & teſtes ſunt revireſcentes adhuc carpini, quantumvis excorticatæ, & in orbem ac in pulpam a Paſtoribus cæſæ, ad conficiendas cruces, & orbiculos precanos pro hominum devotione.

Bonav. cap. 8. Leg. Greg. IX. Leg. antiqu. Anton. tit. 23. c. 2. §. 5.

Lepuſculus ab eo recedere non vult.

XV. Celebrem hanc reddiderunt ædiculam varia quæ in ea, vel prope, patravit Franciſcus miracula. Tres miraculoſos animalium irrationalium applauſus, refert Bonaventura, primum: quod apud Græcium vivus viro Dei oblatus fuit lepuſculus, qui liber in terra poſitus, cum poſſet quo vellet effugere, vocante ſe Patre benigno in ſinum illius propero curſu ſaltavit. Quem ipſe pio cordis affectu circumfovens vi-

de-

debatur eidem compati quaſi mater, dulcique allocutione commonitum, ne ſe iterum capi permitteret, liberum abire permiſit. Cumque pluries in terra poſitus ut abſcederet, ſemper in ſinum Patris rediret (tamquam ſi ſenſu quodam occulto cordis ipſius perciperet pietatem) tandem juſſu Patris a Fratribus delatus eſt ad loca ſolitudinis tutiora. Secundum, quod per lacum Reatinum eidem ad eremum de Græcio properanti piſcator unam ex devotione fluvialem obtulit avem, quam cum libenter ſuſceptam apertis invitaret manibus ad receſſum, nec illa vellet abire; erectis in cœlum oculis diu in oratione permanſit, & quaſi aliunde poſt longam horam ad ſe reverſus, dulciter iterato mandavit aviculæ, ut Dominum laudatura recederet. Suſcepta itaque cum benedictione licentia, geſtu corporis quoddam prætendens gaudium, avolavit. In eodem lacu ſimiliter oblatus fuit piſcis magnus & vivus, quem more ſolito fraterno nomine vocans, in aquam repoſuit juxta navem; piſcis vero coram Viro Dei ludebat in aqua, & quaſi more illius allectus, nullatenus receſſit a navi, niſi prius ab eodem cum benedictione licentia ſibi data.

Aves ei inhærent. *Piſces colludunt.*

Mirabilia in eo loco patrata.

XVI. In eodem Eremitorio celebres illas Nativitatis Chriſti excubias celebravit Franciſcus, quando meruit Infantulum vivum ex præſepio in ulnas elevare, præſente & vidente ſupradicto equite Joanne. Ibidem reprehendit Fratres, quod ſumptuoſius & lautius ſtraverint menſas in ejuſdem Natalis feſtivitate. Ibi etiam moleſtum ſe præbuit ſomni & quietis perturbatorem Diabolus, cervical capiti ſancti Viri ſuppoſitum ingreſſus. Hic prophetavit magnam diſcordiam Peruſinorum mox futuram. Illic propter comeſtum a ſe lardum in quadrageſima votiva ſancti Martini dum infirmaretur, accuſavit ſe publice, & tamquam glutonem reprehendit coram populo, quæ ſuis locis largius referentur. Juxta Caſtrum viſitur adhuc & obſervatur lapis, in quem aſcendit prædicaturus populo dum primum illuc pervenit, & vitioſos hominum mores extirpavit. Ex quo ſæpiſſime loci Incolas, & Fratres vidiſſe flammas, & igneos globulos, veluti in cœlum conſcendere, teſtatur Marianus, ſeque ſerio cum teſtibus oculatis de hac re egiſſe: ſibi etiam dictum, quod tum propter Viri ſancti reverentiam, tum propter miraculoſas has flammas tranſportatus fuerit myſterioſus lapis in Eccleſiam, aliaſque partes religioſas, ſemper tamen in priſtinum redierit locum.

Marian. cit.

S. Patris in hoc loco veſtigia.

XVII. Extant adhuc architecturæ Franciſci Dormitorium, Oratorium & Triclinium anguſto ambitu contenta; neque enim omnium latitudo ſex paſſus, aut longitudo triginta excedit. Hæc humiliter abſque ſuperioribus contignationibus in ipſa area petræ fabricata ſunt; quæ ſuper hæc excreverunt ædificia ſuperiora, poſtea adjecta ſunt vel ſancti Bonaventuræ tempore, ut quibuſdam, vel poſterius ut aliis placet. Habentur in veneratione Refectorii menſa, ex qua ſæpiſſime cibum cum ſuis ſumpſit: & in Sacrario ferramenta parva, miro modo elaborata & flexibilia, quæ ſecum deferebat frequenter ad hoſtias efformandas pro Sacerdotibus pauperculis: tanta erat illius erga ipſos, & Euchariſtiæ Sacramentum devotio. Inviſitur etiam ibidem arcta ſpelunca, in qua per multos annos poſt Generalatum habitavit beatus Joannes Parmenſis, & Sepulcrum prædicti equitis Joannis juxta altare Præſepii. Miraculoſe etiam aliquando hujus loci incolas Deus providit; fecit enim ſub Guardiano Stephano Molina, ſanctæ opinionis Viro, & ſtrictioris obſervantiæ in Provincia Romana inchoatore, ut cervus lethali vulnere ictus, ſtatimque

rio-

moriturus locum ingrederetur, cujus carnibus pauperculi Fratres, qui nihil penitus, quo inſtantia bacchanalia eſculentius celebrarent habebant, ventri aliqualiter indulſerunt. Ad hunc itidem locum devenientem, & noctu a recto tramite aberrantem deduxit Angelus, in forma pulcri & adoleſcentis Minoritæ, piæ & præclaræ memoriæ virum Franciſcum Gonzagam Generalem Ordinis agentem; qui poſtquam, cum paucis Sacerdotibus & Clericis, ſolita & debita ſupremo Prælato obſequia novi adventus præſtitit, & cum eiſdem pro more cecinit illam antiphonam, *Salve ſancte Pater*, ab omnium oculis evanuit, quem eo uſque Cœnobitæ reputarunt ex comitatu fuiſſe Generalis, & ille ex Cœnobitarum numero judicavit. *Nanno in hiſt. vallis Reatinæ.*

XVIII. Alium ultra duo milliaria ab ipſa Reatina civitate obtinuit locum, ſuperiori ad Occidentem oppoſitum, non longe a quadam Eccleſia ſancto Fabiano ſacra, ubi accidit illud miraculum, quo Franciſcus devaſtatam Plebani vineam ab innumero ſe viſitante populo, ex paucis relictis racemis tot vini dolia miniſtrare fecit, quot nunquam antea ſuppeditarit. Admirantibus itaque Reatinis beati Patris virtutem ac ſanctitatem, ſummeque miraculum celebrantibus, in id univerſus Reatinæ civitatis Senatus coivit, ut ex publicis facultatibus eodem prorſus in loco, ubi id acciderat, Cœnobium ædificaretur. Diu illud occuparunt Patres Clareni, deinde fuit ob rerum penuriam derelictum, ſed poſtea ſuaſu & inſtantia cujuſdam Reatini Epiſcopi reaſſumptum a Patribus Obſervantiæ Provinciæ Romanæ. Hujus loci Eccleſiam ſub invocatione Sanctæ Mariæ de Foreſta, vel de Nemore, quia inter denſas ſilvas, & lucos ædificatus, ipſe Gregorius IX. ob ſancti Viri devotionem conſecravit, in qua dicti miraculi expreſſa ſunt adhuc veſtigia. *Gonzag. in Prov. Rom. Con. 32. Marian. c. 13.* *Conventus Sanctæ Mariæ de Nemore.*

XIX. Tertium ad dextrum latus Græcii erexit domicilium in monte Raynerio, ſive Columbæ, ita a poſſidente cognominato, ubi in quadam petræ ſciſſura tempore paſſionis Chriſti facta, quam nos profitemur regulam, Chriſto dictante, conſcripſit, ut largius ad annum MCCXXIII. dicemus. Super præfatam ſciſſuram, ſeu ſpeluncam ædificari curarunt Fratres ſacellum in honorem Archangeli Michaëlis, a quo in ſpeluncam deſcenditur. In alia etiam editiori parte collis cernitur Oratorium B. Virginis Mariæ, ab ipſo Franciſco conſtructum, a quo per anguſtam ſemitam, in petra excavatam pervenitur ad Archangeli ædiculam. Miram incutit hic mons, & frequentia quæ in eo habentur Franciſci veſtigia, cunctis ſpectantibus reverentiam & devotionem. Unde & Sixtus IV. jam Pontifex omnia perluſtrare voluit nudis pedibus, monituſque a quibuſdam Cardinalibus, præcipuiſque ſui comitatus viris, ut ſaluti caveret, reſpondit, locus iſte ſanctus eſt; ingrediensque in ſubterraneum ſacellum, ſeu ſpeluncam illam, in qua condidit Franciſcus Regulam, flens circumſtantibus inquit: Hic locus ille eſt, in quo Evangelica renovata eſt vita; hic a Deo data Regula Fratrum Minorum. Magnæ eſt æſtimationis apud circumvicinos populos hæc ſacra domuncula cum adjacente Conventu, tum ob frequentem Franciſci incolatum, tum ob exemplarem vitam ibidem inhabitantium, qui ſtrictiori ſtudent Regulæ obſervantiæ. *Conven. Montis Columbæ.* *Infra n. 9.*

XX. Nidificavit aliquando prope hunc locum caſſita, & quotidie accedebat ad Virum Dei, ut cibum pro enutriendis pullis acciperet. Quos ut domum duxit, & major roſtro minores appeteret, ciboque prohiberet vel privaret, exoſus ſanctus Vir tantam cibi aviditatem, & erga ſororcu- *Diſplicet ei in avicula voracitas.*

las inhumanitatem, tamquam ad rationis capacem inquit: Inhumana & inſatiabilis alaudula malam mortem obibis, nec erit ex carnivoris animalibus, quod tuis velit carnibus veſci. Ita ſane paucis interpoſitis diebus evenit, nam in vaſculum aquæ, quod ipſe Vir ſanctus appoſuit ut epotarent, caſſitula cadens ſuffocata eſt, ex quo extracta, & cattis caniburſque ſtudioſe projecta, non erat qui illam vellet attingere. Sunt qui dicant Virum ſanctum hic paſſum cocturam illam mirabilem ad oculorum

Anno 1225. n. 3.

leniendum dolorem, cujus inferius largiorem dabimus narrationem. Illud hujus loci tribuunt ſanctitati, quod proximo hoc ſæculo prægrandis

Hiſt. Reat. MS. Gonzag. cit. Con. 36.
Supra hoc anno num. 17.

quædam arbor, ſacello ejuſdem divi Patris imminens, nivibuſque onuſta ruinam minaretur, anxiuſque venerandæ canitiei Pater Frater Stephanus Molina, de quo nos ſupra, tunc loci Guardianus eam amotam caperet, ne ſua ruina univerſum Templum conquaſſaret, quotquot in giro fuerunt ruſtici eo, ut eam ſuccideret, convenerunt. Cumque nihil, aut certe parum proficerent, eſſetque res plena periculo, pius ipſe Pater Guardianus convocatis ceteris Fratribus ad orationem confugit: & ecce dum nihil minus cogitant, nullo impellente adeo ſuaviter, adeoque blande arbor tecto adhæſit, ut nullo abſque diſcrimine, & abſque unius tegulæ jactura inde amota ſuccisaque ſit. Quod in cauſa fuit, ut & eventus miraculo tribueretur, & ſæcularium devotio ſupra modum excreſceret. Auget etiam loci æſtimationem beati Patris Thomæ de Scarlino habitus, ibidem diligentiſſime ſervatus, ad cujus contactum multi a multis curantur languoribus.

Con. Podii Buſconis.
Hiſtor. Reat. MS.
Gonzag. Con. 19.

XXI. Ad ſiniſtrum latus Grecii in ſaxoſo quodam monte, juxta Podium Buſconis, in honorem Beati Jacobi Apoſtoli quartam ædificavit Eccleſiam, & domum conjunctam. Hic poſt plurimas Dæmonis tentationes ſuperatas, celebreſque victorias de eo reportatas certam habuit revelationem de præteritorum peccatorum remiſſione, in cujus rei memoriam, elegans in ipſo revelationis loco extructum eſt ſacellum. Aliud etiam non longe diſtat, in quo cubitorum, pedum, capitiſque veſtigia ſupra naturam duro lapide impreſſa viſuntur. Extra ædiculam in monte alia ſunt Dæmonis veſtigia deformia & ingentia viva in petra relicta, dum gigantis phantaſtica forma ſanctum Virum a ferventi oratione horribili ſuo aſpectu voluit deturbare. In medio etiam itinere a Cœnobiolo ad prænominatum Oppidum alia eſt in lapide impreſſio, quæ libri formam repræſentat; nam cum ingens incideret pluvia, veritus ne breviarium madefieret, appoſuit ad quamdam petram, ſub qua etiam ſe volebat a ſuperveniente nimbo colligere, quæ libro cedens intra ſe eum recepit, ita ut nihil ab aquarum ſit paſſus illuvie. Receptaculum hoc lapideum in hunc diem perſeverat, atque ejuſdem eſt omnino menſuræ cum ſancti Patris breviario, quod apud ſanctum Damianum Aſſiſii ſervatur. Viget etiam in dicto Caſtro memoria præſtitæ ſanitatis cuidam juvenculo, cui dum adeo enormiter turgeret venter per quadriennium ut nec ad tibias, aut crura poſſet reſpicere, eum ſanctus Pater, effuſis precibus & adhibito crucis ſigno, matri reddidit incolumem.

XXII. Dum vero Franciſcus in valle Reatina his ædificandis intendebat Cœnobiis, augendæque pietati & religioni ſtudebat, non inanes fuerunt, nec tenues cogitatus Sociorum, quos ſuperiori anno ad diverſas

Maria. c. 12. §. 2.
Gonzag. in Prov. Port. Con. 3.

deſtinarat Provincias. Illorum qui miſſi ſunt in Hiſpaniam tres vel plures ultimam penetrarunt Luſitaniam, ex quibus notiores Zacharias & Gualterus, qui plurima paſſi opprobria duraſque repulſas, Reginam adic-

adierunt Urracam, Alphonſi II. Luſitanorum Regis conjugem, Conimbricæ degentem, quæ explorata hominum probitate, & mature per doctos viros illorum examinato Inſtituto, egit cum Rege, ut admitterentur in Regni incolas, & poſſent ſuæ ſodalitatis extruere domicilia. Annuit Rex, & extra dictam civitatem ad D. P. ſacellum D. Antonio Abbati ſacrum eis conceſſit; cui ſtatim accrevit humile tugurium, in quo poſtea ſanctus Antonius Patavinus Minoribus ſe addixit, cujus adhuc ibi recens memoria, & initiationis locus oſtenditur, quem ego ſæpius inviſi, dum per quadriennium ferme in academia Conimbricenſi Theologiæ operam dedi. Perſtiterunt hic per aliquot annos, donec commodiorem & ampliorem locum obtinuerunt ex altera parte Civitatis juxta Mondam fluvium. Dum autem præfatum ſacellum, ſub jure matricis Eccleſiæ reductum, ruinam minaretur, conceſſum fuit ad annum MDXL. Fratribus Provinciæ Pietatis inhabitandum, uti tunc largius referetur.

Marc. lib. 2. c. 48. & lib. 6. c. 29.

Male affecti Minores in Luſitania, tandem conſtruunt habitacula.

Con. S. Antonii Conimbricen.

XXIII. Ampliorem eo ipſo anno obtinuerunt ædem aliam Ulyſſipone, celeberrimo totius Regni emporio, extera natione frequentiſſimo, & advectis undique ex ultimis Indorum finibus variis opibus ditiſſimo. Crevit hæc ædes, quam ſæpius incolui, amplitudine, ſtructura, auctoritate, & magnificentia temporis excurſu, ita ut inter prima Ordinis domicilia poſſit haberi. A quo præcipuum ſuum habuerit incrementum, dicetur ad annum MCCLXXII. & quantum commendetur ab inſigni miraculo, & piis viris ibidem ſepultis. Tertiam adhuc occupavit ædiculam hoc anno Zacharias in oppido Jerabrica, vulgo Alanquerio, quod in patrimonium ceſſit Sanciæ Sancii I. filiæ, & Alphonſi II. germanæ ſorori, quam perperam Gonzaga Sancii II. dicit uterinam. Mire & juſte laudant hanc heroidem Scriptores a pietate, ab illibata caſtitate, a miſericordia. Illius expenſis extructum eſt Cœnobiolum ad ſubter labentis alveoli ripam, longiuſcule ab Oppido, Eccleſiamque dicavit ſanctæ Catharinæ. Excepti hoc in loco anno MCCXIX. quinque illi fidei athletæ apud Marrochium paſſi, ſed per paucos ibi perſtiterunt annos Fratres; non enim pati potuit nobiliſſima herois Sancia, ut procul abeſſent, aërique offenderentur manifeſta inſalubritate; quare ad annum MCCXXII. commutato ſuo palatio in Cœnobium, eos illo deduxit, ut tunc largius dicemus. Adhuc tamen eccleſiuncula primi Cœnobioli perſeverat, quæ ſæpius me illuc tranſeuntem ad piam primorum fundatorum excitabat memoriam, quam modo datis ad me litteris audio reædificari Patrum Provinciæ Portugalliæ pietate; obtentumque a Philippo IV. ut per tres aut quatuor Fratres, perpetuo in ſtrictiſſima Regulæ obſervantia victuros, tantæ antiquitatis & pietatis memoria conſervetur.

Convent. Ulyſſiponenſis.

Gonzag. in Prov. Port. Con. 1.

Con. Alanquerii.

Gonzag. Con. 2. Marc. lib. 6. c. 28.

Vaſcōcel. in actis Reg. Luſit. ſub Sancio I.

Duard. Nonius de Genealog. Reg. Luſitan. ſub Sancio I.

Sancia Princeps

Infra nu. 40.

XXIV. Prætereundum hic non erat pium & ſingulare cujuſdam hujus Cœnobioli incolæ, & Zachariæ ſocii factum, quo, quantum religioſis Viris fugiendæ mulierum converſationes, ad oculum monſtravit. Prædictæ Principi Sanciæ familiaris erat domicella, ob pietatem cara, nomine Maria Garzia, quæ Religioſum, vere quæ religioſi erant curantem, ſæpius inviſebat; quo nihil ei moleſtius, nec quod magis horreret, aut fugeret. Dum ergo ſemel orantem per nuncium interpellaret, rogaretque ut ſe allocuturus in eccleſiam prodiret, illeque renueret: illa demum cum, pro mulierum conditione, magis inſtaret cum lacrymis, ſuamque cauſaretur mæſtitiam ex denegato ſancti Viri alloquio & pia exhortatione, tandem importune rogatus acceſſit ignem una, paleas altera manu ferens; quas ut igni admovit, & ſubito ſuccenderentur adjunxit: Domina, ideo tunm,

Marian. c. 7.

Mar. cit. c. 29.

Chron. 24. General.

Peregrin. a Bononia ſub S. Franc.

Singulare documentum fugiendæ mulierũ converſationis.

quantumvis pium, recuſo conſortium & familiare colloquium, quia id ipſum, quod pacæ approximatione ad ignem lucratæ ſunt, lucrantur etiam Religioſi, qui cum fœminis familiarius aut ſæpius colloquuntur, ingentemque illum perdunt fructum, quem ex divino alloquio & ſancta oratione poſſent acquirere. Quo facto, quibuſque verbis cum rubore pia pediſſequa diſceſſit, nequaquam in poſterum Religioſo importuna. Plures ex noſtris rem hanc referunt, ſed Viri nomen non exprimunt: id dumtaxat addunt ſancte vixiſſe, & obiiſſe, idque per miracula conſtitiſſe; & ſanctum Antonium Ulyſſiponenſem, dictum de Padua, adhuc Canonicum Regularem in Cœnobio ſanctæ Crucis Conimbricenſi, cum ingenti claritate vidiſſe ejus animam ad cœlos aſcendentem. In eo tamen errant Peregrinus Bononienſis & Marianus, quod aſſerant viſionem hanc habuiſſe D. Antonium, dum miſſam celebraret Conimbriæ; quod nequaquam verum eſſe conſtabit, dum ſuo loco largius probabimus non inter Canonicos, ſed apud Minores presbyterio initiatum. Forſan inde ſumpta errandi occaſio, quod primi hujus rei narratores ſcripſerint inter miſſarum ſolemnia immiſſam cœlitus hanc viſionem, potuit tamen his ſolemniis intereſſe, aut miniſtraſſe, non tamen ea celebrare.

Anno 1221. n. 30.

XXV. Quartum demum poſſedit Monaſterium B. Gualterus, Zachariæ prædicti ſocius, juxta inſignem villam Vimarani, vulgo Guimaranes, Bracarenſis Diœceſis in Provincia Interamnenſi, quæ Dorio & Minio fluminibus cingitur, accepta area ſibi a piis viris oblata, inter fundum, qui Villa Viridis nuncupatur, & alium, cui Cabalinus nomen eſt; ubi Oratorium ædificans, tum vitæ ſanctimonia, tum miraculis claruit, quibus illius tractus homines ad frugem convertit, ut fuſius in ejus vita ad mortis tempus dicetur. Ob inſalubrem aërem ab hoc loco tranſlati Fratres anno MCCLXXI. ad Xenodochium, Albergaria vulgo nuncupatum, portæ Turris veteris contiguum, ſed hinc denuo in priſtinum redierunt locum, donec iterum revocati, in Monaſteriolo a ſe conſtructo & poſtea amplificato juxta Xenodochium habitarunt. Tandem exædificato amplo eis Monaſterio (in quo a ſtudiis Conimbricenſibus per aliquot menſes feriatus ſum) opera Regum Dionyſii, Ferdinandi, & Joannis, nec non ipſorum Vimaranenſium, Xenodochii monaſterium dereliquerunt, quod dilatandis mænibus Oppidi fuerit impedimento. Suis temporibus hæc omnia elarius diſtinguentur. Porro obtentum primum locum a B. Gualtero hoc anno, præter alios quamplures Scriptores, docet ipſe Gonzaga in primo Conventu Provinciæ Portugalliæ, licet de hoc Vimaranico agens dubitare videatur, an ad annum MCCXVIII. fuerint miſſi Gualterus hic & Zacharias in Luſitaniam, quos tamen expreſſe aſſerit ipſe in proœmio dictæ Provinciæ, & in Conventu Ulyſſiponenſi eo perveniſſe anno MCCXVII.

Gonzag. Con. 3. Addit. MS. ad Prov. Luſit. in Con. Vimar.

Monaſterium Vimarani.

Gonzag. in Prov. Port. Con. 3.

XXVI. Felicius itaque ſucceſſit Luſitaniæ Fratribus, quam iis, qui in Caſtella cum Bernardo Quinta Vallenſi remanſerunt; neque enim aliud adſciviſſe ſibi in hujus miſſionis auſpiciis invenio domicilium, præter unum ex meridiolani civitatis Toletanæ regione, in loco cui vulgo nomen erat Baſtida, non procul ab Urbis mæniis, ubi quidam aſſeverant jam præextitiſſe quamdam Eccleſiam D. Antonio Abbati ſacram, juxta quam per aliquale tempus in maxima paupertate, regulari diſciplina, atque ſanctitate perſeveraverunt. Cum autem eorum duo Toletum die quadam eleemoſynam petituri acceſſiſſent, atque ſorte fortuna ad forum, in quo plures equites, ac reliquum vulgus tauros divexabant, perveniſſent, a quodam Nobili tamquam per jocum atque ludibrium audierunt habituros

Petr. a Salazar. in Chro. Prov. Caſtel. lib. 1. c. 15. & 17.

Conv. Toletanus.

ſe quidem dono & taurum & ipſam plateam, ſi in medium prorumpentes taurum, ferocius poſt homines curſitantem, caperent remorarenturque. Cumque ejus dictis plures circumſtantes Nobiles ridiculoſe ſubſcripſiſſent, eorum alter præmiſſa oratione, atque de Dei bonitate, in cujus honorem & gloriam id ceſſurum ſperaret, omnino confiſus, ad taurum recta contendit, atque utroque cornu prehenſum ſubſiſtere juſsit, coëgitque. Quo tanto ſpectaculo commotus Senatus Toletanus, cujus id munus erat, ipſis Fratribus & taurum & plateam, juxta factam pollicitationem, liberaliſsime tradidit. Illi vero ex adminiſtratis eleemoſynis eodem in loco, ubi modo Immaculatæ Conceptionis Conventus ſubſiſtit, qui non longe a Regia aberat, domicilium quoddam juxta primævæ illius ſanctæ paupertatis normam, erigi ædificarique curarunt, quem tamen Sereniſsima Maria Caſtellæ atque Toleti Regina, & Regis Sancii, cui *Ferox* cognomen fuit, legitima uxor, quodam a ſe viſo miraculo, quod jam referimus, perterrita propriis ſumptibus, adjuncta etiam ſibi Regiæ parte, mirum in modum ampliavit auxitque. Sedebat namque die quadam præfata Regina ad feneſtram ſolitaria, dumque verſus Fratrum Monaſterium proſpiceret, caniſtrum panibus plenum e Cœlo demitti, atque a viro quodam exceptum Fratribus offerri vidit. Laborabant ſiquidem tunc temporis maxima panis inopia Fratres, refectioniſque hora inſtabat. Qua rei novitate perculſa Regina, poſtquam illius panis particeps effecta, ac ejus guſtu ſuaviſſimo recreata extitit, & Conventum, ut præfati ſumus, illuſtravit, & Fratres, quos prius ut novatores deſpiciebat aſpernabaturque, diligere atque frequentiſſimis eleemoſynis proſequi cœpit.

XXVII. Hoc in loco commorati ſunt ad quamplures annos, pauciores tamen quam velit Gonzaga, qui ad CCLXVII. ibidem perſtitiſſe aſſeverat, quod nequaquam conſiſtere poteſt, ſi ut ipſe paulo inferius affirmat, translati ſunt anno MCCCCLXXVII. ad regiam domum Joanni Evangeliſtæ ſacram a Ferdinando & Eliſabetha conſtructam. Si enim a poſteriori numero ſubtrahas primum, remanebunt anni MCCX. ſexto poſt quos anno, ut ſupra ſtabilivimus, vel ſeptimo, ut alii volunt, miſſi ſunt cum B. Bernardo a Quinta Valle Patres in Hiſpaniam. Atque inde minus vero ſimile ſi, ut Petrus Salazarius in Chronicis Provinciæ Caſtellæ ex aliis refert, ad primum ſanum D. Antonii per viginti annos habitarunt. Nodum hunc commodius ſolvemus, annorumque exactius dabimus computum, dum ad hanc ultimam devenerimus translationem.

Gon. loc. cit.

Salaz. cit. c. 17.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Gonz. in Prov. S. Bonav. Con. 2. Con. Villa-franca Diœc. Lugdun.

„ XXVIII. Hoc Anno, vel ſequenti exordium habuit Conventus Villæ-Francæ, oppidi Diœceſis Lugdunen. ab ipſo Lugduno ſuper Saonæ fluvii oras per XV. M. P. diſtantis. Etenim cum inclytus Belli-joci Baro Conſtantinopoli, quo a Gallorum Rege legatus eſt, in Galliam rediret, & per Aſſiſium, anno ab ordine inchoato octavo, tranſiens, novi Inſtituti, aliquorumque S. Franciſci Sociorum notitiam haberet, aliquot Fratres in Galliam conduxit. Horum alter Viennæ manſit; alius in Civitatem Montisferrandi miſſus eſt; reliqui vero cum Barone in Caſtrum de Pouly abierunt. Conſtructo illic ſumptibus ejuſdem Herois eleganti Cœnobio, præmemoratis Fratribus acceſſerunt alii, moramque traxerunt integro annorum centenario. Sed Illuſtriſſimus quidam Heros Borbonius, conſtructo alio nobiliori, & commodiori domicilio prope mœnia prædicti Oppidi Villæ-Francæ, illuc curavit Fratres prioris domicilii transferri, & cum eiſdem oſſa duorum priorum Fratrum, qui ſancto Franciſco coævi, magnæ virtutis & ſanctitatis ſpe-

„ ſpecimen dederunt, ſepulta ſunt cum reverentia inter Chorum, & navem Eccleſiæ.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Sollicitudo Pontif. pro ſubſid. Terræ Sanct.

Indiculus ex Oderic. ſupracit. fol. 266. & 277.

Petrus Antiſiodor. coronatur Imper.

Com. Hiſt. di Gio: Nicedo. Deglioni p. 3. an. 1217. fol. 359.

S. P. meditatur iter Franciæ.

„ I. REbus Chriſtianorum Syriæ in diſcrimine poſitis, Summus Pontifex, ut verus fidelium paſtor ſollicitus & vigilans angebatur, & ſibi curas augebat, nil eorum prætermittens, quæ mala illis imminentia, vel avocare, vel avertere poſſent: quamobrem expeditis litteris Apoſtolicis xv. Kal. Januarii. *Ammonitarum Dux &c.* & 11. Idus Januarii. *Ad augendas gratias &c.* Cruceſignatos urgebat in Syriam, & alios ut ſuppetias miſeris opportune ferrent. At interim in Imperatorem Conſtantinopolitanum Romæ Petrum Antiſiodorenſem, filium, ut nonnulli volunt, & ſucceſſorem Henrici illius, qui eodem in Imperio Balduino Fratri ſucceſſerat, exoptavit & Imperiali diademate ornavit: ſperabat enim per eum Aſiaticis malis obviari poſſe. Ad exemplum tanti Patris, & Summi Pontificis Franciſcus omnino operoſus cum in varias mundi partes miſiſſet ſuos pugnaces in vitia commilitones, in Provinciam Franciæ parabat iter, a quo tamen meliori conſilio abſtinuit, ut apud Waddingum habemus.

Villa Fráca diœceſ. Lugdunen. Oppidum.

Claud. Picqu. in catal. Vir. Illuſtr. Ord. Min. in notis ad cuſtod. Lugd. ad diem 3. Auguſti.

Per Aſiſium tranſiit S. Patriarcha.

Frat. Minor. ſecũ ducit in Galliam B. P.

Franc. Harold. in epit. ad hunc annum n. 8.

Oſſa duorũ Fratrum transf.

„ II. Interea hoc anno Villæ-Francæ Oppidi non vulgaris, diœceſis Lugdunenſis in Gallia Celtica, Minoritarum Cœnobium ſumpſit exordium, ut enarrat Claudius Picquetus, & commemorat Franciſcus Haroldus. Etenim cum Belli-Joci inclytus Baro Conſtantinopoli, quo a Gallorum Rege legatus erat, in Franciam rediret, & per Aſsiſium, anno ab Ordine inchoato octavo tranſiret, novi Inſtituti, & Sociorum S. Patris vitam moreſque omnino religioſos dignoſcens, eorum aliquot ſecum in Galliam duxit. Eorum vero unus Viennæ Allobrogum in Gallia Narbonenſi remanſit, alius in civitatem montis Ferrandi miſſus eſt, reliqui vero cum Barone in Caſtrum *de Pouly* abierunt, ubi ejuſdem Herois ſumptibus in conſtructo Cœnobio habitarunt. Præfatis Fratribus acceſſerunt alii, moramque in loco traxerunt integro annorum centenario, uſque dum Illuſtriſſimus quidam Heros Borbonius, conſtructo alio commodiori & elegantiori domicilio prope mœnia prædicti Oppidi Villæ-Francæ, illuc Fratres, & cum illis oſſa duorum Fratrum, qui S. Franciſco coævi, magnæ virtutis & ſanctitatis ſpecimen dederant, transferri curavit. Porro præfata lipſana cum reverentia inter Chorum, & Eccleſiam locum ſortita ſunt.

Wadd. ad annũ 1287. n. 15.

Anonym. quidam ſoc. S. P. F. ibi ſepelitur.

Wadd. ad annũ 1229. n. 28.

„ III. Hoc igitur anno MCCXVII. nedum Villa-Franca Lugdunenſis ſub Archiepiſcopo Raynaudi *de la Tour* Fratres Minoritas excepit, ſed etiam mons Ferrandus, Oppidum Claromontanæ diœceſis, & Vienna Allobrogum civitas Archiepiſcopalis in Gallia Narbonenſi clara & ampla. In hujus vero Urbis, & matricis Eccleſiæ cæmeterio quemdam ex S. P. Franciſci ſociis, qui miraculis coruſcavit, jacere ex fama enarrat Waddingus, quem puto eorum unum eſse, quos ſecum ab Aſsiſio Baronem Belli-Joci duxiſse, ſuperius commemoravi, & hunc morte præventum ſepulturam habuiſse in cæmeterio matricis Eccleſiæ, quod nondum eccleſia pro Minoribus ibidem conſtructa eſset. De Conventu pariter Montis Ferrandi ex Gonzaga agens Waddingus, ait in ejuſdem eccleſia S. Thomæ Cantuarienſi, & Margaritæ virgini conſecrata, ſimiliter alium quemdam ex ſociis ejuſdem B. Patris quieſcere, & hunc etiam unum eorumdem facile exiſtimaverim.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Valle Reatina tranſiens Aſſiſium, obtinet eremitorium S. Eleutherii. Aſſiſii, miſſis litteris pro convocandis Fratribus ad Comitia generalia, immiſſa tentatio, a qua miraculoſe liberatur. Multa circa ſuos Fratres futura hoc in loco prævidit, & quam coercendi ſint inobedientes oſtendit. Inde Peruſium abit, hinc in montem Alvernæ, & in reditu jubet noviter ædificatas ædes dirui. Recenſentur item quædam domicilia Fratrum & Monialium hoc anno extructa.

I. QUATUOR diximus anno ſuperiori Franciſcum extruxiſſe domicilia intra vallem Reatinam, quarum perficiendarum cura commiſſa Sodalibus, Aſſiſium pergens extra vallem in montibus prope Caſtrum Quitiliani occupavit eremitorium ſancti Eleutherii, libentiſſime ſibi oblatum ab Oppidanis, ut aliquos ſui Inſtituti ibi conſtitueret, a quibus inſtruerentur. Algebat hic ad Januarii finem intenſo frigore, cui Socii medentes, aſſuerunt interius habitui aliqua præſegmina, quibus calefacto corpore aliquantum refocillabatur. Vocato porro ad ſe Socio, diſſui juſſit aſsuta, rationem ſub jungens: Frater, ego poſitus ſum aliis in exemplum, meaque vita norma eſt aliorum. Nullum hic novi latere piaculum, ubi ſpiſſiori aut reconcinnata veſte corpus meum experior indigere; ante oculos tamen habeo plurimos ex noſtris fratribus, qui reſtaurata etiam, aut meliori opus habeant veſte, nec tamen eam poterunt ſibi undique conquirere. In hujuſmodi ergo neceſſitatibus tolerandis debeo eſse quaſi unus ex ipſis, ne mihi videar plus indulgere, quam illorum compati in opiæ; atque ſane illi libentius ſuas ferent neceſſitates, dum meas viderint ſpontaneas. Monent ad hoc factum tres Socii ita ſemper Franciſcum cum ſuis egiſse, ut *non modo loquendo, ſed etiam tacendo monitoris partes obierit*, & diſcipulos plus docuerit exemplo quam verbo, quodque licita ſuo ſubtraxerit corpori, ut erubeſcentius filii ad illicita declinarent.

Supra n. 11. & ſeqq.
Legend. 3. ſociorum.
Marian. c. 13. §. 12.
Ad exemplum aliorum nihil rigoris vult remittere.
Nazian. orat. 20. ante med.

II. Hinc ut ad Mariæ Angelorum pervenit, conſideravit motus cœlitus quam amplas ſuum Inſtitutum emiſerit propagines, & quanto fructui poſſet eſse rei Chriſtianæ, ſi ad univerſas diffunderentur regiones. Plures fuiſse expendit ad quas non tranſierint, & in iis ipſis, ad quas miſſi erant Fratres, ſcire voluit quid egerint. Statuit itaque ad Comitia generalia ex univerſis locis eos convocare, deſtinatiſque ad ſingulas Provincias litteris, monere Conventum hunc celebrandum ſub feſto Pentecoſtes anni ſubſequentis. Dum autem alte de his meditaretur, immiſſa ei valida tentatio ſpiritus, quæ omnem procul abigeret gloriam inanem, quæ ex tanto opere & tam inſigni prole poſſet ſubrepere. Per plures dies duravit hæc moleſtia, quam multa prece & lacrymis voluit ſuperare. Intenſiſsime tandem oranti inſonuit vox cœleſtis: *Franciſce ſi habueris fidem ut granum ſinapis, & dixeris monti ut tranſeat tranſibit*. Ignarus ille ſenſus oraculi clamans addidit: *Domine qualis hic mons?* Cui reſponſum: *Mons eſt tentatio*, & Franciſcus magno lacrymarum impetu ſubjunxit umiliter: *Fiat mihi Domine, ſicut dixiſti; ſtatimque ſublata omni tentatione perfectam obtinuit ſpiritus tranquillitatem*.

Citatorias mittit litteras pro Comitiis celebrandis.
Immiſſa ei tentatio.
Legen. antiq.
Marian. c. 8. §. 12.

III. Tunc accidit ut cum aliquando Vir ſanctus in ſancta ædicula oraret, videret ipſum locum veluti exercitu Dæmonum circumquaque obſeſ-

Specul. S. Franc. 1. p. c. 85.

Prævidit magnũ cujuſdam Fratris periculum.

obſeſſum, nullus tamen introeundi aditum inveniebat. Interea Frater quidam, qui illic morabatur, iræ & impatientiæ impetu permotus pro vindicta criminationes in confratrem fabricabat, ſicque oſtio caritatis diſrupto, viam intrandi Diabolo præbuit. Statim namque vidente beato Franciſco unus Dæmonum intravit, & Fratrem illum ſævus victor aggreditur. Advertens itaque pius Pater & Paſtor oviculæ a lupo devorandæ periculum, eumdem Fratrem quantocius advocari jubet, cui præcepit ut venenum odii corde conceptum manifeſtando evomeret, per quod traditus erat in manus inimici. Territus ille vulnus detexit, culpam agnovit, veniam cum pœnitentia humiliter poſtulavit. Qua impetrata ac Fratre reconciliato, coram oculis beati Patris Dæmon aufugit, & ovicula, ſedulitate paſtoris de faucibus truculentæ beſtiæ, erepta Deo ac beato Franciſco gratias retulit, atque deinceps hujuſmodi pericula præcavit.

Bonav. c. 11.

Scandalũ & malum exitum prævidit alterius.

IV. Eo etiam tempore duo Fratres venerunt de Terra Laboris, quorum antiquior nonnulla intulit ſcandala juniori. Cum autem perveniſſent ad Patrem, quæſivit ille a juniore qualiter erga ipſum ſe Frater ſocius habuiſſet in via: quo reſpondente, utique ſatis bene, ſubjunxit: cave Frater, ne ſub humilitatis ſpecie mentiaris, ſcio enim, ſcio, ſed expecta modicum & videbis. Miratus eſt perplurimum Frater, quomodo tam abſentia per ſpiritum cognoviſſet. Igitur non poſt multos dies contempta Religione foras egreditur, qui ſcandalum fecerat Fratri, & a Patre non petierat veniam, nec correctionis debitam receperat diſciplinam; ſimulque duo in una illius claruere ruina, æquitas ſcilicet divinæ juſtitiæ, & perſpicacitas ſpiritus prophetiæ.

Marian. c. 14.

Legen. antiq.

Inobedientem Fratrem vivum jubet ſepeliri.

V. Unum & alterum dedit tunc exemplum in ipſa illa æde de inobedientibus Fratribus durius puniendis. Noluit quidam Frater collum jugo obedientiæ ſubmittere. Vocatum ad ſe inobedientem vehementer increpavit, deinde juſſit ut veſtes exueret: deduxit mox in altam foveam, præcepitque Fratribus, ut ſtanti terram circumducerent, & vivum ita ſubterrarent. Fecerunt ita Fratres, foſſamque replerunt, donec ad mentum jam Frater cooperiretur; cui tunc Franciſcus, es ne mortuus Frater? Quo humiliter reſpondente: ita pater, vel ſaltem propter meum peccatum mori debueram; juſſit pius pater, ut extraheretur, dicens: ſurge, & ſi vere mortuus es, ut probum Religioſum mundo & concupiſcentiis mortuum decet, obedito Prælatis ad nutum, nec amplius reluctèris præceptis, quam homo mortuus qui in nullo poteſt repugnare.

Bonav. c. 6.

Aliud inobedientiæ ſupplicium.

VI. Alias accidit, ut præſentaretur ei alter ex Fratribus, qui contra legem inobedientiæ aliquid fecerat, diſciplina juſtitiæ corrigendus. Videns autem Vir Dei Fratrem illum per ſigna accidentia veraciter eſſe compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ, incentivum eſſet aliis delinquendi, juſſit ablatum Fratri capitium in medio flammarum projici, ut omnes adverterent quanta qualique vindicta offenſa ſit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram capitium fuiſſet in medio ignis, præcepit ipſum flammis detrahi, reddique Fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu. Extrahitur capitium de medio flammarum, nullum habens aduſtionis veſtigium: ſicque factum eſt, ut hoc uno Deus miraculo, & ſancti Viri virtutem, & humilitatem pœnitentiæ commendaret.

VII. Poſt hæc, ne teperet domi, ut ſuos inviſeret Peruſii commorantes, illuc ſe contulit, quibus ſancto exemplo & ferventi exhortatione fervo-

fervorem addidit & virtutem. Hinc deinde declinans juxta Columbellæ Oppidum, quinto a Peruſio lapide, obtinuit a patribus Benedictinis Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Ferneto, quam in Cœnobium erexit, quod glorioſi martyris Juſtini ſacro corpore nobilitabatur. Ibi per aliquale tempus hæſit aſſiduus in oratione, cujus continuæ geniculationi marmoreus ceſſit lapis, ut genuum impreſſa veſtigia in hunc uſque diem teſtantur. Hic ſecundo prædixit Vir ſanctus fratri Eliæ malum exitum ob innatam ſuperbiam, in cujus rei memoriam erectum ibi devotum Sacellum adhuc conſervatur. Alium etiam tunc occupavit locum ad milliare unum ab Oppido montis Jovis, ſub invocatione Sanctæ Mariæ de Scarzola, conceſſum & ædificatum a piiſſimis Comitibus Marſcianis Peruſinæ Diœceſeos: labentem reſtauravit B. Pater Paulutius a Fulgineo; ibique jacere, ait Piſanus, corpus beati Fratris Senſi, Viri memorabilis & admirabilis.

> Conven. S. Mariæ de Ferneto.
> *Gonzag. in Prov. S. Fran. Con. 43. Hiſtoria M. S. ejuſdem Prov.*
> *Gonzag. ibid. Con. 47. Hiſt. M. S. ejuſd. Prov.*
> Conv. S. Mariæ de Scarzola.
> *Piſan. l. 2. conf. 8.*

VIII. In hoc regreſſu e Peruſio contigit, quod refert Bonaventura de efficacia orationis Viri Dei. Obvius ei factus Abbas Monaſterii ſancti Juſtini de Epiſcopatu Peruſii, celeriter & devote de equo deſcendit, ut & Viro Dei reverentiam faceret, & de ſalute animæ aliqua cum ipſo conferret. Tandem habita collatione ſuavi Abbas abſcedens orari pro ſe humiliter petiit; cui Vir Deo carus reſpondit: orabo libenter. Parum itaque diſcedente Abbate, dixit fidelis Franciſcus ad ſocium, expecta Frater modicum, quia debitum volo ſolvere, quod promiſi. Orante autem illo, ſubito Abbas inſolitum calorem, & dulcedinem hactenus inexpertam ſenſit in ſpiritu, ita quod in exceſſu mentis effectus, totus a ſeipſo in Deum defecit: parva morula ſubſtitit, & in ſe reverſus, virtutem orationis S. Franciſci cognovit. Majore proinde circa Ordinem ſemper amore flagravit, multiſque factum pro miraculo retulit.

> *Bonav. c. 10.*
> Efficacia orationis S. Franciſci.

IX. Porro a Peruſio Vir ſanctus ad ſolitudinem Alvernæ montis perrexit per viam montis Acuti, & ſuperiorem partem vallis Capreſii. Dum autem tranſiret per eccleſiam ſancti Pauli, aliis Poli, quæ tunc reſarciebatur, videretque duos cæmentarios moleſte & fruſtra laborantes in elevando adaptandoque oſtii cardine, ob propenſionem erga eccleſias reparandas & compaſſionem artificum, quem bini non poterant elevare lapidem, ſolus ſuo loco repoſuit. In hoc eodem itinere juxta caſtrum Capreſii oſtenditur longus & largus lapis, ſuper quem Capreſiani tradunt ſanctum Virum feſſos artus reclinaſse, ejuſque corpori duram petram, quaſi molle culcitrum, ceſsiſse. Huic concavitati ad formam hominis expreſsæ plurimi ſe inſerunt ex devotione, ſed ii libentius, qui renes dolent; miraculoſe enim ex ſacri Viri veſtigio ſe ſanari comperiunt.

> Abit in Montem Alvernam.
> *Legen. antiq.*
> *Marian. c. 11. §. 4.*
> *Miglius lib. 2. de monte Alver. c. 1.*
> Cedit ei lapis durus.

X. Præter hanc vicem, primamque quam ſupra retulimus, aliis quatuor ad ſacrum montem acceſsiſse monent Marianus & Miglius citati. Conſtat in reditu ex Oriente illuc abiiſse per viam eremi Camaldulenſis cum Cardinali Hugolino, uti tunc dicetur, & per viam Aretii quando ſacra recepit ſtigmata. Incertum eſt præter hæc aliud tempus, licet conſtet de veſtigiis, nam & in aliis viis ſui memoriam reliquit. Plebani Oppidi S. Stephani per ſe, illuc tranſiſſe volunt, ſeque ei conceſſiſse tunc eremitorium S. Pauli ſecundo a caſtro milliari, valde devotum & ſolitarium, aſperum tamen & ſatis acerbum ad vitam tranſigendam; proindeque a ſancto Antonio Patavino, ibidem aliquando commorantem, vulgo Cerbajuolo, Cerbarolum dictum. Similiter traditur per viam Flo-

> Quoties acceſſerit ad montem Alvernæ.
> *An. 1220. n. 19.*
> Conv. Cerbaroli.
> *Gonzag. in Prov. Tuſc. Con. 44.*

Florentiæ eo tetendiſſe per montem Pominum, ubi apparet fons vivus e vivo lapide manans, quem eduxiſſe volunt Franciſcum.

Legen. 3. Sociorum. Mariæ.c.13 §.23.Specul.vitæ Franc.c.7.

Dirui novas ædes jubet.

XI. Ex hoc monte, per aliquot menſes inſtructis filiis, rediit Aſſiſium, ubi dum vidit ad latus cœnobioli capaciorem commodioremque domum extructam, quam ſtricta præſcribebat paupertas, indignabundus aſcendens in tectum, advocatiſque quibuſdam ex Sociis, a culmine totum voluit diſſolvere domicilium. Idque proculdubio feciſſet, niſi opportune commoneretur a Civibus ſuas illas ædes eſſe, propterea que conſtruxiſſe, ut Fratres quotidie adventantes, quorum Cœnobium capax non erat, haberent ubi ſe colligerent, neque ſine ſui nominis opprobrio, & Civitatis dedecore, jam amplius ſibi licere, ut abſque ullo hoſpitii aut domicilii genere jacerent in campis. Proinde id ſibi juris ſervaſſe communitatem Aſſiſii, ut ſuo nomine in illo hoſpitio Fratres reciperentur, & huic miniſterio ædes dedicaſſe dixerunt. Quod ut Vir ſanctus audivit, deſcendens dixit: ſi veſtra eſt domus hæc, nolo eam tangere, eam omnino relinquo, neque mihi, aut meis quidpiam in eam juris aliquando licebit aſſumere, eam ipſi curate. Quod & fecerunt Aſſiſiates; nam eam libere deputarunt Fratrum neceſſitatibus, injuncta cura ex facto ſtatuto, ut quiſquis eſſet Prætor Civitatis, eam quotannis, dum opus eſſet, reſarciret; quod per plurimos poſtea obſervatum eſt annos.

Conv. montis Luci.

Gonz. in Prov. S.Franc.Con.7. Idem Prov.Concept.Con.5.

Conv. Carrionen.

XII. Circa hunc annum in ſummitate montis Spoletani, qui mons Lucus dicitur, inter confertas arbores Cœnobiolum extruxit Vir ſanctus, devotioni & contemplationi accommodum. In Eccleſia in Sacello beati Bernardini jacet beatus Franciſcus Papienſis. In Sacello beati Franciſci Papienſis jacent beatus Demetrius Inſuber, & beatus Antonius de Zegrinis Piſanus, ſuis locis digne laudandi. In Hiſpania aliud circa idem tempus acquiſitum domicilium intra Oppidum, quod *Carrion de los Condes*, Hiſpanice nuncupatur: cujus refectionem per ſuas commendavit Fidelibus Eugenius IV. anno Domini MCCCCXXXVI. quæ occaſionem præbuerunt quibuſdam, ut ſub hoc Pontifice auſpicatum putarent. In hujus loci Eccleſia admirandæ religionis & ſanctitatis Pater Franciſcus Numantinus, vulgo de Soria, tumulatus quieſcit, qui Sereniſſimo Navarræ Regi a ſacris Confeſſionibus extitit, atque apud eumdem pro Joanne ejus nominis II. Caſtellæ Legioniſque Rege honorificentiſſima, atque feliciſsima Legatione functus eſt, quique juxta Ferdinandi Piretii a Guſmanio in ſuis Chronicis ſententiam, plurimis miraculis poſt obitum claruit. In Catalonia item aliud coævum Cœnobium ſanctæ Mariæ de Jeſu ſacrum extruxit Senatus Balagarii citerioris Hiſpaniæ Urbe ad Sicoris fluvii marginem, circa quod reparandum & manutenendum magnam ſemper poſuit curam, & ſolicitudinem ex ſua devotione prædictus Senatus.

Idem in Prov. Catal. Con.8.

Monaſt. montis Lucis.

Conzag.in Prov. S. Franciſ. in Monaſt. 1. Hiſt. MS. illius Prov.

Monaſt. Burgen.

XIII. Duo præclara erecta, ſaltim inchoata, hoc anno pro Clariſsis Monaſteria, unum Peruſii, quod ædificari curavit ſub titulo ſanctæ Mariæ montis Lucis Illuſtriſsimus Dominus Hugolinus Cardinalis Ordinis Protector in fundo, quem nobilis vir Glotto Monaldus civis Peruſinus ad hunc finem teſtamento legavit. Situs ſane per quam amænus ultra modum mihi arriſit hoc Monaſterium viſitanti anno MDCXIX. & ſummopere exhilaravit magna opinio ſanctitatis & religioſæ converſationis Monialium, quam ſemper tenuerunt ab anno MCCCCXLVIII. quo eas beatus Joannes Capiſtranus ad ſanctiorem vivendi normam reduxit. Alterum Monaſterium tenue ſumpſit initium Burgis in Hiſpania, in Parochiali

quadam

quadam eccleſia Glorioſæ Virgini dicata, qua etiam de cauſa ejuſdem Virginis titulo, uſque ad obitum ſanctæ Claræ inſigniebatur. Hac vero inter Sanctas relata, ab ea nomen obtinuit. Lente proceſsit opus, nec ad perfectum deductum, neque res omnino diſpoſitæ, aut Moniales plenam firmamve habuerunt vitæ normam, neque perfectam, donec deſtinatis in Urbem quatuor ex ipſis (quod non adeo inſolitum ea ætate in Sanctimonialibus, donec per Regulam Clariſsis datam id expreſſe prohibuere Innocentius & Urbanus IV.) Gregorius IX. anno MCCXXXIV. Pontificatus ſui VIII. Regulam dedit, & auctoritatem Abbatiſsam eligendi per peculiare Diploma, quod illo miniſtrabimus anno. Imminenti autem hujus Monaſterii ruinæ occurrit Vir devotus, & nobilis Joannes a Salmantica Pollanco civis Burgenſis, conſumptis in ejus reædificatione ab anno MDXXV. uſque ad MDXLV. triginta millibus Coronatorum. Jacet in Choro, non abſque honore, devotiſsima & admirandæ religionis ſoror Eliſabetha a Turri, cujus vitam & facta laudabilia ampliori ſermone ſuo dabimus loco.

Gonzag. in Prov. Burgen. Monaſter. 1.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. HOc anno parata claſſe maritima, menſe Majo poſt Aſcenſionem „ Domini Joannes Dux Viennæ Allobrogum electus in Regem „ Hieroſolymitanum, Cardinalis Columna Legatus Apoſtolicus, Patriarcha cum Epiſcopis Nicoſienſe & Acconenſe, necnon Gyrmideno, & Duce Auſtriæ cum multitudine copioſa Chriſtianorum, de Accone proficiſcentes, Damiatam, fugato Soldano Ægypti cum ſuo „ exercitu, vi expugnarunt; ac interim Cordirius præfati Soldani filius „ mœnia Hieruſalem, Templa, ac Turres, excepta Davidis, ea cum „ ſancto Chriſti Sepulcro deſperate diruebat.

Jo. Dux Viennæ Rex Hieruſalem

Jacob. Vitr. lib. Hiſt. Orient. fol. 1112.

„ II. At dum in Egypto Chriſtianorum arma feliciter pugnant, „ ſanctus Pater Dux novæ militiæ ſpiritualis, qui ſuos commilitones in „ varias mundi plagas pugnaturos in vitia dimiſerat, citatorias ad illos „ dedit litteras, ut anno proxime ſequenti convenientes ad ſanctam „ Mariam Angelorum ab iiſdem eorumdem profectus ediſceret, & cum „ ipſis agenda ad honorem Dei, proximique utilitatem, cum incremento „ Religionis decerneret. Interea Annonæum urbs in territorio Vivarieſi ſub ditione ſpirituali Archiepiſcopi Viennenſis, omnium hujus „ regionis notiſsima, in declivi ſaxeto poſita, & quaſi pendula, rivis „ undique diffluentibus circumdatur, ager ejus vini prodigus, & tritici „ avarus, aere gaudet ſaluberrimo. Gallis *Annonai* dicitur, diſtatque „ a Vienna in Meridiem IX. M. P. Gallicis, non tam murorum firmitate „ munita, quam Virorum excellentia celebris, ſummi Prætoris tribunalis exornatur, Eccleſiæ Romanæ Religionem, & ſpecialem erga „ Ordinem Seraphici Patris ſancti Franciſci devotionem ab initio profeſſa eſt. Extant adhuc antiquiſsima, & luculentiſsima tum religionis, „ tum devotionis ejus erga Ordinem monumenta, duo ſcilicet illa devota Cœnobia, unum Fratrum Minorum, quod ab initio naſcentis „ Ordinis conſtructum, a primis illis ſancti Patris noſtri Franciſci Sociis inhabitatum; ſpeciatimque ſancti Antonii Paduani frequentatione „ conſecratum fuiſſe veterum traditio teſtatur: alterum eſt pauperum Dominarum ſanctæ Claræ Monaſterium, quas Urbaniſtas vocant. „ Eos ſancti Patris noſtri Franciſci Socios, qui primi Cœnobium Anno-

Expediuntur à S. P. litteræ pro Capit. General.

Wadd. ad annum 1218. n. 2.

Deſcribit. Annonæum urbs.

P. Juvenalis a Lugduno in hiſt. deſcript. Convent. Annonai.

Duo Cœnobia ibi.

„ næi inhabitarunt, puto eſſe illos, quos ſupra dicebam a Barone Belli
„ Joci Aſiſio in Galliam deductos. Quamobrem hujus domus memo-
„ riam huic anno conſignare placuit, cum apud nullos noſtrorum Scri-
„ ptorum ſatis, & ad votum de illo quidquam legere potuerim. Et
„ quidem Waddingus commemorat Fratrem Gullielmum, qui precibus
„ navem ſolutam, & a portu remotam, nullo agente nauclero reduxit,
„ ſepulturam in Conventu Amoniaci Provinciæ Burgundiæ, quæ nunc
„ dicitur Divi Bonaventuræ accepiſſe, ut ex Gonzaga didicit: ſed
„ Amoniaci Conventus in deſcriptione ejuſdem Provinciæ non recenſe-
„ tur. Claudius Picquetus in Catalogo Virorum Illuſtrium Ordinis
„ fratrum Gullielmum præfatum ait obdormiſſe Unnoniaci in territorio
„ Vivarienſi, & floruiſſe anno MCCCC. VI. Idus Novembris: in Catalogo
„ vero Provinciarum Piſani, & Provinciæ Burgundiæ cuſtodia quinta
„ Vienneſi, cui octo Conventus adſcribuntur, tertius eorum eſt An-
„ noniaci: ex quibus non tantum errorem in nomine irrepſiſſe, ſed etiam
„ ejuſdem fundationem oblivioni datam fuiſſe reor. Ceterum de An-
„ nonæo ſermo recurret.

Wadd. ad annum 1287. n. 15.

F. Gulliel. reducit precibus Navem in Portum.

Gonzaga p. 1. de B. Ord. Seraph. fol. 95.

Claud. Picquetus in Catal. Vir. Illuſt.

ARGUMENTUM.

Celebrat Franciſcus Comitia generalia ad miraculum numeroſa, quibus interfuit ſummus Patriarcha Dominicus. Fratrum conſilio, & ſtudio circa animarum ſalutem ſuas artes Dæmon opponit. Mittuntur ferme in omnes Orbis partes Prædicatores. Franciſcus ipſe, rejecta cura Monialium in Cardinalem Oſtienſem, qui eis Regulam præſcribit, tranſit in Orientem cum pleriſque Sociis; Soldano & Saracenis prædicat, Syriam Paleſtinam, & Regiones alias perluſtrat, ubique fidem confirmans, & ſuum Inſtitutum adaugens.

Marian. c. 14. §. 3. Bonav. c. 6. Caſtil. lib. 1. c. 50. Marc. lib. 1. c. 47. Humberti lib. 5. arbitr. vit. Chriſt. c. 3. Specul. S. Franc. 1. p. c. 35.

An Minor. aut Prædic. debeant aſſumi ad Prælaturas.

I. CELEBREM reddiderunt hunc annum generalia illa & magna Comitia, ad quæ miſsis ſuperiori, ut diximus, anno litteris convocavit Franciſcus ſuos Sectatores, qui ineunte jam vere, undique ex remotiſſimis etiam terris accurrebant. Habuit autem Vir ſanctus, ante ipſum Conventum, quædam tractanda cum Hugolino Cardinali, agente Legatum Pontificium Peruſii, ubi oportuit per aliquot dies immorari. Superveniente autem ex Urbe ſancto Dominico utrique familiari, & aliquando colloquentibus, deque re Eccleſiaſtica ſerio agentibus, interrogavit Cardinalis. An eis placeret, ut ſui Sectatores promoverentur ad Eccleſiaſticas dignitates? Namque eam ſibi inditam dicebat opinionem, non ſecus eos Dei cauſam acturos, & committendos ſibi greges ſolicite recturos, quam primos illos Eccleſiæ Paſtores, qui in magna rerum paupertate, abunde ſuas paſcebant oves ſanctiſſimæ vitæ exemplo, ſanctis & ſalutaribus documentis in caritate non ficta. Quis poſterior reſponſum redderet, & humiliter proloquentem ſequeretur pia humilitate contendebant ſancti Patriarchæ; donec tandem importuna ſui amici prece victus Dominicus, inquit Franciſco: Tu me vincis humilitate, ego te vincam obedientia. Deinde converſus ad Cardinalem, ſubjunxit: Domine, in bono & ſublimi gradu ſunt Fratres mei, ſi hoc vellnt agnoſcere; quid enim honorabilius, quam ceteros ex alto docere: quidque bonis mentibus deſiderabilius, quam ut fidem & Eccleſiam

Catholicam propugnent, ejuſque inimicos propellant? Quare ego omnino eos velim in ſuo ſe ſtatu continere, & quantum ego valuero, ut ita fiat, curabo. Subnexuit deinde Franciſcus: Domine, Minores ideo vocati ſunt Fratres mei, ut majores fieri non præſumant. Si vultis ut faciant fructum in Eccleſia Dei, tenete illos & conſervate in ſtatu vocationis eorum, & ad prælationes Eccleſiaſticas nullatenus aſcendere permittatis. Quibus reſponſis, mirum in modum ædificatus eſt Cardinalis, laudavitque ſanctorum Virorum ſanctam humilitatem, nec tamen judicium depoſuit, pro corrupti temporis conditione, tales miniſtros Eccleſiæ ſumme profuturos.

Legen. 3. Sociorum. Piſan. libr. 11. conf. 12. Pelbar. ſermon. de S. Franciſc.

Quanta neceſſitudo inter utrũque Patriarchã.

II. Refert ad hæc Frater Leo, ſocius tunc ſancti Franciſci, qui præſens omnia vidit, multa inter ſe collocutos ſanctiſsimos Patriarchas ad animarum ſalutem, & Chriſtianæ Fidei nitorem & augmentum. Deinde de ſuis Inſtitutis largius egiſſe, invicem de rebus ſuis interrogaſſe, tandemque ſanctiſſimum Patrem Noſtrum Dominicum adjeciſſe: Frater cariſsime, propter magnam meam tecum neceſsitudinem, præcordialem erga filios tuos amorem, & pacis fraternitatiſque inter tuos & meos ſtabilitatem, utroſque gauderem ſub una Religione militare, ut quos Patrum firmus amor ita conjunxit, Religionis aut vitæ diſparitas non diſſolvat. Cui ſumma humilitate Franciſcus: Divinæ eſt voluntatis, amantiſſime frater, quod factum eſt, ab eaque ordinatum eſt diverſas a nobis fundari Religiones, ut utriuſque varietate, præceptorum diverſitate, illorum rigore, & horum lenitate varietati ſubveniatur humanæ infirmitatis; & quibus hæc non placent, illa non diſpliceant; quibus una dura videtur, altera lenior appareat: & ſic non unius Religionis anguſtiis Deus animas perdat, ſed alterius capacitate lucretur. Sunt qui putaverint hoc initum colloquium in Urbe, quos ego ſecutus ſum in collectione Opuſculorum ſancti Patriarchæ, ſed magis credendum hic judicaverim B. Leoni teſti oculato, ipſiuſque hujus itineris ſocio. Qui & alia addit de confirmato & ſtabilito variis judiciis firmo pacis & amicitiæ fœdere inter eos, eorumque poſteritatem, & amica humilitate ſanctaque importunitate viciſſe ſanctum Dominicum, ut vellet Franciſcus ſuum præcinctorium, ſeu nodoſum cingulum concedere, quod ſub exterioribus veſtibus ſcribunt, poſt B. Leonem, & Bernardum de Beſſa Bonaventuræ ſocium, Georgius Colvenerius Profeſſor Lovanienſis iu notis ad Thomam Cantipratanum & plures alii, perpetuo geſtaſſe in indiſsolubilis nexus caritatis ſymbolum perpetuum. Demum in valedictione uterque, inquit Leo, ſuis diſcipulis alterius commendavit reverentiam, laudavit vitam, & extulit ſanctitatem.

Tom. 3. colloq. 10.

Leo in leg. 3. Soc. Bern. a Beſſa cit. Colvener. in notis ad l. 2. c. 10. n. 10 Rebol. cit. c. 22. Maria. cit. §. 3. Specul. S. Franc. c. 22.

Legen. 3. Sociorum. Legen. antiq.

Humilitas Franciſci.

III. Peractis cum Cardinali rebus ſuis, rediens Aſſiſium Franciſcus comitia celebraturus, dum in via humilitatis virtute & perfecta hominis abnegatione ſermonem haberet, inquit in ſpiritus fervore ad ſocium Leonem: *Cariſſime frater, non mihi videor, neque ſum Frater Minor, niſi eum omni humilitate & eadem animi ſerenitate, ac tranquillitate agam, aut perferam, quæ in exemplum tibi confingo. Vocatus magna reverentia & devotione a Fratribus ad comitia hæc noſtra jam celebranda, rogatuſque humiliter ut eis proponam verba ſalutis, ſi poſtquam eis prædicavero, quæ ſpiritus ſuggeſſerit, inſurrexerint in me, & ſermonibus odii circumdederint me, dixerintque: Nolumus te regnare ſuper nos, vereeundamur enim ad tantam hominis idiotæ ignorantiam, cui facundia nulla, ſcientia nulla, prudentia, rerumque experientia perquam exigua: quare de cetero non audeas noſtrum*

te di-

te dicere Prælatum. Hiſque & aliis ſimilibus illatis opprobriis, ſi tandem me extra domum capitularem ejecerint cum contemptu & vituperio; niſi ego hæc omnia eadem facie, immoto vultu, & conſtanti mentis ſerenitate, audiam, admittamque, qua laudantes & honorificantes excipio, verum me religioſum haud cenſeo. Et ſane in honorificentia periculum eſt animæ meæ, tum propter auram inanis gloriæ, tum propter præfecturæ periculum: at in opprobriis occaſio eſt merendi, nec pulſus regimine teneor tot animarum reddere rationem.

Quinque millia Fratrum conveniunt ad comitia.

Legen. 3. Sociorum. Legen. antiq. Bonav. cap.4. Plaucus lib.1. de bon. ſtat. relig. cap.33.

IV. Congregata autem univerſa multitudine, quæ ad hunc Conventum Aſſiſianum concurrebat, recenſita ſunt ultra quinque millia Fratrum. Sane incredibile videretur in tam paucis annis pauperculum Inſtitutum adeo excreviſſe, ut præter eos, qui Cœnobiis ad divina & domeſtica remanſerunt officia, tot convenirent, niſi oculati teſtes, Franciſci ſocii, viri ſanctitate & doctrina commendabiles, Bonaventura, ejus ſocius Bernardus a Beſſa, innumerique alii id firmiter aſſeverarent. Illud mihi incredibilius aut vero minus ſimile, quod habetur in ſermone 16. eorum, quæ ſub extraordinariorum nomine D. Bernardino tribuuntur tomo 4. videlicet quibuſdam poſt hunc annis, impreſſis jam Franciſco Stigmatibus, conveniſſe triginta millia Fratrum ad alium generalem Conventum. Non dubitem ſatis jam aucta ſodalitate ingentem conveniſſe numerum ad ultima comitia a Franciſco celebrata, vel ea potiſſimum allectum & attractum ratione, ut Patrem ſuum & Inſtitutorem videret noſtræ redemptionis pignora geſtantem, & vivam Salvatoris Idæam effectum. Attamen ad terdena millia perveniſſe, nec putem, nec credam illorum ſermonum auctorem (ſive is ſit Daniel a Purzillis I. L. Patavinus, qui a Bernardino prædicante excepta in unum redegit, ipſumque nominat ſæpius cum honore Bernardinum, ſive quis ſit alius) hunc numerum ſtatuiſſe; ſe auctos a calcoprapho calculos, ſive notas adjectas & pro III. millibus ex errore appoſuiſſe XXX. millia.

Vide in princip. tom.4. Epiſtolam ad Elector. & ſermon. 11. de extraordinariis 3. part. princip.

S. Dominicus magno huic interfuit Conventui.

Caſtill. lib.1. c.51.

* an Matriti.

V. Ut supervenit ſanctæ multitudinis Rector, rebus prudenter ſuaviterque diſpoſitis, ſub profeſto Pentecoſtes felix habuerunt comitia principium. Non ſe potuit continere ſanctiſſimus Patriarcha Dominicus, quin tam celebri Conventui, a ſuo dilecto amico celebrando, evocatis ſecum Peruſio ſeptem ſociis intereſſet. Id ſibi ſtatuerunt ſemper magni honoris noſtri Scriptores, ut tantæ ſanctitatis & dignitatis vir Capitulum hoc ſua ſuorumque Sodalium præſentia decorarit. At Ferdinandus del Caſtillo, candidus Prædicatorii Ordinis Chronologus, de hoc ſubdubitavit, non quod nobis hanc invideat felicitatem, aut honorem, ſed quod temporum ſeriem putet non cohærere, neque Dominicum tum procul agentem potuiſſe Aſſiſium venire. Ita enim itinera & reſidentiam ſancti Viri diſcurrendo partitur, ut hoc anno circa feſtum Pentecoſtes eum in Hiſpania conſtituat; idque evidenter probatum ſupponit ex donatione quadam facta Ordini Prædicatorio Majoriti*, Æra MCCLVII., id eſt, anno MCCXIX. menſe Majo; cujus inſtrumentum autographum in ſuam hiſtoriam tranſcripſit cap.41. Ego vero nullum ex vetuſtis, aut probatis recentioribus S. Dominici vitæ Scriptoribus invenio, qui expreſſe aut aſſeveranter Hiſpaniæ iter hoc anno reponat. Conveniunt ſane ad Hiſpanos, poſt ſui Ordinis confirmationem tranſiiſſe, quo tamen anno non omnes explicant: habeo tamen plures & graviores teſtes ipſius Inſtituti Prædicatorii, qui determinatum annum conſtituant. Humberti M.S. chonicon, ſive ab ipſo, ſive ejus mandato compoſitum, Bernardus Guido in com-

commentario de rebus Ordinis Prædicatorum etiam M. S., Antoninus, cui ex recentioribus quidam, teſte ipſo Caſtillo ſubſcribunt, & Antonius Senenſis in chronico folio 31. annum ſtatuunt MCCXVIII. Eumdem ſupputat Joannes Mariana, dicens: *Dominicus ſe hoc ipſo anno, videlicet* MCCXVIII., *in Hiſpaniam retulit, diplomateque, quod a Pontifice Romano abſtulerat, Regibus & Principibus promulgato, eorum conſenſu aliquot domicilia præcipuis in urbibus Sociis conſtituit, primum Segobiæ, Matriti alterum, tertium Cæſarauguſtæ, &c. Deinde ipſo anno, ait, quo Dominicus in Hiſpaniam venit, Barcinone nova piorum hominum inſtituta ſodalitas eſt nomine D. Mariæ de Mercede*. Inciſſe autem hanc inſtitutionem in annum MCCXVIII. præter Marianam docent Aubertus Myræus, Franciſcus Mennenius, quantumvis quidam in hoc varient, ſecundum diverſos Ordinis progreſſus, Hieronymus Zurita, Garibajus, & alii. Et profecto numerum hunc annorum omnino confirmant ipſius Sancti veſtigia, in iis, quæ fundavit, Monaſteriis. Etenim in Segobienſi in ſuperliminari lapide ſacelli, per quod ex adyto, ſeu ſacrario tranſitur ad ſacellum majus, inciſa eſt hæc memoria: *Hic ſervantur multæ Reliquiæ Sanctorum, & corpus ſancti Corbalani ſocii Patris noſtri ſancti Dominici, qui obiit in hac æde anno* MCCXVIII. In æde etiam Monialium Matritenſi in penetralibus Monaſterii, eſt ſacellum, cui ſuperpoſita antiquiſsimis characteribus hæc inſcriptio: *anno D.* MCCXVIII. *venit P. M. S. Dominicus in hanc ædem, & rem ſacram fecit in hac ædicula, & in eadem plures puellas ſuo veſtivit habitu*. Denique in eodem Monaſterio eſt codex quidam M. S. vetuſtiſſimus, infra citandus, a ſancti Viri ſocio exaratus, in quo hoc idem expreſſius affirmatur. Abiit ergo in Hiſpaniam anno MCCXVIII. inde demum regrediens per Galliam, viſa etiam Lutetia, venit Romam ad initium hujus anni MCCXIX.

Anton. tit.23. c. 4. §. 5.

Caſtill. cit. c. 40.

Marian. de rebus Hiſp. lib. 12. cap.8.

Myræus in chron. ad annum 1218.
Menn. de orig. ſequeſtr. fol.107.
Zurita to.1. l.2. cap.71.
Garib. lib. 12. c. 15.

VI. Neque ſane quidpiam eſt ſolidum, quod huic aſſertioni refragetur, quod enim obiicit Caſtillo omnes vitæ Scriptores dicere S. Dominicum in ipſo regreſſu ex Hiſpania Bononiam perveniſſe, & inde Reginaldum Pariſios deſtinaſſe ad finem anni MCCXIX. ſane mihi aliter conſpicitur. Nam Theodoricus ab Apoldia (quem perperam Caſtillo ubique Thomam vocat, ſed merito laudat ab antiquitate & fide hiſtoriæ, eique plus ceteris Chronologis tribuendum dicit) nulla facta Hiſpaniæ mentione antecedenti, quæ ad iter Bononienſe referatur, ait lib.3. c.9. ſanctum Virum anno MCCXIX. Lutetiam veniſſe, & exinde in æſtate Bononiam, atque hinc c.10. affirmat Reginaldum miſſum Lutetiam. Cum autem c. 7. regreſſus ex Hiſpania meminit, illum ſub determinato & incerto ponit tempore, dicens: Quodam tempore ab Hiſpanis revertens B. Dominicus &c. & c.8. ſolum refert duo in Hiſpaniis Cœnobia, neque quidpiam præter hæc habet, unde certo poſſit ex eo colligi hoc anno ad Hiſpanos tranſiviſſe, aut eodem anno quo ex Hiſpania rediit, Reginaldum Lutetiam miſiſſe. Deinde Joannes Antonius Flaminius hujus miſſionis Reginaldi ad Pariſienſes non meminit, imo ſub anno MCCXVIII. omnia ſancti Dominici geſta, a receptione Reginaldi miracula romana, tranſlationem Monialium, iter in Hiſpaniam, Monaſteria ibi conſtructa, & cetera uſque ad reditum in Bononiam ſub anno MCCXIX. deſcribit ſub fine libri primi & initio ſecundi. Joannes Garzonus, apud Leandrum Albertum, vere Dominicum in exitu anni MCCXIX. Bononiam veniſſe ait, ſed an eo anno miſſus fuerit Lutetiam Reginaldus, quem perpetuo vocat Arnoldum, inferius non explicat. Imo apud hunc obſcura & confuſa ſatis

Caſtillo cap. 36. & 40.

Theodor. ab Apold.

Flaminius.

Jo: Garzon. de hoc Reginaldo vide Annales Eccleſiæ Aurelianen. lib.10. num.51.

tis eſt rerum, & hiſtoriæ feries; quippe altero anno poſt miracula romana, Neapoleonem ad vitam revocatum, Moniales in æde ſancti Sixti congregatas & recluſas, quaſdam ex eis ſanatas, demum a Diaboli terriculamentis ceteras liberatas, aliaque hujuſmodi, quæ ex omnium ſententia anno MCCXIX. patraverat, ait Dominicum in Hiſpaniam profectum: quare ex hujus diſcurſu viceſimum poſt milleſimum & ducenteſimum ſtatuenda eſt Hiſpanica profectio; cui obviant ceteri ſcriptores, & ratio temporis, dum eo anno apud Bononienſes ad Pentecoſten generalem Synodum ſui celebraverit Inſtituti. Demum Antoninus, quantumvis ſcribat Reginaldum hoc anno ad Pariſienſes deſtinatum, non id factum dicit in regreſſu ex Hiſpania, quo abiiſſe ait S. Patriarcham ſtatuto & ſignato anno MCCXVIII.

VII. In tanta itaque varietate Scriptorum, & narrationis obſcuritate quid certo amplectendum, profecto ambiguum eſt, niſi dum nullus ſit, qui expreſſe afferat, aut clarius inſinuet, quod velit Caſtillo, illud tamquam rationabilius & verius ſtatuatur, quod manifeſtius ſtabiliit Antoninus, & confirmarunt alii graves Chronologi. Nullum refertur ſancti Dominici factum anno MCCXVIII. a quopiam auctore, quod profectionem Hiſpanicam non compatiatur: & profecto vel ex ipſa multitudine, & qualitate rerum, quæ determinate ab Auctoribus in annum MCCXIX. congeruntur, ſupra quam probabiliter, ne dicam certo, habetur in hunc annum incidiſſe non poſſe iter Hiſpanicum. Hoc anno e Tranſtiberina regione ad montem Aventinum tranſtulit Moniales Dominica prima Quadrageſimæ, quæ incidit in XII. Kalendas Martii, ut expreſſe refert Theodoricus ab Apoldia, & ex eo plures alii. Dominica ſecunda ſancto & ſalutari ſermone inſtruxit; deinde alia apud eas & in Urbe patravit, quæ Romæ ſtitiſſe Virum ſanctum, ſaltim uſque ad Martii principium, evidenter probant, ut vel ipſe Caſtillo fatetur. Hinc peditem, ut ei moris & religionis erat, Hiſpaniam dicit appuliſſe, Segobiæ prædicaſſe, ſedem ſuis obtinuiſſe, aliam etiam Madriti occupaſſe, & præſentem fundamenta jeciſſe, propriiſque manibus laboraſſe in Conventu Monialium Matriti, ad ſufficientemque habitationem deduxiſſe earum, quas ipſe, aſſignato Confeſſario, reclusit. Dehinc Cæſarauguſtam veniſſe, illicque prædicaſſe, poſtea per Toloſam Pariſios; hinc ad Bergomates, apud quos per multos dies commoratum ait Flaminius; tandem Bononiam perveniſſe in menſe Septembri, quæ omnia ipſe Caſtillo a cap. 40. ad 45. proſequitur & affirmat. An autem veroſimile, facile Lector dijudicabit, quod tot terras infra ſex menſium ſpatium dimetiri potuerit pedes Vir ſanctus, ubique exercens, ut oportuit & decuit, quæ Prælati & Inſtitutoris erant munia, nec adeo raptim prætervolans, Monaſterium etiam unum & alterum ædificans.

Apol. lib. 1. c. 8. — *Caſtil. c. 40.* — *Flamin. l. 2. longe poſt princ.*

VIII. Quid quod & ipſe hic ſincerus auctor ex Humberto, & Flaminio affirmet, jam magnam præter lapſam æſtatis partem, quando Segobiam pervenit, & ſanctum Virum, populum valde laborantem ob aquæ penuriam terræque ſterilitatem, inſperata pluvia lætificaſſe: ſed Theodoricus ab Apoldia, cui præ ceteris, nec immerito hærendum monet, manifeſte ait in æſtate beatum Dominicum hoc anno Bononiam ingreſſum. Deinde cum Flaminio aſſerit in eo itinere habuiſſe comitem Albertum Minoritam, cui cum canis tunicam laceraſſet, & in loco eſſent, ubi propter ſutorum & acuum penuriam, reſarciri non poterat, beatus Dominicus luto laceram partem inſperſit, quod cum exſiccatum eſſet, & frican-

Caſtil. cap. 40. Humbe. l. 2. c. 37. Flam. lib. cit. — *Apol. l. 3. c. 9. Flamin. cit.*

fricando excuſſum, ſic tunica quidem apparuit integra, ac ſi nunquam fuiſſet lacerata. Verum non adeo veroſimile, quod hoc anno, aut eo tempore, quo tam ingens & numeroſa Synodus celebranda erat a Franciſco in Italia, ad quam undique & ex Hiſpania confluebant turmatim Religioſi, Minorita hic ex Italia in Hiſpaniam tranſiret.

IX. Demum, quod de ſcripturis affert, ex quibus ſuperius a ſe poſitis ait manifeſte conſtare, ſanctum Dominicum hoc anno apud Hiſpanos fuiſſe, ego ſane non adeo facile percipio. Inter eas quas dumtaxat habet cap. 41. & 42. & quæ res Hiſpanicas concernunt, legenti nihil prorſus occurrit, quod vel probabiliter probaret, imo nec inſinuaret hoc anno in ea ſtetiſſe regione. Etenim ſcriptura donationis factæ ab Iago Manes, ejuſque uxore, nihil habet de ſancto Dominico; ſed abſolute eam factam ait Fratribus Prædicatoribus. At ſi ſanctus Patriarcha eo anno, vel æra ibidem egiſſet, profecto ſpecialis fieret mentio ejus, tamquam capitis & rectoris, ut in aliis ſcripturis factum comperimus, in regiſtris Pontificum, & aliis chartophylaciis, dum fratri Dominico, aut fratri Franciſco & eorum Fratribus quidpiam donari, aut legari diplomata teſtantur. Porro litteræ Pontificiæ, quas ad finem capitis 14. poſuit, ſancto Dominico prorſus innominato, * Majoritenſes laudant de amice receptis & tractatis fratribus Prædicatoribus. Tandem ſancti Viri epiſtola ad Prioriſſam * Majoritenſem relata cap.42. abſque anni, aut loci, in quo ſcripta erat, nota, nec tempus aſſignat Monaſterii, nec ſuæ ad Hiſpanos profectionis omnino meminit. Neſcio ergo ex quibus ſcripturis adeo manifeſte deduci voluit chronologus, quæ tam conſtanter aſſeruit. * an Matritenſes *an Matritenſem

X. Facilius elidi poſſunt, quæ pro hoc ipſo adduxit Flaminius: quod enim Bonaventura in vita ſancti Franciſci nihil hujuſmodi retulerit, quæ prima eſt hujus auctoris pro contraria negatione conjectura, parum urget, niſi velimus omnia, quæ ſupra diximus de ſancti Dominici & Franciſci colloquiis, mutua amicitia, viſione illa cœleſti qua viſi ſunt, Virgine Maria intercedente, Dei furorem avertiſſe ab Orbe terrarum, atque alia id genus, quæ vel ipſe Flaminius cum aliis refert in vita ſancti Dominici, in dubium revocare; quippe nihil horum retulit Bonaventura, neque de ſanctiſſimo Patriarcha Dominico verbum ullum conſcripſit. Quid? quod neque ipſius hujus capituli hiſtoriam adeo ex profeſſo exaravit, ut quidpiam in eo geſtum referret, neque per annorum ſeriem vitam ſancti Franciſci ſcripſit, ſingula ejus facta recenſens, ſed ea tantum quæ alicui ex illis capitibus ſeu diverſis materiis, ut ipſe præfatur, quas ſibi propoſuit tractandas, magis videbantur congruere. Secunda levior eſt conjectura ex tempore confirmationis Regulæ Minorum per Honorium anno MCCXXIII. antequam non ſit, inquit, veroſimile beatum Franciſcum tam numeroſam Synodum celebraſſe. At rei teſtes irrefragabiles ſuperius produxi, pluresque ſtatim adjungam, neque tam paucis antea annis præceſſit approbatio Inſtituti per Innocentium III. quin hoc tempore magnum iſtum numerum potuerit convocare Franciſcus, cui ſingulari Dei dono conceſſum, ut ultra omnes Religionum Patriarchas fieret in gentem magnam & ad miraculum numeroſam. Tertia, quam adducit conjectura, ex errore procedit, dum putat quæſtionem eſſe de Synodo celebrata anno MCCXX. vel alio poſteriori, quibus ait ſanctum Dominicum ſuis Comitiis interfuiſſe Bononiæ, quod abſque controverſia admittimus. *Bonav.in prolog.*

XI. Neque ſane adeo inſolitum videri debet, quod Dominicus

Franciſcanorum intereſſet Comitiis: etiam apertum & clarum eſt cujuſdam ex ejus Sociis teſtimonium de altera Minoritarum Synodo, quam Dominicus ſua decoravit præſentia, & prædicatione. Extractum eſt ex codice MS. diligentiſſime operculo ſerico,& lamellis argenteis aſſervato in ipſo illo Monaſterio Monialium, quod ſanctus Patriarcha ædificavit Madriti. Latinum reddo ex vetuſto & rudi idiomate Hiſpanico illa ætate vulgari, cujus proprietatem, quoad licuit,curavimus ſervandam. Ita porro inquit: *Accidit aliquando, quod dum celebraretur Capitulum Fratrum Minorum in quodam Oppidulo, neque quid manducarent haberent, adfuiſſetque honorabilis admodum Pater noſter ſanctus Dominicus, qui illac dilapſus eſt, ut ſanctum Franciſcum inviſeret (poſtquam enim ei datus eſt in ſocium a Domino, nihil unquam plus eo dilexit, quod viciſſim ſanctus Franciſcus retribuebat; atque ita ſæpius ſe querebant ad alternam conſolationem & confabulationem) videntes ſancti Viri nihil eſſe Fratribus edulii, pleni fide magnaque fiducia dixerunt: eamus & Omnipotentem deprecemur Deum, qui quinque millia hominum, ultra mulieres puerosque, in deſerto ſatiavit, neque enim nunc minoris eſt potentiæ, aut miſericordiæ, ut de ejus deſperemus benignitate; perſtiteruntque ita in oratione donec de divina eis conſtitit voluntate. Ad horam vero nonam a prece redeuntibus, ſanctus Dominicus hilari & placido aſpectu (erat enim totus gratioſus, hilaris, & omnibus gratus) inquit ad Fratres, qui per Clauſtrum incedebant mæſti & languidi ob exceſſivam diei moleſtiam (urgebat quippe æſtas, magnuſque æſtus caloris) Fratres eamus pranſum, namque jam præterit hora. Reſponderunt Fratres: Quo ibimus? aut quid comedemus? nec panis eſt, nec vinum, nec obſonii genus ullum. Confidite in Domino, inquit ſanctus Dominicus, Omnipotens etenim laborare non permittit ſub egeſtate ſibi ſervientes, aut qui ſpem ſuam in illo reponunt; quibus frequenter mirabiles ſuas miſerationes oſtendit, cui proprium eſt miſereri, nec longe abeſſe ab iis qui tribulationem patiuntur, ſed illis compati qui ſuſtinent in patientia. His aliiſque piis & ſalutaribus dictis convenerunt in Refectorio, ubi magis admirati ſunt Fratres, dum benedici menſas viderunt abſque edulis. Dum autem ſederent, ingredi viderunt in triclinium viginti adoleſcentes valde formoſos, ſuccinctos, & expeditos ad ſerviendum, qui & miniſtrarunt panem, vinum, & omne genus obſonii neceſſarium recumbentibus numero quingentis. Terminato vero prandio, inclinato capite & ſalutatis Fratribus, bini ſuo ordine exierunt e Refectorio, admirantibus Fratribus, & Deum collaudantibus, qui tantum in eis voluit perpetrare miraculum. Poſtquam autem gratias ſolverunt in Eccleſia, honorabilis admodum Pater noſter ſanctus Dominicus pulchrum valde ad eos habuit ſermonem de fide & ſpe, quam in Domino debebant habere. Idque ei moris erat prædicare in omnibus hujus Religionis domibus, per quas tranſibat; ſemper enim exercitabatur in Dei obſequio, erantque ejus ſermones ſani & bonæ intentionis, & verba gratiſſima atque ſalutaria, videbaturque ejus lingua a Domino moveri. Neque adeo admirandum eſt, quod Dominus per eum, & per ſanctum Franciſcum tam glorioſum patrarit miraculum, quia valde eos dilexit. Nec etiam quiſquam mirari debet, quod Pater noſter ſanctus Dominicus alieni Inſtituti auctor Synodo interfuerit Minorum, quia Pater noſter ſanctus Dominicus & ſanctus Franciſcus erant cari ſocii, & ex corde ſe invicem diligebant.*

Cod. MS. fol. 13. 14. & 15.

Aliis interfuit Comitiis Minorum S. Dominicus.

XII. Ubi ergo tanta familiaritas & cordialis dilectio, quid mirum & magnum, quod ſanctus Dominicus huic Synodo interfuerit, præſertim

tim tanti nominis & multitudinis? Si minoris notæ & ſamæ Comitiis ſe præſentem adhibuit, credibile eſt, in Italia agentem, Capitulo huic mirum in modum ſamoſo & numeroſo non adfuiſſe? Hic autem ſcrupulus: An tunc in Italia Dominicus? Verum non eſt ullus, qui ejus acta accurate ſcribat, qui Romæ non fuiſſe hoc anno dicat, & ſingularia ejus facta non curaverit ſignanda ſtatuto tempore menſis & diei, ex quibus præcipua ſupra tetigimus. Uſque ad finem Februarii exprimuntur dies miraculorum, & poſt hæc alia ejus facta referuntur, quæ ulteriorem ejus moram expoſcunt. Imo ſi Abrahamo Bzovio credendum eſſet, integro hoc anno in Urbe commoratum diceremus. Hoc quippe anno, ait Ivonem Cracovienſem Epiſcopum Romæ Dominicum offendiſſe, eumque, cum Andrea Pragenſi Antiſtite, interfuiſſe miraculo Neapoleonis reſuſcitati, & admiratione atque Dominici amore correptos ab eo flagitaſſe, ut vellet aliquos ſui Inſtituti Sodales illorum Eccleſiis concedere. Dominicus vero, cum nullos haberet, qui idioma gentis callerent, quatuor ex eorum comitatu pio deſiderio inflammatos ſuo habitu donaſſe; primum Hyacinthum, ſecundum Ceslaum, tertium Henricum Moravum, quartum Hermannum Teutonem, quos integro, inquit, anno, ſalutaribus præceptis imbuens ad eum efformavit modum, ut non tirones, ſed veterani Religioſi, ſanctimonia vitæ illuſtres, zeloque ardentiſſimo amplificandæ fidei æſtuantes, haberentur. Sed ſi non integro anno Romæ hæſit, ut revera probati ejus vitæ Scriptores demonſtrant, ſaltem ulteriorem aliquam moram geſta ejus, poſt incluſas & inſtructas Moniales ſancti Sixti, aliqualis vel breviuſcula educatio nobilium horum tironum, domuſque ſanctæ Sabinæ pro Fratrum incolatu rite componenda neceſſario requirunt. Capitulum autem celebrandum erat in pro-feſto Pentecoſtes XIX. Maji: & dum ſanctus Dominicus in Urbe ſui Ordinis res componebat, & Peruſii de eiſdem cum Cardinali Hugolino ſibi addicto agebat, facile præterlabi poterat unus vel alter menſis, præſertim ſi pro hoc uno ei expectandum foret, non dubito quin ſiſteret, ut tam inſigni a ſuo perdilecto amico Franciſco celebrandæ Synodo intereſſet.

An toto hoc anno Romæ hæſerit S. Dominicus.

Bzovius anno 1219. num. 6. 7. 8.

XIII. Porro ita factum, & cum ſeptem Sociis adfuiſſe, ex noſtris expreſſe referunt tres Franciſci ſocii, Leo, Rufinus, & Angelus in ejus Legenda. Thomas Celanus in altera, Bernardus a Beſſa, Bonaventuræ ſocius, in ſua hiſtoria, frater Hugolinus de ſancta Maria in Monte, qui ante tercentum annos floruit in hiſtoria ſancti Franciſci apud me MS. Bartholomæus Piſanus confor. 1. & 12. Speculum S. Franciſci pag. 132. Auctor Floreti cap. 131. Marcus Ulyſſiponenſis in chron. 1. par. lib. 1. cap. 52. Petrus Rodulphus, licet erret in numero Sociorum & Capituli: Ludovicus Reboll. cap. 25. & alii quamplures. Ex aliis Petrus de la Vega in vitis Sanctorum impreſſis Compluti anno MDLXXII. in vita ſancti Franciſci Mata. 2. par. cantu. 3. Hieronymus Platus lib. 1. cap. 33. Tot itaque aſſertoribus, nulloque ſolide refragante, niſi uno vel altero levibus quibuſdam conjecturis ſubdubitante, quis decorem hunc tantæ & tam ſanctæ neget Synodo, ut Prædicatorum ſanctiſſimum meruerit habere coram Inſtitutorem? Magnum hoc ſemper judicavit decus Minorum Sodalitium, magnumque ſibi advectum Dominici præſentia juſte cenſet ornamentum; quod ut ego retineam, ſi amplius quam par erat protraxi ſermonem, æqui & pii lectoris erit ignoſcere.

XIV. Alium huic Conventui ſplendorem advexit ſua præſentia Cardinalis Hugolinus, quem Religioſi omnes velut patrem & dominum veneran-

Interfuit Synodo Card. Hugolinus.

nerantes, advenientem proceſſionaliter exceperunt, prædicantem ſibi attentius audierunt, & ſacra ſolemni ritu peragentem religioſius obſervarunt. Ille viciſſim ſanctum, quodam die, perluſtravit exercitum, nihilque videns inordinatum aut incompoſitum, ſed omnes turmatim, hinc centum, illinc ſexaginta, alibi minorem majoremve numerum divina tractantem, & ſerius de ſua aliorumque ſalute ſermocinantem, & de morum orbiſque reformatione vario & miro modo agentem, converſus ad ſuos admirabundus dixit: *Vere caſtra Dei ſunt hæc*. Neque ſane incongrue dictum, erant enim tentoria, & tuguriola illa humilia ex ſtoreis compacta, tamquam tabernacula plena divinis choris pſallentium, legentium, orantium; tantumque jejunandi & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus ſermo & exemplum Inſtitutoris afflaverat, ut futuræ ſpei aviditate ad caritatem mutuam, & miſericordias indigentibus exhibendas jugi ſtudio laborarent, qui amplam illam regionem & ſuburbanum campum a mundana converſatione ſejunctum plenum pietatis & induſtriæ videbantur incolere. Quis igitur tantum Monachorum agmen adſpiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio ſuſurronis, ſed multitudo abſtinentium & certamen officiorum erat, non in hanc ſtatim erumperet vocem? *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael! ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas*.

Mira congregatorum converſatio

Num. 24. 5. 6.

Legen. antiq.

Prædicat univerſæ multitudini Franciſcus.

XV. Non deſtitit Franciſcus, vigilis more ducis, omnem hinc inde campum luſtrare, tentoria viſitare, ſuos ad ſacra bella eiere, virtutem ex alto promittere, collapſos animos excitare, conſtantes firmare, & undequaque boni Principis munus obire. Deinde vocatis omnibus in medium, in fervore ſpiritus pro auditorum conditione & rerum circumſtantia, egregium habuit ſermonem, ad rem propoſito hoc themate.

Magna promiſimus; majora promiſſa ſunt nobis.
Servemus hæc; adſpiremus ad illa.
Voluptas brevis; pœna perpetua.
Modica paſſio; gloria infinita.
Multorum vocatio; paucorum electio.
Omnium retributio.

XVI. Ad quæ verba ſolide & devote omnes hortatus eſt ad obedientiam ſanctæ Matris Eccleſiæ, ad divinas excubias, ad ſalutem animarum expetendam, ad mutuam caritatem & concordiam, ad humilitatem & manſuetudinem coram omnibus, ad mundi contemptum & ferventem zelum ſanctæ paupertatis, ad munditiam cordis & corporis caſtitatem, ad orandum pro univerſo populo ſancto Dei, ſed præcipue pro ſtatu & proſperitate S. R. E. & ſuis benefactoribus; & denique ad omnia quæ Religioſorum erant officia. Deinde ſevere omnibus interdixit, ne de rebus ad corpus pertinentibus ſoliciti eſſent, ex illa Pſalmi ſententia, quam ſæpe in ore habebat: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*. Aderat huic Franciſci edicto B. Dominicus, eique hoc nimium viſum eſt, cum vereretur, ne quodammodo Deus tentari videretur, ſi non tantæ multitudini alimenta pararentur; ſed non multo poſt, ecce ex omnibus finitimis urbibus & pagis concurſus hominum ac jumentorum omnem omnis generis commeatum, ſupellectilem, & vaſa deferentium, quæ res ita Dominicum permovit, ut ab eo tempore conſtituerit redditus omnes a ſuo quoque Ordine, qui tum naſce-

Pſalm. 54. 23. Hier. Plat. de bono ſtat. relig. lib. 1. cap. 33.

Ablegat a ſua Religione S. Dominicus poſſeſſiones, & quare.

ſcebatur, removere divino fretus præſidio, cujus tam inſigne indicium oculis ſuis viderat, quod & fecit anno ſequenti in Synodo generali Bononiæ collecta, & ad ultimum vitæ terminum ſub ſuæ maledictionis interminatione in eos, qui poſſeſſiones in Ordinem introducerent; cum tamen Honorius III. primo ſui Pontificatus anno eumdem Ordinem ita confirmaverit, ut Caſtella, prædia multa, & alia quæcumque tunc Prædicatores poſſidebant, retinerent. Neque Ferdinandus del Caſtillo negat ſanctum Patriarcham hinc occaſionem ſumpſiſſe hujuſmodi ablegationis redditaum, dummodo concordaretur tempus Comitiorum cum exiſtentia in Italia Dominici, quod ſatis ſuperque ſupra nos concordavimus. His adſtipulatur Joannes Buſæus vir doctus ſermonem inſtituens de omnimoda paupertate, qua nihil omnino, nec privatim, nec communiter poſſidetur; quam, inquit, primum ſanctus Franciſcus ejuſque exemplo permotus Dominicus, deinde alii complures ſecuti ſunt.

Anton. tit. 23. c. 4. §. 13. *Flamin. lib. 2.* *Honor. in Bulla* Religioſam vitam. *Caſtill. cap. 51.* *Buſ. de ſtatib. verbo paupertas voluntaria cap. 4.*

XVII. Rarum & ingens ſpectaculum hoc profecto quempiam commoveret, ut plurimum tribueret Dei liberalitati, & totum ſe committeret divinæ providentiæ. Quid enim erat videre tot hominum millia in aliena Patria, abſque prædiis, ſine ullis poſſeſſionibus, ſine redditu, bonis omnibus ſponte ſibi interdictis, abundare omni ciborum genere, quod ad humanam vitam religioſe tranſigendam conducebat? Quale erat Dei erga ſuos honorificentiæ patulum exemplum e Peruſio, Aſſiſio, Hiſpello, Fulgineo, Spoleto, & etiam longius poſitis urbibus & pagis, videre accurrentes Nobiles, Plebejos, Eccleſiaſticos, Laicos, & inferioris dignitatis viros, qui non ſolum cibum & ſupellectilem advehebant, verum etiam humiliter miniſtrabant in menſis, & de exhibendis obſequiis invicem contendebant; feliciores ſe putantes, qui humiliores ſe præſtabant in ſerviendo. Multorum movit corda pœnitens & aſpera hominum vita; intelligebantque vere ex tot tantiſque teſtibus, quod regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Plurimi ex Nobilibus & Prælatis, quos eo convocavit tantam rem ſpectatum Cardinalis Hugolinus, curioſius explorantes, notanteſque duros lectos ſtramineos in terra poſitos, cervicalia lignea, horridam veſtem, tenuem victum, humilia tuguriola, ſeu potius umbracula, & inter hæc ſummam animi lætitiam, promptam erga Inſtitutorem obedientiam, ſummam inter ipſos tranquillitatem & concordiam, admirantes dicebant ad invicem: vere per hos conſtat quod arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & quod ſecundum Magiſtri noſtri ſententiam, divites hujus ſæculi difficile intrabunt in regnum cœlorum, niſi tanta rerum domeſticarum ſarcina, & pompoſa ſuperfluaque ſupellectile, ſaltim affectu, exonerentur. Nos feriamur in deliciis, luxu diffluimus, & corpori curando vacamus; hi vero cum timore & tremore multo, in tanta rerum penuria, & corporis maceratione, ſuam operantur ſalutem, eumdemque noſtrum & illorum exitum fore ſperamus. Ingens ſane noſtra fiducia, niſi prorſus ſit mera ſtultitia, putare plane diverſam, imo & contrariam vitam eadem morte claudendam. Horum invidemus fini, & cum bonis illis deprecatoribus quiſque noſtrum rogat, ut moriatur anima noſtra morte juſtorum; nec tamen volumus vivere vitam illorum. Cæco affectu vivimus mundo, & pio deſiderio mori volumus Chriſto, quaſi mors non vitæ reſpondeat, nec curſus noſtri ſit meta, aut lignum ubicumque ceciderit, non ſit perpetuo manſurum? His & aliis hujuſmodi colloquiis, multi ex ſpectatoribus ad ſanctorum Virorum ſe provocabant exempla, quorum ultra quingentos

Dei in hac Synodo providentia. Initiati in hac ſynodo quingenti.

ex

Marc. lib. 1. cap. 52.
Marian. cap. 15.
Specul. S. Franc. 1. p. c. 20.

ex ſelectioribus pœnitentem & duram hanc vitam protinus in his ipſis Comitiis alacriter ſubierunt.

Multi ex nimia mortificatione infirmantur.

XVIII. Multi tamen, ex veteranis hujus ſancti exercitus viris, dimidiarunt dies ſuos, alii ſuis fratribus moleſti, alii ad quæque Ordinis munia evaſerunt inepti, contractis tunc infirmitatibus ex nimia carnis maceratione. Quod ut ſancto conſtitit Magiſtro, publico obedientiæ edicto ſtatuit, ut mitius ſecum agerent, moduſque eſſet in rebus; ac ſi qui eſſent, qui loricas, circulos ferreos, catenulas, aut alia hujuſmodi durioris macerationis inſtrumenta geſtabant, ea protinus deponerent, & ad ſe omnino deferrent. Ita ex obedientia factum, inventæque ſunt miræ & variæ pœnitentiæ artes, quas ſpiritus ardor excogitavit, numeruſque loricarum & circulorum quingenteſimum exceſſit. Admiratus eſt Hugolinus, ejuſque Comitatus ad tantam in probis viris pœnitentiam, quibus ingentem piorum inſtrumentorum acervum ſanctus Magiſter diſcreta pietate monſtravit, atque, illis præſentibus, Fratribus interdixit indiſcretas adinventiones in pœnis ſibi infligendis, cœcamque æmulationem in corpore macerando, ne vel deficiente ſpiritu, vel languente corpore ſpiritualia impedirentur, aut omnino vita tolleretur. Adjecitque indiſcrete ſe affligentem ſibi tollere boni operis effectum, ſpiritui affectum, proximo exemplum, ac Deo omnipotenti honorem.

D. Gregor. in mor.
Marc. cit. c. 53.
Marian. & Specul. cit.

Concilium convocat Satanas contra Minores.

Franciſc. Maur. lib. 7.

XIX. Commovit ſancta hæc, ac univerſa Congregatio, explorataque ac probata ejus pietas rectorem tenebrarum harum, *qui quanto magis ad Deum homines accedere, & ſibi rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit, & contra illos diverſis tentationibus inſiſtit, qui poſſunt etiam aliis ſua utilitate prodeſſe*. Convocato itaque multorum millium ſui generis Concilio in Hoſpitali Cruciferorum, non longe ab illa Franciſcana acie poſito, comitia comitiis, & conſilia conſiliis oppoſuit; feriuſque egit, quomodo adoleſcentem extirparet Religionem, congregatamque aciem diſſiparet. Egregie ſane & plane proprie Concilium hoc cœtumque deſcripſit heroico carmine Franciſcus Maurus, exacte deſcribens aſtum tartarei principis, callidoſque cogitatus ſuorum contra eam, quam dicebant

Gentem hominum exortam, revehat quæ ſæcula mundo.
Aurea polluto, ſimul & mortalibus ægris
Præſenti auxilio veniant, noſtriſque futura
Exitio regnis.

In eoque omnem poſuiſſe oſtendit curam, quatenus impedirent aliorum profectum per hos intentandum, eoſque ipſos vel penitus eliminarent, aut ſaltim infirmarent, vel e concepto fervore dejicerent. Multa prolata in medium conſilia, varia vafrorum arbitria; illud tamen unius ex aſtutioribus præ ceteris probatur: cum probis viris, quorum Deus pars cordis eorum, non tam agendum aperto marte quam arte, neque tam aperte debellandam robuſtam aciem, quam callide ſupplantandam. Eam porro ſe excogitaſſe, inquit, rationem eos paulatim enervandi, ut ſocii ſuas adhiberent vires ad inducendum hoc Sodalitium, quatenus ſub ſpecie boni & æqui in ſe reciperet nobiles, litterarios magiſtros, & puerulos; nobiles ut vivant inter eos lautius, ſuſpirantes ad delicias quibus enutriti ſunt; litterarios magiſtros, ut ſuis ſcientiis tumentes viam deſtruant & conculcent humilitatis; puerulos ut relaxent regularem diſciplinam, quam molliuſcula membra perhorrent. Optimum cunctis viſum & commendatum conſilium, opereque complendum,

dum, quod & in mandatis ab iniquo ſuo acceperunt Rectore.

XX. Porro ſecretum hoc Conciliabulum non latuit Franciſcum; totum enim ei deſuper revelatum eſt, quamque deberet eum ſuis adhibere curam & vigilantiam adverſus callidiſſimi hoſtis inſidias. Obſtupuit aliquantulum ad immenſam contra ſe congregatorum multitudinem, & ad tantam erga genus humanum latentis inimici malignitatem. Uno etiam vel altero die ſe collegit ad ſacrum quoddam latibulum, Deum oraturus ut ſe ſuoſque liberaret a laqueo venantium, Angeliſque ſuis mandaret, ut eos cuſtodirent in omnibus viis ſuis. A quo tandem confortatus proceſſit in medium ſanctæ multitudinis, quam egregio & luculento ſermone monuit ſuæ ſalutis cum omni ſolicitudine curandæ, nec adeo fidendum eſſe vitæ generi, nec ſtatus perfectioni, quin ſupplantari ſe poſſe putarent hoſtis inſidiis. Idque ſibi exemplo multo conſtitiſſe; quippe e cœlo ſecum traxit tertiam partem ſtellarum, e Paradiſo turbaverat pios colonos, Chriſti Socios voluit cribrare ut triticum, quoſdamque in ſuam ſententiam adduxit, unum ut traderet, alterum ut negaret, & omnes ut eo relicto, fugam inirent. Deinde narratis quæ deſuper accepit, intimavit ut omnem adhiberent conatum eludendi artes Diaboli; utque converteretur dolor ejus in caput ejus, ut in verticem ipſius iniquitas ejus deſcenderet, caverent ut nobiles in Ordinem recipiendi non tam nobilitati carnis quam ſpiritus attenderent, nec Magiſtri ſuis ſcientiis intumeſcerent, ſed humiliter aliis proficerent; & juvenculi ab ipſis unguiculis, juxta ſuam capacitatem, addiſcerent in tenera ætate, quæ robuſtius in adoleſcentiori ſervarent. Neque enim ei viſum opportunum aut æquum, ut propter ea quæ Dæmones cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire (neque enim eſt conſilium contra Dominum) ut divitibus præcluderetur ad hanc Societatem aditus, quorum animus ad magna pro Deo obeunda communiter nobilior, vocatio ſincerior, & tranſitus a locuplete ſubſtantia ad ſummam rerum egeſtatem laudabilior; quin & converſio ad alios trahendos efficacior, ipſique Inſtituto honorificentior, imo & aliquando neceſſario nobilium parentum favore & ſubſidiis utilior. Similiter doctos & magiſtros nequaquam reſpui debere, per quos nobis proponitur ſpiritus & vita, per quos errones reducantur ad viam ſalutis & pacis, per quos ceterorum fratrum repellatur ignorantia, & Evangelicæ vitæ ſequaces habeat Eccleſia Doctores, quorum vita & doctrina ſit aliis pro magiſterio. Demum adoleſcentulos voluit recipiendos, qui dixit: *Sinite parvulos venire ad me*, quibus melius eſt, ut potius non noverint, quam ut fugerint mundum, melius veniſſe ad Religionem impollutos & illæſos, quam *velut torres raptos ab incendio* vitiorum quibus exurebantur, & denigrati moribus facile ſuſcipiant, foveantque applicatam undecumque favillam. *Bonum* ſane *eſt viro, cum portaverit jugum Domini ab adoleſcentia*, imo & a pueritia ſua, ut in nulla ætate aliud ſciat, quam quod in reliqua debeat obſervare, nec aliquando guſtet in ſæculo, pro quo poſtea ſuſpiret in Monaſterio. An vero hæc ex ſe adeo rationabilia pro rerum, temporis, & loci circumſtantia ubique Nationum expediant, Prælatorum erit definire.

> Præmonuit Vir ſanctus Fratres Diaboli inſidiarum.
>
> An recipiendi ad Ordinem nobiles.
>
> An litterati.
>
> An adoleſcentuli.
>
> *Marc.* 10. 14.
>
> *Amos* 4. 11.
>
> *Thren.* 3. 27.

XXI. Aliud præter hoc Concilium congregaſſe Diabolum contra ſanctum Virum refert Bonaventura, in quod convocata quinque millia Dæmonum, ut eum circumvenirent, quem moleſtiſſimum hoſtem ſentiebant tot ſibi quotidie prædas eripientem. Demum cum per hos cœtus parum profecerit, aliud nocivum iniiſſe & opere compleviſſe conſilium contra

> *Bonaven. in hexamer. ſerm.* 18. *poſt med.*

Alia Dœmonis concilia contra Franciſcum.

Brigitta l.7.c.20.

Callidum Dœmonis conſilium.

tra Franciſcum, ejuſque ſectatores beatæ Brigittæ fuit revelatum a Chriſto Domino in ſancta civitate Hieruſalem, quod eiſdem, quibus a ſancta Vidua ſcriptum eſt, verbis ſubjicio. Præmiſſa a Chriſto commendatione Franciſci & ejus Regulæ, quam ſe Franciſco dictaſſe teſtatur, addit. *Iſtius Franciſci Fratres, qui Minores dicuntur, renuerunt & bene ſervaverunt illam Regulam ejus per aliquos annos, & valde ſpiritualiter & devote ſecundum omnem meam voluntatem, de quo Diabolus hoſtis antiquus magnam invidiam, & turbationem habuit, ex eo quod dictos Fratres tentationibus & fraudibus ſuis devincere non valebat. Quæſivit igitur Diabolus diligenter, ubi poſſet unum hominem invenire, in quo ſuum malignum ſpiritum cum ipſius hominis volantatis poſſet commiſcere. Qui tandem unum Clericum invenit, ſic intra ſe cogitantem. Ego libenter vellem eſſe in tali ſtatu, ubi poſſem habere mundi honorem, & corporis mei delectationem, & ibi poſſem tantam pecuniam congregare, quod nihil deficeret mihi de omnibus, quæ ad neceſſitatem, & delectationem meam pertinerent. Ego igitur intrare volo Ordinem Franciſci, & fingam me valde humilem & obedientem. Et ſic cum iſta intentione & voluntate præfatus Clericus intravit dictum Ordinem; ſtatimque Diabolus intravit in cor ejus, & ſic dictus Clericus factus eſt Frater in dicto Ordine. Conſideravit autem Diabolus taliter intra ſe, ſicut Franciſcus vult multos trahere de mundo cum ſua humili obedientia ad recipiendum magna præmia in Cœlo; ita iſte frater meus, qui adverſarius nominabitur, ex eo quod Franciſci Regulæ adverſarius erit, multos de Ordine Franciſci trahet de humilitate ad ſuperbiam, de rationabili paupertate ad cupiditatem, de vera obedientia ad faciendum propriam voluntatem, & ad ſequendum corporis delectationem. Frater adverſarias autem prædictus, cum intravit Ordinem Franciſci, ſtatim cœpit ſic intra ſe cogitare ex diabolico inſtinctu. Ego me oſtendam ita humilem & obedientem, quod omnes me reputabunt ſanctum. Quando alii jejunant, & ſilentium tenent, tunc ego cum ſpecialibus ſociis contrarium faciam, videlicet comedendo, & bibendo, & loquendo ita occulte, quod nullus aliorum hoc ſciat, nec intelligat. Ego etiam ſecundum dictam Regulam non poſſum licite pecuniam tangere, neque aurum, vel argentum poſſidere, & ideo aliquem ſpecialem amicum habere volo, qui pecuniam & aurum meam teneat ſecrete ſecum ex parte mea, ut illa pecunia utar ego ad voluntatem meam. Ego etiam addiſcere volo artes liberales, & ſcientiam ad hoc, ut ex illa honorem & dignitatem aliquam habere valeam in Ordine, habendo equos & vaſa argentea, & pulchras veſtes, ac pretioſa ornamenta; & ſi aliquis pro iſtis me arguerit, reſpondebo ei, quod hoc facio propter honorem Ordinis mei. Si etiam ego adhuc tantum laborare & facere poſſem, quod fierem Epiſcopus, tunc vere felix, & beatus eſſem pro tali vita, qualem tunc ducere poſſem, quia tunc ego eſſem in propria libertate mea, & haberem omnem delectationem corporis mei. Audi modo tu, quid Diabolus fecerat in prædicto Ordine Franciſci. Nam vere ita eſt, quod plures ſunt illi Fratres in mundo qui tenent aut opere, aut voluntate, ac deſiderio Regulam prædictam, quam Diabolus docuit fratrem adverſarium, quam illi qui ſervant Regulam prædictam, quam ego ipſe edocui fratrem Franciſcum. Scias tamen, quod quamvis iſti fratres, ſcilicet Franciſci, & fratris adverſarii commixti ſunt quamdiu vivunt in mundo; attamen ego ſeparabo eos poſt mortem, quia judex eorum ſum, & judicabo Fratres Regulæ Franciſci ad permanendum mecum, ſimul cum Franciſco, in æterno gaudio. Illi autem, qui ſunt de Regula fratris adverſarii, judicabuntur ad pœnas æternales in profundo Inferni, ſi ante mortem ſe noluerint corrigere, & humiliter emen-*

*emendare. Nec eſt mirandum de hoc, quia illi, qui deberent mundanis hominibus dure humilitatis & ſanctitatis exempla, ipſi præbent eis exempla vilia, & * damnabilia eum ſua cupiditate & ſuperbia. Et ideo certiſſime ſciunt dicti Fratres, quod tam ipſi, quam ceteri Religioſi, quibus Regula prohibet habere proprium, & tamen habent aliquod proprium contra Regulam ſuam, volentes per hoc me placere, quod inde aliquam mihi partem conferunt, eorum munera abominabilia ſunt mihi & exoſa, nec aliqua remuneratione bona ſunt digna. Magis enim mihi gratum & placitum eſt, quod paupertatem beatam, quam profeſſi ſunt ſecundum Regulas ſuas, diligenter obſervent, quam quod totum aurum, & argentum, ac etiam omnia metalla, quæ in mundo ſunt mihi præſentarent.* Mira ſane, ſed proh dolor! lacrymabilis viſio, quam tamen ita Chriſtus ſuæ monſtraverat ſponſæ pro quodam pio Minorita Cyprio roganti, ut ſimul etiam monuerit ſe adeo cordi habere hujus Ordinis nomen & honorem, quod non fuiſſet ei licitum præfatam viſionem ſcire, niſi propter unum bonum ſervum ſuum, qui ex toto corde ſuo pro illo Fratre Minore ſinceriter eum rogaverat, qui deſiderabat eidem Fratri conſulere aliqua conſilia utilia animæ ſuæ ex divina caritate.

* ribalditia.

XXII. O miſera hominum conditio, quibus non deſinit hoſtis antiquus deceptionum laqueos ubique protendere, & ut quoquo modo credentium mentes corrumpat inſtare. Quo magis ſe quiſpiam ab eo elongare contendit, eo ſequitur velocius; quo ferventius ſe piis addicit operibus, eo acrius ad mala perurget; nec tentare deſinit, donec noceat, vel ſingulari hominis bono cœlitus tentantis refrenatur audacia. Nihil ergo mirum, quod toties & tam valide ſanctam illam Franciſci prolem adeo impenſe de ſua aliorumque ſalute cogitantem concutere tentarit: id mirabilius, quam in vanum longo tempore laboraverit, & quam valide ejus tentamenta repulſa. Et ſane eluſas ejus artes, neque per aliquot annorum ſpatium potuiſſe ſodalitatem hanc diſſipare, aut ſectatores deprædari ipſemet teſtimonium perhibuit, urgente & torquente ſanctiſſimo viro Dominico ad Carcaſſum, alias Carcaſſonam, Galliæ Narbonenſis oppidum. Nam cum hæreticum quemdam Albigenſem, juſto Dei judicio a Dæmone obſeſſum, in numeroſiſſima populi multitudine de multis rebus ſeriis interrogaſſet, eoque deflexiſſet, ut ſciret ex quo hominum ſtatu plures condemnarentur, reſponderunt Diaboli, quorum mirabilis multitudo intra obſeſſum latebat; *Antiſtitum & Principum utriuſque ſexus maximum habemus numerum, colonorum vero & ruſticorum parvum; licet enim boni & perfecti non ſint, tamen tantis malis & peccatis obnoxii non ſunt, atque illi. Mercatores & oppida nos quamplurimos habemus; perſæpe enim per avaritiam, fraudes, & ſæpiſſime per delicias & voluptates carnales in noſtra clauſtra barathrumque noſtrum deſcendunt.* Deinde ſubjunxit S. Dominicus dicens: de Sacerdotibus vero & Religioſis nullam mentionem facitis. Reſponderunt, *innumeros ſe poſſidere Sacerdotes, at vero Religioſos nullos. Sed ex iis, qui, non habitu ratione ſtatutorum ſui Ordinis, ea temere violant, ſingulis diebus innumeri ad nos devolvuntur.* Subinterrogavit & dixit iterum Sanctus: de meis ergo Religioſis & Franciſcanis quid dicitis? Tunc ad hoc renovatis vocibus & clamoribus, reſponderunt, dicentes: *heu, heu, ex illis pro tempore nullum habemus; futurum vero eſt, ut infinitos recipiamus, cum nempe ſeveritas ſtatutorum, ceremoniarum, ipſaque devotio refrixerint, peſſumque ierint.* Ita verbatim habetur in appendice Speculi magni exemplorum, exemp. 113. exſcri-

pium ex legenda ſancti Dominici, quæ ex quatuor vitæ ipſius Scriptoribus ſumpta eſt, nempe ex FF. Jordano, Conſtantino, Humberto, & Theodorico de Apoldia Ordinis Dominicani viris piis & doctis. Tranſtulit autem illam in gallicam linguam venerabilis Religioſus ejuſdem Ordinis fr. Joannes Martinus Conventus Valencenenſis, qui ſupradictum

Bzov. anno 1213. n.12.

miraculum refert 1. *part. cap. 5. fol.35. col.4.* Ex hoc ipſo loco Speculi totam rei ſeriem tranſcripſit Abrahamus Bzovius, ſed dum ad Franciſcanos pervenit, pro ſuo in eos affectu, & hiſtorici candore narrationem mutavit, ſolum Minoritis affigens, quod de futura perditione irregularium & vilioris notæ Fratrum tam Prædicatorum, quam Minorum Diabolus prædixit. Hæc viri ſinceritas in rebus noſtris narrandis, ut in quibuſcumque præclaris ſocios & conſodales adhibeat Prædicatores, quorum conſortio lætamur & exultamus; in vituperio tamen & malis, ſi quæ ſunt utrique Inſtituto communia, ſingulares ſemper Franciſcanos conſtituat.

XXIII. Id autem mirum, quod certum eſſe dicat anno MCCXIII. vel ſuperiore hæc contigiſſe & anno MCCXVIII. deſcribat ingreſſum Bernardi de Quinta Valle primi ſocii Franciſci, & omnium Minorum a Franciſco primi, in quo quantum a vero aberravit, præter ea, quæ hucuſque in ſuperioribus annis ex probatis diximus Auctoribus, omnes ferme demonſtrant Chronologi, imo & ipſe Bzovius contra Bzovium, qui anno MCCXV. num.5. Franciſcum jam undecim Socios nactum dicit, & anno MCCXVI. num. 12. ait eis præſcripſiſſe Regulam (ſed in narratione ex Bonaventura valde decipitur, ut alias dicemus: quod enim ſanctus Doctor refert de ſecunda Regula, ſcribit ille de prima. Demum anno MCCXVII. num.9. refert Deum conſolari Franciſcum mœrentem ob ſuorum Fratrum inobſervantiam, & num. 10. alia recenſet de Franciſco & Sociis, quæ quam cohæreant cum iis, quæ habet anno MCCXVIII. num.12. & ſequentibus, ubi narrat primorum Sociorum S.Franciſci converſionem, quamvis etiam neque in his recenſendis verum attigit ordinem) ipſe conſideret. Illud ſolum adjecerim ex docto Viro Matthæo Ferchio Veglenſi

Ferch. in Bzov. n.14.

viro primario inter Patres noſtros Conventuales, Bzovium plurium Franciſcanorum reprobationem & illorum inobſervantiam referentem ante annum MCCXVIII. in quo primorum Franciſcanorum converſionem recenſet, prius Franciſcanos pravos fuiſſe, quam fuiſſe, deſcripſiſſe. Adde quod non adeo certum eſt, ut velit Bzovius, anno MCCXIII. vel ſuperiore reſponſa hæc dediſſe dæmoniacum ſancto Patri Dominico, imo certum eſt poſterioribus annis eveniſſe; neque enim adhuc ſub illo tempore ſanctiſſimus Pater ſuum Ordinem inſtituerat, multo minus ex ejus Sociis totidem tunc mortui erant, de quibus poſſet interrogare, an plures ex eis, aut Franciſcanis in barathrum deſcenderint; neque adhuc eo anno viderat Franciſcum, aut adeo ei noti ejus ſodales, ut de Franciſcanis perquireret. Quare veroſimilius & certius reponi debet hæc ſancti Viri cum energumeno conflictatio, vel ad annum MCCXVI. quando confirmata jam Regula rediit in Galliam, vel ad finem ſuperioris, vel principium hujus anni, quando perrexit in Hiſpaniam, vel inde redierat; nam ante adventum in Urbem omnino ei ignotus Franciſcus.

His tamen omiſſis, quæ largius alii examinabunt, illud ſatis laudabile denuo dixerim, quod tot infeſti, verſutiſſimique hoſtis technis, & inſidiis viriliter ſub illis annis reſtiterint Minores. Juvit profecto quotidiana Franciſci exhortatio, & frequens periculi admonitio, qui

dum

dum in his ipſis Comitiis Dominum Oſtienſem e roſtro dicentem, & pro ſuo affectu, ſermoniſque coronide Fratres non ſegniter laudantem audiret, timens ne hinc ſuperbiendi, aut negligenter agendi ſubreperet occaſio, petita Principis venia, ſuggeſtum aſcendit, & coram omnibus futuras Ordinis ruinas, tribulationes, rerum mutationes, immiſſiones per Angelos malos, vecordiam Fratrum, & deordinationes prophetico ſpiritu adeo efficaciter prædixit, præſentibuſque ita ignaviam, & ſegnem cooperationem ad tantam a Deo eis gratiam conceſſam objecit, ut omnem, ſi quis adoriebatur, tumorem repreſſerit, & ruborem excitarit. Aliquantulum ægre tulit Oſtienſis ſuas laudes attenuatas, & deſcendenti Franciſco: Itane Frater, inquit, verba mea confudiſti, & contraria prædicaſti, meis laudibus tot opponens Fratrum tuorum imperfectiones? Domine, & Pater noſter, reſpondit Vir ſanctus, id propterea feci, ut tuæ laudis permaneat materia, ſæpiuſque laudare poſſis; volui enim futuris eventibus eorum malum avertere, ne tanti Viri præconiis efferrentur, qui altas adhuc non egerunt in humilitate radices.

Prædicat & laudat Minores Oſtienſis.

Temperat laudes Franciſcus.

XXIV. Ita porro conſtitit ipſi Domino Oſtienſi, dum die ſequenti cum fratre Elia & Ioanne de Stiachia Miniſtris, quos ſupra diximus Hetruriæ & Bononiæ, alii plures acceſſerunt, rogantes eum, quatenus fratri Franciſco, vel ut ſuo, non illorum nomine perſuaderet, ut vellet admittere, & ſequi ſuorum Fratrum conſilia, quorum plures erant doctiſſimi, & univerſo apti regimini, præſertim cum ipſe Vir ſimplex & illitteratus non valeret tantæ multitudini ſatisfacere, nec per infirmas corporis vires omnia negotia Ordinis expedire. Multa deinde ei ſuggeſſerunt de Regulis ſancti Auguſtini, Benedicti, Baſilii, & aliorum Conſtitutionibus, quibus adeo vetuſtate, & tantorum Patriarcharum ſanctitate commendatis ſecure innitendum dicebant, neque adeo ab eis recedendum, ut nova, & longe diverſa, atque aſpera nimis Regula velimus videri Patribus noſtris nos eſſe meliores. Arrepta itaque occaſione, & inito familiari colloquio cum Viro propoſuit hæc omnia Cardinalis, tamquam propria boni regiminis arbitria. Quæ tamen non propria, ſed ab aliis ſuggeſta per ſpiritum intellexit Vir ſanctus, exurgenſque de loco, ubi cum Cardinali ſedebat, manu reverenter apprehenſa, eum duxit ad Fratres in Capitulo congregatos, quibus in ſpiritus fervore dixit: *Fratres mei, Fratres mei, Deus vocavit me per viam ſimplicitatis, & humilitatis, ut Crucis ſequar ſtultitiam, & ad ejus gloriam, propriam confuſionem, & veſtræ conſcientiæ ſecuritatem vobis expando, quæ ipſe mihi ita dixit. Franciſce, ego te volo eſſe novum ſatuellum in mundo, qui operibus & verbis ſtultitiam prædicet Crucis, & te tuoſque ſequaces, ut in me dumtaxat reſpiciant, atque abſque alio vivendi modo me ſequantur. Ipſe dignanter & miſericorditer mihi hanc oſtendit viam pro me & pro illis, qui mihi credere volunt, & adhærere. Non eſt ergo, cur aliam mihi nominetis Regulam, neque Auguſtini, neque Benedicti, neque aliorum vivendi formam, præter eam, quæ mihi a Domino pro ſua benignitate, & miſericordia deſuper eſt conceſſa. Nolo itaque contrarius eſſe voluntati Domini mei, neque per aliam viam vos præire, a qua qui recedunt, alioſque avertere curant, vereor ne divinam ſentiant ultionem, & cum rubore ſuo tamdem cogantur ad hanc ſemitam redire.* Convertens deinde ſe ad Dominum Oſtienſem, inquit: *Iſti Sapientes, quos veſtra Dominatio adeo laudat, & mihi commendat, vellent ſua humana prudentia & Deum & voſmet decipere; ſed vere ſemetipſos decipiunt, deſtruere & con-*

Marian. c. 14.
Marc. c. 51.

Quidam petunt laxari Or... rigorem.

Sed ... ſtit Franciſcus.

& conculcare volentes ea, quæ per me indignum ſervum ſuum loquitur Chriſtus pro ipſorum ſalute, & totius Ordinis incremento. Neque enim mihi, quicquam horum quæ facio aut dico, attribuo, neque ita mihi fido in Ordinis regimine, quin longa præmiſſa oratione omnia conferam cum ſupremo hujus Sodalitii Rectore Patre cæleſti. Ipſi vero ad manifeſtum periculum & damnum animarum ſuarum ſapientiam ſuam, & prudentiam hujus ſæculi præferunt Chriſti voluntati, quam tot ſignis eis hucuſque manifeſtavit, ut ſolidaret & perficeret opus ſuum, quod per me miſellum incœpit ad ſalutem animarum, & ædificationem ſanctæ Matris Eccleſiæ.

XXV. Quibus auditis, & ſecum alte perpenſis Dominus Oſtienſis obſtupuit ad igneum hominis fervorem, & præſentaneam Spiritus aſſiſtentiam, qui aliorum arcana, & quidquid ad Ordinis regimen ſpectabat, ei extemplo revelabat; converſuſque ad Fratres confuſos & mente ſuſpenſos, recedente Viro Dei, inquit: *Fratres mei cariſſimi, ipſi vidiſtis & audiſtis, quæ per Virum hunc Apoſtolicum Spiritus ipſe locutus eſt. Vacate & attendite vobis, nolite Spiritum hunc contriſtare, neque ingrati ſitis beneficio Dei, quia vere Deus eſt in iſto pauperculo, & per os ejus loquitur potentiæ ſuæ magnalia: qui eum audit, non hominem ſed Deum audit, & qui ſpernit eum, Chriſtum ſpernit. Humiliate itaque corda veſtro Deo; & ſi placere Deo cupitis, huic pauperculo acquieſcite & obedite, ne fructum veſtræ vocationis amittatis. De ore enim ipſius exiit verbum Dei, tamquam gladius acutus ad medullam cordis pertingens. Experientia etiam comperio, quod ei manifeſtantur quæ vel homines, vel ipſi Dæmones in ejus Sodalitium machinantur: non venit itaque tam facile decipiendus, ut per ſuggeſtiones vel meas, vel cujuſpiam alterius, quantumcumque dextra vel ſiniſtra mente prolatas, a ſemitis ſuis poſſit averti.* Quibus verbis compuncti & commoti, qui contraria miniſtraverunt conſilia, in poſterum Viri ſancti verbis, & nutui humiliter acquieverunt.

Hortatur Oſtienſis ut Franc. Fratres acquieſcant.

XXVI. Supervenerunt autem multi Fratres ex partibus Ultramontanis tractaturi in his Comitiis de remedio multorum malorum, & gravaminum ſibi in diverſis Provinciis illatorum. Duplici ex capite dicebant ſe durius multis in locis receptos: primo, quod authenticas nullas litteras habebant, quibus probarent ſuam vitam & Inſtitutum ab Eccleſia fuiſſe firmatum aut ratum. Secundo, quod ab eccleſiarum Rectoribus non admitterentur ad verbi divini miniſterium. Rogabant itaque ut curaret, quod Pontificis teſtimonio conſtaret eos probatæ vitæ, & rati Inſtituti homines eſſe; quodque ab eodem impetraret privilegium, ut ubique libere, etiam inſalutatis Epiſcopis, poſſent prædicare. Ad ſecundum indignabunde reſpondit Vir ſanctus: adhuc & vos Fratres ſine intellectu eſtis, nec Dei ſcitis voluntatem. Illa etenim eſt, ut prius per ſanctam humilitatem, & dignam reverentiam convertamus, & lucremur Prælatos; deinde ſancto verbo, & opere illis ſubjectos. Dum enim Epiſcopi ſanctam veſtram converſationem, & laudabilem vitam conſpexerint, neque velle vos illorum auctoritati præjudicare, ipſi vos rogabunt, ut eis cooperemini circa ſalutem animarum ſibi commiſſarum, eaſque convocabunt, ut vos audiant, & vitam veſtram imitentur. Hoc itaque ſit nobis ſingulare privilegium, nullum privilegium habere, per quod elevemur in ſuperbiam, vel in quo confiſi velimus ulli præjudicare, aut lites excitare; ſed ea tantum poſtulemus a ſancta Sede Apoſtolica,

Specul. S. Franc. l. 1. c. 40.

Noluit Fratres prædicare abſq; conſenſu Epiſcoporum.

lica, per quæ ejus fidem dilatare, Deo obſequium præſtare, & animas lucrari valeamus cum Prælatorum bona venia, & ſancta pace Populorum.

XXVII. Objicientibus vero quibuſdam ex Fratribus plurimos ſe inveniſſe duræ cervicis Clericos, quos nulla prece, nulla arte, ſubjectione nulla, nullo virtutis ſpecimine, nec vita quantumvis exemplari flectere potuerant, ut permitterent ſuis Plebanis cibum ſpiritnalem miniſtrari, vel ab eiſdem corporalem accipere, reſpondit Vir ſanctus: *In adjutorium Clericorum miſſi ſumus, Fratres cariſſimi, ad animarum ſalutem, ut quod in illis invenitur minus, ſuppleatur a nobis. Quilibet recipiet mercedem, non ſecundum auctoritatem, ſed ſecundum laborem. Scitote Fratres, quod Deo eſt gratiſſimum animarum lucrum. Hoc conſequi melius poſſumus cum pace Clericorum, quam cum diſcordia. Si autem ipſi ſalutem impediunt*, Dei eſt ultio, & ipſe retribuet eis in tempore. *Ideoque eſtote ſubjecti Prælatis, nec quantum ex vobis eſt, malus zelus conſurgat. Si filii pacis fueritis, & Clerum & Populum lucrabimini: & hoc acceptabilibus Deo erit, quam Populum ſolum, Clero ſcandalizato, lucrari. Tegite eorum lapſus, multiplices eorum ſupplete defectus, & cum hæc feceritis humiliores eſtote.*

Commendat pacem habendam cum Clericis.

Vide collat. 12. in opuſc. S. Franc.

Deut. 32. 35.

XXVIII. His itaque de cauſis noluit Vir ſanctus privilegium illud de libera prædicatione exercenda, inſalutatis Epiſcopis, impetrare, litteras tamen Apoſtolicas, quæ fidem facerent, ſe ſuoſque vitam a ſancta Sede probatam ſectari, obtinendas judicavit, ita etiam ſuadente Protectore Hugolino, quas nullo negotio obtinuit a pio Pontifice III. Idus Junii, Pontificatus anno III. ſequentis tenoris.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Archiepiſcopis & Epiſcopis, Abbatibus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Prælatis.

Cum dilecti filii frater Franciſcus, & Socii ejus de vita & religione Minorum Fratrum, abjectis vanitatibus hujus Mundi elegerunt vitæ viam a Romana Eccleſia merito approbatam, ac ſerendo ſemina verbi Dei Apoſtolorum exemplo diverſas circumeunt manſiones, Univerſitatem veſtram rogamus, & exhortamur in Domino per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus Latores præſentium de prædictorum Fratrum Collegio exiſtentes, cum ad vos duxerint declinandum, ipſos recipiatis ſicut Catholicos & Fideles; alias eis ad reverentiam divinam, & noſtram exhibentes vos favorabiles, & benignos. Datum III. *Idus Junii, Pontificatus noſtri anno* III.

Cōmendat Pontifex Minores Eccleſiarum Prælatis.

XXIX. Primæ omnium hæ fuerunt litteræ Apoſtolicæ conceſſæ Ordini Minorum; a quo vero obtentæ, an ab ipſo Franciſco, an per Internuncios poſtulatæ; an Peruſii, ſeu verius alibi datæ, diſcrepant quidam ex noſtris. Marianus Peruſii tunè reſediſſe Curiam velit, & per ipſum Franciſcum impetratum diploma; at certum eſt ex Hiſtoricis, & Regeſto Honorii quod ego totum percurri (facta mihi ſanctiſſimi Domini Gregorii XV. licentia, interveniente, ex magna ſua in me benevolentia, Illuſtriſſimo Domino Scipione Cobellutio Cardinale Tituli ſanctæ Suſannæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecario) hoc tempore non reſe-

Marian. c. 15. §. 2.

reſediſſe Peruſii Pontificem, ſed Viterbii; nam a III. nonas Januarii uſque ad v. Kalendas Auguſti omnes Pontificiæ litteræ in ejus Regeſto, Viterbii ſunt datæ. Hic ergo, non Peruſii conceſſit Pontifex has litteras Pontificias, vel ipſi Franciſco, non adeo enim ab Aſſiſio diſtat hæc Urbs, vel ejus Procuratoribus; namque ex datis toto hoc menſe epiſtolis conſtat ibidem tunc ſtitiſſe: excuſi Codices nullum aſſignant conceſſionis locum, licet omnes tempus apponant. Exſcripſerunt autem Diploma *Firmament.* 3. *Ordinum tract.* 2. *p.* 2. *fol.* 11. *Monum. Ord. tract.* 1. *fol.* 22. *Speculum Minorum fol.* 2. *Roderic. in collectione Privilegiorum ſub Honorio Bulla* 2.

XXX. Pontificiis litteris Cardinales, & viri Principes multi ſuas addiderunt, affectuoſius Inſtitutum ipſum, & profeſſores ſpectatam probatamque virtutem commendantes. Præ omnibus amplum dedit ad univerſos Eccleſiarum Prælatos teſtimonium Dominus Oſtienſis de comperta ſibi Inſtitutoris & Sectatorum religioſa vita, de certa ſpe futuri emolumenti Eccleſiæ, & fidei augendæ per eoſdem. Pluribus itaque & authenticis harum litterarum factis exemplaribus, & ſecundum qualitates mittendorum, Nationumque, ad quas mittendi erant, exigentiam diſtributis, ſtatuit Viros ſanctitate, & litteris probatos ad remotas quaſque deſtinare Provincias. Sed antequam diſpergerentur, omnes multa & frequenti inſtruxit diſciplina, nihil prætericns quod boni erat Magiſtri, vel ad perfectam diſcipulorum attinebat inſtructionem. Deinde inter cetera, tria ſtatuta ſunt in his Comitiis: primum, ut quolibet Sabbato ſolemniter fierent ſacra in Immaculatæ Virginis Mariæ honorem. Secundum, ut expreſſa fieret mentio Petri & Pauli Apoſtolorum in illa oratione, *Protege nos Domine*, atque item in alia, quæ incipit, *Exaudi nos Deus*; ut vel hoc ſigno gratam ſe exhiberet religioſa Sodalitas erga Apoſtolorum Principes, quos ex revelatione divina conſtitit in Cœlis ſpeciales ſe exhibuiſſe ejuſdem Protectores, & apud Deum interceſſores. Hinc abiit in conſuetudinem univerſæ Eccleſiæ ita recitandi ab eo tempore, quo Haymo Anglicus quintus Miniſter generalis auctoritate Apoſtolica Ritus Romani Officii in breviorem, exactioremque formam redegit. Tertium, ut Fratrum ædes paupertatem in omnibus præferrent, eccleſiæ eſſent humiles & parvæ, ac reliqui ædificii parietes eſſent cratitii, ex cannis ſcilicet cratibuſque implexis, ſeu ex ligno & luto paleato compingerentur.

Marian. cit. §. 5. *Legen. antiq.*

Bernard. a Beſſa cit.

Tria ſtatuta hujus Synodi.

XXXI. Monet tamen Marianus circa tertiam hanc Conſtitutionem non unam omnium Capitularium fuiſſe ſententiam, pluresque fuiſſe, qui obtenderent in ſuis Provinciis cariora eſſe ligna lapidibus, & cæmentitium parietem, dummodo humilem, non tanti ſumptus, quin magis accederet ad paupertatem, ſua duratione & firmitate frequentes excuſaret expenſas reſtaurandorum, & ſæpius extruendorum humilioris, ſive infirmioris illius generis parietum. Noluit cum his nimium contendere ſanctus Legiſlator, quem & in aliis multis rebus condeſcendiſſe contrariis aliorum opinionibus, turbationis aut ſcandali vitandi gratia, monent ad hunc locum tres ejus Socii; quare Conſtitutio hæc non adeo abiit in praxim: ſæpiſſime tamen alias, & ad mortis horam monuit & rogavit Fratres, ut eccleſias & habitacula, quæ pro ipſis conſtruuntur, penitus non reciperent, niſi eſſent, ſicut decet ſanctam paupertatem, quam in Regula promiſerunt, ſemper in eiſdem hoſpitantes, ſicut advenæ & peregrini. Quod ſane per plurimos obſervarunt annos, donec creſcente Princi-

Commendabat ſæpe Franc. ædificiorum humilitatem.

Principum & Pontificum erga eos devotione, quæ juxta ſuam magnificentiam & generoſitatem extruebant domicilia, etiam invitos, aliquando cogebant inhabitare.

XXXII. Diviſo mox inter conſodales Orbe, veluti ſi Univerſum Dei excelſi ſubjugare vellet imperio, cujus ampliores, potioreſque plagas a debita defeciſſe obedientia conſpexit, ad eas vincendas partes peritiores miſit Duces, quas magis ſibi conſtitit fuiſſe rebelles. Longa itaque pro more præmiſſa oratione, ſibi duodeniſque Sociis deſignavit Syriæ & Ægypti regiones. Ad deficientes Græciæ nationes deſtinavit beatum Benedictum de Aretio cum aliis Fratribus. Ad Africam duos ex præcipuis ſuis comitibus, vere beatos, fratrem Electum & fratrem Ægidium Laicos, ſeu Converſos, adjunctis aliis quampluribus; ſubmiſſis uno vel altero interlabente menſe, tamquam ſubſidiariis militibus, quinque illis fidei athletis, qui anno ſequenti apud Marrochium pro eadem ad ſanguinem & mortem uſque decertarunt. In Hiſpaniam, cujus multa adhuc pars ſub dura Saracenorum ſervitute gemebat, præter ſupranominatos miſit beatum Joannem Parentem, beatum Agnellum, aliis Agnum, qui poſtea longa confectus ætate & meritis clarus ordinatus eſt Epiſcopus Marrochianorum; ſratrem Bernardum de Contemporaneis, cum aliis ultra centum, ut ex antiquo Hiſtorico refert Gonzaga. In Galliam eoſdem remiſit Miniſtros, quos in primo creavit Capitulo. Sed in Aquitaniam, ut auctor eſt Antoninus, deſtinavit columbinæ ſimplicitatis virum fratrem Chriſtophorum, qui miraculis clarus requieſcit Caturci. In Hungariam miſſi alii, in Germaniam nulli; adeo enim Teutonum ferocitatem explicarunt illi, qui inde præcedenti, vel altero anno redierunt plagis, contumeliis, & damnis exſaturati, ut communi ferme prece inter Fratres diceretur, a Teutonibus libera me Domine: neque proinde tunc conſultum judicavit ſanctus Pater quempiam ad peregrini idiomatis & durioris conditionis viros remittere, donec aliquos ipſius Nationis viros in Italia, aut aliis regionibus ſuæ Sodalitati aggregaret, qui bene inſtructi circa Inſtituti mores, ſuæ nationis homines poſtea commodius inſtruerent. Quod & fecit ad annum MCCXXI. ut ibidem largius dicetur. In Angliam tranſmiſit fratrem Angelum, alias Agnellum Piſanum, cum aliis Fratribus, quorum Miniſtrum inſtituit. Obedientialium hujus ſancti Viri litterarum exemplar adhuc videre licet in Conventu ſacro montis Alvernæ in muro ſcriptum, quod ipſe Agnellus graphice depictus, tamquam a ſancto Patre ſibi datum vel tranſmiſſum, manibus tenet expanſum. Obedientiæ tenor eſt:

Mittit in omnes regiones Prædicatores.

Anton. tit. 24. c. 7. §. 1.

Gonzag. in proœ. Prov. Aragon.

Anton. cit.

Ego frater Franciſcus de Aſſiſio Miniſter generalis præcipio tibi fratri Agnello de Piſa per obedientiam, ut vadas ad Angliam, & ibi facias officium Miniſteriatus. Vale.

FRATER FRANCISCUS DE ASSISIO.

Miſſus cum Agnello ſuus concivis Albertus, qui longe alter eſt ab alio illo Alberto Germano Stadenſi, prius Abbate, deinde Minorita & hiſtorico, quos tamen perperam putavit Henricus Willot confudiſſe Arnoldum Wion; neque enim de Hetruſco illo Alberto, ſed de Germanico agit Arnoldus, & unum putavit fuiſſe Albertum Minoritam Henrlcus, ſed decipitur. Hic Anglicani miniſtri ſocius unus, ille, de quo agit Arnoldus, alius: hic vere Hetruſcus, ille Germanus: hic ſemper Minorita, ille ali-

Willot in Athenis Minorum ſub nomine Albertus Piſanus.

Arnol. lib. 2. ligni vitæ c. 62.

Digitized by Google

aliquando Benedictinus: hic prius in Angliam hoc anno miſſus, quam ille Benedictinis, & Abbatiali dignitati valedixerit, anno, ipſomet teſte, MCCXL. Hic demum totius Ordinis Rector creatus eſt poſt Fratris Eliæ ſecundum miniſteriatum; ille vero in ſancta ſimplicitate & ſub humili aliorum obedientia deceſſit. In eo vero erravit Arnoldus, quod aſſeruerit Albertum illum Germanum illud ſuum eruditum opus Chronologicum inter Benedictinos ſcripſiſſe, antequam eis valedixerit, quod mihi facile erit ex ipſo opere refellere ad annum MCCXL. quo factus eſt Minorita.

Navigat in Græciam Benedictus. *Marian. c. 15. §. 20.*

XXXIII. In Græciam autem ſtatim navigavit Benedictus, depoſito miniſteriatu Provinciæ Marchiæ, quem eouſque laudabiliter geſſit. Perquam benigne & humaniter receptus eſt a Petro Altiſiodoro Orientis Imperatore, quo favente & auxiliante plura accepit & ædificavit ſuis Sodalibus habitacula, & Religionem ita dilatavit, ut brevi ampla coaluerit Provincia Fratrum, dicta Romaniæ. Miros fecit ibidem Ordo progreſſus, & Vir ſanctus cum Sociis rei ſpiritualis proventus, doctrinam eorum, & vitam Domino confirmante ſequentibus ſignis. Sæpius ſe offeret rei noſtræ in Oriente adauctæ & magnificatæ per univerſam hiſtoriam opportunior relatio.

Vita Ægid. MS. c. 5. *Surius ad 23. April.* *Marc. lib. 1. c. 54.* *Reboll. l. 1. c. 25.* Ægid. cum aliis trajiciunt in Africam.

XXXIV. Ægidii fervor, promptaque pro Chriſto martyrii obeundi voluntas, diuturnas non patiebatur moras, quin ſtatim cum Electo & Sodalibus non tranſiret ad Saracenos. In Africam advecti, alio divertit Electus; Ægidius vero Tunetum venit, ubi cum verbum Dei cum ſuis diſſeminare vellet, ex antro, veluti ex ſacro quodam ſpecu, erumpens Saracenus quidam inter ſuæ inſaniæ homines ſanctiſſimæ & magnæ opinionis, qui pluribus annis alto ſilentio omnium reverentiam ſibi conciliavit, veluti Mahumeti, ſuorumque zelans legem, contra novos hos prædicatores univerſam ferme urbem concitavit, ita ut vitæ & mercium diſpendium immineret omnibus Chriſtiani nominis ibidem commorantibus, niſi per vim & clam acceptis Fratribus, illos ad naves compellerent: neque hic alligatum verbum Domini; etenim conſtanti & intrepido animo ex navibus Mahumetanam deteſtabantur inſaniam, & Chriſti inculcabant doctrinam, donec compulſi fuerunt inviti ad propria remeare.

Electus occiditur.

XXXV. Electo vero alia in civitate magis ſucceſſit ad votum; nam quibuſdam poſt annis ſub Eliæ generalatu, dum conſtanter Chriſti prædicaret fidem, & viam ſalutis oſtenderet, irruente in eum turba Saracenorum ut occiderent, genua flectens, & quam profeſſus eſt Regulam utraque manu tenens, dixit ad ſocium: De omnibus quæ contra iſtam Regulam feci cariſsime frater, coram oculis divinæ majeſtatis, & coram te me culpabilem eſſe profiteor. Brevi huic confeſſioni gladius ſucceſſit, quo vitam glorioſo terminavit martyrio. Sane univerſa vita non aliud erat quam martyrium; nam adoleſcentulus jugum Domini ſubivit, & ad mortem uſque ſuper nuda carne aſperam portavit loricam. Felix adoleſcens feliciter incœpit, felicius conſummavit, & occultum martyrium feliciſſime publico concluſit.

Joannes Parens cum ſuis pervenit in Hiſpaniam. *Gonzag. in proœ. Provin. Aragon.*

XXXVI. Qui in Hiſpaniam tendebant, viſi ſunt exultaſse ad currendam viam cum primicerio Joanne Parente. Decem ex iiſdem circa Aſsumptionis virgineæ feſtum, breviſſimo ſane, a ſuſcepto itinere, tempore, pervenerunt Cæſarauguſtam Tarraconenſis Hiſpaniæ celebrem Civitatem; qui ejus Civitatis non Archiepiſcopo, ut habet Gonzaga, ſed Epiſcopo, nam a Joanne XXII. facta urbs illa Archiepiſcopalis, ac utri-

utrique ſenatui, Sæculari ſcilicet atque Eccleſiaſtico, uti par erat, ſe præſentantes, benigne ab eis recepti ſunt, ſtatutamque diem, in qua coram ſe convenirent, atque quid vellent felicius proponerent, retulerunt. Qua tandem, juxta condictum, adveniente, beatus ipſe Joannes Parens decem ſuis ſociis ſtipatus, in capitulari domo eccleſiæ S. Salvatoris in celeberrimæ illius coronæ medium deſcendit, atque in hæc verba maxima cum humilitate ac religione prorupit. *Patres conſcripti, atque de catholica religione optime meriti, Deus Opt. Max. qui dilectiſſimi filii ſui Jeſu Chriſti ſponſæ, Catholicæ videlicet Eccleſiæ in omni tribulatione, atque in quacumque neceſſitate opportune adeſt, noviſſimis ac vere calamitoſis his temporibus hominem quemdam ſcientia vacuum, idiotam, ſimplicem, ac mercimoniis implicitum, cujuſdamque Petri Bernardonis Aſiſinatis filium, nomine Franciſcum, qui mundo ſalutis viam oſtenderet, pœnitentiamque ſuaderet, ſeligere dignatus eſt. Is igitur tanti Patris ac Domini dicto audiens, omnibus mundi illecebris longe poſthabitis, ſe totum paupertati, humilitati, atque omnium deſpectui commiſit: inſuper & quoſdam ejuſdem mentis homines, qui ſe in omnibus ſequerentur, elegit. Qui adeo, auſpice Deo, creverunt, ut non ita ante multos dies milleſimum numeram, quinto repetitum, exceſſerint. Quod ſane miraculo non caret; cum hujuſmodi electio a tredecim tantum, vel circiter annis contigerit. Cupiens præterea is pater noſter Franciſcus, qui & ſummam Pontificis Maximi Honorii III., ut vobis videre licebit, humanitatem atque paternam benevolentiam in conceſſione Regulæ, jam ante ab Innocentio III. approbatæ, & a ſe Spiritu Sancto dictante præſcriptæ, & eximium Illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium in ejuſdem Regulæ commendatione affectum expertus eſt, hujuſmodi vocationi facere ſatis, præfatos viros ſibi adhærentes, de quorum numero & nos ſumus, qui vitia carpant, virtutes commendent, Chriſtum ſequi, ejuſque præceptis mortales parere doceant, tum ad Germanos, tum ad Gallos, tum ad alias Orbis partes, tum quoque ad celeberrimam hanc civitatem delegavit. Vos igitur exoratos cupimus, ut ſi noſtra converſatio vobis arriſerit, nobis aliquod hoſpitiolum, ubi & divinum penſum peragere, in poſterum victitare, atque tanti Patris voto annuere poſſimus, aſſignare dignemini. Nec id vobis, oro, difficile ſit; nam nihil minus a divitiis & bonis veſtris exoptamus: victum ſiquidem neceſſarium, qui & parciſſimus eſt, & vilem amictum, vel corporalis labor, vel oſtiaria emendicatio ſuppeditabit.*

Zicrita. to.1.l.2. c.73.

Vide Marianam lib.13. c.15.

Ejus ratiocinatio ad Cæſarauguſtanos.

XXXVII. Quibus dictis depromptas ex manica tum præfati Summi Pontificis Honorii III. tum quoque plurium S. R. E. Cardinalium commendatitias litteras, præfato Cæſarauguſtanorum Præſuli, ac cetero Conſeſſui perlegendas obtulit. Illi vero hominis ſpiritum, humilitatem atque habitum ſumme admirantes, ab eo inſtantius petierunt, ut, ſi quas haberet a ſuo Patre litteras, eis oſtenderet. Tum beatus pater Joannes ipſiſſimum earum litterarum, quas Seraphicus pater Franciſcus ſuis Fratribus ad prædicandum, atque Conventus per Orbem ædificandum miſſis, ad Provinciarum Magiſtratus atque Epiſcopos dederat, tranſumptum, cujus formalia verba ſequuntur, tradidit.

Porrigit etiam litteras ſancti Franciſci.

Vide epiſt. 13. in opuſc. S. Franciſ.

Univerſis Poteſtatibus & Conſulibus, Judicibus atque Rectoribus ubique terrarum, atque omnibus aliis, ad quos iſtæ litteræ pervenerint, Fr. Franciſcus veſter in Domino ſervus, parvulus, ac deſpectus, ſalutem & pacem omnibus vobis exoptans.

CONſiderate & videte, quoniam dies mortis appropinquat. Rogo ergo vos cum reverentia ſicut poſſum, ne propter curas & ſolicitudines hujus ſæculi, quas habetis, Dominum oblivioni tradatis, & a mandatis ejus declinetis, quia omnes illi, qui eum oblivioni tradunt & a mandatis ejus declinant, maledicti ſunt, & ab eo oblivioni tradentur: & cum venerit dies mortis, omnia quæ putabant habere, auferentur ab eis, & quanto ſapientiores & potentiores fuerint in hoc ſæculo, tanto majora tormenta ſuſtinebunt in inferno. Unde firmiter conſulo vobis dominis meis, ut omni cura & ſolicitudine poſthabitis, ſanctiſſimum Corpus & ſanctiſſimum Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti in ejus ſancta commemoratione benigne recipiatis. Et tantum honorem in populo vobis commiſſo, Domino conferatis, ut quolibet ſero annuncietur per nuntium, vel per aliud ſignum, quo omnipotenti Domino Deo ab univerſo populo laudes & gratiæ referantur. Etſi hoc non feceritis, ſciatis vos coram Domino Deo veſtro Jeſu Chriſto in die judicii reddere rationem. Hoc ſcriptum, qui apud ſe retinuerint, & obſervaverint illud, a Domino Deo ſe noverint benedictos.

XXXVIII. Præter has, alias etiam ad Eccleſiaſticos ſecum detuliſſe literas, a ſancto Viro miſſas, hic obiter monemus, quibus ad purum & perfectum ſacræ Synaxis cultum hortabatur, quarum hoc ſubjicimus exemplar.

Literæ ſancti Franciſci ad Eccleſiaſticos.

Reverendis in Chriſto Dominis meis, univerſis Clericis, qui ſunt in toto Orbe, & vivunt ſecundum ſtatuta Catholicæ fidei, Frater Franciſcus parvulus & minimus ſervus, ſalutem cum omni reverentia, & oſculo pedum.

Vide Epiſt. 13. in opuſc. S. Franciſci.

QUoniam debitor factus ſum omnibus, ideo non valens amplius præſentialiter verbis meis, propter meas infirmitates, vobis ſatisfacere, hanc meam recordationem & admonitionem paucis verbis ſcriptam, cum omni amore & dilectione ſuſcipite. Attendamus omnes Clerici magnum peccatum & ignorantiam, quam quidam habent ſuper ſanctiſſimum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſacratiſſima nomina & verba ejus ſcripta, quæ ſanctificant Corpus. Scimus, quia non poteſt eſſe corpus, niſi prius ſanctificetur a verbo. Nihil enim habemus & videmus corporaliter in hoc ſæculo de ipſo Altiſſimo, niſi Corpus & Sanguinem; & realiter nomina & verba, per quæ facti ſumus, & redempti de morte ad vitam. Omnes autem illi, qui miniſtrant tam ſancta myſteria, conſiderent intra ſe, maxime hi qui indiſcrete miniſtrant, quam viles ſunt calices, corporalia, & linteamina, ubi ſacrificantur Corpus & Sanguis Domini noſtri, & a multis in locis vilibus relinquitur, miſerabiliter portatur, & indigne ſumitur, & indiſcrete aliis miniſtratur. Nomina etiam & verba ejus ſcripta aliquando pedibus conculcantur, quia animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt. *Non movemur de his omnibus ad pietatem, cum ipſe pius Dominus in manibus noſtris ſe præbeat, & eum tractemus, & ſumamus quotidie per os noſtrum?*

Reverentia exhibenda Corpori Chriſti.

Et verbis divinis.

1. Corin. 2. 14.

ſtrum? An ignoramus, quia debemus venire in manus ejus? Igitur de his omnibus, & aliis, cito & firmiter emendemus, & ubicumque fuerit ſanctiſſimum Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti illicite collocatum & relictum, removeatur de loco illo, & in loco pretioſo ponatur, & conſignetur. Similiter nomina & verba Domini ſcripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur, & in loco honeſto debeant collocari. Et ſcimus, quia hæc omnia tenemur ſuper omnia obſervare ſecundum præcepta Domini & Conſtitutiones ſanctæ matris Eccleſiæ. Et qui hoc non fecerit, ſciat ſe coram Domino noſtro Jeſu Chriſto in die judicii reddere rationem. Hoc ſcriptum, ut melius debeat obſervari, ſciant ſe benedictos a Domino Deo, qui ipſum fecerint exemplari. Dominus noſter Jeſus Chriſtus omnes meos dominos ſua ſancta gratia repleat & confortet.

XXXIX. Harum, non aliarum litterarum mentionem fecit Vir ſanctus iis quæ per hos ipſos, & ceteros diverſarum miſſionum Fratres miſit ad Minorum Cuſtodes, ut & ego jam alias adnotavi. Omnium harum litterarum pro his miſſionibus exaratarum exemplar lectori hic duxi offerendum. *Opuſc. S. Fran. tom. 1. Epiſt. 14. n. 3.*

Univerſis Cuſtodibus Fratrum Minorum, ad quos iſtæ litteræ pervenerint, Frater Franciſcus minimus ſervorum Dei ſalutem & ſanctam pacem in Domino.

Scitote quod in conſpectu Dei ſunt quædam res nimis altæ & ſublimes, quæ aliquando reputantur inter homines pro vilibus & abjectis, & aliæ ſunt caræ & ſpectabiles inter homines, quæ coram Deo tenentur pro viliſſimis & abjectis. Rogo vos coram Domino Deo noſtro, quantum poſſum, quod litteras illas, quæ tractant de ſanctiſſimo Corpore & Sanguine Domini noſtri detis Epiſcopis & aliis Clericis, & memoria retineatis, quæ ſuper his vobis commendavimus. Aliarum litterarum, quas vobis mitto, ut eas detis Gubernatoribus, Conſulibus & Rectoribus, & in quibus continetur, ut publicentur per populos & plateas Dei laudes, facite ſtatim multa exemplaria, & copias, & cum magna diligentia eas porrigite illis, quibus debeant dari. Valete in Domino.

XL. Primis itaque & ſecundis litteris ab Epiſcopo & Senatu Cæſarauguſtano perlectis, tantus eorum omnium ad patrem Franciſcum affectus inceſſit animos, tantaque beatum Patrem Joannem, ejuſque ſocios inceſſit benevolentia, ut ſtatim de conferenda illis habitatione inter ſe egerint, atque domos quaſdam, tamen ſemidirutas, juxta Iberi fluminis marginem aliquantulum a civitate ſitas, ipſo die beato Fratri Auguſtino dicato contulerint, ubi & per aliquot annos, cum maxima laude, atque populorum ædificatione, commorati ſunt. His itaque, atque ſimilibus auſpiciis Franciſcana Religio magis magiſque apud Hiſpanos augebatur, in dieſque novi Conventus ædificabantur. Cujus augmenti teſtem habemus illius temporis virum eruditum ſcriptorem Lucam Tudenſem in chronico quod legere licebit Tomo 4. Hiſpaniæ illuſtratæ, ubi geſta Ferdinandi ſancti recenſens, ait: *eo tempore per totam Hiſpaniam Fratrum Prædicatorum & Fratrum Minorum conſtruuntur Monaſteria, & ubique ſine intermiſſione verbum Dei prædicatur.* Et ſane intima Hiſpa- *Conv. Cæſarauguſtanus.*

Hiſpaniæ regna penetraſſe, atque ad civitatem Legionenſem ſub illo tempore perveniſſe utriuſque Inſtituti viros, auctor eſt idem Tudenus in præclaro illo ſuo opere de altera vita, fideique controverſiis adverſus Albigenſium errores, dum doloſas hæreticorum artes, quibus ſanctorum miracula eludere tentabant, adducto exemplo ab illa ipſa civitate, in qua tunc ſcribebat, quam etiam error ille Albigenſium invaſit, recen-

Tuden. l. 3. c. 8. & 9.

ſet. Rem omnem ex ipſo præſtat exſcribere. *Simulant*, inquit, *in quibuſdam locis immundi fieri miracula, ut decepti homines credant hæc patrari a Diabolo propter ſordes locorum, & ea quæ per Catholicos fiunt miracula in Eccleſia Chriſti ſimiliter facta a Diabolo arbitrentur. Quod ut manifeſte pateat, & non ſeducantur ſimplices cum Hæreticorum dolo in ſordidis locis miracula videntur fieri, ea quæ in hac noſtra urbe ante biennium calliditate Hæreticorum geſta ſunt, referamus. Poſt deceſſum Reverendi Patris Roderici Legionenſis Epiſcopi ſuper electione futuri paſtoris diſcordante voto &*

Fraus Hæreticorum.

ſtudio Clericorum, inimici veritatis Hæretici, qui ſemper ſitiunt diſcordiam Clericorum, ut reperiant aditum, quo Chriſti oves mactent & perdant, ad hanc confluxerunt civitatem, tunc temporis carentem cuſtodia paſtorali; & in quodam loco ſordidiſſimo, ubi multi egrediebantur ad exquiſita naturæ, fieri miracula confinxerunt. Fuerat ibi ſepultus quidam Hæreticus, & quidam alius homicida, qui exigente juſtitia vivus fuerat miſſus in foveam a Judicibus civitatis, eo quod proditione patruum ſuum interfecerat. Eſt ibi præterea quidam fons, quem Hæretici ſanguine polluerunt, ut ipſa aqua verſa in ſanguinem crederetur. Confluebant de diverſis partibus populi, ut aſpicerent miracula, quæ fieri videbantur. Veniebant plures, qui erant occulte muneribus ſubornati; alii fingentes ſe eſſe cæcos, alii claudos, alii Dæmoniacos, alii ægritudinibus vexatos, & hauſta fontis illius aqua ſe mentiebantur recipere ſanitatem. Extumulantes etiam oſſa Hæretici ſupradicti, qui Arnaldus vocatus fuerat, & ante ſedecim annos ſepultus in loco, martyrem ſanctiſſimum fatebantur. Plures Clericorum ſimplicitate ducti laicos in facto ſacrilego ſedulo adjuvabant, & ſuper fontem domum fortiſſimam conſtruxerunt. Parabant oſſa prædicti proditoris & homicidæ communi conſilio elevare, quia hunc quondam eſſe Abbatem ſanctiſſimum fatebantur. Quid plura? Quod callide fecerant, quibuſdam detegentes Hæretici, deridebant fidem Catholicam, & ſimili artificio fieri miracula in Eccleſia coram ſanctorum corporibus affirmabant. Non defuerunt aliqui, qui crederent illis, quibus prophana conſilia revelaverant, & in hæreſim laberentur. Pervenit tandem conſilii denudatio ad Fratres ſanctæ prædicationis, qui verbum Dei populis proponentes hortabantur ab hoc facto nefario pœnitere. Inſtabant Fratres Minores & Clerici, ne populi vota ſacrilega in loco ſordido immundis oſſibus exhiberent, & magis accendebantur animi laicorum ad

Contra eam prędicant Prædicatores & Minores.

cultum Diabolicum peragendum: & Fratres Prædicatores, & Minores, ac Clericos univerſos, quia erant contrarii ſuis operibus, hæreticos conclamabant. Gaudebant inimici veritatis, & publice aſſerebant, plus eſſe ſanctitatis & miraculi in luto, & in oſſibus illis, quam in omnibus Eccleſiis Chriſti, & in omnibus ſanctorum corporibus, quos fides Catholica veneratur. Circumadiacentes autem Epiſcopi excommunicabant omnes venientes ad illam venerationem nefariam, & fere nihil proficiebant, quia multorum mentes invaſerat Diabolus, & inobedientes filios colligaverat.

Quidam vero Diaconus, qui fervore fidei flagrans hæreticam, præ cunctis præcipitiis, oderat pravitatem, cum eſſet in ſancta urbe Romana, & a narrantibus diſceret, quæ fiebant in civitate Legionenſi, turbatus eſt valde,

de , & repedare ad patriam feſtinavit , ut ſe tantæ opponeret pravitati . Hic cum veniſſet Legionem & plenius cognoviſſet de facto , quaſi in inſaniam verſus , cœpit manifeſte civibus exprobrare , & eos quaſi Hæreticorum fautores redarguere . Ira enim motus pernimia , quia videbantur cives recedere a lege Dei , cum ſe non poſſet cobibere , probibentibus amicis , qui de illius interitu formidabant , acceſsit ad Concilium , & cœpit proponere , quod infamia bujus facti Hiſpaniam totam polluerat , & unde conſueverant oriri leges juſtitiæ , eo quod eſſet Civitas caput Regni , inde Hæreſis pullulabat . Adjecit etiam quod non daret Dominus pluviam ſuper terram , uſque dum fanum deſtrueretur , quod conſtruxerant , & quæ venerabantur oſſa projicerent . Siquidem a tempore , quo nefarium cultum incœperant , & per decem menſes anni non pluerat , & areſcebant omnia ſiccitate . Tunc judex interrogavit dictum Diaconum in cunctorum præſentia dicens : Si domum evertimus , dabit Dominus pluviam ſuper terram ? *Diaconus plenus fide reſpondens dixit : Conferatur mibi poteſtas a vobis domum libere deſtruendi , & evertendi omnia , quæ ſunt in ea , & in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſpondeo ſub periculo corporis , & omnium rerum mearum , quod uſque ad octo dies Dominus conferet abundantiam pluviarum . Dedit Dominus gratiam ſermonibus ejus in conſpectu Concilii , & accepta ſponſione ab ipſo , ei deſtruendi fanum , & omnia quæ in ipſo erant , poſſe liberum tradiderunt . Sed cum die ſequenti in manu hominum plurima fanum deſtrueret , & dicta oſſa confringeret minutatim , & inter bumana ſtercora ſpargeret , cum jam poſt everſionem omnium vellet quieſcere , quidam ſonus quaſi tubæ valide perſtrepentis inter ligna deſtructionis inſonuit , ut in ipſo ſonitu relinquere invite locum illum Diabolus crederetur . Sequenti vero die pars civitatis non minima ſuccenſa eſt , & ignis cum vento valido mixtus plurimas domos conſumpſit . Quærebatur a multis dictus Diaconus , ut interficeretur , quia cum promiſerit pluviam , domus eorum incendio perierunt . Inſultabant Hæretici Clericis , & Diaconum dignum morte damnabant , & quod non plueret etiam poſt multum temporis procaciter affirmabant . Dominus autem omnipotens miſertus populo ſuo , octava die a fani deſtractione pluviarum abundantia terræ ſuperficiem irrigavit , & qui jam erant ſine ſpe frugum & fructuum ipſo anno percipiendi , eorumdem copiam , Dei miſericordia perceperunt . Concitavit poſt bæc dictus Diaconus perſecutionem magnam contra Hæreticos , & relicta civitate , ſe fugæ miſerabiliter contulerunt .* Hæc Tudenſis . Quo determinato anno hæc obtigerint , neque certo ſcire , nec clarius colligere potui , non fuit enim unde diſcere potuerim, quando Rodericus Legionenſis Epiſcopus , poſt cujus diſceſſum hæc obtigiſſe ſcribit , diem obierit . Rem ex hoc auctore referunt Joannes Mariana ante annum MCCXIII. & Abrahamus Bzovius anno MCCLXXXXIX. licet non iis annis , ſed circa illa tempora factam affirment . Solum illud veſtigii aut conjecturæ mihi ſupereſt , ut hunc annum præſcribam , quod hoc ipſo magna laboraverit aëris ſiccitate , & annonæ egeſtate univerſa Hiſpania , velut auctor eſt Joannes Mariana , de qua probabiliter locutus eſt Diaconus , & hiſtoriæ auctor , dum refert per decem menſes anni non pluiſſe , & aruiſſe omnia ſiccitate .

Marian. lib. 12. c. 1.

Bzovius in annal.

Marian. cit. c. 9.

XLI. Opportunior non ſe mihi offeret locus ad enarrandam ex hoc ipſo Auctore ſimilem quam hoc tempore poſuerunt operam horum Ordinum viri ad extinguendas hæreſeos flammas in partibus Burgundiæ exortas. *Cum quidam* , inquit , *Hæretici in Burgundiæ partibus ſui erroris ſemiſpargerent virulenta , & ſanctæ prædicationis Fratres Prædicatores , &*

In Burgundia Prędicatores & Minores hæreſim profligant.

Tuden. cit. c. 15.

Fra-

Fratres Minores contra eoſdem Hæreticos viriliter decertarent, gladio ancipiti verbi Dei eorum prava dogmata infatigabiliter concidentes, tandem a Judice regionis capti ſunt, & ut digni erant, flammarum ignibus traditi, ut maligni auctores cum ſuo ſcelere ad terrorem ceterorum hominum finirentur. Cumque ſuppoſitis lignorum copiis vehementer æſtuarent incendia, ſubito miræ magnitudinis buſo, qui alio nomine vocatur Crapaldus, aſſuit & nullo cogente ſe ultro mediis flammis contulit. Corruerat in ignem unus Hæreticorum, qui eorum Epiſcopus dicebatur, reſupinus, & dictus buſo ſuper faciem ejus ſedit, & videntibus cunctis, qui aderant, linguam ejus comedit. Sequenti autem die totum ejuſdem Hæretici corpus, oſſibus exceptis, verſum eſt in fœtidos buſones, ita ut non poſſent præ multitudine nimia numerari. Videntes itaque indigenæ miraculum, glorificabant Deum, & laudabant eum in Prædicatoribus ſuis, qui de horrore tam immundæ pollutionis eos dignatus eſt miſericorditer liberare.

XLII. Miſſionis Gallicanæ Patres brevi intervallo, in nobiliſſima Lutetiæ urbe incœptam jam a ſe domum (de cujus incremento & mutatione largius agemus alias) ad ſummum uſque perduxerunt, cujus primus Guardianus, teſte Gonzaga, fuit beatus Agnellus Piſanus. De hinc beatus Pacificus miniſter miſit in alias Galliæ partes, in Comitatum Hannoniæ, aliaſque Belgii Provincias, quoſdam ex conſodalibus, qui Inſtitutum brevi propagarunt, multaſque ſibi acquiſiverunt ſedes, ut proximo, & ſequentibus annis enarrabitur. Diverſum tamen accidit iis, quibus Hungaria in ſortem contigit (ut refert Balduinus de Brunſuvick in hiſtoria MS. Provinciæ Saxoniæ, quæ penes me eſt, quam ille partim concinnavit ex iis quæ præſens vidit, partim ex iis quæ accepit a Jordane Deyano, qui cum primis Patribus ad Saxones fuerat deſtinatus) quod viſum fuit hic commemorare. Pervenerunt quidem illi, alicujus Epiſcopi beneficio, in Hungariæ regnum, navigio tranſvecti, ſed parum humaniter excepti; nam cum per campos hinc inde diviſi errarent pecorum cuſtodes, brutum ac ferox genus, aut canibus incitatis eos perſequentes, aut lanceis oblongis, cuſpide tamen averſa, eos verberantes graviſſime excruciarunt, nulla tamen præterita cauſa, neque verbulo aliquid ab eis expoſtulantes. Fratres hac anguſtia circumventi non potuerunt non vehementer dolere, collatiſque inter ſe querimoniis, conſultare cœperunt, quia cum barbaris mutuum conferre ſermonem non poterant, quid cauſæ eſſet, cur ita cæderentur? Reſpondente autem quodam ex Fratribus, quia forte tunicas noſtras ſuperiores ambiunt, quibus illico datis, nec tamen illis a verberum inflictu deſiſtentibus, inferiores etiam veſtes ultro contulerunt. Et nec ſic quidem ceſſantibus illis, ſubintulit Frater, quia braccas forte noſtras habere contendunt; præter braccas ſiquidem, ablatis jam tunicis, Evangelici pauperes nihil prorſus, quod darent, habebant: quæ omnia viri iſti accipientes, nudos tandem Fratres dimiſerunt. Ex quorum uno Frater Jordanus ſe cognoviſſe refert, quod quindecies tali modo braccis in Hungaria ſpoliatus fuerit; qui denique pudore caſto adductus, hoc ingenio uti cœpit, ut braccas deinceps ſimo Boum, & Vaccarum, aliiſve immunditiis inquinaret, quas illi tunc abhorrentes, non eripuerunt. Sane hujuſmodi verbera & ludibria Fratres perpeſſi, & nullos ſe ibidem fructus facere videntes, in Italiam redierunt.

Gonza. in proœm. Provin. Turoniæ.

Miſſio Hungarica.

Chron. MS. Sax. ad ann. 1219.

XLIII. Anglicanæ miſſionis Patres parvam in itinere moram poſuerunt, ſed in Gallia detenti ſunt a ſuæ profeſſionis viris, per aliquot menſes

ſes ad commune ſolatium; & ſubſidium; nam antea ſatis nntus ibideu uterque Piſanus, Agnellus, & Albertus, qui & incœptam a ſe fabricam Monaſterii per aliquot menſes ſua induſtria & familiari acceſſu ad Principes viros, conquiſitis hinc inde eleemoſynis adjuvarunt. Habuiſſe autem Fratres hoc anno Lutetiæ Conventum, ſeu locum ſuæ manſionis jam occupaſſe, præter Marianum, habent Chronica antiqua Ordinis, & illa viginti quatuor Generalium, ipſaque ratio, & Gallorum pietas toto Orbe celebrata, perſuadet in opulentiſſima & populoſiſſima civitate non defuiſſe ab anno MCCXVI. quo miſſi ſunt in Galliam B. Pacificus & Socii uſque ad finem MCCXIX. inter tot pios unum vel plures, qui ſua beneficentia & eleemoſynis ad inſtantiam exemplarium & perfectiſſimorum vitæ Apoſtolicæ Virorum, ædificiolum aliquod eis pararet vel cnmpararet. Neque ſufficienti fundamentn videtur Gonzaga, eumque ſecutus Jacobus Brevil. de hac re dubitare, ſeu colligere Minores certa domo ac templo caruiſſe per aliquot annos Lutetiæ, propterea quod Honorius III. anuo ſui Pontificatus X. Reate ad Epiſcopum Pariſienſem miſſn ſpeciatim diplomate, eumdem hortatus ſit & juſſerit, ut ſineret Fratres Minores cum Altari portatili celebrare in omnibus tum Civitatis, tum Diœceſis ſuæ eccleſiis. Non aliunde quam hinc, ille infert firmas fixaſque aras in proprio templo nnn habuiſſe, quibus portatiles concedebantur. Verum eſt his non opus eſſe ubi firmæ habentur, neque propterea Minoribus Pariſienſibus pro propria domo conceſſæ hæ aræ portatiles, ſed pro aliis Eccleſiis illius Diœceſis. Quid? quod & ipſe Gonzaga primum Pariſienſem conſtituat Guardianum beatum Agnellum, quo officio fungi non potuit, niſi ante hunc annum domum habuerint Minores; etenim eum ad Comitia, de quibus loquimur, Lutetia venerit, & illuc regreſſus fuerit non pedem fixurus, ſed tranſiturus ad Anglos, inter quos extremum diem feliciter clauſit, evidenter ſequitur ante hunc annum illud officium geſſiſſe, & domum, quam regeret, habuiſſe vel completam, vel inchoatam. Hoc poſterius probabilius ex Mariano, & Chronicis antiquis citatis; & libentiſſime Agnellum ſuam impendiſſe operam pro conſummanda, vel augenda fabrica, quam ipſe inchoaverat. Dum autem per aliquot menſes moram traxerunt, non deſtiterunt a verbn Dei diſſeminandn tam in ipſa civitate, quam in circumvicinis urbibus & pagis.

Qnando obtinuerunt Fratres domum Pariſiis.

Marian. cap. 15. §. 15.

Chron. ant. MS.

Chron. 24. Gen er.

Gonzag. 1. p. de Conv. Pariſienſ. in principio.

Brevil. in Teatro Pariſ. lib. 2.

Idem in proœm. Provin. Turon.

Rodul. in Prov. Tuſc. & Cuſtodia Piſana.

XLIV. Miſſis his fidei & Religionis ſuæ propagatoribus in tot Orbis Provincias, voluit ipſe vir Dei Franciſcus Orientem penetrare, ac inter Chriſtiani nominis hoſtes vexillum Crucis erigere. Dum itaque ſe præpararet ad iter, & Soldani ſtatueret adire præſentiam, egit cum eo Cardinalis Hugolinus de regimine Mnnaſterii ſancti Damiani & aliorum, quæ jam multiplicari cœperant pro pauperibus dominabus. Cui ille reſpnndit, præter unum illud, in quo Claram recluſit, nullum aliud ſe extruxiſſe, aut extrui prncuraſſe; atque ita hujus ſolius curam aſſumpſiſſe tam quoad diſciplinam regularem, quam quoad tenuem victum, mendicitate per ſe, aut ſocios, conquirendum. Neque quidquam ſibi tantumdem diſplicere, quam ut Fratres in aliis partibus Monialibus dnmicilia conſtitui, & per ſe regi impenſius voluerint; ſed quod ultra modum angebat, illud erat, quod ſuum eis nomen communicaverint & Minoriſſas vocari decreverint. Quare inſtanter egit cum Illuſtriſſimo & prudentiſſimo Viro, ut quantum fieri liceret, elongaretur a Fratribus cura & familiaritas Sanctimonialium, ſi conſultum volebat illorum famæ & profectui; & quod illo ſolo nomine pauperum dnminarum, aut incluſa-

Marian. lib. 1. cap. 9.

Chron. ant. Hugolin. de monte in Chron. MSS.

Quam fugiendi voluit Familiaritatem Monialium.

rum

rum audirent, donec tempus aliud convenientius & aptius imprimeret. Ad plures rationes, quas Vir ſanctus pio & cordato Ordinis Protectori ſubjunxit, ille rem tractandam cum Pontifice in ſe aſſumpſit, & Claræ Sociarumque ſedulam curam, ac piam ſubventionem viro Dei ex corde commendavit.

XLV. Vere Franciſcus numquam hæc intermiſit circa Damianitas Aſſiſiates, quod exterius Fratribus præbuit exemplum aliis Monaſteriis ſubveniendi, & ſe his tum ex aliorum precibus, tum Pontificum ſuaſu, & facili, ut ſolet, circa hujuſmodi pietate, adeo immiſcendi, ut quando jam ſecretum erupit, & ſe manifeſtavit damnum, non ſe potuerint Fratres a malo retrahere, ut multo ſuo incommodo probarunt ſub Urbano IV. Quod ſanctus Pater prævidens in ſpiritu quantum potuit, eos a miniſtrando his ſacris Virginibus retrahebat, ſæpius turbato animo dicens: *Timeo, ne dum Deus nobis abſtulerit uxores, Diabolus nobis procuraverit Sorores*. Adde his ſeverum, quod intulit ſupplicium cuidam ex Sociis
Anno 1210.n.39. Fratri Stephano dicto, de quo jam nos ſupra egimus, quia ex licentia &
Marian. l.1.c.6. mandato Fratris Philippi Longi Viſitatoris Monialium, ut ſtatim dicemus, ad Monaſterium quoddam acceſſit. Nam e Bevania vallis Spoletanæ Oppido, Aſſiſium eunti, ſimpliciter factum narravit, & de acceſſu toties Fratribus per eum interdicto, ut ſibi indulgeret, humiliter rogavit.
Fratris cujuſdā inobedientiam Franciſcus ſevere caſtigat. Exaudivit Vir ſanctus, & dure hominem increpavit, nec etiam facile ignoſcendam dixit in re tanti momenti inobedientiam. Juſſit itaque, ut in fluvium, ad cujus marginem deambulabant, ut erat veſtitus ſe immergeret, frigidiſſimo anni tempore in menſe Decembri. Quod ut ad Patris irati fecit præceptum: extingue, inquit ille, hac aqua ſcintillas, quæ in te lenis & mitis, ſed periculoſus ignis accendit: lava & abſterge his undis ſecretas ſordes, quæ te inſcio tibi fortaſſis hæſerunt. His dictis præivit, nec amplius pone ſequenti veſte madefacta, vultum aut faciem convertit per duo milliaria, donec ad Hoſpitii locum venerunt, ubi ſententiæ rigorem blando ſermone temperavit, & veſtes madidas, ut exſiccaret, adjuvit.

XLVI. Ceterum Hugolinus collata re cum Pontifice regimen ceterarum Monialium, præter Aſſiſiates, in ſemet aſſumpſit, delegato ſibi quodam Fratre Ambroſio, viro diſcreto Ordinis Ciſtercienſis, quem univerſarum Viſitatorem conſtituit. Deinde Regulam eis præſcripſit ſancti Benedicti, adjuncta, quam ſubnecto, inſtitutione, cujus ſæpius mihi
Hugolinus præſcribit Regulam Clariſſis. occurret mentio in regeſto ipſius Hugolini, Gregorii IX. dicto, nec tamen eam alibi, quam in regeſto Innocentii IV. anno III. ſui Pontificatus ſub num.290. potui reperire. Eam lubens & opportune trado, quia frequenter de ea tractandum eſt per annos ſubſequentes. In ipſa ſua confirmatione teſtatur Innocentius eam a Gregorio datam, dum adhuc eſſet in minori officio conſtitutus, quod ſimiliter affirmat Alexander IV. ſcribens anno I. ſui Pontificatus epiſt.316. ad Moniales ſanctæ Catharinæ Januenſis & anno II. epiſtol.784. & anno IV. epiſt. 206. Porro videtur ex Regulæ principio formulam hanc prius auctoritate propria tranſmiſiſſe ad ſacras Virgines, & ab eis admiſſam, atque in meliorem formam redactam, denuo auctoritate Apoſtolica remiſiſſe, data eis pro præcipuo Inſtituto Regula S. Benedicti. A conceſſa & data eis hac Regula videtur Inſtitutionis tempus computare Nicolaus III. qui anno I. ſui Pontificatus epiſt.88. data ad Clariſſas Aſſiſii, dicit illorum Ordinem inſtitutum poſt Concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio III. quod ſane de primæva

mæva Inſtitutione, vel Fundatione per ſanctum Franciſcum non poteſt intelligi, qui ut ex concordi Hiſtoricorum narratione diximus anno MCCXII. annis tribus ante dictum Concilium S. Claram recluſit, inſtruxit, & vitæ normam edocuit. Illa porro Hugolini, ut ab Innocentio confirmatur, ita ſe habet.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis in Chriſto filiis univerſis Abbatiſſis & Monialibus incluſis, Ordinis ſancti Damiani.

XLVII. *Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis & honeſtis petentium deſideriis favorem benevolum impertiri. Ea propter dilectæ in Domino filiæ, veſtris precibus inclinati Ordinis veſtri regulam & formam vivendi a fel. rec. Gregorio Papa Prædeceſſore noſtro, tunc Oſtienſi Epiſcopo, vobis auctoritate Apoſtolica traditam, annotatam præſentibus vobis eadem auctoritate confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, quæ talis eſt. Cum omnis vera Religio & vitæ Inſtitutio approbata certis conſtet regulis & menſuris, certis etiam conſtet legibus diſciplinæ, quiſquis religioſam ducere vitam cupit, niſi certam atque rectam converſationis ſuæ Regulam, Diſciplinamque vivendi obſervare ſtuduerit diligenter, eo ipſo a rectitudine deviat, quo rectitudinis lineas non obſervat, & ibi deficiendi incurrit periculum, ubi per diſcretionis virtutem certum ac ſtabile proficiendi collocare neglexit fundamentum. Quapropter dilectæ in Domino filiæ, quia divina vobis gratia inſpirante, per arduam viam & arctam, quæ ad vitam ducit, incedere, & vitam pauperem ducere pro æternis lucrandis divitiis, elegiſtis, Religionis ipſius obſervantiam, atque formam vobis duximus breviter deſcribendam, ut ſciat unaquæque veſtrum quid agere, quidve etiam debeat devitare, ne forte de ignorantia aliqua ſe excuſans, probibita & inconceſſa periculoſe præſumat, vel ſubrepente deſidia deteſtabili ac tepore, juſſa periculoſius negligat & contemnat. Quo circa vobis omnibus & ſingulis in virtute obedientiæ, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus formam ipſam quam vobis dirigimus, plene in ſequentibus annotatam, humiliter & devote recipere, & inviolabiliter de cetero ſtudeatis vos, & poſt vos omnes futuræ perpetuis temporibus obſervare. Veram, ut ad exemplum & imitationem eorum, qui ſine querela Domino ſervierunt, & ſanctæ converſationis initium felicis perſeverantiæ exitu feliciſſimo conſummarunt, vitæ veſtræ Religio in Chriſto conſtructa pariter & fundata, in templum ſanctum in Domino creſcere, & ad ſupernæ vocationis præmium, ſanctorum ſequendo veſtigia poſſit recto curſu feliciter pervenire, Regulam beatiſſimi Benedicti, in qua virtutum perfectio, & ſumma diſcretio noſcitur inſtituta, quæ & a ſanctis Patribus a principio devote ſuſcepta eſt, & ab Eccleſia Romana venerabiliter approbata, vobis tradimus obſervandam in omnibus, in quibus eædem vivendi formulæ vobis a nobis traditæ, ſecundum quam ſpecialiter vivere decreviſtis, contraria minime comprobatur.*

Inſtitutio prima Clariſſarum.

Inſtituuntur ſub regula S. Benedicti.

Omnes itaque, quæ ſæculi vanitate relicta, pariter & contempta, Religionem veſtram aſſumere voluerint & tenere, hanc eas legem vitæ & diſciplinæ ferventer oportet & convenit obſervare. Omni namque tempore vitæ ſuæ clauſæ manere debent, & poſtquam clauſtrum hujus Religionis intraverint aliquæ, regularem habitum aſſumentes, nulla eis concedatur licentia

Sub perpetua clauſura.

vel facultas, inde ulterius exeundi, niſi forte cauſa plantandi vel ædificandi eamdem Religionem ad aliquem locum aliquæ tranſmittantur. Morientes Sepeliantur intra clauſtra. *vero tam dominæ, quam etiam ſervientes, quæ profeſſæ fuerint, intra clauſtrum, prout convenit, tumulentur. Omnibus autem hanc Religionem aſſumere volentibus, & quæ fuerint admittendæ, priuſquam habitum mutent, & Religionem aſſumant, dura eis & aſpera prædicentur, per quæ itur ad Deum, & quæ ſecundum hanc Religionem neceſſe habuerint firmiter obſer-* Examinanda qualitas recipiendarum. *vare, ne de ignorantia poſtea ſe excuſent. Non recipiatur aliqua, quæ vel longiori ætate, vel infirmitate aliqua, ſeu fatua ſimplicitate ad hujus vitæ obſervantiam minus ſufficiens & idonea comprobetur. Per tales enim ſtatus, & vigor Religionis ſæpius diſſolvitur & turbatur. Unde in perſonis recipiendis diligenti ſtudio & cautela hujuſmodi debet occaſio devitari, etiamſi cum aliqua, aliquando cauſa rationabili exigente, alicubi forte fuerit diſpendum. Omnes vero ex more intra clauſtrum receptæ, ſi ætatis convenibilis fuerint, citius deponant habitum ſæcularem, & infra ſtatutos dies profeſſionem faciant in manu Abbatiſſæ. Quod etiam de ſervientibus firmiter obſer-* De divino Officio. *vetur. De divino vero Officio tam in die, quam in nocte Domino perſolvendo hoc obſervetur, ut eæ quæ pſalmos & horas legere noverint, Officium faciant regulare. Quod ſi etiam canere ſciunt, liceat eis horis competentibus canendo Officium dicere & univerſorum Dominum collaudare, cum ſumma tamen gravitate & modeſtia, cum humilitate & multa devotione, ut ad ſalutem ædificari valeant audientes. Quæ autem pſalmos neſciunt, orationem Dominicam in ſuis horis, ſecundum morem, ſummo devote ſtudeant perſolvere Creatori. Quod ſi juvenculæ aliquæ, vel etiam grandiores, capaces ingenii & humiles fuerint, ſi Abbatiſſæ viſum fuerit, faciat eas litteras edoceri, magiſtram eis* Perpetuo ſilentium. *deputans idoneam & diſcretam. Silentium vero continuum ſic continue ab omnibus teneatur, ut nec ſibi invicem, nec alicui alii ſine licentia eis loqui liceat, exceptis iis, quibus magiſterium aliquod, vel opus injunctum fuerit, quod non poſſit congrue cum ſilentio exerceri. His quidem liceat ſimul loqui de iis, quæ ad officium vel ad opus ſuum pertineart, ubi, quando, & qualiter viſum fuerit Abbatiſſæ. Sane quando aliqua perſona Religioſa, vel ſæcularis, vel cujuslibet dignitatis loqui petierit alicui dominarum, nuncietur primitus* Ad Locutorium auſcultatrices. *Abbatiſſæ, & ſi ipſa conceſſerit, accedens ad locutorium duas alias ad minus habeat ſemper ſecum, quibus juſſerit Abbatiſſa, quæ ea, quæ ſibi dicta fuerint, vel ipſa alii dixerit, audiant univerſa. Hoc namque firmiter obſervetur ab omnibus ſanis pariter & infirmis, ut nec inter ſe, nec cum aliquibus aliis minus quam tres ſimul loquantur, præter illas, ſicut ſupra dictum eſt, quæ diverſis officiis & operibus deputantur, & præter hoc, quando ſcilicet, vel de confeſſione Sacerdoti, vel cum Viſitatore de communi ſtatu & regularis obſervantia diſciplinæ ſecreto fuerit aliqua locutura. Quod tamen & ipſum numquam fiat, niſi ad minus duabus non longe ſedentibus, quæ confitentes vel loquentes bene videant, & ab ipſis pariter videantur. Hanc autem loquendi legem & ipſa Abbatiſſa diligenter cuſtodiat, ut omnis omnino materia detractionis omnibus auferatur, excepto, quod cum ſororibus ſuis, de iis quæ ad rem pertinent, horis competentibus loqui poteſt publice & pri-* Jejunium perpetuum. *vatim, ſicut viſum fuerit expedire. Jejunandi autem hæc obſervantia teneatur, ut omni tempore jejunetur quotidie, quarta quidem & ſexta feria extra Quadrageſimam a pulmento & vino pariter abſtinentes, niſi præcipuum feſtum alicujus Sancti in eis occurrerit celebrandum. In quibus diebus quarta ſcilicet & ſexta feria, ſi poma, aut fructus, vel herbæ crudæ adfuerint reficiendis ſororibus apponantur. In Quadrageſima vero majori quatuor diebus.*

bus. In Quadrageſima vero ſancti Martini tribus diebus in hebdomada in pane & aqua jejunent, & omnibus vigiliis ſolemnibus, ſi de earum fuerit voluntate. Hanc autem jejunii & abſtinentiæ legem adoleſcentulæ, vel anus, & omnino corpore imbecilles ac debiles, obſervare minime permittantur, ſed ſecundum earum imbecillitatem tam in cibariis, quam jejuniis cum eis miſericorditer diſpenſetur. De infirmis vero cura & diligentia maxima habeatur, & ſecundum quod poſſibile fuerit, & decuerit tam in cibariis, quæ earum requirit infirmitas, quam in aliis etiam neceſſariis in fervore caritatis, benigne ac ſolicite eis per omnia ſerviatur. Quæ infirmæ proprium habeant locum, ſi unquam fieri poteſt, ubi a ſanis maneant ſeparatæ, ne illarum ordinem & quietem confundere valeant vel turbare. Illæ vero, quæ non multum gravi infirmitate laborant in ſaccis cum palea jaceant, & habeant ad caput capitale cum pluma. Quæ autem graviter infirmantur in culcitris jaceant, ſi congrue potuerint inveniri. Sed & omnes infirmæ pedules habeant laneos, & ſi poteſt fieri, ſolcatos, quos cum neceſſe eis fuerit, in pedibus habeant, atque portent. De indumentis autem hoc obſervetur, ut unaquæque duas tunicas habeat & mantellum, præter cilicium, vel ſtamineam ſi habuerint, ſive ſaccum habeant. Scapularia de levi & religioſo panno vel ſtaminea ſi voluerint, amplitudinis & longitudinis congruentis, ſicut uniuſcujuſque qualitas exigit, vel menſura, quibus induantur, cum laborant, vel tale aliquid agunt, quod pallia congrue geſtare non poſſent. Si tamen illa ſimul habere voluerint cum mantellis, vel etiam jacere cum ipſis, minime prohibentur, poſſunt & ſine ipſis eſſe aliquando, ſi viſum fuerit Abbatiſſæ, quod præter calorem nimium, vel aliquid aliud eis grave multum fuerint ad portandum. Quod ſi præceptum hoc, de ſcapularibus ſcilicet deferendis, tam grave fortaſſe viſum fuerit aliquibus vel moleſtum, quatenus ad illud ſuſcipiendum nec inclinari valeant, nec induci, patienter cum eis ſuper hoc diſpenſetur. Quæ vero ſuſcipiunt, multum honeſtius agunt, & multo plus nobis placent, & Deo multo magis ex hoc illas credimus complacere. Super tabulas ligneas jaceant, ſtorea, vel panno laneo ſuperſtrato, cum aliquantulo fœni, vel paleæ ſi voluerint, & viſum fuerit Abbatiſſæ, vel hujuſmodi aliquo alio quod earum Religionem deceat, & pro loco potuerit inveniri, habentes ad caput cervicalia plena palea ſive fœno. Habeant etiam coopertoria lanea, ſive culcitras, ſi laneas habere nequiverint congruenter. Capillos ſuos tondeant in rotundum, nec aliqua de cetero tonſoretur, niſi evidenti infirmitate corporis exigente. De ingreſſu perſonarum in Monaſterium firmiter & diſtricte præcipimus, ut nulla unquam Abbatiſſa, vel ejus ſorores aliquam perſonam religioſam, ſeu ſæcularem, aut cujuslibet dignitatis in Monaſteria intrare permittant, nec omnino hoc alicui liceat, niſi cui & quibus conceſſum a ſummo Pontifice fuerit, vel a nobis, ſeu poſt nos ab illo cui, ſicut & nobis, ſolicitudinem & curam ſpecialem gerendam de vobis ſpecialiter Dominus Papa duxerit injungendam. Nam hoc a vobis ſolicite procuretur, ut cum Cardinalis vel Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ, qui vobis ſpecialiter fuerit deputatus, ex hac vita migraverit, alium ſemper a Domino Papa de ipſis ſuis Fratribus poſtuletis, ad quem, cum habueritis neceſſe, per Viſitatorem vel nuntium proprium ſpecialiter recurrere debeatis. Excipiuntur autem a dicta ingrediendi lege illi, quos pro aliquo opere neceſſario exercendo neceſſitas exegerit introire. Sed & ſi quis de Cardinalibus ad aliquod Monaſterium hujus Religionis aliquando venerit, & in illud voluerit ingredi, cum reverentia quidem & devotione ſuſcipiatur, ſed rogetur ut cum uno, vel duobus honeſtioribus quidem ſociis debeat introire. Alius autem Prælatus, cui aliquando forte intra-

De infirmis.

De lecto, calceamentis, & veſte.

Nullus interiora Monaſterii ingrediatur.

Habeant Card. Protectorem.

Digitized by Google

intrare licuerit , uno tantum religioſo atque honeſto ſocio ſit contentus. Quod ſi forte pro benedictione Abbatiſſæ , vel pro aliqua ſorore conſecranda in monialem , vel alio etiam modo conceſſum alicui Epiſcopo fuerit , miſſam interius aliquando celebrare , quam paucioribus & honeſtioribus potuerit contentus ſit ſociis & Miniſtris , & hoc quoque ipſam rarius alicui concedatur . Nulla tamen omnino loquatur cum aliquo, niſi prætacto modo, ſive infirma fuerit , ſive ſana . Illud ſane præcipue caveatur , ut ii , quibus aliquando fuerit concedendum in Monaſterium ingredi , tales ſint, de quorum verbis & moribus , necnon vita & habitu ædificari valeant intuentes , & materia juſti

De Capellano.

ſcandali exinde nequeat generari . Ubi proprius fuerit Capellanus , habitu & vita religioſus ſit , ac bonæ famæ , nec multum juvenis , ſed idoneæ ſit ætatis . Qui Capellanus, cum aliqua ſororum gravi corporis infirmitate detenta , viſa fuerit tendere ad extrema , & neceſſe habuerit confiteri vel Dominici Corporis accipere ſacramenta , alba ſtola , & manipulo ingrediatur indutus , & audita confeſſione vel Dominici Corporis tradito ſacramento ſic indutus, ut ingreſſus eſt , exeat , nec moram ibi faciat longiorem : ſic ſe etiam habeat in animæ commendatione . Porro ad exequias circa ſepulturam agendas non ingrediatur clauſtrum , ſed exterius in capella , quæ ad illud officium pertinent , exequatur ; tamen ſi Abbatiſſæ viſum fuerit , quod ad exequias debeat introire , modo ſupradicto indutus intret , & ſepulta mortua exeat ſine mora : ſi autem neceſſe fuerit ut ad faciendam vel aperiendam ſepulturam , ſeu certe poſtmodum coaptandam ingrediatur , ſit ei , vel alicui alii ad hoc idoneo & honeſto licitum introire. De reliquo vero Monaſterium ingredi non præſumat , ſed cum aliqua ſibi de confeſſione loqui voluerit , per locutorium eam audiat , & per illud eidem ipſe loquatur . Per cratem autem ferream ,

Crates communionis.

per quam communionem accipiunt , vel officium audiunt , nemo loquatur , niſi forte aliquando cauſa rationabili vel neceſſaria exigente , alicui fuerit concedendum , quod tamen rariſſime fiat . Quibus cratibus ferreis apponatur pannus interius , itaut nulla inde valeat exterius in capella aliquid intueri . Habeant & oſtia lignea cum ſeris ferreis , & clave ut maneant ſemper clauſæ , & non aperiantur , niſi pro cauſis ſuperius memoratis , & ad audiendum aliquando verbum Dei , proponendum ſibi in capella per idoneam perſonam , fide , fama & ſcientia approbandam . Quæ vero proprium non habuerint Capellanum, a quolibet bonæ famæ , & honeſtæ vitæ presbytero miſſam audire poſſunt . Pœnitentiam autem atque Dominici Corporis ſacramenta tantum a viro diſcreto , habitu , & vita religioſo , & ætate idoneo , ſuſcipere ſtudeant , & procurent , niſi forte in periculoſo neceſſitatis articulo fuerit aliqua conſtituta.

De Viſitatore.

De Viſitatore hujus Religionis illud eſt ſolicite providendum , ut quicumque vel generalis vel etiam alicubi aliquando ſpecialis conſtituendus fuerit Viſitator , talis debeat conſtitui , de cujus religioſa vita , & moribus , atque fide , notitia plena & ſecuritas habeatur . Qui cum ad Monaſterium aliquod veniens fuerit introgreſſus , ſic ſe per omnia exhibeat & oſtendat , ut omnes de bono ad melius provocet , & ad Dei amorem & inter ſe mutuam caritatem ſemper inflammet pariter & accendat . Sane de earum ſtatu & obſervantia ſuæ Religionis ab omnibus generaliter & ſpecialiter a ſingulis inquirat ſtudioſius veritatem , & ubi aliquid reformandum vel corrigendum invenerit , zelo caritatis , & amore juſtitiæ cum diſcretione corrigat , & reformet tam in capite , quam in membris , ſicut melius viderit expedire : modum autem loquendi cuſtodiat ſupraſcriptum , ut videlicet aut cum omnibus , aut cum pluribus ſimul loquatur , vel ſecrete cum una , aliis tamen ad minus duabus in aſpectu ejus non longe ſedentibus , ut per omnia

bonæ

bonæ famæ integritas conſervetur. Quod ſi aliquid tale ſibi occurrerit, quod congrue per ſe nequeat emendare, ad Superiorem referat, ut ejus conſilio & præcepto, ſicut expedit, corrigantur. Caveat autem Abbatiſſa, ne a ſe, vel ab aliis dominabus, ſtatus ſui Monaſterii in obſervantia Religionis, & unitate mutuæ caritatis Viſitatori aliquatenus abſcondatur, quia malum eſſet indicium, & offenſa graviter punienda. Imo volumus & mandamus, ut ei quæ ſecundum vitæ ſuæ formam ſtatuenda vel emendanda fuerint, publice & privatim, ſicut melius fuerit faciendum, Viſitatori diligenter ſuggerant, & proponant. Quæ autem aliter fecerint, a Viſitatore tam Abbatiſſa, quam aliæ, prout digne convenit, puniantur. Similiter & Capellanus, ſi in aliquo reprehenſibilis fuerit, in quo convenienter non poſſit, nec debeat ſupportari, monitione præmiſſa a Viſitatore, modeſte ac rationabiliter, ſicut decuerit, corrigatur; ſi vero noluerit, vel contempſerit emendare, pro Capellano minime habeatur. Ad oſtium ſane Monaſterii cuſtodiendum aliqua talis ex ſororibus deputetur, quæ omnino Deum timeat, quæ matura moribus, ſit diligens & diſcreta, ſitque convenientis ætatis, quæ ipſius oſtii clavem ſic diligenter cuſtodiat, & conſervet, ut nunquam ſine ea, vel ipſa neſcia, oſtium aliquando valeat aperiri. Sit & alia æque idonea ei ſocia deputata, quæ ejus vicem in omnibus exequatur, cum ipſa aliqua rationabili cauſa, vel occupatione neceſſaria occupata fuerit & detenta. Caveant autem ſtudioſiſſime, & procurent ne unquam oſtium ſtet apertum, niſi tantum, quantum minus fieri poterit congruenter. Sit autem oſtium ſeris ferreis cum valvis & vectibus optime communitum, & omnino ſine cuſtodia minime dimittatur, nec etiam ad momentum, niſi clave ſit firmiter obſeratum, nec omni pulſanti aperiatur, ſtatim, niſi prius indubitanter cognoverit, quod talis ſit, cui ſine dubitatione aliqua ſecundum mandatum, quod in eadem forma de ingreſſuris ſuperius continetur, debeat aperiri. Quod ſi aliquando intra Monaſterium opus aliquod fiat, Abbatiſſa ſolicite curet, ut tunc, dum opus ſcilicet exercetur, aliqua alia perſona conveniens ad cuſtodiendum oſtium ſtatuatur, quæ ſic perſonis ad opus deputatis aperiat, quas alias penitus intrare non permittat. Nam dominæ ipſæ & tunc & ſemper, quantumcumque rationabiliter prævalent, ſtudioſiſſime caveant, ne a ſæcularibus, vel perſonis extraneis videantur. Hanc igitur vivendi formulam breviter ſupraſcriptam, uniformiter ubique ab omnibus volumus & mandamus diligentius obſervari, quatenus per locorum diſtantiam ſeparatas, vitæ identitas & conformitas morum caritatis vinculo uniat & conjungat. Quod ſi Romanæ Eccleſiæ diſcretio provida pro loci qualitate, vel perſonarum cura aliquas in aliquo neceſſario duxerit diſpenſandum, aliæ quæ ſimili diſpenſatione non indigent, ſuum firmiter propoſitum cuſtodiant, & obſervent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni idibus Novembris Pontificatus noſtri anno III. De oſtio.

XLVIII. Sub hac Regula, & ſupranominato Viſitatore vixerunt aliquot annis, donec propriam Regulam Claræ & ſectatricibus præſcripſerit *Marian. cit.* S. Franciſcus præſente & conſcribente Hugolino, ut ad annum MCCXXIV. largius dicemus: & mortuo Fr. Ambroſio Ciſtercien. ſucceſſit auctoritate Pontificia, Cardinale etiam volente, Frater Philippus Longus, unus ex Franciſci ſociis, ipſo etiam ita procurante, inconſulto ſancto Viro, data ei inſuper facultate ut poſſet in Monaſteriis Fratres ſubſtituere. Movit eum ad hæc pietas & zelus bonus de profectu ſacrarum Virginum, quibus deerant Viſitator Moniālium Fr. Philippus Longus.

deerant Magiſtri, & duces novæ & arctiſſimæ vitæ, non adeo tunc hominibus familiaris; judicavit enim rationabiliter melius inſtruendas ab illius vitæ viris, quam ab iis, qui molliuſcule & laxe vivunt, quibus nihil tam peregrinum, quam ſuis corporibus violentiam inferre. Ne quicquam tamen Franciſco probatus hic Philippi zelus, qui hominem ita reprehendit: *Male feciſti frater Philippe, male feciſti; hucuſque fiſtula fuit in carne, eratque curationis ſpes; ſed nunc in oſſibus radicata, evaſit incurabilis*. Sane prophetavit, nam dum Moniales erant ſub aliena cura, facile poterant Fratres ab eis avelli, & familiaritatis damnum prævenire; at poſtquam curam illam ſubjerunt, plaga inſanabilis facta eſt, dum non potuerunt, etiam quando voluerunt, oneroſam, moleſtam, & periculoſam jam factam excutere, ut probatum eſt, magno Ordinis damno, ſub Generalatu ſancti Bonaventuræ.

Sed non probante Franciſco.

XLIX. Hucuſque excurrimus circa regimen, & Regulam pauperum Dominarum, ea clarius referantes, quæ non omnibus obvia, ſed perpaucis comperta. Ut vero ad Franciſcum regrediamur, hoc ipſo anno, expletis ſupradictis Comitiis, quoſdam judicavit deſtinandos ad Miramolini Regnum, ut ipſe Orientis, illi Occidentis populis Mahumeticis ſalutare Chriſti prædicarent Evangelium, & undique quas poſſent gentes Chriſto lucrifacerent. Pro hac miſſione elegit pios Viros quinque, fratrem Berardum de Carbio Comitatus Narnienſis, fratrem Petrum de ſancto Geminiano Comitatus Florentini, fratrem Adjutum, fratrem Accurſium, & fratrem Ottonem. Frater Berardus perite callebat linguam Arabicam, Petrus & Otto erant Sacerdotes, ceteri duo Converſi. Quibus, ut itineris laborem, cum merito obedientiæ ſuſciperent, ſextum adjunxit in Ducem & Rectorem fratrem Vitalem, Virum utique omni ſanctitate & diſcretione præcipuum. Hos autem præ ceteris delegiſſe ex revelatione divina monent Antoninus, Joannes Tiſerandus, vetuſtus auctor vitæ horum Martyrum, quam Surius tranſcripſit, & Antonius Vaſconcellius in Anacephaleoſi Regum Luſitaniæ. Neque illi profecto tantæ provinciæ impares, in quibus divina virtus, rerum geſtarum gloria, & ſplendidiſſimis actionibus illuſtrata clarebat.

Mittuntur quinque Marrochium

Marc. lib. 4. c. 1. Marian. c. 26. Jo. Tiſerandus & Surius in vita horum mart. ad initium.

Ant. 3. p. tit. 29. c. 7. §. 1. Surius ad 12. Januar. Vaſconcell. in Alphon. 2.

L. Vocatis itaque coram, & in publico conſeſſu, Domini voluntatem aperuit, ſuumque deſiderium expandit de tranſmittendis eis ad partes Marrochiorum, ut Chriſti fidem propagarent, & Mahumeticam Sectam confunderent, quod munus, ut alacrius ſubirent, ſe etiam ad Orientem perrecturum expoſuit. Illi vero generoſe verecundantes, quod ſuo eos animare voluerit exemplo, quaſi vel ſoli parituros dubitaret præcepto, dixerunt ſe ad illius nutum paratos, & expeditos ad labores omnes ſubeundos, & quaſcumque regiones perluſtrandas in Chriſtianæ fidei & veritatis obſequium; neque ut ipſi facerent hoc quod deberent, opus eſſe ut ille loco dimoveretur, aut ad exteras terras euntibus fieret in exemplum. Ad quæ verba promptam & expeditam illorum proſpiciens obedientiam, animo exultans Vir ſanctus, iterum repetens hoc, non tam ſuum, quam Domini eſſe præceptum, adjunxit alios etiam eorum conſodales ad diverſas regiones mittendos. Hunc, qui ſequitur, habuit ad eos ſermonem, quem eiſdem verbis ex legenda antiqua Marianus tranſcripſit. *Filioli mei, Deus mihi mandavit, quod mittam vos ad terram Saracenorum ad prædicandum & confitendum ejus fidem & legem Mahumeticam impugnandam, & ego etiam ibo per aliam partem ad Infideles; & Fratres alios mittam per univerſum Mundum. Idcirco filii*

Marian. cit.

Vide collat. 23. in Opuſc. S. Franciſci.

parctis

paretis vos ad implendum Domini voluntatem, ut melius Dei præceptum poſſitis adimplere pro ſalute animarum veſtrarum. Videatis quod inter vos ſit pax, & concordia, & nodus indiſſolubilis caritatis. Fugite invidiam, quæ principium fuit noſtræ perditionis. Sitis in tribulationibus patientes, & in proſperis humiles, & ſic eritis in omni pugna victores. Imitatores Chriſti eſtote in paupertate, obedientia, & caſtitate. Dominus enim Jeſus Chriſtus pauper natus eſt, & pauper vixit, paupertatem docuit, & cum paupertate deceſſit. Et ut oſtenderet ſe diligere caſtitatem, de Virgine naſci voluit, virgines milites innocentes præmiſit, virginitatem conſuluit & ſervavit, inter Virgines ex hac vita migravit. Obedientiam etiam a ſuo ortu tenuit uſque ad mortem Crucis. Spes veſtra tantum ſit in Domino, qui vos diriget & juvabit. Portetis vobiſcum Regulam, & Breviarium, ut divinum Officium perfectiſſime recitetis, & ſitis majori veſtro fratri Vitali omnes obedientes. Filii mei, quamvis de veſtra bona voluntate gaudeam, cor meum tamen pro veſtro receſſu & ſeparatione a me, ſentit quamdam amaritudinem amoroſam; ſed oportet quod Dei præceptum præferamus propriæ voluntati. Rogo vos, quod ante oculos veſtros ſemper habeatis Dominicam Paſſionem, quæ vos roborabit, & ad patiendum pro ipſo fortius animabit.

LI. Illi pii Patris ſermonibus confortati reſponderunt, nihil laboris ſe fingere in præcepto, & ad ardua ſe expectare virtutem ex alto, illius tamen ſe indigere oratione & benedictione, ut in terra incognita inter efferam gentem Chriſtiani nominis inimicam, quidquam poſſint proficere. *Illi ipſi*, inquit in fervore ſpiritus Vir ſanctus, *erit cura de vobis, qui vos mittit, illius tutelæ vos committo, neque enim mei amplius eſtis, quos a meis uberibus avulſos, mitto Dei acturos negotium. Ipſe vos virtute induet ex alto, & præſtabit os & ſapientiam, ut loquamini, quæ vobis ipſe ſuggeſſerit.* Abſque ulteriori mora genuflexis coram ſancto Viro, manu oſculata cum multis lacrymis ultimam expoſcunt benedictionem, quam non minori lacrymarum profluvio ita Vir ſanctus impertiit: *Benedictio Dei Patris veniat ſuper vos, ſicut venit ſuper Apoſtolos, & vos corroboret, dirigat, & in tribulationibus conſoletur. Nolite timere, quia Dominus vobiſcum eſt tamquam bellator fortis. Abite in Dei nomine qui vos mittit.* Tunc illi omnem ſpem & cogitatum in Dominum jactantes iter aggreſſi, tamdem in Aragoniam pervenerunt, ubi Pater eorum Vitalis diutini languoris morbo præventus, divina putans voluntate ſuum iter impediri, ceteros abire permiſit.

LII. Haud multo poſt interjecto tempore Conimbricam Portugalliæ Regni urbem devenientes, ad Reginam Urracam ſe contulerunt, apud quam per aliquot dies commorati, ipſius precibus devotiſſimis victi, ut ipſius vitæ terminum demonſtraret ſuppliciter Dominum rogaverunt. Factumque eſt, ut primo Martyrii ſui Ordinem, deinde deferendas ſuas Conimbricam reliquias, & ab ea honorifice ſuſcipiendas, demum vitæ ipſius exitum revelarent: quod & rei demonſtravit eventus, ut anno ſequenti opportunius referemus. Igitur Apoſtolici viri Conimbrica recedentes, Jerabricam, vulgo Alanquerium, ad Sanciam Sancii Regis filiam, de qua nos ſuperius, & quam perperam Tiſerandus apud Surium vocat Reginam, honeſtiſſimam & pudiciſſimam Virginem, Deo devotam pervenerunt. At illa, in interiori quodam cubiculo (quod in Monaſterii ſtructura traditio eſt illæſum remanſiſſe, & modo eſt juvenum tirocinium, reverentiam & ſacrum odorem accedentibus ſpirans, quod

Veniunt pii viri Conimbricam.

An.1217.n.23. Surius c.3.

Inde Alanquerium & Hiſpalim profecti.

& ego

& ego, non abſque digna rei admiratione ſæpius probavi) ſæcularibus veſtibus ſuperindutos, quia aliter non erat ipſis tranſeundi facultas, Hiſpalim, quæ nunc Sibilia dicitur, tranſmiſit, ubi ſæcularibus abjectis indumentis, ad infidelium Meſquitam, ut prædicarent, acceſſerunt. Impetu autem facto repulſi, & verberibus pluribus laniati, non a concepto ſpiritus fervore deficientes, aulam ingreſſi, fidem Mahumeticam damnantes, Chriſtum coram Rege prædicaverunt; Rex vero in furorem verſus, eos decapitari præcepit. Filius autem Regis, naturali quadam pietate, illis compatiens, paterni furoris ardore compreſſo, ut maturius in his ageretur, obtinuit. At Rex, Seniorum habito conſilio, poſt publicam Chriſtiani nominis prædicationem, ex alta turri, quam uſque ad ſuum tempus Martyrum Turrim appellatam dicit Marianus, & eamdem eſſe cum ea quæ hodie vocatur Turris Auri ad fluminis ripam, quoſdam opinari ſcribit ejuſdem populi incola Rebolledo, ubi primo retruſi ſunt: poſt etiam ſqualidi carceris oppreſſionem, ad ſe vocatos miſericordiam pollicens avertere nitebatur a Chriſto. Cui illi: utinam tibi Rex miſericordiam, quam nobis præſtare niteris, maturiori uſus conſilio ipſe tibi præſtares. Age quod malueris, corpora eripere potes, ſiderea loca animas detinebunt. Stat nobis firma promiſſio, & pro præſenti morte immortalitatis dono fovebimur.

Chriſtum annunciant Saracenis. — *Marian. cit.* — *Rebell. lib. 3. c. 5.*

LIII. Tunc Rex eorum immobilem animum cernens, Marrochium, cum quibuſdam Chriſtianis, inter quos ut habet Marianus & Marcus ex antiqua legenda, nobilis quidam eques Caſtellanus Ferdinandus de Caſtro dictus, deſtinavit. Inter eos vero, qui Marrochii morabantur, Chriſtianos, præcipuus erat Dominus Petrus Infans, Alphonſi Portugalliæ Regis frater, qui ob veteres cum eo ſimultates, potentiam iramque declinans, Miramolini ducebat exercitus. Hic ad ſe deductos, per dictum Ferdinandum, Apoſtolicos Viros domo recepit, & pio eſt veneratus affectu. Videns ora pallida & corpora fame attenuata, ſciensque quid eis acciderit Hiſpali, voluit quantum potuit eos a ſimili in hac Urbe diſſuadere propoſito. At illi, quod facturi venerant ferventer cogitantes, clam domo relicta, omni ſublato timore, ubicumque collectos Saracenos videbant, Chriſtum prædicabant. Contigit autem Regem Miramolinum, e Regum Mauſolæis venientem, ipſos in legis ſuæ Auctorem convicia jactantes audire, qui nimio furore ſuccenſus, juſſit cum impetu eos expelli, & ad Chriſtianorum terras, datis a Domino Petro Infante comitibus, deduci. Ita Vir Princeps juſſit, ut Septam uſque ducerentur, & illinc in Hiſpaniam, vel Italiam perſuaderentur ut navigarent. Verum illi martyrii deſiderio flagrantes, dimiſſis in via comitibus, iterum Marrochium revertuntur. Quo audito Rex ira vehementer efferbuit, præcepitque, ut teterrimo carcere concluſi, fame ſitique interficerentur. Stant igitur beati vinculis innodati, & divina ſuper infideles manus retributio aggravatur; nam intenſi, ultraquam humana patitur natura calores, & aëris intemperies ſic infirmos effecit, ut jam clare cernerent, quod pro ſanctis ſuis ſit divina ultio inſecuta. Ex quo Rex perterritus, a vinculis abſolutos illæſos abire permiſit. Mirabile dictu! Cum per viginti dies fuerint ſine aliquo corporali cibo carceribus incluſi, ſola divina virtute refecti, ſic inventi ſunt fortes, & alacres, ut merito in ſtuporem converterent ſe videntes. Iterumque ad Chriſtianorum plagas miſſi, relictis comitibus, ſecundo Marrochium redierunt.

Marian. cit. — *Marc. cit. c. 9.* — *Legenda antiq. Martyrum MS.* — Marrochii conſtanter Chriſtum prædicant. — *Surius.* — Vindicat Deus Sanctis illatas injurias.

Lege. Mart. MS. LIV. Interim contra quoſdam Arabes, ſuas terras invadentes, ut habet

habet legenda antiqua, Rex exercitum mittit, & Dominus Petrus Infans Fratres, quos domi ſub arcta, ſed honeſta cuſtodia tenebat, ne irruentes in publicum, in Chriſtianos omnes Regis iram commoverent, ſecum adducit. Redeuntes autem cum victoria Marrochium, Saraceni ſimul & Chriſtiani per triduum aquam non reperientes, nimio ſitis ardore cruciabantur. At Berardus, ſanctæ Trinitatis cultor, tanto compatiens hominum labori, oratione cum ceteris prævia, brevi paxillo terram ſodiens, aqua a Domino impetrata, jumentorum ſitim extinguit & hominum; in ipſo vero loco, nec fons ante viſus fuerat, nec poſt. Reverſi autem Marrochium ſervabantur ne prædicarent; ſed illi, quadam ſexta feria, in publicum proruperunt, & ſtatim juſſu Regis, cuidam Principi, qui aquæ miraculum viderat, decapitandi traditi ſunt, quos ille præcepit carceri mancipari. Hæc autem omnia hoc anno uſque ad ejus exitum evenere, cetera anno ſequenti proſequemur.

Mirabiliter ſitienti dant aquā exercitui.

LV. Dum hæc ita paterentur Viri ſancti, Franciſcus non feriabatur, nec otio, aut ſui corporis commoditatibus indulſit, ſed ut prædixit Martyribus, iter aggreſſus eſt Syriam verſus, commiſſo in Occidente Ordinis regimina fratri Eliæ Tuſciæ Miniſtro. Duodecim ſibi aſſumpſit comites, e quibus hi ſignantur ex nomine frater Petrus Cataneus, frater Barbarus, frater Sabbatinus concives, & ex diſcipulis primis, frater Leonardus de Aſſiſio, & frater Illuminatus Reatinus. Cum autem ad Anconitanum portum per Marchiam tranſiret, & acceſſiſſet quidam, qui voluit ejus adſcribi ſodalitio, ei verus pauperum Patriarcha reſpondit: ſi vis Chriſti pauperibus jungi, pauperibus tua diſtribue. Quo audito perrexit homo, & ductus amore carnali, ſua ſuis reliquit, nilque pauperibus. Verum, cum hæc, illo referente, Vir ſanctus audiviſſet, dura eum increpatione feriens, dixit: vade viam tuam Frater muſca, quoniam nondum exiſti de *domo, & cognatione tua*: conſanguineis tuis dediſti, & fraudaſti pauperes, dignus non es pauperibus ſanctis ſociari: incœpiſti a carne, ruinoſum fundamentum ſpirituali fabricæ collocaſti. Rediit animalis homo ad ſuos, & repetiit ſua, quæ pauperibus relinquere nolens, virtutis propoſitum citius dereliquit.

Abit in Orientem Franciſcus.

Marian. c.17. B.nav. c.7.

Juvenem ſua pauperibus relinquentem non recipit.

Geneſ.12. 1.

LVI. In aliis Marchiæ locis plures ſe ei aſſociarunt, & ex jam initiatis multi eum comitati ſunt Anconam, quaſi Paulum alterum deducentes uſque ad navim, timentes maxime, quod amplius non eſſent faciem ejus viſuri. Gratus fuit illorum adventus Senatui Anconenſi, qui protinus intra ipſum Civitatis vallum, juxta Caſtrum in eminentiori & amæno colle eis habitandi locum ſignarunt, & ſuo ære opus inchoarunt; nimis tamen amplum, adeo ut e Palæſtina rediens Franciſcus reſtringi curarit, & eccleſiæ ſtruendæ formam præſcripſerit, quæ adhuc, alia juncta majori, integra perſeverat. Qui Cœnobiolum ampliarit, auguſtiuſque reddiderit, ad annum MCCCCXXV. dicetur. Dum autem ex navibus ſubſidiariis, quarum plures tunc mittebantur ad auxiliares copias deportandas Damiatam, Vir ſanctus unam vellet conſcendere, nemo erat ex Fratribus, qui ſe non offerret, imo & intruderet in ſocium, ut Viri ſancti ſocietate & optato potiretur martyrio. Nolens Vir prudens, & pius omnium Pater quempiam illorum contriſtare, ſi rejiceretur, nec ſcandalizare in acceptione perſonarum, ſi hos præ illis aſſumeret, dixit: *Filii dilectiſſimi, neminem veſtrum a me velim ſejunctum, omnes velim hujus comites itineris, ſed importunam & onerosam meam judicaſſet navarcha petitionem, ſi omnes rogarem admitti. Quare ne quiſquam ſe*

Act.20. 38.

Conv. Ancona.

Gonzag.in Prov. Marc.Conv.1. Marian.cit. Marc.lib.1.c.55. Piſan. confor.11.

Sorte eligit Socios ſecum ducendos in Syriam.

queratur dimiſſum, & alterius invideat electioni, non tam meam eſſe volo, quam Dei; & protinus advocato puerulo, qui forte aderat in navali, inquit: per os infantium & parvulorum ſæpe Dominus ſuam indicavit voluntatem, nec dubito eamdem modo per hunc puerulum ſignificaturum: interrogemus eum, & credamus Deo per eum locuturo. Interrogato itaque, an divinæ eſſet voluntatis, ut omnes, qui adſtabant Fratres, transfretarent? Ex tempore conſtanter reſpondit, non eſſe; ulterius quærenti, quinam deberent ex omnibus aſſumi? Indicavit voce, & digito undecim, ad ſingulos, ut divinitus ei ſuggerebatur, accedens. Quibus viſis & auditis, admiratione repleti omnes, tam qui transfretaturi erant, quam qui remanſuri, ſua ſorte contenti, genuflexi & a ſancto Viro benedicti, ſibi invicem valedicentes in oſculo caritatis receſſerunt.

Marian. c. 4. & 17.

LVII. Ancona itaque ſolventibus, brevi demum tempore navis applicuit Cyprum, inſulam Mediterranei maris notiſſimam, in qua dum hærerent per unum atque alterum diem, evenit ut ſecundum humanam conditionem, quæ iræ impatiens compoſitos quoſque homines extra ſe ſæpius rapit, frater Barbarus durius aliquod verbum in unum ex Sociis, præſente & audiente nobili quodam Viro, effutiret. Statim vero in

Anconam perveniunt.

ſe reverſus, conſiderans malum a ſe miniſtratum exemplum, excremento vilis animalis ore apprehenſo & dentibus comminuto, in ipſo commotionis loco coram Fratribus, & Sæculari: juſtum eſt, inquit, ut ſtercore repleatur os, quod in Fratrem peccavit. Quo facto & Fratri ultra condignum ſatisfecit, & Herois animum ita devicit, ut ſua & ſemetipſum in Fratrum obtulerit obſequium. Cypro tandem venerunt Acon, alias Ptolomaidam dictam, quippe conditam a Ptolomeo & Acone fratri-

Sanut. par. 6. ſecretorum Crucis c. 4. & p. 24. c. 2.

bus ut placet Marino Sanuto, non ignobili inter Scriptores geſtorum Dei per Francos auctore, cujus opera habentur MS. in Vaticano Codice 2003. antiquitus etiam Abyron nuncupatam, ad cujus partem Au-

Vide Geograph. Ortelii.

ſtralem optimus Syriæ portus eſt. Hic diſtribuit Sociis Orientis regiones, binoſque miſit ad illas partes, in quibus plus ceteris opus erat, ut fides firmaretur aut reſtitueretur, decurrenſque ipſe aliquot diebus per vicina oppida Syriæ, non ſine fructu prædicavit. Porro iterum ſe mari committens cum fratre Illuminato, inde pervenit ad exercitum Chriſtia-

Ad Damiatam prædicit Franciſcus male ſucceſſurum Chriſtianis in bello.

norum, qui Damiatam Ægypti urbem nobilem ad Nilum fluvium, obſidebant. Paucis a ſuo adventu diebus ſe parabant ad pugnam Chriſtiani, & conſerere manus volebant cum Saracenis. Hoc audito, ipſo belli ineundi die, Vir ſanctus vehementer ingemuit, dixitque Socio ſuo: Si belli fuerit attentatus congreſſus, oſtendit mihi Dominus non proſpere cedere Chriſtianis; verum ſi hoc dixero, fatuus reputabor, ſi tacuero, conſcientiam non evadam. Quid igitur tibi videtur? Reſpondit

1. Cor. 4. 3.

Socius ejus dicens: Frater pro minimo tibi ſit, ut ab hominibus judiceris, quia non modo incipis fatuus reputari; exonera conſcientiam tuam, & Deum magis time, quam homines. Quo audito exiliens Chriſti præ-

Legen. 3. Socior. Bonav. c. 11. Corves in hiſtor. Mediolanen. p. 2. fol. 189. Sanut. cit. p. 11. c. 7. Iperius de rebus Flandr. an. 1218. Miræus in Chro. ad eumdem annum.

co, ſalutaribus monitis Chriſtianos aggreditur, prohibet bellum, denunciat caſum. Fit veritas in fabulam, induraverunt cor ſuum, & noluerunt reverti. Igitur committitur & bellatur, totaque in fugam vertitur militia Chriſtiana, finem belli opprobrium regerens, non triumphum.

LVIII. Hujus propheticæ prædictionis meminerunt, præter alios, tres Franciſci Socii, Bonaventura, Bernardinus Corves, Marinus Fanutus, Joannes Iperius & Aubertus Miræus, licet hi duo poſteriores factum

rege-

regerant in annum MCCXVIII. cum vere hoc ipſo anno acciderit, ut expreſſe docent ceteri, eodemque poſt integri anni & VII. menſium obſidionem, capta ſit Damiata nonis Novembris ut oculati teſtes ſtatim a me producendi, & poſt hos Nauclerus, Æmilius, & Meyerus cum aliis; ſed & ipſi Iperius & Myræus conſtanter docent, contra eos, qui anno præcedenti captam volunt, & contra Abbatem Urſpergenſem, qui victoriam differt in annum MCCXXII. In eumdem vero annum inciderunt & infelix pugna, quam diſſuaſit Franciſcus, & feliciſſima urbis occupatio. Ipſam autem pugnam, infelicemque eventum, juxta ſancti Viri vaticinium accipe eiſdem verbis a Jacobo Vitriaco, tunc Epiſcopo Aconenſi, mox Tuſculano, & S. R. E. Cardinali, & ex Oliverio Scholaſtico Colonienſi ipſius rei ſpeculatoribus: *Factum eſt*, inquiunt, *ut communibus exigentibus culpis in decollatione S. Joannis Baptiſtæ, licet vix invenirentur, qui in cuſtodia caſtrorum remanerent, navalem & terreſtrem exercitum equitum & peditum educentes ad caſtra Babyloniorum tenderemus inter mare & fluvium, ubi dulcis aqua non poterat inveniri ad potandum, ipſi vero ſublatis tentoriis fugam ſimulabant. Et cum proceſſum fuiſſet a noſtris adeo, quod appareret adverſarios directa fronte nolle confligere, Capitanei noſtri longum inierunt conſilium, utrum procederent, an redirent? diſcors inter eos ſententia fuit; interim ſolutæ ſunt acies præter ordinem illorum, quos in diſciplina militari ligavit obedientia. Equites Cypri in dextro cornu conſtituti, Saracenis incurſum facientibus a latere, timiditatem ſuam oſtenderunt: Italici pedites primi fuerunt; poſt eos equites de variis nationibus, & quidam Hoſpitalarii S. Joannis, Legato Romanæ Sedis & Patriarcha, qui crucem bajulabat, multum ſed fruſtra ſupplicantibus ut ſubſiſterent. Æſtus Solis erat vehemens, pedites armorum pondere premebantur, calorem auxit labor viæ, & qui ſecum vinum detulerant in anguſtia ſitis biberunt illud purum propter defectum aquæ. His omnibus concurrentibus, qui ſubſiſtentes ſe defenderunt, & poſt primitivos fugientes anhelo curſu terga dederunt extincti ſunt, ſine vulneribus corruentes. Rex vero cum Templariis, & domo Teutonicorum & Hoſpitalariis S. Joannis, Francigenis, de Hollandia, de Werthe, de Sarreburge, de Ceſtriæ Comitibus, Galtero Bertoudi, Piſanis, aliiſque militibus impetum perſequentium ſuſtinuit. Rex igne Græco fere combuſtus fuit. Hi omnes pro muro fuerunt fugientibus; quoties facies ſuas oſtendebant hoſtibus, illi fugerunt, quando vero gradatim revertebantur, ictus & tela ſuſtinuerunt inimicorum. Capti ſunt in illa defenſione Electus Belluacenſis, & Frater ejus Camerarius Franciæ, & filius ejus frater Andegavenſis Epiſcopi cum Joanne Darcies Viro nobili & valde ſtrenuo, Henricus de Ulma & alii multi, qui trucidati ſunt & in captivitatem ducti. Templarii triginta tres capti, vel occiſi ſunt cum Mareſcallo Hoſpitalis S. Joannis, & quibuſdam aliis Fratribus ejuſdem domus, nec evaſit ſine damno domus Teutonicorum. Militia templi, quæ prima ſolet eſſe in congreſſu ultima fuit in receſſu; unde cum ad foſſatum noſtrum noviſſima rediret, foris ſubſtitit, ut anteriores intra mœnia, quantum poſſibile fuit, reduceret. Perſecutores ad captivos deducendos, & ſpolia colligenda tandem redierunt, ſicut intelleximus poſtmodum a Saraceno, quingenta capita Chriſtianorum Soldano præſentantes. Mœror noſtros occupavit, ſed nulla deſperatio: pro certo enim habemus, quod pena peccati fuit hæc caſtigatio, & minus erat in pœna, quam exigeret culpa, ipſo temperante vindictam, qui dicit animæ peccatrici:* Tu fornicata es cum amatoribus plurimis, tamen revertere ad me, & ego ſuſcipiam te. Adeo ingentem hanc, ait Bonaventura, fuiſſe

Naucler. gener. 41.
Æmil. in Phil. 2.
Meyer. de rebus Flandr. an. 1219.

Vitriac. libr. 3. hiſt. Orient. ad ann. 1219.
Oliver. in hiſt. captionis Damiatæ ad Archiepiſc. Colonienſ. eodem anno.

Siniſter eventus belli Chriſtianorum.

Jerem. 3. 1.
Bonav. cit.

Chriſtianorum ſtragem, ut ad ſex millia aſcenderint mortui & captivi. *In quo*, inquit, *evidenter innotuit, quod ſpernenda non erat ſapientia pauperis, cum anima viri juſti enunciet aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.*

Ecclef. 37. 18.

Bonav. cap. 11. Guarner. in hiſt. ſanct. Bergom. fol. 126.

Pergit Franc. ad Soldani præſentiam.

LIX. Dolens Chriſti ſervus ad talem & tantam Chriſtianorum cladem & miſeram Saracenorum in fide cæcitatem, caritatiſque ardore ſpiritum ipſius ad martyrium perurgente, conſtanter ſtatuit, non obſtante implacabili inter utrumque hominum genus diſſidio, pericula cuncta contemnere, & Soldani ſe præſentare conſpectui. Caſtra hinc inde ita locata, ut via mutui tranſitus ſine mortis diſcrimine non pateret: præſertim quod a Soldano crudele exierat edictum, ut quicumque caput alicujus Chriſtiani afferret, Biſantium aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Chriſti miles Franciſcus, ſperans in proximo ſuum adipiſci poſſe propoſitum, definivit iter arripere, mortis pavore non deterritus, ſed deſiderio provocatus. Oratione namque præmiſſa, confortatus a Domino, confidenter illud propheticum decantabat: *nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Aſſumpto igitur ſocio, Fratre Illuminato nomine, viro utique luminis & virtutis, cum iter cœpiſſet, obvias habuit oviculas duas, quibus viſis exhilaratus Vir ſanctus, dixit ad ſocium: confide Frater in Domino: nam in nobis Evangelicum illud impletur: *ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum.* Cum autem proceſſiſſent ulterius, occurrerunt ei ſatellites Saraceni, qui tamquam lupi celerius accurrentes ad oves, ſervos Dei feraliter comprehenſos crudeliter & contemptibiliter pertractarunt, afficientes conviciis, affligentes verberibus, & vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter, & attritos ad Soldanum, divina diſponente providentia, juxta viri Dei deſiderium perduxerunt. Cum igitur Princeps ille perquireret a quibus, & ad quid, & qualiter miſſi eſſent, & quomodo adveniſſent? intrepido corde reſpondit Chriſti ſervus Franciſcus, non ab homine, ſed a Deo Altiſſimo ſe fuiſſe tranſmiſſum, ut ei & populo ſuo viam ſalutis oſtenderet, & annunciaret Evangelium veritatis.

Pſal. 22. 4.

Matth. 10. 16.

A Saracenis capitur, & male afficitur.

LX. Tanta vero mentis conſtantia, tanta virtute animi, tantoque fervore ſpiritus prædicto Soldano prædicavit Deum Trinum & Unum, & Salvatorem omnium Jeſum Chriſtum, ut Evangelicum illud in ipſo clareſceret veraciter eſſe completum: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Nam & Soldanus admirandum in viro Dei fervorem ſpiritus conſpiciens & virtutem, & libenter ipſum audiebat, & ad moram contrahendam cum eo inſtantius invitabat. Chriſti vero Servus, ſuperno illuſtratus oraculo: ſi vis, inquit, converti tu cum populo tuo ad Chriſtum, ob illius amorem libenter vobiſcum commorabor. Quod ſi hæſitas propter fidem Chriſti legem Mahumeti dimittere, jube ignem accendi permaximum, & ego cum Sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel ſic cognoſcas, quæ fides certior & ſanctior non immerito tenenda ſit. Ad quem Soldanus: non credo quod aliquis de Sacerdotibus meis ſe vellet igni propter fidem ſuam defendendam exponere, vel genus aliquod ſubire tormenti. Viderat enim ſtatim quemdam de Presbyteris ſuis virum authenticum & longævum, hoc audito verbo, de ſuis conſpectibus aufugiſſe. Ad quem Vir ſanctus: ſi mihi velis promittere pro te & populo tuo, quod ad Chriſti cultum ſi ignem illæſus exiero veniatis, ignem ſolus introibo: etſi combuſtus fuero

Lucæ 21. 15.

Rogatur a Soldano, ut ſecum maneat.

Quodcúque audet pro fidei aſſertione.

fuero, imputetur peccatis meis; ſi autem divina me protexerit virtus, Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam, verum Deum & Dominum Salvatorem omnium agnoſcatis. Soldanus autem optionem hanc accipere, ſe non audere reſpondit, quia ſeditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretioſa, quæ vir Dei non mundanarum rerum, ſed ſalutis animarum avidus, ſprevit omnia quaſi lutum. Soldanus autem videns Virum ſanctum, tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, majorem erga ipſum devotionem concepit. Et quamvis ad fidem Chriſtianam tranſire nollet, vel forſan non auderet, rogavit tamen devote famulum Chriſti, ut prædicta ſuſciperet pro ſalute ipſius, Chriſtianis pauperibus, vel Eccleſiis eroganda. Ipſe vero, quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquievit. Videns etiam ſe non proficere in converſione gentis illius, nec ſuum aſſequi poſſe propoſitum, ad partes fidelium, divina revelatione præmonitus, remeavit. Soldani munera ſpernit.

LXI. Rem retulimus fideliter ex Bonaventura, fido auctore, ſed non erit ingratum, ſi eamdem brevius repetamus verbis ipſis teſtis oculati Cardinalis Vitriaci: *Vidimus*, inquit loquens de Inſtituto Minorum, *primum hujus Ordinis Fundatorem & Magiſtrum, cui tamquam ſummo Priori ſuo omnes alii obediunt, virum ſimplicem & illitteratum, dilectum Deo & hominibus Fratrem Francinum nominatum* (Franciſcum tranſcripſit ex hoc ipſo loco Antoninus, & Vitriacus ipſe in epiſtola ad Religioſos & familiares ſuos in Lotharingia, ſcripta in Ægypto ante hoc aliud opus, expreſſe & recte vocat Franciſcum) *ad tantum ebrietatis exceſſum, & fervorem ſpiritus raptum fuiſſe, quod cum ad exercitum Chriſtianorum ante Damiatam in terra Ægypti deveniſſet, ad Soldani Ægyptii caſtra intrepidus & fidei clypeo communitus acceſſit. Quem cum in via Saraceni tenuiſſent: ego ſum Chriſtianus, inquit, ducite me ad Dominum veſtrum. Quem cum ante ipſum pertraxiſſent, videns eum beſtia crudelis, in aſpectu viri Dei in manſuetudinem converſa, per dies aliquot ipſum ſibi & ſuis Chriſti fidem prædicantem attentiſſime audivit. Tandem vero metuens, ne aliqui de exercitu ſuo, verborum ejus efficacia ad Dominum converſi, ad Chriſtianorum exercitum pertranſirent, cum omni reverentia & ſecuritate ad noſtrorum caſtra reduci præcepit, dicens ei in fine: ora pro me, ut Deus legem illam & fidem, quæ magis ſibi placet, mihi dignetur revelare.* *Vitriac. in hiſt. Occid. lib. 2. c. 32.* Narratio teſtis oculati.

Addit autem Hugolinus, mira eum exhibuiſſe amoris indicia, & ſignaculum, vel ſymbolum addidiſſe, quo ipſe a nemine ſuorum læderetur, liberamque inſuper dediſſe illi, & Sodalibus licentiam in ſuis dominiis prædicandi. Ad quam ſane Fratres Minores, ut teſtatur citatus Vitriacus, Saraceni omnes, tamdiu de Chriſti fide & Evangelica doctrina prædicantes libenter audiebant, quouſque Mahumeto, tamquam mendaci & perfido prædicatione ſua manifeſte contradicebant. Atque tunc accidiſſe credit Marianus, quod Bonaventura narrat de Fratrum zelo circa Evangelicam paupertatem obſervandam, videlicet quod quidam Saracenus pietate commotus, pecuniam eis obtulit pro neceſſario victu: illis autem recuſantibus accipere, admiratus eſt homo, cernens quod inopes eſſent. Intellecto tandem quod pauperes effecti, amore Dei pecuniam poſſidere nolebant, tanta eſt eis affectione conjunctus, ut offerret ſe ad miniſtrandum omnia neceſſaria, quamdiu facultatum ſibi aliquid ſupereſſet. O inæſtimabilis pretioſitas paupertatis, cujus miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miſerationis eſt immutata dulcedinem. *Hugol. cap. 33.* Prædicant ubique Minores fidem Chriſti Saracenis. Reſpuunt pecuniam ab eiſdem oblatam.

Non

Non ergo inaniter, nec penitus infructuoſe in Soldani corde, fidei ſemina jecit Franciſcus, neque inutiliter ei prædicavit, cujus animum adeo flexit & mutavit, ut ante ferocem & inhumanum, mox manſuetiſſimum & benignum reddiderit in Chriſtianos.

Soldani erga Chriſtianos manſuetudo.

Teſtes hujus manſuetudinis & benignitatis produco prædictum Cardinalem Vitriacum Soldano notum, Abbatem Stadenſem coævum, & Matthæum Paris ferme illius temporis virum.

Vitriac. l.3. hiſt. Hieroſol. ad ann. 1219.

Bonav. cap.4. legen.

Ita Vitriacus *tantæ benignitatis*, inquit, *erat in Chriſtianos, ut poſt treguam cum Saracenis, ſolvi juberet Chriſti cultores, quos vinculatos invenit in munitionibus, quas expugnavit, & in optione eorum poſuit, utrum in patriam ſuam redire vellent, an acceptis ab eo ſolidis ſub ipſo militare potius eligerent*. Idem Chriſtianos in tantum familiares habuit, ut Cuſtodes ſui corporis conſtitueret eoſdem, licet pater ipſius a Laſcaro Græco fuiſſet interfectus: ſimilia habet S. Antoninus.

Anton. tit.19. c. 8. §.3. & 4.
Abbas Stad. an. 1221.

Sic porro Albertus ex Abbate Staden. Minorita. *Soldanus crucem Domini ultro reddidit, Chriſtianos ſalvis rebus & corporibus, Ægyptum exire permiſit, omnes captivos reddi juſſit, ut tunc temporis captivorum triginta millia laxarentur. Præcepit etiam alimenta divitibus pro pretio vendi, vel gratis infirmis & pauperibus exhiberi*. Rem amplius expreſſit Paris.

Paris ad annum 1238.

Eodem, inquit *tempore*, videlicet circa annum MCCXXXVIII. *Soldanus potentiſſimus, qui moriturus liberaliter legavit redditus opulentiſſimos, & pecuniam multam infirmis in domo Hoſpitalis Chriſtianis pauperibus commorantibus, & vinctos ſclavos, liberos multos, & alia multa opera caritatis fecerat, animam ad multorum dolorem exhalavit. Erat autem, licet paganus, veridicus, munificus, parcens, in quantum permiſit legis ſuæ ſeveritas, & vicinorum ſuſpicio, Chriſtianis*.

LXII. Neque ſolum hanc erga alios manſuetudinem in eo procreavit Franciſcus, verum & magnum ſuæ ſalutis, agnoſcendæque veritatis deſiderium, quod a ſe recedenti Franciſco expreſſit, rogans eum ut Deum oraret, quatenus veram fidem ſibi dignaretur oſtendere, ut ſuperius ex Vitriaco diximus, alioque ejuſdem teſtimonio confirmamus. In Epiſtola enim ad Religioſos & amicos Lotharingiæ, in qua refert obſidionem Damiatæ, de Franciſco ait:

Converſus ad fidem Soldanus.

Cum veniſſet ad exercitum noſtrum, zelo fidei accenſus ad exercitum hoſtium noſtrorum ire non timuit, & cum multis diebus Saracenis verbum Domini prædicaſſet, & cum parum profeciſſet, tunc Soldanus Rex Ægypti ab eo in ſecreto petiit, ut pro ſe Domino ſupplicaret; quatenus Religioni, quæ magis Deo placeret, divinitus inſpiratus adhæreret.

Hugol. c. 34.
Marc. lib.1. c.58.

De facto autem adhæſiſſe teſtantur Hugolinus, Marcus, & alii, atque aliquibus poſt annis Virum ſanctum duobus ex ſuis Sectatoribus in Syriæ partibus apparuiſſe, præcepiſſeque, ut ad Soldanum morbo languentem de fide Chriſtiana, & aqua Baptiſmatis ſuſcipienda ſolicitum quantocius accederent, & in ſacra doctrina ſufficienter inſtructum ſacro de more baptizarent:

Specul. S. Franciſci 1. p. cap.74.
Piſan. confor.29.

quod illi diligenter præſtantes, meritis ſanctiſſimi Patriarchæ ſanctæ Eccleſiæ hominem aggregarunt, & ad animæ ſalutem cunctis adfuerunt obſequiis.

Et rite baptizatus.

Porro Baptiſmate ablutum, præter plures ex noſtris, indicat Antoninus, cujus eadem ferme ſententia cum Vitriaco citato in hiſtoria Hieroſolymitana dicente: *Mortuus eſt Soldanus Iconii, qui creditur baptizatus fuiſſe*.

Anto. tit. 19. c.3. §.3.
Vitriac. ad an. 1219.

Quod dum neſcivit Imperator Fridericus (quippe non in omnium oculis hæc Sacramenta peracta, ob ſatellitum metum, & Saracenorum his rebus averſum animum) ejus mortem lugubriter planxit, quia ſperavit eum, ait Paris, ſicut idem Soldanus promiſerat, Baptiſmi ſacramentum ſuſcepturum, & Chriſtianitatem per eum ma-

Paris,

magnum aliquando ſuſcipere felicitatis incrementum. Adeo vehementer ad ejus mortem doluit Fridericus, vel quia ſecreto ſuſceptum Baptiſmum tunc ignoravit, vel quia non prius ſuſceperit, aut jam ſuſcepto non ſupervixerit, ut meliori ſtatu res eſſent Chriſtianæ, fidemque, quam ipſe ſuſceperat, & veriorem ipſa electione probaverat, in Ægypto & aliis Regionibus juxta fidem datam propagari curaret.

LXIII. Non hunc dumtaxat, verum & alios in ea Regione Chriſtianæ Religioni aggregavit Franciſcus, hinc inde diſcurrens, animas aliquas undique Chriſto lucrifaciens, & ſibi ſodales conquirens. Illi præ ceteris notiores, quos nominatim refert Vitriacus e ſua familia & comitatu tunc apud Damiatam ad pauperem hanc Chriſti militiam tranſvolaſſe. Ita ſcribit in fine epiſtolæ ad Religioſos & familiares Lotharingos: *Dominus Raynerius Prior ſancti Michaëlis tradidit ſe Religioni Minorum Fratrum, quæ Religio valde multiplicatur per univerſum mundum, expreſſe imitatur formam primitivæ Eccleſiæ, & per omnia vitam Apoſtolorum. Magiſter vero illorum Fratrum frater Franciſcus nominatur, qui adeo amabilis eſt, ut ab omnibus hominibus veneretur. Eidem Religioni ſe tradidit Colnius Anglicus, clericus noſter, & alii duo de ſociis, ſcilicet Michaël, & Matthæus, cui curam Eccleſiæ ſanctæ commiſeram; Cantorem, & Heinricium, & alios vix retineo.*

Vitriac. in epiſt.

Vitriaci familiares fiunt Minores.

LXIV. At ægre ferens immanis tyrannus Satan has aliaſque ſibi in illa Regione eripi prædas, raptorem aggreſſus eſt in quodam diverſorio Ægypti, impudica ſed pulchra nimis fœmina uſus, ad tentandum Virum Dei, ejuſque caſtimoniam & puritatem labefactandam. Cui immutata facie, & mira in periculoſo congreſſu ſecuritate Vir ſanctus dixit, ſe concubiturum, at in eo lecto, quem ille ſibi vellet eligere. Placet mulierculæ pactum, ſed ad omnem tollendam moram inſtabat. Parat ſe ad cubitum Franciſcus exuta paupere lacerna, & baculo confricatis ſparſiſque in pavimento carbonibus, qui erant in camino, deſuper incubuit, magno illæſus prodigio. En, inquit tentatrici, lectus ſplendidus in floribus, tanto opere dignus: hic ille, quem ego eligo, ut eos ignes evadam; ſi adhuc tibi moleſti, nulla potiori aqua, quam igne hoc extinguentur. Expavit ad factum mulier, & corde compuncta, coram genuflexa, petiit ſui errati veniam, & facile a Domino obtinuit, qui ardores cupidineos in cœleſtes mutavit, ita ut ſancta fide a Viro Dei imbuta multos ad eamdem, velut Evangelica Samaritana, mirabiliter perduxerit. Factum prorſus ſimile in aula Friderici II. Imperatoris, quod ad ipſum, quo contigit, annum referemus.

Specul. vitæ Franc. c. 74. Hugol. c. 13. Marc. lib. 2. c. 57.

Scortum vincit jacens in prunis illæſus.

An. 1222. n. 16.

LXV. His ſimilibuſque prodigiis, & ſanctitatis indiciis toto illo anno Franciſcus illam Orbis partem, non tam luſtravit, quam illuſtravit. Dolens vero non fuiſſe meſſem uberiorem, nec potuiſſe plenos manipulos in Domini horreum congregare, aſcendit in Paleſtinæ regionem, Syriamque, & Galilæam peragravit. Ita Legenda antiqua Thomæ Celani, & vetuſta Ordinis chronica, quibus cohæret Illuſtriſſimus heros Joannes Franciſcus Picus Mirandulanus in eleganti & locuplete de Franciſco poëmate apud me M. S., in quo dum præcipua Franciſci geſta deſcribit; iter hoc etiam ita perſtringit:

Legen. antiq. Chron. antiq. MS.

. . . *Niliacis ſcrutatus ſedibus hoſpes*
Indigus, unde imo captivos carceris antro
Eriperet, quos pertulerat furor impius olim,
Cum Saladino Italum robur, dum prælia miſcet;

Picus Mirand.

Pel-

Pellæo repetens Solymos, Syriamque rebellem,
Atque ita per denſos pietas accenſa maniplos,
Per cuneos, & per conſerta umbonibus arma
Quæſivit Latiam redimi ſine munere pubem.

Sanutus l. 3. p. 5. cap. 4. & par. 14. c. 2. Marc. citat. Reboll. lib. 1. cap. 26.

Benedictin. Monaſterium fit Franciſcanum.

LXVI. Tandem multis emenſis terris, Antiochiam Celeſyriæ nobiliſſimam metropolim pervenit per Montanam Nigram, non integra dicta, a civitate verſus Septentrionem diſtantem, ubi nobile erat Monaſterium Ordinis, ut Marcus & alii aſſerunt, ſancti Benedicti. Hominem Dei ad ſe venientem ſacro ritu proceſſionaliter exceperunt Monachi, jam præmoniti ab Abbate paulo ante defuncto, prophetiæ gratia illuminato, non longe a ſua morte ſuperventurum hominem Deo carum & ſanctum, magnæ familiæ Patriarcham, in veſte lacera & perſona deſpicabili, omni tamen reverentia & honore dignum. Cum his dies aliquot adeo ſancte tranſegit, ut omnium in ſe tranſmutarit affectus, & ad ſancti Viri vitam omnes admirarentur. Adjungunt amplius Legenda antiqua, Piſanus, Marcus, & ex his alii ex noſtris, Monachos omnes mores, & habitum commutaſſe, renunciatiſque amplis ſuis poſſeſſionibus Antiochiæ Patriarchæ, Franciſcanos evaſiſſe. Mihi autem in re hac dubium incuſſit quoddam diploma Gregorii IX., in quod incidi, dum hujus Pontificis regeſtum in Vaticano percurrerem datum 11. Kal. Maii anno VI. ſui Pontificatus, qui eſt MCCXXXV. ab Incarnatione Dominica, & quintus decimus ab hoc noſtro anno; in quo Fratribus Montanæ Nigræ concedit facultatem aſſumendi Regulam S. Benedicti. Tenor litterarum hic eſt.

Legen. antiq. Piſan. confor. 9. & 11. Marc. cit. Marian. cit. c. 17. Rod. fol. 283.

Oritur circa hoc quoddam dubiũ.

In regeſto Greg. IX. epiſt. 132.

Miniſtro, & Eremitis de Montana Nigra Antiochenſis Diœceſis.

Quorumdam nos Ordinum, quorum clara ſatis extitere principia, repentinus pro diverſitatum levitate defectus invitat, ut libenter certam vivendi formulam vobis petentibus præbeamus, ut qui ſub unius profeſſionis titulo degitis, ad eum qui habitare facit unius moris in domo, incedentes, uno & certo conſuetudinis tramite, quaſi regia via ſecurias pertingatis. Quo circa veſtris ſupplicationibus annuentes B. Benedicti Regulam, & regularia, quæ ſecundum Deum ſervari valeant, inſtituta, perpetuo vobis concedimus obſervanda. Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Si quis autem &c. Datum Peruſii, ut ſupra.

LXVII. Duæ hic difficultates erumpunt. Prima, quomodo quindecim dumtaxat ante annis Regulam S. Benedicti, juxta citatos Auctores, reſpuentibus, eadem ipſa denuo aſſignatur? Vel ſi hanc nunquam excuſſerint, oritur ſecunda difficultas, quomodo jam viventibus juxta Benedictinam inſtitutionem, ex Marci, & aliorum ſententia, eadem ſecundo conceditur? Quo pacto me ab his dubiis expediam ſane neſcio, & divinare potius licet, quam rei rationem offerre. Negare nolim, nec audeam, quod tot probati teſtes ſerio affirmant, præcipue Auctor legendæ antiquæ Franciſco coævus, & alii non reprobandi Auctores, Franciſcanum evaſiſſe Monaſterium; attamen vel Cœnobii incolas, vel diſperſos in varias cellas Nigri Montis Eremitas, hujus Monaſterii tamquam capitis membra, ſuſceptæ Regulæ Minorum pœnituiſſe, aut quoſdam ſemper reluctaſſe de deſerenda Benedictina, atque ita ad ſanctam Sedem recurriſſe pro eadem omnibus concedenda. Quod ſane ipſæ litteræ mihi indicare videntur, quæ mutationem repentinam innuunt, & diverſitatem

tem in norma vivendi, dum quidam repente Franciſci Regulam aſſumpſerint, alii Benedictinam retinuerint, quem iterum omnibus conceſſit Pontifex volens *ut ſub uno*, inquit, *& certo tramite regia via ſecurius ad Deum pertingerent*. Et ſane inſcripta nomina *Miniſtri*, *& Eremitarum*, ad quos litteræ dantur, non parum hanc ſuſpicionem confirmant. Ita enim Minorum Superiores nuncupantur, & Eremitarum nomine Fratres in Religionis incunabulis frequenter audiebant. Quare judicarim ſcriptum Fratrum Miniſtro, ex univerſis per Montanam Nigram commorantibus Eremitis, ut ſepoſita Regularum varietate ſub una ſancti Benedicti Regula, & regularia ſtatuta deinceps concorditer militarent.

LXVIII. In re dubia, in qua nullus facem præferat, ita divinare licuit; vel aliter adjiciendum, præter illud Cœnobium, in Montana, alia fuiſſe Religioſorum habitacula, & plures vixiſſe ſub uno Miniſtro Eremitas, ad quos dumtaxat datæ ſunt ſupraſcriptæ litteræ, & præfatum Monaſterium ſemper remanſiſse ſub diſciplina Franciſcanorum. Poſterius hoc mihi probabilius probat quod referunt Piſanus & Marianus ex Legenda antiqua, & hujus auctor accepit a Fratribus Johannino, Jacobo, & Regnerio de Monte Politiano, illius Conventus incolis, & rei teſtibus oculatis, ut habet Legenda. Porro refert Guardianum, ex Abbate factum, virum evaſiſse magnæ contemplationis, in qua dum ad primam noctis vigiliam abſorptus hæreret, vidit magnam turbam prætereuntium in rubeis veſtibus candelas habentium accenſas; aliam in veſtibus albis incedentium; de hinc decem ſpectabiliſſimos viros rubeas ſimiliter veſtes habentes, & pone venientem ſpecioſiſsimam Dominam, mediam inter duos graviſſimos viros. Quam ut adjuravit, humiliterque rogavit, ut quæ ipſa eſset, & quæ præcedentes turbæ indicarent, placido & ſereno vultu illa dixit: ſe Mariam matrem Domini, primam turbam Martyrum, ſecundam Confeſsorum, tertiam Apoſtolorum decem; collaterales Jacobum eſse & Joannem fratres, qui Antiochiam ibant ad excipiendam in gloria animam cujuſdam probi & perfecti Minoritæ, e corpore diſceſſuram circa horam diei tertiam, & octo poſt dies ad Cœnobium hoc Montanæ Nigræ regreſsuros, ut alium deducant in cœlum. Ita per omnia factum comperit Guardianus; nam miſſis duobus ſpeculatoribus Antiochiam accepit, ſtatuta hora mortuum quemdam ex Fratribus, virum optimum, per quod confirmabatur ceteram viſionis partem non futuram inanem. Monuit ergo ut omnes ſe præpararent ad mortem, dum nulli peculiariter prædicebatur, ſed in dubio eventu ſibi quiſquam debuiſset timere. Unuſquiſque ſibi timuit, & omnes ſemet parabant, continuis illis interlabentibus diebus ſua expiantes peccata, donec accedente jam octava die, irritam putarunt viſionem, dum neminem infirmitate ulla gravari ſenſerunt. At in ipſo illo die, ſacro devote præmiſſo, conqueſtus eſt Guardianus magnum ſibi incuſsum capitis dolorem, quo ingraveſcente, & ſupervenientibus aliis corporis malis, circa horam nonam ſpiritum reddidit Creatori: quo factum eſt, ut omnino veram judicarent Fratres Guardiano factam, & ſibi ab eo jam antea narratam, viſionem.

Piſan. cit. Marian. cit. Legen. antiq.

Mirabilis viſio.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. NUnc primo feliciter gliſcentis Ordinis Minoritici geſta, „ nullibi luculentius addiſcenda quam penes Waddingum, „ hoc anno occurrunt. In profeſto Pentecoſtes ſub XIX. Maii Comitia

Capit. General. Aſiſii, ubi S.P. Dominicus adfuit.

„ generalia apud Portiunculam Aſiſii ad miraculum numeroſa, præſentia S.P. Dominici cum ſeptem Sociis illuſtrata, dum curioſitati ſatisfaciunt, pietatem & caritatem adaugent; Fratrumque in omnes ferme partes ad prædicandum miſſio animos erga Religionem Catholicam ſuaviter incendit. Et quis non admirabitur auſteritatem vitæ alacri patientia lenitam, extremam rerum pauperiem repente a circumvicinorum populorum pia liberalitate proviſam, tam magni cœtus Fratrum exactam obedientiam ſine murmure, ac tanti Patriarchæ adeo ardentem animarum zelum, quo cum duodecim in Ægyptum ad Soldanum & ſuos Saracenos, Crucis Chriſti acerrimos hoſtes, properat? Legat quæſo, apud Waddingum, & plura quam hic indicaverim certe magnalia, quibus animum recreet, abſque dubio inveniet: nos enim quid illis addamus nihil occurrit, niſi Summi Pontificis zelum animarum, & paternam caritatem, qua Chriſtianos in anguſtiis poſitos humaniſſime proſequitur. Etenim ad Miramolinum Marrochii Regem pro iiſdem Apoſtolicas litteras direxit *Expedire ibi &c.* nonis Octobris (porro Miramolinus Arabice, latine *Rex multarum gentium* interpretatur) ac etiam præter eas, pro Cruce ſignatis, Terræque Sanctæ expeditione ad Fridericum Imperatorem dedit diploma *Ecce Fili cariſſime &c.* Kal. Octobris. Neque Conſtantiæ Reginæ, & Friderici præfati matris obitum ſilebo; hæc enim Apoſtolica diſpenſatione ex Monialis Henrici VI. Imperatoris uxor, & Rogerii IV. germen, ex quo mundo peperit Fridericum, eumdem ſemper in Pontificis obſequium continuit: at fatis functa matre, veluti diſrupto quo regebatur fræno, Fridericus a Pontifice optimo peſſime deſcivit.

S. P. Ægyptum pergit ad Soldanum cum duodecim ſecum.

Wadd. ad hunc annum.

Indicul. ſupr. cit. ex Odoric. fol. 29. 71.

Conventus Bilbilis.

Gonzaga part. 1. in Prov. Aragon. Convent. 5. Wadd. ad an. 1162. n. 6.

„ II. Interea vero, quæ ad Ordinis dilatationem pertinent non prætermittens, Bilbilis Conventum non reticebo; cujus reædificationem ſub anno MCCCLXIV. Gonzaga, & Waddingus ad annum MCCCLXII. expendunt; licet non ſuppeditet niſi curioſitati laborem, haud erit nihilominus inutilis cura, ſi ejus, qui ante reædificationem præfuerat, antiquitatem & conſtructionem aperire potuerimus; reminiſcetur ſiquidem priſcorum pietas & zelus, qui ad gloriam Dei operi tam Religioſo manus adhibuere.

Calagurium.

„ III. Prope Bilbilim, famoſiſsimi Poetæ Martialis patriam, Salone fluvio, ob optimam temperaturam ferri, laudato, irrigatam, cui Conventus S. Franciſci a Gonzaga & Waddingo inſcribitur, eſt Calatagurium, vel Calagurium, aut Calaguris Civitas nuncupata, quam *Calatayud* Hiſpani vocant, a qua pariter idem Conventus denominatur, quod locorum vicinitas ambobus communem faciat. Eſt autem Calagurium in Hiſpania Tarraconenſi, & Aragoniæ Regno, diſtatque a Turiaſone in Meridiem XV. M. P. Hiſpanicis. Hujus Civium devotionem Fratres noſtros ab antiquis admiſiſse, ex demolitione Conventus facta juſſu Petri Caſtellæ Regis, cognomento *Crudelis*, tempore belli, quod Aragoniæ Regi intulit, dum arcta obſidione civitatem premeret, cogeretque ad deditionem, ut enarrant Waddingus, & Gonzaga ſupracitati, apertiſſime liquet; ſed quo tempore eos admiſerit, nec Archiva, nec aliud quidpiam, de re tam antiqua loquuntur: quamobrem hiſce in tenebris aliunde quærenda lux eſt.

Petrus Caſtellæ Rex demolitur Conventum.

„ IV. Anno quadrageſimo octavo ſupra milleſimum ducenteſimum, Summus Pontifex Innocentius IV. per ſuum diploma Religioſarum Sanctæ Claræ Calagurii curam Fratribus noſtris commiſit; quamobrem

eo

„ co jam tempore hi locum, & habitationem habebant, cum veriſimile „ non ſit aliis quam iis, qui eadem in civitate eſſent, hujuſmodi curam „ committere voluiſſe. Sed cum iiſdem Monialibus præfatis Epiſcopus „ Turiaſonenſis conſtruendi ſibi Monaſterium facultatem conceſſerit „ anno MCCXL. ut referunt Provinciæ Aragoniæ monumenta, facile ad- „ mittendum eſt, Conventum Fratrum pluribus ante annis in eodem lo- „ co præfuiſſe, a cujus Religioſorum exemplo, etiam juvenculæ, & „ mulieres civitatis vitam regularem, ſicut & plures juvenum, ample- „ xari diſcere valerent. Nunc ergo ſi anno MCCXIX. B. P. Frater Joan- „ nes Parens apud Cæſarauguſtam ædem pro ſuis poſuit, poſt ſancti „ Franciſci Canonizationem ejus nomini dedicatam, Calagurio ab hac „ Urbe XIII. M. P. tantum in Lybicum recedente, reliquum eſt zelo tanti „ Viri illius Calagurienſis primi Cœnobii fundationis honorem tribue- „ re, & præſumere factam fuiſſe hoc eodem anno, vel certe paulo poſt; „ maxime quod loci numeroſitas populi ad id Beatum Virum dilatatio- „ nem ſuæ Religionis perſolicite procurantem, allicere potuerit. Ce- „ terum extra muros civitatis ad marginem Salonis fluvii poſitum fuiſſe „ conſtat.

Monialium cura committ. Fratribus an. 1248.

Vide infr. ad an. 1240. n. 4.

Jo: Parens Cæſarauguſtæ obtinet Conventum an. 1219.

ARGUMENTUM.

Revocatus per Socios Franciſcus ad Occidentem, denuo inviſit Soldanum, ſerio agit de ejus converſione, ſtatutiſque cum eo quæ ad animi ſalutem ſpectabant redit ad ſuos. Venetias appellens, Patavium, Bergomum, lacum Benacenſem, Cremonam, aliaſque Lombardiæ cis, citraque Padum regiones luſtrans, venit Bononiam, ubique cum ſui Inſtituti augmento aggregatis ſuo Sodalitio viris præcipuis ex ſtudio Bononienſi. Venit cum Cardinale Hugolino ad Eremum Camaldulenſem, hinc aſcendit in montem Alverna, demum pervenit Aſſiſium, ubi indicta Synodo, reprehenſo Elia & e ſuo gradu remoto, ſubrogat ei Petrum Cataneum, intenſiuſque intendit Fratrum inſtructioni. Interim apud Marrochium martyrio afficiuntur quinque hujus Inſtituti viri, miraculis & reliquiarum veneratione præclari; quorum æmulatus triumphum S. Antonius tranſit ad Minores. Recenſentur denique, quæ in Gallia, Anglia, Belgio, & Hiſpania Fratres in ſuis miſſionibus peregerunt.

1. NOn ſolum ſupranominatum Montanæ Nigræ Monaſterium, verum & alia acquiſivit Franciſcus cum ſuis, qui paucis poſt annis adeo excreverunt, accedentibus etiam quorumdam Monachorum Orientalium Cœnobiis, ut citiſſime integram Minorum conſtituerint Provinciam, quæ uſque ad Syriæ & Paleſtinæ direptionem a Saracenis, non ſine laude florebat. Sed dum ita in Oriente ſuam multiplicaret Franciſcus familiam, in Occidente Frater Elias, relictus ab eo Ordinis Vicarius, Fratres a commendato ſibi tramite divertebat, novum regiminis modum in Ordinem introducens. Dicebat in collationibus & exhortationibus monaſticis, non omnibus conceſſam illam puritatem & ſanctitatem ſui Inſtitutoris, vitamque ejus potius laudandam quam imitandam; quædam etiam eum ſtatuiſſe & velle, quæ humanas ſuperant vires, ſaltem, quæ ſecundum humanam prudentiam & diſcretam rerum providentiam videbantur obſervatu difficillima, imo & ferme impoſſibilia; atque ita

Legend. antiq. Marian. cit.

Multa molitur Elias in præjudicium regularis diſciplinæ.

Angelus a Clareno in 1. Ord. tribulatione. Maria. cit.

ita ex prudentum arbitrio multa ex eis moderanda, tollenda alia, & plura, non adeo ſtrictæ obſervantiæ, ſecundum fragilem hominum conditionem & corrupti temporis mores eſſe toleranda. Qua ratione, & fucatis perſuaſionibus, plures poſt ſe traxit, etiam ex Provinciarum Miniſtris, itaut Franciſci ſimplicitatem, ſinceritatem, arctumque modum vivendi condemnarent, & imprudentiam reputarent. Quo factum eſt, ut intentarent quædam a Regula eſſe abradenda, & ſui Inſtituti rigorem mitigandum. Nihilominus alia utilia pro Provinciarum moderamine ſtatuerunt; ſed inter cetera illud juſſerunt contra Regulam concedentem, ut de omnibus, quæ Fratribus apponuntur, liceat manducare, ne ſcilicet intra, vel extra clauſtra ullus poſset carnibus veſci.

Vide Reg. 1. c. 3.

II. Non defuerunt autem viri zeloſi ſpiritum Dei habentes, qui humanam prudentiam dolebant præponi divinæ voluntati, videntes quod ſingularis ferus depaſcebatur vineam electam. Quare admonitis Viri ſancti Sociis, quid in imminenti & ſecreta hac Ordinis ruina agendum eſset ſecum clanculum tractarunt. Inſtanter interpellabant Dominum, ut verum ſuum Paſtorem incolumem quantocius redderet, ne longius agente diſpergerentur oves, & circuienti rugientique leoni abirent in prædam. Miſso Fratre Stephano, ſancti Viri olim Socio, in Syriam curarunt ut omnia ei exponerentur, & revocaretur in Italiam. His a nuncio perceptis, Vir ſanctus non concidit animo, ſed ſtatim ad Deum recurrens ei commendavit familiam, quam ab ipſo ſuſcepit. At circa conſtitutionem de abſtinendo omnino a carnibus ex ſua humilitate conſilium iniit cum Petro Cataneo, quem tunc ſecum habebat, qui reſpondit ſibi in hac re non licere judicare, nec ad alium præter Legiſlatorem ſpectare quidquam circa univerſorum mores ſtabilire. Diſtulit itaque hujus & ceterorum reſolutionem ad ſuum reditum, de quo ſtatim cogitavit.

Revocatur Franciſc. in Italiam.

III. Noluit tamen, inſalutato Soldano Malachadino, quem ita nominandum volunt quidam, ſed Marianus Vorilicium vocat, cujus ſalus ei quam maxime cordi erat, quippe qui jam ante eum honorifice ſuſcepit, ut habet Nauclerus, tum quia multam ei dedit ſpem ſuæ converſionis. Deſcendens itaque in Ægyptum, & ſecundo prædicans, nihilque extorquens præter bona verba, & futurorum ſpem, quia adhuc ſe excuſabat Soldanus propter præſentia bella, & ſuorum inſidias, odiumque illorum erga Chriſtianos, ſtatuit Vir ſanctus Deum omnino obſecrare & obteſtari, ut hanc animam ſalvam faceret, pro qua lucranda tot emenſus eſt terras, neque per plures dies deſtitit ab oratione, donec tandem exauditus eſt, & præoſtenſa omnia, quæ futura erant circa Principis converſionem & baptiſmum, eo modo quo ſupra retulimus. Quæ dum ei Vir ſanctus referret, fideique noſtræ normam expanderet, majorem quam antea concepit erga Dei Virum amorem, rogavitque ut amplius vellet apud ſe manere. Sed præmonitus ille ab alto, ut in Occidentem remearet, non potuit acquieſcere. Vale dicto itaque Principe, videns parvum in converſione gentis illius fructum poſse ſperari, neque ſe obtinere potuiſse, quod totis viribus concupivit, navem conſcendit ad fidelium partes navigaturus. Sic itaque Dei ordinante clementia, & ſancti Viri promerente virtute, miſericorditer & mirabiliter factum eſt, quod Chriſti amicus mortem pro ipſo viribus totis exquireret, & tamen nullatenus inveniret; ut & merito non careret optati martyrii, & inſigniendus ſervaretur impoſterum privilegio ſingulari. Sic utique factum eſt, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipſius æſtuaret in corde, ut poſt po-

Naucler. ad an. 1208.
Marc. lib. 1. cap. 57. & 58.
Legen. antiq.
Redit iterum ad Soldanum.
An. 1219. n. 60.
Regreditur in Occidentem.
Bonav. cap. 9.

Digitized by Google

potentius evaporaret in carne. O vere beatum virum! cujus caro etſi tyrannico ferro non cæditur, occiſi tamen agni ſimilitudine non privatur. O, inquam, vere ac plene beatum! cujus animam, etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit.

IV. In navigatione proſpere ſucceſſit, nam brevi Candiam appulit, hinc Venetias, opulentiſſimam maris Adriatici Urbem. Hic, dum deambularet cum ſocio juxta Venetas paludes, invenit maximam avium multitudinem reſidentium & cantantium in virgultis. Quibus viſis dixit ad ſocium: ſorores aves laudant Creatorem ſuum; nos itaque in medium ipſarum euntes, laudes & horas canonicas Domino decantemus. Cumque in medium ipſarum intraſſent, non ſunt aves motæ de loco, & quia propter garritum ipſarum in dicendis horis ſe mutuo audire non poterant, converſus Vir ſanctus dixit ad aves: ſorores aves, a cantu ceſſate, donec laudes Deo debitas perſolvamus. At illæ continuo tacuerunt, tamdiu in ſilentio perſiſtentes, quamdiu dictis horis ſpatioſe & laudibus perſolutis, a ſancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis Viro Dei licentiam, ſtatim more ſolito cantum ſuum reſumpſerunt. Gratias agens Deo Vir ſanctus ob creaturarum obedientiam, magnamque, quam erga divinas laudes, reverentiam exhibuerunt, ædificavit ibi ſacellum adjuncto tuguriolo, in quo unus aut alter ex ſociis Deo laudes perſolveret. Locum tamen poſtea auxit ſub nomine S. Franciſci in deſerto, ſive de Contrada, vir devotus Jacobus Michaël, relictis anno MCCXXXIII. ſuis facultatibus ut in aptum Conventum conſurgeret, a quo anno eam obtinuit formam, quam modo habet, & a Patribus Conventualibus ad Obſervantes tranſivit anno MCCCCLX. ex Pii II. decreto. Dediſſe etiam tunc Franciſcum Venetiis initium alteri Conventui, qui nunc S. Franciſci a Vineis nomen habet, fertur a Mariano & aliis, ſed anno MCCXXV. ſuas ibi ſtatuiſſe ſedes Franciſcanos & Dominicanos ſub felici principatu D. Jacobi Theupulo inclyti Ducis Venetiarum aſſerit Rodulphus, & Conventum hunc a Vineis hoc anno poſteriorem indicat Gonzaga, dum conſtructum aſſerit a Fratribus prioris Conventus ad paludes extructi, ut in civitate haberent receptaculum, quando ad eleemoſynas vel negotia illuc ire, aut ibidem pernoctare oporteret. Ex pauperculo demum tuguriolo commodum fecit Conventum pro ſex Fratribus cujuſcumque Ordinis, qui pro ſe orarent, pius quidam Venetus Marcus Zianus, adjudicata ex teſtamento anno MCCLIII. una vel altera domo contigua, & vinea, a qua S. Franciſci a Vineis cognomen accepit. Noſtris vero ſtatim conceſſus eſt inhabitandus, qui opera & liberalitate cujuſdam Patriarchæ Grimani Gradenſis Veneti civis in capaciſſimum & auguſtum evaſit Monaſterium. Præter plures nobiliſſimas reliquias in honore hic habetur corpus B. Matthæi Picentis, cujus vita & facta ſuo loco narrabuntur.

Bonav. cap. 8. Andr. Dandulus in Hiſt. Venet. MS. ad hunc annum.

Jubet aves ſilere. demum cantare, & obediunt.

Conv. Venetiarum S. Franc. a Vineis.

Gonzag. in Prov. S. Ant. Con. 14.

Marian. cit.

Marian. cit.

Rodulph. fol. 271. Gonzag. cit. Con. 1.

V. Hinc Vir Dei venit Patavium, nobilem Marchiæ Tarviſinæ urbem, vulgo Italico Paduam, ubi Fratribus unum, Sororibus alterum, de Arcello dictum, locum acquiſivit; deinde in Lombardiam Tranſpadanam ad Bergomates tranſiit, apud quos hoc anno eum fuiſse aſſerunt Bartholomæus de Peregrinis, Marius Mutius, & Cœleſtinus Scriptores rerum Bergomenſium. Joannes Antonius Guarnerius, qui opus M. Antonii Benalii de Sanctis Bergomenſibus ex decreto Decurionum Bergomenſium perfecit, non hoc ſed anno MCCXVIII. eum illuc perveniſse, & moram traxiſse affirmat. Sed in eo priores errant, quod velint Franciſcum ſem-

Marian. cit. Piſan. confor. 11.

Franc. venit Paduam & Bergomum.

Bart. 2. par. 129. Mutius lib. 2. de divis. Bergomen. c. 5. Cœleſtin. li. 21. c. 3.

Guarner. in vita SS. Domin. & Franc. fol. 126.

Bergomi convenerunt Domin. & Franciſcus.

per Bergomi hæſiſſe ab anno MCCXVIII. per duos annos continuos, quos non immerito ſui erróris monet Cœleſtinus poſterior & accuratior auctor, ex Franciſci factis & itineribus probans id minime poſſe conſtare. Forſan, addit, quod duobus diverſis annis illuc venerit, quod errorem poſſet inducere, ut diceretur integro hæſiſſe biennio. Adfuiſſe aſſerunt ſanctiſſimum Prædicatorum Inſtitutorem, & habitaſſe in ſacello S. Mariæ Magdalenæ ſito in arce; Franciſcum vero in Oratorio ſancti Vigilii Epiſcopi Tridentini, ſito prope ipſam arcem, quo tempore erat paſtor hujus urbis Joannes Novarienſis e familia Torniella, quem ſancti Viri ſæpius viſitabant, & cum eo multis ad animarum ſalutem agebant. Monachos vallis de Aſtino ſub ipſa urbe frequenter inviſebant, & apud eos, Dominico ſacra facienti, ſancta humilitate & caritate pius Diaconus Fratribus miniſtrabat. Tandem Clerus, Senatus, Populuſque Bergomenſis ſanctis Viris ab urbe receſſuris duas eccleſias dederunt in Fratrum ſuorum habitationem: S. Dominico, quæ ſancti Stephani dicebatur; ſancto Franciſco, quæ S. Joannis Baptiſtæ, & hodie Minorum eſt Conventualium, quibus occupatis & relictis, qui contigua adderent habitacula, Brixiam perrexerunt.

Conv. Benacen.

Gonzag. in Prov. Brix. Con. 16.

Conv. Crem.

VI. Urbem hanc non minus favorabilem & piam expertus eſt uterque Patriarcha, ſed per paucos dies in ea manſit Franciſcus. Cum ſocio tranſivit in inſulam Gardæ, quæ ex mediis undis lacus Benacenſis ſurrigit, arboribus fructiferis, aëris temperie, & ſoli amænitate laudatiſſima. Hic acquiſivit ſuis Sectatoribus locum, ut conſtat ex archivo Brixienſi Minorum, & quibuſdam litteris divi Bonaventuræ, quæ in ipſo Inſulano Conventu aſſervantur. Qui ampliorem laudem hujus inſulæ deſiderat, perlegat Illuſtriſſimum Gonzagam. Amplum in hoc Conventu tenuit gymnaſium Franciſcus Lychetus, multoſque erudivit in Scoti doctrina diſcipulos. Venerunt demum Franciſcus cum ſocio Cremonam, quæ nobilis civitas eſt in Çenomanis Italis in eadem regione Lombardiæ Tranſpadanæ, ubi per aliquot dies hæſerunt, & Monaſterii ædificandi ſitum adepti ſunt; quod dum ædificarent, ſupervenit ſanctiſſimus Patriarcha Dominicus, qui ad dilectum ſuum Franciſcum viſendum ſtatim conceſſit. Cum una eſſent, & longum de divinis rebus ſermonem haberent, convenere ad eum Cœnobitæ, qui penuria puræ laborabant aquæ, rogantes utrumque, ut Deum precarentur, ne putei ſui aqua turbulenta & cœnoſa eſſet. Fuit aliquandiu inter Viros ſanctos certamen, uter aquæ benediceret, demum beatus vicit Franciſcus. Igitur B. Dominicus afferri ſibi vaſculum ex ea juſſit aqua, cui poſtquam benedixit, in puteum mitti, ac paulo poſt inde hauriri aquam voluit, quæ quidem puriſſima & hauſtui optima inventa eſt, ac fuit deinceps & perduravit.

Flamin. in vita S. Dom. lib. 2. fol. 48.
Caſtillo lib. 1. c. 50.

S. Domin. facit aquam cænoſam puram.

Hiſt. Mantuana lib. 4.

Maria. c. 17.

Sanat Franc. per chartulam morbo caduco laborantem.

VII. Ad Mantuanos etiam deflexiſſe ſcribit Hippolytus Doneſmundus illius urbis vir doctus in hiſtoria, quam concinnavit patrio idiomate de rebus Mantuanis, eique conceſſam ædiculam S. Mariæ Incoronatæ, cui domum contiguam adjunxit pro Fratrum incolatu ſancti Viri ſocius fr. Benevenutus, quæ temporis decurſu & hominum pietate in amplum excrevit domicilium ſub S. Franciſci invocatione, ubi idem Benevenutus miraculis clarus requieſcit. Tendenti autem Franciſco Bononiam verſus, cum eſſent in diſtrictu civitatis Parmenſis in Lombardia Ciſpadana, juxta oppidum Caneanum, occurrit eis quædam mulier habens filium morbo caduco laborantem, petens ut pro eo ſanando Deum efflagitaret. Pias quaſdam preces in chartula Vir ſanctus exaravit, & deferendas

filio

filio, dedit mulieri; quas ut juvenis accepit, ſtatim perfecte convaluit, & ob tantum beneficium inſervivit poſtea Fratribus in Converſi habitu in monaſterio Parmenſi ſancti Henrici.

VIII. Tandem Vir ſanctus Bononiam pervenit, ubi, teſte Sigonio, tanta hominum ejus viſendi cupidorum concurſatione exceptus eſt, ut per vias inceſſus eſſet ablatus. Omnes ipſum audire tamquam Angelum Dei ambiebant, neque ſequi deſtiterunt, quouſque in forum pervenit; ubi, civibus & ſcholaribus in unum convocatis, concionem tanta ſpiritus magnitudine habuit, ut non homo loqui ſed angelus putaretur. Adeo vero omnium animos flexit, ut non ſolum pleroſque ad pœnitentiam agendam impulerit, ſed etiam ſcholares duos e Piceno ad res humanas relinquendas, & diſciplinam ſuam aſciſcendam adduxerit, quorum utrumque nempe Peregrinum Falleronum, & Rigerium a Mutia adoleſcentes nobiles habitum poſtulantes veſtivit, & futurum vivendi genus utriſque præſcripſit. Edoctus enim in ſpiritu utriuſque indolem, dixit: Tu Peregrine viam ſectaberis humilitatis, tu etiam Rigerie Fratribus inſervies. Quod ſumma humilitate fecerunt, neque enim Peregrinus quantumvis doctus & in ſacris Canonibus verſatus aliquando ad Clericatum aſpiravit, ſed in humili Laicorum ſeu Converſorum ſtatu per omnem vitam permanſit. Paulo poſt Chriſti dilectione totus accenſus, & mortem quam pro nobis tulit reddere volens Salvatori, in Orientem proceſſit: Hieroſolymis ſacra inviſit perquam devote noſtræ redemptionis veſtigia, habens ſecum volumen Evangelicum, quo, tamquam ductore, uſus eſt in luſtrandis & percipiendis Chriſti Redemptoris geſtis & vita. Ubicumque quidquam feciſſe Dominum comperiebat, ſtatim genua flectebat, terram extenſis brachiis amplexabatur, dulciter oſculabatur, fletu rigabat; & tanta hæc teneritudine ubique faciebat, ut quoſcumque vel ſaxeos homines, etiam alienæ fidei, ad devotionem & cordis compunctionem commoveret. Martyrii ſitim explere non potuit, Deo ita diſponente, qui nec ejus Inſtitutori id ipſum conceſſit: quare in Italiam reverſus, tamquam verus peregrinus in hoc mundo, in pauperibus & derelictis tuguriolis commorabatur, homines ubique exhortans ad pœnitentiam, & cognatos pleroſque ad perfectionis ſemitam manuducens. Rariſſime aut nunquam eos inviſebat, nec colloquebatur, niſi quando oportebat ad ſalutem, idque adeo breviter & curſim, ut quanta potuerit celeritate ab eorum converſatione diſcederet, rationem hanc iis reddens, qui inurbanitatis notabant, magiſtrum noſtrum Chriſtum a quærentibus non inveniri inter cognatos & notos. Ad tantam denique perfectionem aſcendit, ut beatus Bernardus de Quinta Valle, Franciſci primogenitus, de eo auderet aſſerere, Peregrinum unum eſſe ex perfectiſſimis fratribus totius mundi, eumque vere peregrinum & advenam in hoc ſæculo, quippe cujus converſatio & cogitatio erat in cœlis, & tamquam terram faſtidiens, affectum omnem e terrenis abduxerit temporalia, & quidquid ſub cœlo eſt arbitrans ut ſtercora, ut unum Chriſtum lucri faceret. Tandem plenus virtutibus & bonis operibus, migravit ad Chriſtum, quem ſemper toto corde dilexit, & clarus miraculis in vita & morte cum magno populorum concurſu ſepultus eſt in monaſterio S. Severini in Marchia, cujus corpus ante centum annos effoſſum, integrum & pulchrum apparuit.

Sigon. de Epiſ. Bonon. lib. 2. ad annum 1220. Marian. c. 10. & 17. Rodulph. lib. 1. fol. 126.

Bononiæ cōvertit Peregrinum & Rigerium.

Peregrini commendatio.

IX. Rigerius vero, ſeu Ricerius, quo potuit nexu Franciſco hæſit, familiaris ejus ſocius effectus, qui magiſtri vitam, tamquam virtutis exem-

B. Rigerii laus.

Rodulph. cit. fol. 128.

Anno 1226. n. 13.

Marian. lib. 1. c. 10. & lib. 2. c. 9.

exemplar ſibi propoſuit imitandam. Adeo in hac ſchola profecit, & ad tantam pervenit rerum prudenter agendarum, Fratrumque regendorum peritiam, ut ſecundum ſancti Viri vaticinium prædicentis Fratribus inſerviturum, factus ſit Miniſter (qui & ſervus ex ipſius Franciſci inſtitutione & interpretatione) Provinciæ Marchiæ Anconitanæ. Rexit per aliquot annos, deinde ad majora ſanctitatis & virtutis incrementa aſpirans, atque animoſe aſcendens, multas & moleſtas paſſus eſt a virtutis inimico tentationes, quas nos alias latius explicabimus. De eo narratur, quod cum ſemel interrogaretur, cur mulierum conſortia fugitaret, cum tamen in eo eſſet donum caſtitatis eximiæ? reſponderit: Niſi id feciſſem, forſan juſto Dei judicio tam præclaro munere privarer. Sapiens quidem cautio eſt neceſſaria, nam qui periculum amat, non immerito peribit in illo. Hunc Rigerium confundit Marianus cum Rogerio Viro ſancto, qui jacet Tuderti clarus miraculis, quem ſanctum vocavit Gregorius IX. & ejus memoriam ibi celebrari præcepit. Sed alter eſt hic ab illo, ut latius, cum de Tudertino egerimus, oſtendemus.

B. Nicolaus de Pepulis.

Anno 1211. n. 28. & 29.

X. Præter hos, alium ſibi acquiſivit diſcipulum ex hac concione, ſuperioribus non inferiorem, D. Nicolaum de Pepulis nobilem Bononienſem Juriſperitum, qui Bernardum a Quinta Valle Bononiam advenientem a puerorum & inſolentum moleſtiis liberavit, benigne ibi commorantem fovit, & conſodalibus ædes extruendas curavit, ut ſuperius prædiximus. Ea mihi probat authenticum ſcriptum cujuſdam Fratris Bonaventuræ anno MCCCVI. exaratum, cujus autographum penes Illuſtriſſimos Dominos de Pepulis, & probatum exemplar apud D. Franc. de Vaſe Petramellara SS. Mauritii & Lazari magnæ Crucis Equitem, Conſiliarium, & magnum Bononiæ Commendatarium tranſumptum ad me miſſum, hic exhibeo.

XI. *Beatus Nicolaus de Bononia filius Domini Gulielmi ex magna domo Pepulorum, ambo boni nominis famæ, & Dei timoris in ipſa civitate habiti ſunt. Hic ab ineunte ætate operam dedit ſtudiis; quare doctor legum effectus, in publico gymnaſio lecturam Pandectarum anno Domini* MCCXIX. *egregie interpretatus eſt. Tunc temporis S. Franciſcus Bononiam beatum Bernardum miſit, ut Cœnobium ſuæ religioni, nuper a ſummo Pontifice confirmatæ, curaret. Qui cum Bononiam perveniſſet, divino ſpiritu amicitiam cum beato Nicolao contraxit, eumque a contemptu puerorum liberavit, in domum ſuam benigne recepit; officiis & honore proſequens, domicilium ſibi, ſuæque Religioni procurandum ſuſcepit in loco Sanctæ Mariæ de Puliolis. In eum non ſolum plurima, & maxima dona in honorem Dei & beati Franciſci contulit; ſed ex aliis ſeipſum Franciſcanæ religioni dicavit, habitumque illius ſuſcepit anno Domini* MCCXX. *dum ſanctus Franciſcus Bononiæ in platea conciones habebat, ac miraculum in beati Peregrini converſione conſpexit. Vixit per paucos annos in religione, plura ſigna dedit Deus, ex quibus omnes pro comperto habebant beatum Nicolaum eſſe Deo maxime carum. In itinere bis comes fuit S. Franciſci, de ejus progreſſu in religione plura in noſtro manuali ſcripto reperiuntur, & majora expectabantur, ſed morte præventus, pie ſancteque Deo ſpiritum reddidit anno Domini* MCCXXIX. *Kal. Maii, & in Eccleſia S. Mariæ de Puliolis ejus cineres conduntur.* Deinde ſubſcriptum: *Ego Fr. Bonaventura brevitati ſtudens, ſcripſi anno* MCCCVI. Quod autem præmiſſo anno MCCXIX. ſubjungat, tunc temporis Bernardum Bononiam veniſſe, latius hoc ſpatium temporis ſumendum eſt, ſicut ſupra docuimus, & ex hoc ipſo colligi poteſt, quod nuper, aut paulo ante

dixit

dixit religionem a Pontifice confirmatam. Is autem fuit Innocentius III. ante aliquos annos mortuus, qui anno MCCX. Regulam & Inſtitutum approbavit: verius ergo putamus non anno MCCXIX. ſed MCCXI. Bernardum Bononiam appuliſſe, uti jam ſtatuimus ſub illo anno, quod omnino confirmat Franciſci hoc, de quo agimus, anno indignatio, quam ſtatim referemus, de amplioribus ſuorum Fratrum ædificiis, quæ ante unum aut alterum annum non adeo facile poterant extrui: cetera quæ ad vitam & mortem hujus ſancti Viri ſpectant, dabimus ad annum MCCXXIX. quo diem clauſit extremum.

XII. Alterum etiam habuit Franciſcus ex hac civitate diſcipulum, Fr. Bonizium magnum paupertatis amatorem ad gravia negotia obeunda intrepidum, & ad reſolvenda expeditum. Hinc a Franciſco in rebus præcipuis aſſumptus in ſocium, cum eo fuit in Monte Raynerii, quando Regulam a Chriſto accepit, & dure increpavit Miniſtros, qui eamdem nolebant admittere, Domino, aperta & clara voce, ejus ſermonem & Inſtitutum confirmante. Poſt mortem Vir ſanctus huic Bonizio apparuit in veſte fulgentiſſima, eique ſua vulnera palpanda & oſculanda porrexit. Obiit Bononiæ ſepultus ad ſuos; poſt multos demum annos oblivioni traditus, donec translatis inde Fratribus propter loci inſalubritatem, & refecto Monaſterio in clauſuram Monialium, dum aperiendis fundamentis foſſores diligentius intenderent, in tria veneranda corpora ex inſperato inciderunt, videlicet B. Nicolai, de quo nunc egimus, hujus Bonizii, & Guillelmi a Cortemilio, Franciſci etiam ſocii, de quo nos alias, quibus ſequentia appoſita erant epitaphia.

B. Bonizius.

Gonzag. in Prov. Bono. Monaſt. 6.

Nicolaus primus nomine.	*Alter vero Bonizius*	*Guillelmus alter nomine*
Cæco lumen obtinuit	*Franciſci patris extitit,*	*Sacro pollens eloquio*
Et mortuis reſtituit	*Conſors dum verbis Domini*	*Urbis iſtius incolas*
Vitam devotis precibus	*Sacram conſcripſit Regulam.*	*In viam traxit Domini.*

XIII. Tales erant Franciſci ſermones, ut homines quo vellet flecteret, & Deo ſibique plures adſciſceret: ex acquiſitis in hac urbe Sodalibus hi magis noti. An hanc ſolam habuerit concionem, vel ſæpius populo prædicaverit, quod veroſimilius putem, vel de hoc ſermone, an de alio, quod ſubjungo Thomæ Spalatenſis, ſive Epetii Archidiaconi, tunc Bononiæ litteris incumbentis, teſtimonium admittendum ſit, non fero judicium. Illud ex ſcriptis Eccleſiæ Spalatenſis extractum ad rem illuſtrandam & tempus indicandum inſerere libuit. *Cum eſſem in ſtudio Bononiæ, ego Thomas civis Spalatenſis, & Archidiaconus ejuſdem civitatis Cathedralis Eccleſiæ, anno* MCCXX. *in die Aſſumptionis Dei genitricis vidi S. Franciſcum prædicantem in platea ante Palatium parvum, ubi pene tota civitas convenerat. Fuit autem exordium ſermonis ejus:* Angeli, Homines, Dœmones. *De his autem ſpiritibus rationabilibus, ita bene & diſtricte propoſuit, ut multis litteratis, qui aderant, fieret admirationi non modicæ ſermo hominis idiotæ; non tamen ipſe modum prædicantis tenuit, ſed quaſi concionantis: tota verborum ejus materia diſcurrebat ad extinguendas inimicitias, ad pacis fœdera reformanda: ſordidus erat habitus ejus, perſona contemptibilis, & facies indecora; ſed tantam Deus verbis illius contulit efficaciam, ut multos Nobilium, quorum furor immanis multa ſanguinis effuſione fuerat debacchatus, ad pacis concordiam ſimul deduceret. Erga ipſum vero tanta & tam magna erat univerſorum devotio, ut viri & mulieres in eum catervatim currerent, & beatum ſe putabat, qui ſaltem poſſet, vel fimbriam veſtimenti ejus tangere.*

Sigon. citat. Rodulph. lib.1. fol.4.

Ita teſtimonium hoc habet Sigonius, ſed in quibuſdam mutatum Rodulphus, qui quædam immiſcuit ex ſuis.

Sigon. citat. Rodulph. fol.36. Marc. lib.1. c.36.

XIV. Sermonibus Vir ſanctus hac in urbe miracula addidit; nam cum ei offerretur puer quidam, ex ſtirpe nobili, unum oculorum macula ſeu nubecula habens obtectum, ita ut nihil prorſus videret, nec aliquo juvari poſſet remedio, ſigno Crucis a capite ad pedes ſuper juvenculum deducto, ei viſum reſtituit tam limpidum, ut poſtmodum Viri ſancti ſui benefactoris Inſtitutum profeſſus, aſſereret ſe longe clarius videre oculo prius infirmo, quam ſemper ſano. Quo miraculo major adhuc erga eum crevit populi reverentia, a quo nequaquam abſcedere poterat, nec avelli.

Execratur ædes ſumptuoſiores.

XV. Ille vero ſalutato prius Hugolino Cardinali intimo & familiari amico, ſuique ordinis Protectore, tunc Lombardiæ Legato, qui in Viri ſancti amplexus totus exultabundus irruerat, ad Fratres ſuos declinans, vidit eorum ædes ampliores, ſumptuoſioreſque, quam pateretur ſtricta illa paupertas, ſuper quam ſui Inſtituti fundamenta poſuerat, averſaque facie totus indignabundus, & vehementer commotus: hæccine, inquit, illorum pauperum Evangelicorum ædes? hæc Fratrum Minorum majora & ſuperba palatia? Noſtram hanc domum non agnoſco, neque meos Fratres reputo, qui in illa permanſerint: quare firmiter præcipio, ut omnes illi, qui Minorum velint nomen retinere, protinus egrediantur, & divitibus hujus ſæculi ſua tecta relinquant. Hujus rei, quam tamen Sigonius perperam refert ſub anno MCCXXI. teſtimonium perhibet B. Angelus Clarenus, & ante hunc alius omni major exceptione Fr. Leo, qui ibidem jacebat infirmus, & cum aliis languentibus in Fratrum humeris fuit extractus, & ſub dio expoſitus, donec Cardinalis Legatus virum Dei aliquantiſper placavit, dicendo tecti amplitudinem eſſe tolerandam, quia loca ampliora prorſus neceſſaria ſunt religioſis, ut infirmi ob aëris temperiem & libertatem refocillentur, ſani conſerventur, laſſi in ſtudiis ſpiritualibus recreentur. Quod ad proprietatem vero loci attinebat, firmiter aſſerebat, nullam penes Fratres eſſe, omnemque manſiſſe penes ipſos fundatores, quod ſi adhuc ullus remanebat ſcrupulus circa rerum dominium, totum in ſe jam aſſumpſiſſe nomine Romanæ Eccleſiæ. Ad has pii Protectoris rationes, inſtantemque ſolicitudinem, ut permitteret Fratres iis ædibus uti, non potuit non acquieſcere, & jubere ut regrederentur ad locum, unde exierunt. Ipſe tamen ingredi noluit, nec ibi requieſcere, ſed ad cariſſimos & amantiſſimos Fratres Prædicatores divertit, ubi aliquibus diebus cum fideli ſuo amico Dominico cohabitavit.

Sigon. lib.5. Hiſtor. Bononienſ. Claren. cit. Legen.3 Socior.

Bonav. c.7.

XVI. Similiter in aliis ædibus feciſſe teſtatur S. Bonaventura dicens: *Mandabat dirui aliquando domos erectas, aut Fratres exinde amoveri, ſi aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel ſumptuoſitatis, contrarium eſſet Evangelicæ paupertati, hanc dicens ſui ordinis fundamentum, cui ſubſtrato primarie, ſic omnis ſtructura religionis innititur, ut ipſius firmitate firmetur, & everſione funditus evertatur.* Cum vero ita ſepararetur a ſuis, rogavit eum ex Prædicatoribus vir pius compatiens Minoribus ſuo patre deſtitutis ut reverteretur ad illos, & noxam hanc indulgeret. Cui Vir ſanctus: non eſt bona indulgentia, quæ faciliores reddit ad peccandum, neque mea præſentia vellem confirmare, aut approbare, quæ contra ſanctam commiſſa ſunt paupertatem. Viam aliam tentavit bonus ille pater, perſuadereque conatus eſt, ut eos viſitaret & amplius pro commiſſa culpa reprehenderet, moreſque reformaret, & cete-

Marian. cit.

cetera boni Prælati munia exerceret; quibus expletis ſi remanere nollet, ambo ſimul redirent. Annuit ſagaci & pio conſilio caritativi viri, accedenſque ad ſuos, promptiſſimos invenit ad omnem ſubeundam pœnitentiam, humiliter ſuam culpam confitentes. Ad quorum humilitatem & pœnitudinem Vir ſanctus noxam omnem dimiſit. Dure vero increpavit Fr. Petrum Joannem de Stiachia Miniſtrum, quod vel voluerit, vel permiſerit tam ſumptuoſum conſtrui Fratribus ædificium, & quod, ſe inconſulto, Studium erexerit, iiſque conſtitutionibus ſtabilierit, quæ potius doctos, quam pios procrearent. Ille autem volens vel malens, ut Fratres potius ſcirent orare, quam legere, & exemplum daret aliis Miniſtris, ut religioſius & humilius de Studiorum erectione tractarent, ſcholam hanc prorſus diſſoluit. Miniſter autem in ſuo ſenſu abundans, ſtatim poſt Viri ſancti diſceſſum, illud in priſtinum ſtatum reſtituit, quod ut reſcivit, deſuperque ei revelata eſſet hominis pertinacia & indurata malitia, ei ſolemniter maledixit. Paucis poſt annis, rogantibus Fratribus, ut pro maledictione hac inferret benedictionem viro alias docto & nobili, reſpondit: ei benedicere non poſſum, cui Dominus maledixit, quod evidenter conſtitit ad hominis mortem, expirantis cum magno ejulatu & clamantis: *Damnatus ſum, & in æternum maledictus*. Deinde terribilia ſecuta ſunt ſpectacula, quæ hominem vere condemnatum circumſtantibus comprobarunt. In hac æde Bononienſi refert Leander Albertus Odofredum Beneventanum celeberrimum Jureconſultum, diu Bononiæ publico ſalario jus profeſſum, & fato concedentem, eximium ibidem ex marmore monumentum forma pyramidali habuiſſe.

Amovit Miniſtrum Bon. propter erectas ędes ſumptuoſas, & ſtudium.

Angel. Clar. in 1. tribul. Ord.

Lean. in regione Samnitum cap. Hirpini.

XVII. Tanto autem amore virum ſanctum Franciſcum proſecuti ſunt Bononienſes, & tam caros habuerunt ejus Sodales, ut non ſatis duxerint uno eos recipere loco intra civitatem, ut ſupra diximus, niſi & ſecundum adjungerent extra urbem ad milliare unum in edito quodam & nemoroſo colle. Eremitorium erat humile ex vili materia, tumultuario opere extructum, quod auguſtius reddiderunt, in alium locum translatum, pii Bononienſes ſub Alexandro V. & ſancto Apoſtolo Paulo ſacrarunt. Demum cum ruinam minaretur univerſa ferme ædes, reſarciendam & renovandam ſuis ſumptibus totam curavit Gregorius XIII. pro ſua in Minores benevolentia. Habitarunt in hoc Conventu, qui Minoribus Obſervantibus ſubeſt, ſanctus Antonius Patavinus, Fr. Jacobus a Primadiciis Bononienſis vir venerabilis, Apoſtolicis legationibus multis, & Viſitatoris Apoſtolici, Vicariique Generalis functus officiis, qui ibidem diem clauſit extremum. Similiter ibidem vixit & obiit Franciſcus a Platea, patria item Bononienſis, magnæ auctoritatis vir, ſæpius deſignatus Sedis Apoſtolicæ Nuncius ſub Eugenio IV. & Nicolao V.

Conven. S. Pauli Bononienſis.

An. 1211. n. 28.

Gonza. in Prov. Bononien. Con. 2.

XVIII. Franciſcus vero in ſuo receſſu a Bononia vocatus & invitatus eſt a Cardinali Hugolino, ut per aliquot dies ſecum ſecederet in eremum Camaldulenſem, & in religioſa illa ſolitudine ſupernarum rerum meditatione animum per varia diſtractum, & corpus multis attritum laboribus, immenſoque diſſolutum itinere aliquantiſper refocillaret. Annuit libenter Vir ſanctus, & ferme integro menſe, ut habent Marianus & Miglius, ad tanti Viri ſolatium eremiticum convictum, vitæque auſteritatem, ſibi jam familiarem, incredibili animi & corporis confectatus eſt voluptate. Auguſtinus Florentinus, ejuſdem eremi Monachus, per ſex menſes ibi ſtetiſse aſſerit: id porro non adeo probabile, ſaltim hoc annó, quo eum cum Hugolino ibidem fuiſse ſcribunt communiter noſtri, atque

Marian. cap. 11. Migl. lib. 2. c. 3. Aug. Floren. in Hiſtor. Camald. lib. 2. cap. 28. Silvanus Razzi de ſanctis Camal. in vita B. Leonardi.

Andr. Muñoz. de Eremo Camal. cap. 9.

Supra n.13. ipſe indicat Auguſtinus. Namque ex teſtimonio Archidiaconi Spalatenſis proxime relato, in feſto Aſsumptionis Virgineæ Bononiæ prædicaſſe
Infra n.23. conſtat, & ad feſtum Michaëlis Archangeli Comitia iniit generalia ſui Ordinis Aſſiſii, uti mox referemus. Porro Cardinalis cellam cum Sacello
Habitat per menſem in Eremo Camaldulenſi. in capite eremi, quæ ad hanc diem celeberrima viſitur, ſibi ſtatuit; & Franciſcus alteram, proxime adjunctam illi, quam ſanctus Romualdus vivens inhabitaverat, quæ ad hanc diem notiſſima, ex ejus nomine Cella ſancti Franciſci nuncupatur, & ab alio nullo, religionis ergo, incolitur, præterquam a Priore, ſeu majori Patre illius eremi. Addunt Marianus & Miglius, illius regionis viri, non ſolum ſolemne feſtum ibi indictum ſancti Patriarchæ, verum & ſtatutum, ut in toto Ordine Camaldulenſi in ejus natali caneretur antiphona Minoribus aſſueta: *Salve ſancte Pater &c.* Conſecravit tunc ibidem Hugolinus altare SS. Petri & Pauli, quod extra Chorum templi fundatum fuerat, Kalendis Septembris ejuſdem anni MCCXX., ut citatus refert Auguſtinus, & paulo ante Oratorium Virginis Deiparæ.

XIX. Hinc aſcenderunt in montem Alvernæ per decem milliaria diſtantem, ubi per paucos dies ſtetiſse monet Miglius, regrediente Bononiam Cardinali, & Franciſco properante Aſſiſium ad Comitia, quæ dum
Bonav. cap.11. Venetiis appulit per litteras indixit. Contigit autem eum fatigatum & laſsum, parumper aſellum conſcendere. Subſequens autem ſocius,
Videt Socii cogitationes. Leonardus ab Aſſiſio & ipſe non modicum feſsus, cœpit dicere intra ſe, humanum aliquid paſsus: Non de pari ludebant parentes ejus & mei: en ipſe equitat, & ego pedeſter aſinum ejus duco. Hæc illo cogitante, protinus deſcendit de aſino Vir ſanctus, & ait: Non, Frater, convenit ut ego equitem, tu venias pedes; quia nobilior & potentior in ſæculo tu me fuiſti. Obſtupuit illico Frater, & rubore ſuffuſus, deprehenſum ſe recognoſcens procidit ad pedes ipſius, & lacrymis irrigatus, nudum expoſuit cogitatum, veniamque popoſcit.

XX. Ut ad vallem Spoletanam pervenit, prorumpentes hinc inde
Marian. cap.17. Specul. S.Franc. p.2, c.48. ex eremitoriis filii deſiderato patri cum ingenti cordis jubilo turmatim occurrebant, collætantes in ejus aſpectu, & congratulantes in ejus regreſsu. Ille e regione ad conſpectum filiorum, familiariumque Sociorum lætabatur in Domino, & omnibus omnia factus, confortabat puſillanimes, conſolabatur afflictos, corrigebat diſſolutos, reprehendebat errones, & omnes ſuis exhortationibus, atque ignita loquela accendebat ad currendam viam mandatorum cœleſtium, & obſervantiam Regulæ, quam ſponte ſubierunt. A pluribus & potioribus Inſtituti profeſsoribus acce-
Graviter reprehendit Eliam ob habitum cultiorem. pit, non inanes neque falſas querelas ad ſe tranſmiſsas in Orientem de Vicario generali Fratre Elia, idque ipſe comperit etiam palam in ejus veſtitu, ſatis diſsono ab humilitate & arcta paupertate, quam omnibus præſcripſit, & ſuo exemplo propoſuit. Etenim coram apparere eſt auſus in habitu cultiori & pretioſiori, longioriſque capitii, ampliorum manicarum, dilatatis etiam fimbriis, quam pauperis & humilis profeſsionis Monachus potuerit induere abſque manifeſta arctioris ſtatus diſſonantia. Quem ut vidit Vir ſanctus, animi indignationem parumper diſſimulans, petiit coram circumſtantibus, ut habitum illum ſibi vellet accommodare. Quod cum negare non poſſet, in angulum ſe retrahens, exutum ſancto Viro aſportavit. Ille vero ſuo habitui ſuperindutum accommodavit, plicuit, aptavit, ſubrugavit ad cingulum, capitium faſtuoſo modo obduxit capiti; deinde erecta cervice, extento collo, inflato pe-
ctore,

Digitized by Google

ctore, faſtuoſa gravitate cœpit tumenti greſſu incedere, & cum vocis boatu Fratres ad talem proſopopæiam obſtupentes, ita ſalutare: *Bonæ gentes ſalvete*; deambulanſque ita per medium illorum ibat ter aut quater: tandem in fervore ſpiritus cum magna indignatione exutum habitum contumelioſe longius projecit, & ad Fratrem Eliam converſus, dixit: Sic incedent nothi & ſpurii Religionis Fratres. Et mutato vultu & geſtu humiliter & modeſte in ſpiritus lenitate in ſuo pauperculo & lacero tegmine incedens, verba ſalutis & caritatis loquens ad Fratres, ait: Hic eſt inceſſus & geſtus legitimorum & germanorum Fratrum Minorum. Sedit poſtea in medio illorum, talibuſque ſermonibus eos ad humilitatem & paupertatem conſtanter ſectandam allexit, ut qui inter omnes humilior, & præ omnibus pauper judicabatur, non ſat ſibi hauſiſſe harum virtutum videretur. Stupebant omnes ad ſancti Viri prudentiam, & diſcretum modum reprehendendi cum imperio & tanta æquanimitate, ut non eſſet in univerſa multitudine, qui vel obmutire auderet, nec Eliæ, quamtumvis Vicarii Generalis, cauſam agere. Demum omnia quæ noviter introduxit Elias in Ordinem, & illo abſente ſtatuerat revocavit, præter unam illam conſtitutionem de carnibus non edendis, quam aliquandiu toleravit, ne videretur ingluviei ſavere, donec evenit quod ſtatim ſubjungemus.

XXI. Dolente tunc ſancto Viro, quod adeo cito a ſpiritus fervore declinare, & a recta virtutis ſemita deviare videbantur in Religione, qui præcipni deberent eſſe in ejus retinendo nitore, non adeo ad hæc, quam ad futuras multas & magnas Ordinis calamitates mirari debere, oſtendit Dominus portentoſa ei facta viſione. Dum enim oraret in loco ſanctæ Mariæ de Angelis, oculis ejus corporalibus & coram ipſo apparuit quædam ſtatua, quæ habebat caput aureum, & faciem pulcherrimam, pectus & brachia de argento, ventrem & femora de ære, tibias antem de ferro, pedes vero ex parte ferreos, & ex parte fictiles, & erat induta ſacco, ex quo humano rubore perfuſa multum erubeſcere videbatur. Qua viſa, cœpit vehementer admirari illius pulchritudinem indicibilem, & ejus miram magnitudinem; inſuper erubeſcentiam, quam habebat de ſacco, quo erat induta, exhorrebat. Et cum ſic miraretur, intente aſpiciens caput ejus pulcherrimum, & ſpecioſam faciem, ſtatua ipſa locuta eſt beato Franciſco, dicens. Quid miraris? Deus miſit me ad te, ut in me diſceres, quæ circa Ordinem tuum ſunt ventura & futura. Caput aureum, quod in me vides & facies iſta decora, eſt principium tui Ordinis poſitum in altitudine Evangelicæ perfectionis: & ſicut ipſius metalli ſubſtantia eſt cunctis metallis pretioſior, & locus capitis membris cunctis eminentior; ita principium tui Ordinis eſt tantæ pretioſitatis propter fraternam & auream caritatem, & propter angelicam honeſtatem, & tantæ altitudinis propter evangelicam paupertatem, quod totus mundus mirabitur. Et Regina Saba, id eſt ſancta Mater Eccleſia mirabitur & dilatabitur in eorde ſuo, cum videbit in primis electis Ordinis tantam Chriſti pulchritudinem ſanctitatis, & ſapientiæ ſpiritualis ſplendorem, tamquam in Angelicis ſpeculis relucentem. Et beati erunt, qui illorum primorum lapidum pretioſorum, imo capitum aureorum virtutes & mores, Chriſto ſe totaliter conformantes, ſtuduerint imitari, magis illorum cœleſti pulchritudini, quam florentis mundi fallaciis adhærendo. Pectus vero & brachia de argento eſt ſecundus tui Ordinis ſtatus, qui tanto eſt primo inferior, quanto eſt infe-

Rodul. fol. 172. Marc. lib. 2. cap. 29. Floretum.

Admiranda viſio.

Primus ſtatus. Caput exorientis Religionis aureum.

Secundus ſtatus.

Pectus & brachia ſtatuæ quid ſignificant.

inferius argentum auro, & ſicut argentum pretioſitatem, claritatem, & ſonoritatem habet magnam, ſic iſte ſtatus habet Fratres nobiles genere, claros ſcientia, & ſonoros prædicatione, & ſublimes in tantum, quod aliqui eorum ad Papatum, aliqui ad Cardinalatum, ad Epiſcopatum plurimi aſſumentur. Et quia per pectus & brachia oſtenditur hominis fortitudo, in illo tempore excitabit Dominus in iſto Ordine tuo homines ſcientia, velut argentum nitentes, & præclaros virtute, qui tam ſcientia quam virtutibus defendent Religionem iſtam, & etiam univerſam Eccleſiam a multiplicibus impugnationibus Dæmonum, & a variis impulſionibus hominum impiorum. Sed quamvis mirabilis erit generatio illa, erit tamen quo ad ſtatum priorum perfectiſſimum inferior. Sed hic eſt reſpectu primi ſtatus, ſicut argentum reſpectu auri.

Tertius ſtatus Religionis. Poſt hos eſt tertius ſtatus in Ordine, qui ventri æreo ſimilabitur & femoribus æreis; quia ſicut æs æſtimatur minori pretio, quam argentum, ita illi de ſtatu tertio, erunt primis, ſecundiſque Minores. Et quamvis tamquam æs in numeroſitate & multa latitudine per Orbis ſpatia diſtendentur, tamen erunt ex his, *quorum Deus venter eſt, & gloria* *Phil. 3. 19.* Religionis *in confuſione eorum, qui ſola, quæ terrena ſunt, ſapiunt*: & quamtumvis propter ſcientiam habeant linguam, *tamquam æs ſonans*, & mirabilem, erunt tamen dilectores ventris & femorum. Heu, heu reputabuntur apud Dominum, ut ait Apoſtolus, *ſicut æs ſonans, aut cymbalum* *1. Cor. 13. 1.* *tinniens*, quia aliis reſonabunt verba cœleſtia, & quaſi ex femore ſpirituales filios generabunt, & oſtenſo aliis vitæ fonte, ipſi ventre arido adhærebunt in terra. *Quartus Religionis ſtatus.* Poſt iſtos vero erit quartus ſtatus terribilis & pavendus, qui tibi nunc oſtenditur in tibiis ferreis. Nam ſicut ferrum domat & diſſipat æs, argentum, & aurum; ita ſtatus ille tantæ duritiei & ferreæ pravitatis erit, quod ex frigiditate, & horrida rubigine, ac ferreis moribus illius periculoſi temporis, oblivioni tradentur quæcumque bona, quæ caritas aurea primorum, & argentea veritas ſecundorum, & ærea ſive ſonora loquacitas tertiorum ædificaverat in ſancta Eccleſia Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Tamen ſicut tibiæ ſuſtinent corpus, ita illi in quadam fortitudine ferrea, id eſt rubiginoſæ hypocriſis, corpus Ordinis ſuſtentabunt. Et tam venter prædictus, quam tibiæ iſtæ ferreæ latebunt ſub veſtibus, quia ſub Religionis habitu contegentur, habitum quidem Religionis & pietatis habentes, intrinſecus autem ſunt, & erunt lupi rapaces: & iſti tales ſolum ventri ſervientes, & etiam rubiginoſi & ferrei, mundo quidem latentes, ſed Domino manifeſti, quia pretioſiſſima bona ad nihilum, ſcilicet pravæ vitæ malleo redegerunt; ideo ipſi tamquam ferrum diverſarum igne tribulationum, & malleis anguſtiarum terribilium affligentur, ut non ſolum Dæmonum, ſed etiam rectorum ſæculi cladibus ſæcularibus, & ignibus & carbonibus excoquentur, ut *potentes potentia tormenta patiantur*, & quia per irreverentem *Sap. 6. 7.* duritiem peccaverunt, ab irreverentibus duriſſime torquebuntur. Propter autem illas anguſtias ad tantam impatientiam movebuntur, quod ſicut ferrum, quod omnibus metallis reſiſtit, ſic ſe omnibus opponent ita, quod non ſolum poteſtatibus ſæcularibus, ſed etiam ſpiritualibus obſtinate reſiſtent, putantes ſe tamquam ferrum poſſe omnia domare, propter quod Deo maxime diſplicebunt.

Quintus Religionis ſtatus. Quintus vero ſtatus erit ex parte ferreum, quantum ad hypocritas ſupradictos, & ex parte terreum, quantum ad illos, qui ſecularibus negotiis ſe totaliter miſcebunt. Et ſicut vidiſti in pedibus, quod teſta ex luto

luto cocta , & ferrum ſimul apparuit , quæ tamen uniri nullatenus poſſunt , ita erit in extremo ſtatu illius Ordinis , quia orietur tanta diviſio , & tam abominanda inter ambitioſos hypocritas , & teſteos ex luto temporalium concupiſcentia carnis excoctos , quod ſicut teſta & ferrum nequibunt ex diſcordia maxima convenire. Et contemnent non ſolum Evangelium & Regulam, ſed etiam teſtis ferreis, hoc eſt pravis affectionibus & immundis conculcabunt omnem ſancti Ordinis diſciplinam. Et ſicut teſta, & ferrum diviſa ſunt invicem, ita multi ipſorum dividentur inter ſe intus , & extra : intus quidem contentioſe viventes , extra vero ſeditionibus , partialitatibus , & tyrannis ſecularibus adhærentes ; propter quod venient in tantam diſplicentiam omnium , quod non ſolum vix in terras intrare poterunt , vel morari , ſed vix portare habitum manifeſte , & multi eorum punientur & deſtruentur tormentis horribilibus per homines ſæculares , quia tam abominabiles pedes domus & omne ſolum vitabit . Hoc autem totum veniet illis , quia totaliter ab aureo capite receſſerunt . Beati autem erunt illi , qui in illis periculoſis diebus ad pretioſi capitis monita revertentur , quia *tanquam aurum in fornace probabuntur, & quaſi holocauſta medullata coronam accipient in æternum* . Saccus , de quo ſum induta , de quo erubeſcere videor , eſt ſancta paupertas , quæ cum ſit totius Ordinis decor & ſpeculum , & cuſtodia ſingularis , & corona , & fundamentum omnimodæ ſanctitatis, deficientibus tamen omnibus ſtudiis virtuoſis , ut dictum eſt ſupra , de ipſa ſcilicet paupertate ſanctiſſima filii degeneres erubeſcent , & abjectis vilibus indumentis , eligent pretioſa , & cappas varias anxie & ſimoniace procurabunt . Felices vero & beati erunt , qui uſque in finem perſeveraverint in his , quæ Domino promiſerunt . Et his dictis , ſtatua illa diſparuit . Beatus Franciſcus de his vehementer admirans , atque anxius oves ſuas tamquam bonus paſtor præſentes & futuras Domino cum multis lacrymis commendavit . Qua viſione , & aliis pluribus revelationibus habitis futura omnia Fratrum eventa vidit , & prædixit .

Quomodo multi diviſi ſunt intus & extra .

Sap. 3. 6.

Saccus quid portendit .

XXII. Miras ſane & turbulentas paſſa eſt hæc paupercula Religio viciſſitudines ; ſed tribulationibus multis ultra hominum crevit opinionem , diſſolutaque in quibuſdam Provinciis diſciplina in eiſdem religioſioris notæ viros quotidie excitat, qui laſſatos mores reforment,& ſeneſcentem veluti ſodalitatem ſuccreſcenti renovent propagine . Numquam , neque uſquam fuit ſine multis doctiſſimis & ſanctiſſimis viris ; atque ipſo hoc tempore , quo a multis impetitur , effæta non eſt , ſed ferax hujuſmodi germinis , ut abſque admiratione & gloria dici non poſſit , nunc ſimul viginti & unius unici hujus Sodalitii illuſtrium ſectatorum acta examinari in Urbe ab Auditoribus ſacræ Rotæ Romanæ , ut in apotheoſim Sanctorum referantur .

XXIII. Paucis poſt diebus , orante in vicino luco Dei ſervo , pulſavit nimis feſtinanter ad oſtium cœnobioli juvenis accinctis renibus & veſtibus compoſitis tamquam ad iter paratus. Accedens autem oſtiarius frater Maſſæus , monuit non ita pulſandas ædes Religioſorum , ſed lente & abſque nimio ſtrepitu . Cui juvenis excuſationem prætexens , Frater ignoſce , inquit, longa mihi reſtat via percurrenda, propterea feſtinavi in evocando , vellem alloqui fratrem Franciſcum , ſed novi orare in ſilva , & magnis immerſum contemplationibus ; oro te ut evoces fratrem Eliam, quem audio magnæ prudentiæ & ſapientiæ virum eſſe , ut a quodam me expediat dubio . Vocatus ille venire noluit , ſed cum indignatione rejecit

Chron. antiq. MSS.
Ant. tit. 24. c. 7. §. 4.

cit janitorem. Hæſit ſecum Maſſæus, & cogitavit quid ageret; ſi negaret domi eſſe, mentiretur; ſi rem expanderet, juvenem ſcandalizatum iri formidabat. Dum itaque hæc ſecum penſitaret, pulſavit ut prius adoleſcens, feſtinationem diſſimulans. Accedentem vero Maſſæum & reſponſurum prævenit, dicens: Frater Elias non vult accedere, vade quæſo ad fratrem Franciſcum, & roga eum ut hominem ad me mittat, neque enim velim ipſum ab oratione retrahere. Acceſſit Maſſæus, & Virum ſanctum invenit in oratione hærentem, facie in cœlum erecta, cui cum totam rei ſeriem narraſſet, illeque immutato corpore, & oculis ſemper in cœlum fixis audiſſet, dixit: Regredere ad Fratrem Eliam, & jube ut alloquatur adoleſcentem. Intimato præcepto Eliæ, acceſſit iratus, aperienſque oſtium in indignatione & ſtrepitu; quid tu vis? inquit. Cui adoleſcens ſedato vultu: Cave cariſſime, ne ita turberis cholera, ut non poſſis mihi reſpondere ad interroganda. Cui Elias, dic quantocius quid velis. Et ille: Quæro a te, inquit, utrum Evangelii obſervatoribus, liceat de omnibus, quæ apponuntur eis, prout Chriſtus tradidit, manducare; deinde rogo ut mihi dicas, an alicui liceat eiſdem ſancti Evangelii obſervatoribus contraria evangelicæ indulgentiæ præcipere. Noluit amplius protrahere ſermonem Elias, ſed in faciem claudens oſtiolum, dixit: Quantumvis hæc ſciam, non eſt cur tibi reſpondeam; vade viam tuam. Cui recedenti ait adoleſcens: quid tu reſpondeas ignoro, quid reſpondendum ſit, ipſe probe novi. Tunc Elias in cella recluſus, ſedata jam paſſione, cœpit ſecum cogitare, quid egerit, & quid vere, & fundate ad interrogata reſpondendum eſſet? At quibuſdam emergentibus hinc inde dubiis, quid reſolvendum erat penitus neſciebat: humiliatuſque animo, voluit ad juvenem reverti, in quo quidquam divinum, vel ultra communem hominum ſortem viſus eſt ſibi apprehendiſſe; ſed nullum invenit, quantumvis hinc inde in Monaſterii circuitu omnia luſtraverit; neque enim dignus erat, quem Angelus Dei expectaret, aut reiterato alloqueretur, qui familiariter ad colloquium invitantem ſuperbe rejecit. Nihil horum Franciſcum latuit, cui Deus omnia in ſilva monſtravit; & acriter reprehendens fratrem Eliam, adjecit: Male facis frater Elia, ſuperbe repellis Angelos Dei, qui veniunt ut nos viſitent & inſtruant: vehementer timeo, ne tua ſuperbia te indignum humili hac ſocietate reddat, & extra eam tandem moriaris. Et his dictis ſtatim illud ſtatutum de carnibus non veſcendis annullavit.

Monetur Elias non recte vetitum Fratribus, carnibus veſci.

XXIV. Apparuit autem hic Angelus Dei hac eadem hora Fratri Bernardo de Quintavalle ex Hiſpania redeunti juxta rapidum fluvium, quem tranſvadare non potuit, ſalutavitque eum Italico idiomate. Cujus pulchritudinem venuſtatemque admirans Bernardus, nec non linguam maternam in longinquis audiens Regionibus, interrogavit, quis, aut unde eſſet? Cui narravit, quid ei accideril illa hora Aſſiſii, & apprehenſa manu ejus in oppoſita ripa repoſuit. Videns ex mirabilibus effectibus Bernardus Angelum Dei eſſe, humiliter rogavit, ut ſuum nomen aperiret. Quid quæris, inquit, nomen meum, quod eſt admirabile? Et ſtatim diſparuit, reliquitque Bernardum ſumma conſolatione repletum, ita ut quod reliquum erat itineris abſque moleſtia præteriret. Notatiſque die, hora, & loco apparitionis evidenter conſtitit accedenti Aſſiſium, ipſum eumdem fuiſſe Angelum, qui ſibi fuit adjutorio, & Eliam voluit ab errore liberare.

Angelus Bernardum tranſfretum vehit.

XXV. Rebus jam tranquillis, & auditis hinc inde, qui Eliæ regimen

men exprobrabant, vel probabant, Conventum generalem coëgit in feſto Michaëlis Archangeli in æde Portiunculæ, in quo Miniſteriatu privavit Provincialem Bononienſem ſuperius nominatum, ſubſtituitque fratrem Gratianum, & a Vicariatu generali abſolvit fratrem Eliam, ejuſque loco creavit fratrem Petrum Cataneum ſecundum ſuum diſcipulum, in cujus manibus, tum propter multiplices infirmitates, tum quia alium ſe robuſtiorem, expeditioremque neceſſarium judicavit ad tot regimen Fratrum; tunc demum ut in ſanctæ humilitatis virtute ſe magis conſolidaret prælaturam omnem reſignavit Fratribus capitulariter congregatis, ſubjungens: Amodo ſum vobis mortuus, ecce veſtrum Prælatum fratrem Petrum Cataneum, cui vos & ego deinceps humiliter obediemus. Et proſternens ſe in terra ad pedes ejus ei promiſit omnem obedientiam & reverentiam, tamquam generali Ordinis Miniſtro. At dure & dolorose id audierunt Fratres, neque voluerunt, ut dum Vir ſanctus viveret, quiſpiam appellaretur Miniſter, ſed Vicarius. Ille nihilominus elevans ſe ſuper genua, junctis manibus, & erectis in cœlum oculis, dixit lacrymabili voce: *Domine Jeſu Chriſte commendo tibi familiam tuam, quam mihi hactenus commiſiſti, & nunc propter infirmitates, quas tu noſti Domine, curam ipſius habere non valens, recommendo eam Miniſtris, qui teneantur in die Judicii coram te Domine reddere rationem, ſi quis Fratrum propter eorum negligentiam, vel malum exemplum, ſeu aſperam correctionem perierit*. Ac deinceps quantum in ſe fuit permanſit in ſublimi humilitate uſque ad mortem. Non diſſimiliter hoc eodem anno ſanctiſſimus Pater Dominicus in Comitiis generalibus Bononienſibus officio Generalatus abdicare ſe voluit, ſed capitulares renunciationem noluerunt admittere.

Maria. c. 18. Piſan. conf. 23. Supra n. 16.

In Comitiis generalibus creatur Miniſter generalis Petrus Cataneus.

Caſtillo lib. 1. c. 51. Ant. tit. 23. c. 4. §. 12.

XXVI. Frater vero Petrus ex injuncto ſibi officio curam agens Fratrum, videnſque non poſſe commode ſubveniri neceſſitatibus, & indigentiis tot Fratrum confluentium ad illam primævam Ordinis ædem, acceſſit ad Virum ſanctum, & interrogavit: An ſibi placeret, vel permitteret, ut facultates aliquæ vel bona adventantium tironum reſervarentur pro hoſpitum inopiis relevandis. Abſit cariſſime, inquit ſtatim ſanctus Pater, a nobis hæc pietas, ut pro hominum quocumque impie agamus in Regulam. Subjungenti, quid igitur faciam? Reſpondit, ſpolia Virginis altare, & omnem ejus extrahe ornatum: Dominus mittet, qui Matri, quod nos ex pietate indigentibus erogamus, reſtituat, & firmiter credas mage gratum Virgini fore, ut ejus denudetur altare, quam ut in Filii ſui offendamus Evangelium. Atque hinc ſumpta occaſione diffuſe & profunde ſanctam commendavit paupertatem. Forte aderat quidam ex Miniſtris, qui plures ſibi conquiſivit libros, eoſque volens retinere, ſed ex licentia & conniventia Viri ſancti, interrogavit eum, quæ & qualia Fratri Minori liceret habere? Cui ille: ego ita intelligo, quod Frater Minor, ultra veſtimentum, chordam & femoralia nil amplius debet habere, & qui neceſſitate coguntur, poſſint portare calceamenta. Quid ergo, ſubjunxit Miniſter, ego faciam de libris, quos habeo pretii quadraginta librarum & ultra? Reſpondit Franciſcus: librum Evangelii, Frater mi, propter tuos libros ego corrumpere nolo: ſecundum illud promiſimus nihil noſtrum in hoc mundo habere; tu de tuis libris facias quod velis, mea licentia non fiet tibi in laqueum aut offendiculum.

Nihil Noviciorum vult Franciſcus retineri.

Negat licentiam multos habendi libros.

XXVII. Huic ſimile tunc accidit cuidam Novitio, qui ex Vicarii generalis licentia habebat penes ſe Pſalterium, qui dum audierat Franciſcum

ciſcum abhorruiſſe in ſuis nimiam litterarum & librorum cupiditatem, non ſibi ſatisfaciebat, niſi & ſancti Viri licentia dictum poſſideret Pſalterium. Accedens itaque ad ſanctum Virum, inquit: Pater ex licentia Patris Vicarii retineo apud me Pſalterium, ſed ex tua illud vellem habere. Cui Vir ſanctus: Carolus Magnus, Orlandus, & alii Viri potentes & famoſi, præclari evaſerunt, multo ſudore & labore præliantes contra ſuos & fidei inimicos, & ſancti Martyres celebrantur in Eccleſia propter eorum agonem, propter perpeſſas multas tribulationes & mortem. Alii vero ſunt, qui nunc velint horum gloriam æmulari, & ſibi famam advehere, legendo tantum illa, quæ hi præclare geſſerunt. Quibus innuere voluit non tam libris, quam operibus intendendum, & inanem illam eſſe famam, quæ ex tumida acquiritur ſcientia; veram, quæ ex ſanctis operibus. Aliquibus interlapſis diebus, aſſidente igni ſancto Patre acceſſit tirunculus, & denuo id ipſum petierat; cui reſpondit: poſtquam concedetur tibi Pſalterium, concupiſces & Breviarium; hoc etiam conceſſo, deſiderabis alia volumina; deinde tamquam magnus doctor cathedram aſcendes, & humili ſocio imperioſa voce tonabis: Heus comes noſter affer mihi talem vel talem librum. Atque his dictis cum magno ſpiritus fervore caput tironis cineribus inſperſit, deinde fricavit bene verticem circum circa manum ducendo, quaſi ei caput lavaret, ſæpius fortiter dicens: ego Pſalterium, ego Pſalterium. Stupefacto hac actione adoleſcenti ſubjunxit: Frater, ego ſimiliter tentarus fui de libris conquirendis, ſed ut circa hoc Domini comprehenderem voluntatem, librum ſancti Evangelii præmiſſa oratione aperui, & ſtatim in prima apertione mihi occurrit illud evangelicum: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabolis*, & addidit: Tot ſunt qui anxie ad ſcientias aſpirant, ut beatus ſit, qui ſe abſtineat ab eis, ut unum Chriſtum ſciat crucifixum. Aliquoto demum poſt tempore facto de eodem Pſalterio ſermone, dixit nihil penes Fratrem Minorem proprii eſſe debere, neque quidquam habere præter jam ſupra nominata veſtimenta. Similiterque aliis in ſimilibus reſpondit interrogationibus, ſæpiſſime dicens: *Tantum habet homo de ſcientia, quantum operatur; & religioſus tantum eſt bonus orator, quantum operatur*; arbor ſane ex fructibus cognoſcitur.

Et Novitio pſalterium habendi. — *Luc. 8. 10.* — *Egregia ſententia.*

XXVIII. Quærentibus tunc quibuſdam Fratribus, utrum ſibi placeret, quod litterati jam recepti ad Ordinem intenderent ſtudio ſacræ Scripturæ, reſpondit: mihi quidem placet, dum tamen exemplo Chriſti, qui magis oraſſe legitur, quam legiſſe, orationis ſtudium non omittant, nec tantum ſtudeant, ut ſciant qualiter debeant loqui; ſed ut audita faciant, & cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, Fratres meos Diſcipulos evangelicos eſſe, ſicque in notitia veritatis proficere, quod in ſimplicitatis puritate concreſcant; ut ſimplicitatem columbinam a prudentia ſerpentina non ſeparent, quas magiſter eximius ore ſuo benedicto conjunxit.

Bonavent. c. 11. — *Non improbat ſtudium ſacrarum litterarum.*

XXIX. His adhibitis conditionibus, non condemnabat, ſed probabat ſacrarum litterarum ſtudium; ſi tamen virtutibus vacuum, & potius ad tumorem, quam timorem Dei, ad laudem humanam, & non ad lucrum animarum exercebatur, ſummopere illud execrabatur. Prædicatores etiam in religione educari voluit, habendoſque ſummo in honore; non tamen illos, qui ſibi gloriam, non Deo lucrum animarum, qui tumeſcentes de quocumque ſui ſermonis fructu, ſibi obſunt, in quo aliis

Quales volebat Prædicatores.

aliis proſunt, qui dum aliis prædicant, ipſi reprobi efficiuntur, & propter inanem gloriolam perdunt ſui operis mercedem. Quales ille cupierat, & quas in eis requirebat partes, tres quæ ſequuntur ejus collationes docebunt.

XXX. Fratres, dicebat, qui ſcientiæ curioſitate ducuntur, in die tribulationis invenient manus ſuas vacuas. Ideo vellem eos magis roborari virtutibus, ut cum tempus tribulationis venerit, ſecum haberent Dominum in anguſtia. Ventura eſt enim tribulatio, quando libri ad nihilum utiles, in feneſtris & latebris projicientur. Nolo Fratres meos cupidos eſſe ſcientiæ & librorum, ſed volo eos fundari ſuper ſanctam humilitatem, & imitari puram ſimplicitatem, ſanctam orationem, & dominam paupertatem. Hæc via ſola eſt ſecura ad ſalutem propriam, & aliorum ædificationem, quoniam Chriſtus, ad cujus imitationem vocati ſunt Fratres, hanc ſolam nobis oſtendit, & docuit verbo pariter & exemplo. Multi Fratres occaſione ædificandi alios, dimittent vocationem ſuam, videlicet ſanctam humilitatem, puram ſimplicitatem, orationem & devotionem, atque dominam noſtram paupertatem. Et continget illis, quod unde putabunt magis imbui, ſeu impleri devotione, & accendi amore, & illuminari Dei cognitione propter intellectum Scripturæ, inde occaſionaliter remanebunt intus frigidi & vacui, & ſic ad priſtinam vocationem redire non poterunt, quia tempus vivendi, ſecundum vocationem ſuam, in vano & falſo ſtudio amiſerunt.

Vide collationem 15. in Opuſc. ſancti Franciſci.

Scientia abſque humilitate inutilis.

XXXI. Multi ſunt Fratres, qui totum ſuum ſtudium, & totam ſuam ſollicitudinem ponunt in acquirendo ſcientiam, dimittentes vocationem ſuam ſanctam, extra viam humilitatis, & ſanctæ orationis, mente & corpore evagando; qui cum populo prædicaverint & noverint aliquos inde ædificari, vel ad pœnitentiam converti, inflantur & extollunt ſe de opere & lucro alieno, cum tamen magis in condemnationem, & in præjudicium ſuum prædicaverint, & nihil ibi ſecundum veritatem operati fuerint, niſi tamquam inſtrumenta illorum, per quos vere Dominus fructum hujuſmodi acquiſivit. Nam quos credunt propter ſcientiam & prædicationem ſuam ædificari, & ad pœnitentiam converti, Dominus orationibus & lacrymis ſanctorum, pauperum, humilium, & ſimplicium Fratrum ædificat & convertit, licet ipſi ſancti Fratres ut plurimum hoc ignorent. Sic enim eſt voluntas Dei, ut illud neſciant, ne inde valeant ſuperbire. Iſti ſunt Fratres mei, milites tabulæ rotundæ, qui latitant in deſertis, & in locis remotis, ut diligentius vacent orationi & meditationi, ſua & aliorum peccata plorantes, viventes ſimpliciter, & humiliter converſantes, quorum ſanctitas a Deo cognoſcitur, & aliquando Fratribus & hominibus eſt ignota. Horum animæ ab Angelis Deo præſentabuntur: tunc Dominus oſtendet illis fructum & mercedem laborum ſuorum; videlicet multas animas, quæ ſuis exemplis, orationibus & lacrymis ſunt ſalvatæ. Et dicet illis, filii mei dilecti, ecce tot & tales animæ ſalvatæ ſunt veſtris orationibus, lacrymis, & exemplis: & quia ſuper pauca fuiſtis fideles, ſupra multa vos conſtituam. Alii enim prædicaverunt & laboraverunt ſermonibus ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ, & ego meritis veſtris fructum ſalutis operatus ſum; ideo ſuſcipite laborum eorum mercedem & fructum meritorum veſtrorum, qui eſt regnum æternum, quod humilitatis & ſimplicitatis veſtræ, atque orationum & lacrymarum veſtrarum violentia rapuiſtis. Sicque iſti portantes manipulos ſuos, id eſt fructus, & merita ſanctæ humilitatis & ſimplicitatis ſuæ,

Vide collat. 16.

Aliquando converſio non a Prædicatore, ſed ab humili fit oratore.

Matth. 25. 15.

Matth. 11. 12.

Pſ. 125. 6. ſuæ, intrabunt in gaudium Domini lætantes & exultantes. Illi vero qui non curarunt niſi ſcire, & aliis viam ſalutis oſtendere, nihil operantes pro ſe, ante Chriſti tribunal aſtabunt nudi & vacui, & ſolius confuſionis, & verecundiæ, & doloris manipulos deferentes. Tunc veritas ſanctæ humilitatis & ſimplicitatis, ſanctæque orationis, & paupertatis, quæ eſt vocatio noſtra, exaltabitur, glorificabitur, & magnificabitur, cui veritati ipſi inflati vento ſcientiæ detraxerunt, vita & vanis ſermonibus ſcientiæ ſuæ, dicentes ipſam veritatem eſſe falſitatem, & tamquam cœci, eos, qui ambulaverunt in veritate, perſequentes. Tunc error & falſitas opinionum ſuarum, per quas ambulaverunt, quas eſſe veritatem prædicaverunt, per quas in cœcitatis foveam multos præcipitaverunt, in dolore, & confuſione, & verecundia terminabitur, & ipſi cum ſuis tenebroſis opinionibus, in tenebras exteriores cum tenebrarum ſpiritibus demergentur.

Vide collat. 17. XXXII. Conditiones, & laudem boni Prædicatoris tertia hac expreſſit collatione: volo, Fratres cariſſimi, miniſtros verbi Dei tales eſſe, ut ſtudiis intendentes ſpiritualibus, nullis aliis officiis impediantur. Hi enim a magno illo Rege electi ſunt ad edicta, quæ ex ejus ore procedunt, populis demandanda. Prius ergo Prædicator haurire debet ſecretis orationibus, quod poſtea ſacris oſtendat ſermonibus; prius intus caleſcere, quam extra verba proferre. Reverendum ſane eſt hoc officium, & qui illud adminiſtrant ab omnibus reverendi. Iſti vita ſunt corporis, impugnatores dœmonum, mundi lucerna. Laudandi ſunt Prædicatores illi, qui pro tempore ſibi ſapiunt, ſibique guſtant; illi vero male ſciunt dividere, qui prædicationi totum, devotioni vero nihil impendunt. Alii etiam plangendi ſunt, qui vendunt ſæpe, quod faciunt, oleo vanæ laudis. Officium prædicationis, Fratres, patri miſericordiarum omni ſacrificio eſt acceptius, maxime ſi ſtudio fuerit caritatis impenſum, ut ad id laboret Prædicator magis exemplo, quam verbo, magis lacrymoſa prece, quam loquaci ſermone. Plangendus proinde Prædicator, tamquam vera pietate privatus, qui in prædicatione non animarum ſalutem, ſed propriam laudem quærit, ſive qui pravitate deſtruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendus huic eſt Frater ſimplex & elinguis, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. *Donec ſterilis peperit plurimos*, inquit Prophetiſſa, *& quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Sterilis eſt pauperculus Frater, qui generandi in Eccleſia filios non habet officium. Hic pariet in judicio multos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Chriſtum, ſuæ gloriæ tunc judex adſcribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur; quia Prædicator vanus & loquax, qui multis nunc, quaſi ſua virtute genitis, gaudet, cognoſcet tunc ſe nihil proprii habere in eis.

Laudes boni Prædicatoris.

1. Reg. 2. 5.

Marian. c. 18. XXXIII. Poſt ſuperiora Comitia frater Cæſarius de Spira Germanus, vir magnæ devotionis, & in ſacra Theologia Magiſter, de quo latior nobis erit ſermo, cum hæc & alia ſervum Dei dicentem audiret, inito cum eo longo colloquio de rebus animæ ſuæ, & perfecta Regulæ obſervantia, tandem concluſit: Pater, firmiter propoſui Evangelium, & regulam juxta puram intentionem, quam Chriſtus per ſe locutus eſt, uſque in finem, ejus gratia cooperante, ſimpliciter & fideliter obſervare: unam a te poſtulo gratiam, ut ſi diebus meis Fratres a pura obſervantia declinaverint (veluti declinaturos prædixiſti) poſſim eum tua licentia & benedictione cum aliis ſinceris profeſſoribus a tranſgreſſoribus rece-

Concedit a tranſgreſſoribus Regulæ recedere.

recedere, & ſeparatim Regulam obſervare. His auditis vehementer gaviſus eſt Pater ſanctus, & benedicens eum, amplexanſque ait: a Chriſto & a me ſcias, fili mi, eſſe conceſſum quod poſtulas; ponenſque manum ſuper caput ejus dixit ei: *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*; innuens quod omnes promiſſiones ſibi a Chriſto factæ, in illis finaliter complebuntur, qui Regulam ad litteram ſine gloſſa, & cum ſancta & ſerena lætitia ſervare ſtuduerint.

XXXIV. Utens hoc tempore frater Petrus Cataneus poteſtate ſibi conceſſa, advocavit Fratres in Capitulum, culpis corrigendis & Fratribus reprehendendis locum in Monaſteriis deſignatum. Franciſcus vero in cella tunc orabat, tamquam ſequeſter & medius inter Fratres & Deum, unus autem ex ipſis defenſionis quodam contectus palliolo noluit ſe ſubdere diſciplinæ. Videns hoc Vir ſanctus in ſpiritu, vocavit quemdam de Fratribus & dixit ad eum: vidi, Frater, Diabolum ſuper illius Fratris inobedientis dorſum, collum ejus tenentem adſtrictum, qui tali ſeſſore ſubactus, obedientiæ fræno ſpreto inſtinctus ejus ſequebatur habenas, & cum rogarem Deum pro Fratre, ſubito Dœmon confuſus abſceſſit. Vade igitur, & dic Fratri, ut obedientiæ ſanctæ jugo collum ſine mora ſubmittat; monitus per internuncium Frater, ſtatimque converſus ad Deum ad pedes Vicarii humiliter ſe projecit. *Legen. antiq. Bonavent. cit.* Inobedientię auctor Diabolus.

XXXV. Alterius etiam Fratris ei in oratione præoſtenſa ruina, qui quantum a foris videbatur, ſanctitate præclarus, converſatione inſignis, tamen admodum ſingularis. Omni tempore orationi vacans tanta diſtrictione ſilentium obſervabat, quod conſueverat non verbis, ſed nutibus confiteri. Accidit autem ſanctum Patrem venire ad locum, videre Fratrem, & de ipſo cum aliis Fratribus habere ſermonem. Commendantibus autem omnibus, & magnificantibus illum, reſpondit Vir Dei: Sinite Fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate ſciatis quod diabolica tentatio eſt, & deceptio fraudulenta. Dure acceperunt hoc Fratres, tamquam impoſſibile judicantes, quod tot perfectionis indiciis fraudis ſuæ commenta fucaret. Verum non poſt multos dies, eo Religionem egreſſo, evidenter apparuit, quanta luculentia interioris contuitus Vir Dei cordis ejus ſecreta perſpexit. Multorum quoque per hunc modum, qui ſtare videbantur, ruinam; ſed & plurium perverſorum converſionem ad Chriſtum immobili veritate prænuncians, appropinquaſſe videbatur ad æternæ lucis ſpeculum contemplandum, cujus fulgore mirabili abſentia corporaliter, tamquam ſi eſſent præſentia, mentis ejus cernebat obtutus. *Legen. antiq. Bonav. cit.* Prædicit falſi cujuſdam Fratris apoſtaſiam.

XXXVI. Alio etiam Fratre Religionem exeunte, ad miraculum modeſto, gravi, abſtinenti, multiſque virtutibus ornato, admirantibuſque Fratribus ad ejus egreſſum, dixit Vir ſanctus: Ne admiremini Fratres, quod quantumvis in eo, qui a nobis diſceſſit, floruerint virtutes caſtitatis, abſtinentiæ, paupertatis, aliæque hujus generis, e ſuo gradu ceciderit. Non enim ſtruxit neceſſarium fundamentum humilitatis, nec obduxit eis vallum timoris Dei, quo configi petierat Propheta carnes ſuas. Fruſtra Fratres, credite mihi, abſque humilitate & timore Dei congregat quiſquam ullas virtutes; horum defectus miſerum hunc e ſuo ſtatu deturbavit. *Legen. antiq.* Timor Domini cum ceteris virtutibus neceſſarius. *Pſal. 118. 120.*

XXXVII. Non importune hic quædam inſeruerim de aliis ex Ordine reſilientibus, quorum tempus incertum. Quidam magna perculſus tentatione, ut ad ſæculum rediret, infirmitatem ſuam & propoſitum abeundi *Legen. antiq. Mariæ. c. 18.*

di Viro ſancto detexit, conſenſumque & licentiam illius expoſtulavit. Ille vero, cum nec debere, nec poſſe hanc concedi allegaret, graviterque proponeret expendendum ſui regreſſus periculum, & propter mundum deſeri cœlum, propter homines Chriſtum, qui plura pro nobis paſſus, quam quæ quibuſcumque, etſi moleſtis, Religionis laboribus poſſint recompenſari. Inflexus hic & pertinax in ſuo malo perſtitit deſiderio, eamdemque cauſam egit coram Cardinali Protectore Hugolino, & demum coram Honorio Pontifice. Quos dum in ſuam ſententiam trahere non potuit, ex ſua ſemet excucullavit, deditque in commotionem pedes ſuos Superiorum effugiens poteſtatem. Non tamen longe aberat a Conventu, quando ei occurrit quidam indignanti vultu, qui, quo miſer tenderet? interrogaret. Ille ſtomachabundus; quid mihi & tibi? inquit, quid ad te attinet iter meum? His dictis detexit hic pedes, & oſtendit manus, & latus vulnere foſſa, & ſanguinem mittentia recentem. Quid ad me attinet, adjecit, poteris ex his inferre cicatricibus, quos pro te in cruce pertuli; itane meo ingratus amori, & tanti immemor beneficii, ut propter caducum & periturum mundum me velis deſerere? Quo ſpectaculo perterritus, & pietate commotus ad pedes Chriſti ſe projecit, ſui errati veniam deprecatus; ſtatimque rediit ad Franciſcum, qui miſericorditer & benigne corde compunctum excepit, monuitque ut dum viveret, præ oculis haberet tam immenſam dignationem, & ſingulare beneficium Chriſti ſibi apparentis. Ita fecit, & vitam ſuam adeo ad Chriſti regulavit diſciplinam, ut perfectiſſimus evaſerit, & cum ſanctitatis opinione curſum conſummaverit.

Fratrem ex Ordine abeuntem revocat Chriſtus.

XXXVIII. Similem ferme caſum ſcribit in ſuo Dialogo Creſcentius, ſextus Ordinis generalis Miniſter, de quodam fratre Petro de Caſtro ſancti Henrici Provinciæ Penenſis, qui cum in patriam parentes viſitatum redire vellet, nec ſtatim licentiam obtineret a Prælatis, indigno impetu actus: Videbo, inquit, quis me retinebit; obedientiæque jugum excutiens, quo voluit, iter arripuit. Inſequentibus Fratribus, nec revocare valentibus, ſedenti ſub arbore gravis irrepſit ſopor, in quo viſus eſt ſibi præſentem & corripientem habere juxta Franciſcum; nec tamen ita voluit in ſomnis acquieſcere (quod frequentiſſimum eſt, ut vehementes animi cogitatus, & ea quæ firmiter vigiles proponunt, etiam in ſomnis retineant) donec bene ab illo vapulavit. Evigilavit clamans, & querens de inflictis ſibi verberibus; cujus ſane non adeo inanes querelæ fuerunt, dum flagellatum ſe bene comperit, & remanſiſſe veras in corpore cicatrices. Vexatio hæc dedit fugitivo intellectum, rediénſque ad cor, ad Monaſterium regreſſus, quæ ſibi acciderint narravit, & impreſſis veſtigiis confirmavit.

Creſc. in Dialog. Maria. c.18.

Alium multo verbere reducit Franciſcus.

XXXIX. Idem Creſcentius auctor eſt fratrem Joannem de Fulgineo in Monaſterio ſancti Terentiani ad montem Siraptim graviter tentatum, tandem ceſſiſſe, & voluiſſe poſt deſideria carnis abire. Dum jam tenderet patriam verſus, ad caſtrum Manlianum prominentem collem aſcendens, vallem, per quam ſibi eundum erat, & Tiberis flumen, non longe poſitum, viſum eſt ſibi undique vidiſſe ſanguine repletum. Hæſit admirabundus, deinde flexis genibus oravit Dominum, ut quid ſibi agendum eſſet, miſericorditer inſpiraret. Hoc eodem tempore Fratres deprehenſa ejus fuga, omnes unanimiter orabant in eccleſia, ut reduceretur ovis errabunda, ne periret; miſſiſque qui fugientem inſequerentur, hærentem immobilem in vertice collis invenerunt, qui ultro pœnitudine,

Revocatur alius miro ſpectaculo.

ne, & ſanguinolenti ſpectaculi terrore ductus, cum iis rediit ad Monaſterium, & vitam deinceps duxit ſatis religioſam.

XL. His de Franciſci geſtis hoc anno narratis, proſequi libet hiſtoriam quinque illorum fidei pugilum, quos anno ſuperiori diximus Marrochii carceri mancipatos. In ipſo hujus anni limine poſt triduanum carceris ſqualorem & inediam, alapis, & variis opprobriis a miniſtris ſaturati, educuntur in publicum, & nudis manibus poſt terga ligatis, duriſſimis flagellis afflicti, tandem impio judici ſunt præſentati. At ille cernens eorum in fide conſtantiam nulla poſſe ratione mutari, iterum juſſit duriſſime tamdiu virgis & fuſtibus cædi, donec pene viſcera apparerent & oſſa. A miniſtris etiam fervente oleo, & aceto vulneribus infuſis per totam ſequentem noctem ſuper teſtas volutati ſunt, & a pluribus, ſibi invicem ſuccedentibus, acerbiſſime afflicti. Nocte vero illa cuſtodes magnam de cœlo lapſam lucem videntes, & præfatos ſanctos cum innumerabili multitudine ſublimari, putaverunt divinitus fuiſſe liberatos, ſed in carcere inventos ſuis fecit Rex tribunalibus præſentari. Miniſtri vero illos nudos trahentes continuis flagris terga eorum & corpora noviter flagellabant. Occurrit illis autem quidam Princeps Mahumeticam ſuadens fidem; Otto vero illius perſuaſionem confutans, etiam in contemptum profanæ legis in terram ſpuens, gravi ab ipſo alapa percuſſus eſt. At ille verborum Domini non immemor, alteram præbuit maxillam, dicens: Ignoſcat tibi Deus, quia neſcis quid facis. Ad impii demum Regis conſpectum adductis, ſic ad eos exorſus eſt: Eſtiſne vos impii illi, qui fidem veram vituperantes, ad tantam etiam inſaniam adducti, ut Dei nuntium blaſphemetis? At illi: O Rex, fidem veram minime ſpernimus, tuam autem falſam, & ejus iniquum conditorem omnino abhorremus; pro vera autem & pati & mori parati ſumus. Tunc Rex eos deliciis & voluptatibus a Chriſtiana veritate exiſtimans poſſe revocari, pecunias & formoſarum mulierum, quæ aderant, delicias repromittit, ſi Mahumetis perfidiam reciperent, alias ſuo gladio trucidandi. Sed viri Dei immobiles animo, ad Regem converſi: ſint tibi, inquiunt, mulieres & pecuniæ, nobis autem ſit Jeſus Chriſtus. Adhibe vincula, carceres, ignes, tormenta, & mortem; omnis nobis levis eſt pœna, cum de cœleſti gloria cogitamus. Tunc Rex tantam cernens in Sanctis conſtantiam & immobile propoſitum, arrepto gladio miniſter iniquitatis effectus, capita eorum per medium frontis amputavit. Et illi quidem optato jam potiti, poſt maximos perſecutionum aculeos, poſt ingentiſſimas ærumnarum moles, æternæ vitæ adepti bravium, martyrii corona dotati ſunt. Paſſi ſunt vero beati Martyres hoc ipſo anno XVI. Kalend. Februarii ante mortem beati Franſci anno ſexto. Qui, illorum ut audivit martyrium, tanto geſtivit gaudio, tanta perfuſus eſt lætitia, quod facile exprimi non poſſet. Ad allatum nuncium circumſtantibus dixit; Jam vere poſſe aſſerere veros quinque obtinuiſſe ſe Fratres Minores. Deinde bona multa precatus eſt Conventui Alanquerano, ſeu Jerabrigenſi, in quo Viri ſancti ſe aptarunt ad martyrium. Efficaciter pro illa æde oraſſe, ſed & exoraſſe probat religioſa & ſancta vita multorum incolarum, inter quos ex ſancti Viri benedictione, ſaltim unus, ſemper habetur diſciplinæ regularis, & Franciſcani Inſtituti perfectus obſervator, quem & populus non ſine veneratione frequenter obſervat. Ingens etiam fuit exultatio B. fratris Vitalis, ut eorum audivit trophæum; ſed aliunde ei dolor & gemitus, quod non meruerit illorum fieri particeps coronæ. Non ei voluntas in culpa, ſed infir-

Surius c. 5. Hiſtor. MS. eorumdem Martyrum. Maria. c. 16. Marc. lib. 4. c. 12.

Martyres Marrochii crudeliſſime torquentur.

Lux cœlitus ad eos delapſa.

Conſtantes nec minis nec muneribus flectuntur. *Matth. 5. 39.*

Decapitantur ab ipſo Rege.

Gaudet ad illorum trophæum Franciſcus.

Et fr. Vitalis.

firmitas impedivit, qua aliquandiu laborans, tandem obiit Cæſarauguſtæ, ſepultus apud ſuos.

Apparent dominæ Sanciæ. *Marc. c. 22.*

XLI. Martyres etiam poſt mortem memores beneficiorum a domina Sancia Luſitana illa Principe acceptorum, in ipſa martyrii hora ei oranti apparuerunt, machæram ſanguine rubentem in ſignum ſui martyrũ manu tenentes, dicenteſque ſe jam per martyrium curis finem poſuiſſe, & ad cœlum evolaſſe, ibique perpetuos ſuos fore Interceſſores apud Deum, qui exhibitam eis beneficentiam noluit irremuneratam. Illorum vero corpora juſſu Regis extra palatium projecta a Saracenis, ligatis pedibus extra urbem variis ludibriis circa mænia tracta, tandem penitus in partes conſciſſa, in campo relicta ſunt, ut beſtiis eſſent in cibum. Chriſtiani vero nocte ſequenti ad colligendas ſacras reliquias exeuntes, lapidibus a Saracenis non ſine vulnere ſunt repulſi, inter quos occiſi Martinus Alſonſus Tellius, Infantis conſanguineus, & ſupra nominatus Petrus Ferdinandi de Caſtro, ab Infante miſſi ut ſacras reliquias, vel prece vel mercede redimerent. Sequenti vero die quorundam conſilio, ne reliquiæ honorarentur a Chriſtianis ut ſanctæ, Rex igni comburendas decrevit; ſed igne copioſo accenſo, cum in eum ſanctorumcorpora jactarentur, hinc inde flamma declinans reliquit intacta: imo quod dictu mirabile eſt, cum unum de capitibus in ignem pluries projectum eſſet, divina favente virtute, de igne ſemper exiliens, nec in capillis eſt læſum, & nunc cum pelle & capillis integrum demonſtratur: quod & ipſe non ſemel vidi, & attentius obſervavi cincinnum coronæ adeo in orbem illibatum remanſiſſe, ut ne unus quidem capillus deeſſe videatur, quod lucem affert illi ſacræ paginæ oraculo: & *capillus de capite veſtro non peribit*.

Surius c. 6. *Marc. c. 18.* Mira Dei cura circa reliquias Sanctorum. *Marc. c. 22.* *Luc. 21. 18.*

Omnes recipit Petrus Princeps.

XLII. Devenerunt omnes illorum reliquiæ in domini Petri Infantis poteſtatem, partim emptæ a Saracenis, partim collectæ a Chriſtianis, qui libere adeſſe poterant carnificinæ, partim etiam dono receptæ. Cum incredibili devotione & reverentia cunctas collegit vir Princeps, curandaſque commiſit Joanni Roberti Canonico Regulari ſanctæ Crucis Conimbricenſis ſuo ſacellano, adjutoreſque adhibuit & cuſtodes tres adoleſcentulos modeſtos, & probatæ honeſtatis. Hi in ſecreto ſolario carnem aromatibus conditam, & ab oſſibus ſeparatam deſiccaverunt. Illis in ſancto hoc obſequio laborantibus voluit in ſolarium aſcendere Petrus Roſarius, Principis familiaris, ita cognominatus a Roſa Burgenſi concubina, quam longo tempore apud ſe retinebat, & ardentiſſime diligebat; ſed in ſcalæ medio factus immobilis, ut ſibi ſuccurreretur exclamavit. Accurrit ex ſolario prædictus Canonicus, & excepta ejus confeſſione, ſalutarique impoſita pœnitentia, gradus illos, per quos aſcendit, remenſus eſt; ſed loquelam amiſit, nec recuperavit donec ex Principis juſſu, ſuper pectus ejus unum de ſanctorum capitibus poſitum eſt, per quod perfectæ corporis & mentis ſanitati reſtitutus eſt, & amplius poſt carnis concupiſcentias non abiit.

Marc. c. 19. *Maria. c. 16.* *Hiſt. MS. Ulyſſip.* Non poteſt ad eas pertingere concubinarius.

Surius c. 7. *Marc. cit.* Neque fornicarius.

XLIII. Alius ejuſdem Principis domeſticus, dum appropinquaret ad reliquiarum partem, quam ſuper umbonem ſuum in ſolario deſiccare & contrectare ſolebat, nocte præterita lapſus in actum fornicarium, reliquiæ ſic in aëre cum umbone ſunt elevatæ, ut humano ſtudio non poſſent contingi. Qui ſtupefactus & de fornicatione contritus & confeſſus, ſtatim valuit de ſublimi demiſſas reliquias contrectare. Unde factum eſt, ut in majori reverentia habitis, nonnulli a facinoribus abſtinerent, ne

Hiſt. MS.

depre-

depsehenderentur, ut publico juramento aſſeveravit Petrns Stephani, agnominatus Mangarado, patria Santarenenſis, nobilis miles cohortis præfati Principis coram Antiſtite Ulyſſiponenſi, & Miniſtro Fratrum Minorum, quorum uterque horum martyrum acta deſcripſit, & ad Comitia generalia Fratrum proxime ſutura remiſit.

XLIV. Neque ſolum animæ, verum & corporis infirmitates depellebant ſacræ reliquiæ. Juvencula quædam Saracena, ſed Chriſtiana fide imbuta, & ſecreto baptizata a Principis præfato ſacellano, a Dœmone obſeſsa, qui doluit hanc ſibi eripi prædam, adducta ante ſcrinium ubi pars reliquiarum religioſe ſervabatur, ſtatim ut detectæ ſunt, Dœmon cum ingenti clamore abſceſſit. Juvenis etiam domeſticus, prolixa & gravi oppreſſus infirmitate, cum humanum non ſupereſſet remedium, rogavit ſacellanum, ut quidquam ſibi admoveret reliquiarum. Ille immerſo uno ex oſſibus in aquam, bibendam dedit febricitanti, & ſtatim ab omni morbo liber evaſit. Alter tibiam vulneratam, aqua, qua ablutæ ſunt ſacræ reliquiæ, aſperſit, & ſana facta eſt. Eadem aqua dolorem oculorum ab alio depulit, & demum presbyter quidam faciem ex tumore dolens, poſt contrectationem reliquiarum, applicata cum fiducia ad tumentem faciem manu qua ſancta tractavit, vernantem & pulchram effecit.

Variis medentur infirmitatibus.

Hiſt. MS. Ulyſſip.

XLV. His & aliis miraculis adductus Princeps duas egregias & capaces fieri fecit thecas argenteas, in quarum una capita cum carne optimis aromatibus condita, in altera oſsa religioſe reponi curavit. Coram eiſdem in ſua capella collocatis inſtanter orabat, ut ſibi & Chriſtianis redeundi in Luſitaniam aditus aperiretur. Quorum meritis factum eſt, ut Rex ultro Principem ad ſe vocatum in pace, & libere cum univerſa familia dimittendum prædixerit; tametſi non defuerint iniqui conſiliarii, qui ſuadebant ut hominem occideret. Obtenta diſcedendi licentia, rem non protraxit Princeps in longum, ſed qua potuit maturitate reliquias ſuper mulos poſitas, læto gradu inſequens, ad quemdam nemoroſum locum pervenit, ubi immanes leonum audiunt rugitus, qui toti comitatui ingentem incuſsere terrorem; donec ſacris reliquiis ex illa parte interpoſitis, ceſsavit omnis timor & clamor, nec quidquam ſuit quod amplius poſset terrere. Inde ſolitaria & pœnitus invia loca peragrantes, qua ſibi pergendum foret ignorabant: nec defuit divina pietas humiliter ſupplicantibus, quæ errantibus ſanctorum meritis viæ ducatum præbuit; ſiquidem mulam, cui ſacræ inſidebant reliquiæ, Infans præire & alios ſequi juſſit. Illa nullo præcunte ductore per invia & aſpera univerſum ducens comitatum, Saracenorum inſidias Principi paratas eluſit, & per viam ſecuram ſemper præcedens, ſalvos omnes fecit ab hoſtibus. Septam mox pervenientes, parata invenerunt ad transfretandum navigia, ad quæ ſe colligentes, portuque ſolventes, ſeqnenti nocte maxima oborta tempeſtate elidebantur in ſcopulos, quos præ noctis obſcuritate nec videre, nec fugere potnerunt, donec multa oratione ante ſanctorum reliquias meruerunt luce magna circumdari, per quam imminens & certum conſpexerunt elidendarum navium periculum, & proximum evaſerunt nauſragium. Proſpera deinceps navigatione appulerunt Algeziram, deinde Tarrifam, demum Hiſpalim, ubi ſubito præmoniti jam miſſos a Rege Marrochiorum ad Hiſpalenſem, ut in vinculis ſibi remitteret Infantem, in familiares vero animadverteret gladio ob honoratas illorum reliquias, quos ille tamquam hoſtes occidit, & Mahumetanæ legis contemptores juſſit aduri, ſtatim ſolventes venerunt Galeciam.

Obtinet Princeps martyrum meritis licentiā abeundi.

Liberant eum in via a multis periculis.

Marc. c. 21. *Marian. cit.*

Sanant paraliticum.

XLVI. Quid ſibi faciendum tantiſper hic deliberavit Infans, intelligenſque non omnino placatum Fratris furorem, ad Alfonſum Regem Legionenſem ſuum conſobrinum ſe transferre decrevit; tranſienſque per Aſtoricam Auguſtam, receptus eſt hoſpitio a quodam ſibi familiari, ſed paralitico, infirmo valde, linguæ & membrorum exercitio deſtituto. Ex pietate & gratitudine admovit ei Princeps unam ex reliquiarum thecis, qui tacitus ſecum vovit vitam in melius commutaturum, ſanctoſque culturum, & extemplo ſanus, vegetuſque coram omnibus e lecto exilivit. Ab hac civitate per nobilem virum Alfonſum Perez de Argunia, multoſque ſui comitatus in Luſitaniam reliquias tranſmiſit ad fratrem Regem Alphonſum, qui per nuncios monuit, ut ad tria milliaria extra Conimbriam adventum ſuum, Reginæ, & totius Cleri expectarent.

Recipiuntur honorifice a Rege Luſitaniæ.

XLVII. Illuc itum a præcipuis utriuſque ſtatus viris cum magna devotione, celebri decreta ſupplicatione, & ſuſceptæ reliquiæ cum ingenti ſolemnitate ac majeſtate a venerabundis Rege & conſorte, magna primæ nobilitatis ſtipante caterva. Inito ibi conſilio, quo ſacra hæc ſupellex inferretur, nec concordantibus conſiliariis, pii ductores, qui eo uſque ſacra oſſa aduexerunt, expertique ſunt in tam tædioſo itinere irrationale animal rationabiliter ſemper præiiſſe quo vere eundum erat, perſuaſerunt ut libere præcedentem omnes mulam ſequerentur, eoque loci reponerent ſacras reliquias, quo illa ſarcinam deponendam eſſe indicaret.

Mirabiliter deferuntur in ædé S. Crucis.

Ita factum, & recta tetendit mula ad auguſtiſſimam religioſamque ædem ſanctæ Crucis per vicum Samſonis, alias veteris ficulneæ, quantumvis Rex & Clerus deſideraverit, ut ad Eccleſiam Matricem ſacrum onus portaret. Ad ſacræ ædis valvas occluſas ſtetit, quibus apertis, devenit ad capitale ſacellum, ante cujus altare utroque curvato genu, non ante ſurrexit, quam ſarcina levaretur. Detecto itaque divino conſilio, Rex honorifico loco collocandam curavit ſanctiſſimam ſupellectilem, partim in auguſtiſſimo ſacello a ſe extructo, partim in clauſtro interiori argenteis thecis incluſam decenter & religioſe repoſuit. Corpus unum cum capite, pro ingenti & Rege digno dono, miſit ſorori Abbatiſſæ Cœnobii Lorvanienſis Ciſtercienſis Ordinis, & alterius partem ab eodem tranſmiſſam ad Fratrum Minorum Conventum S. Spiritus Goveæ, Vici Diœceſis Co-

Marc. cit. *Gonzag. in Prov. Portu. Con. 20.*

nimbricenſis aſſerit Marcus. Sed neque adeo antiquum illud Monaſterium, neque alterius corporis quam illius quod acceperunt Moniales prædictæ Ciſtercienſes, ſpatulam ſervat dono acceptam anno MDXV. ab illuſtri & religioſa ſorore Catharina Deza ejus loci Abbatiſſa, ex apoſtolica diſpenſatione; quæ etiam ad eoſdem Fratres transferri voluit ſuorum majorum cineres, & oſsa in ſuo Monaſterio exhumata.

XLVIII. Quam pretioſa fuerit in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus, & quam coli voluerit in terra eorum reliquias, ſtatim oſtendit per crebra miracula, quæ ad eorum fiebant invocationem. Non erat qui ad eorum præſentiam divinum invocaret auxilium, & ſibi adeſſe non palam ſentiret, viſum cæci, ſurdi auditum, muti loquelam recipiebant: qui vexabantur a ſpiritibus immundis, curabantur; & ferme omnes ſanaban-

Deus Sanctorum ulciſcitur mortem.

Surius cap. 8. *Petr. de Natal. l. 12. in append. c. 1.*

tur a languoribus ſuis, quibus medendis multum juvat ſanguineus liquor fragrantiſſimus, adhue ex eorum carne & oſſibus diſtillans. Neque ſolum in beneficiis exhibendis eorum cultoribus, ſed & juſtam vindictam inferendo occiſoribus, quam grati ſibi fuerint ſancti Martyres Dominus oſtendit; nam ab eo anno, quo Sancti palmam meruere perennem, omnium pene rerum ſterilitas, & ſæva peſtis per quinquennium (ut juxta nume-

numerum occiſorum eſſet numerus annorum vindictæ, ac ſi pro menſura culpæ eſſet & plagarum modus) ſic in eos debacchata eſt, ut morbo incurabili invaleſcente, maxima pars gentis illius fuerit condigna morte deleta. Ipſius quoque Regis impii brachium & latus dextrum, totum uſque ad pedes eo anno quo Sanctos interemerat, penitus exaruit. Quibus diuturnis malis attriti, divinam jam agnoſcentes vindictam ob viros hos crudeliter occiſos, ad loca martyrii turmatim conglomerati, ſibi ignoſci deprecantes, inſcrutabili Dei judicio, etſi hoſtes exaudivit, & abundanti repentinoque imbre regionem undequaque fœcundavit. Quo certiores effecti miraculo de Dei cura & benevolentia erga Chriſtianos, publico edicto permiſit Rex, ut publice ibidem ſuam colerent fidem, Catholicum haberent, modo Franciſcanus eſſet, Antiſtitem, & Romano ritu ſibi Eccleſiam extruerent. Quod ſane factum eſt, ac multis duravit annis; ſtatimque creati ſunt ibi Epiſcopi Fr. Agnellus, ejuſque ſucceſſor Fr. Lupus Ordinis Minorum, ut ſub Gregorio IX. & Innocentio IV. Summis Pontificibus amplius repetemus, & apud Regem hunc, ejuſque aulicos in menſa, & aliis obſervationibus numerus quinarius deinceps erat in veneratione.

XLIX. Neque inane fuit martyrum vaticinium, quod ſupra poſuimus de morte Reginæ, brevi etenim ſecuta eſt; ſed præoſtenſa hoc modo in viſione ejus Confeſſario Petro Nunho ſanctæ Crucis pio & docto Canonico. Innumeros vidit Fratres in Eccleſia cantantes, & lugubriter pſallentes, quos clauſis janius miratus eſt introiiſſe, nulloque facto campanæ ſigno ad matutinum conveniſſe. Hæſitabundus tandem ad unum accedens interrogavit, quinam eſſent, aut unde venirent? Ei reſponſum omnes eſſe Fratres Minores, qui vero ſedebat in capite, Fratrem eſſe Franciſcum, quem tantopere videre cupiebat: qui ſequebantur magno fulgore ſplendentes martyres eſſe quinque, qui in eodem colebantur delubro; ceteros eſſe Conſodales eo miſſos a Deo, ut pro defuncta tunc Regina omnes orarent, & collata in Ordinem beneficia ſuis precibus compenſarent. Dum hæc ſibi conſpexiſſe viſus eſt, ad cubiculi oſtium pulſatur, & expergefacto narratur mors Reginæ, per quod non inane ſpectaculum ſe vidiſſe intellexit. Circa mortem hujus piæ Reginæ a Fratribus prædictam, neſcio quid refert Marcus, ex quadam hiſtoria hujus ſanctæ Crucis Cœnobii, nimirum prophetatum a Fratribus, ut qui prior Rex vel Regina advehendas Conimbriam reliquias videret, prior obiret; atque hujus rei dumtaxat conſciam Reginam, moram diſſimulaſſe, Regem præmiſiſſe, illum venatione obvia ab itinere deflexiſſe, hanc poſterius domum exiiſſe, ſed prius ad reliquias perveniſſe, & proinde prius defunctam. Nihil horum apud vetuſtas legendas MSS. neque apud probatos vitæ horum Martyrum ſcriptores mihi occurrit. Quam mereatur Conimbricenſis illa hiſtoria, vel ex auctore, vel ab antiquitate fidem, qui eam viderit & examinaverit, ipſe judicabit.

Anno 1219. n. 52. *Surius cap. 2.*

Moritur Regina Urraca.

Marc. c. 23.

L. Unum & alterum ingens horum Martyrum miraculum hic libet adjungere. Irruerunt in quemdam nobilem Conimbricenſem prope dictam ſanctæ Crucis ædem ſicarii, ut eum occiderent, fugientem comprehenderunt ad Eccleſiæ januam, & tot affecerunt vulneribus, ut mortuum judicaverint. Qui morienti ſuccurrere voluerunt, atque omnino defunctum putantes, ſuo coopertum pallio in Eccleſiam introduxerunt, ut ibidem ſepeliretur; ſed non jacuit longo tempore, nullo enim auxiliante ſe erexit in pedes ſanus abſque vulneribus, publice procla-

Marc. c. 27.

Liberant Martyres quemdam a multis vulneribus.

mans magnam eſſe ſanctorum Martyrum virtutem, qui a tot lethalibus ictibus liberarunt.

Idem cap. 18.

LI. Rarum & ſingulare hoc, quod refero ſpectaculum. Oppidum eſt Diœceſis Conimbricenſis Fala dictum, cujus incolæ, dum ſæviſſima peſte perirent, omnes obierunt, uno ſolo jam peſtilenti in faucibus mortis relicto. Hic nullum videns ſuæ vitæ ſupereſſe remedium, præter divinum, Martyres, quorum devotus cultor erat, invocavit inſtanter, votumque addidit, quod ſi eum a contagioſo illo morbo liberarent, nudus eorum viſitaret reliquias, hortareturque ut ſimiliter facerent & alii. Convaluit de infirmitate ſua miraculoſe, & tam efficaciter ſuaſit regredientibus vicinis, ut quod ille vovit, illi facerent ſpontanee, ut omnino perſuaſerit, & omnes ſingulis annis nudi veniant ad Martyrum ſepulcra in publica & ordinata ſupplicatione. Veniunt in ipſo Martyrum natalitio ad ſancti Franciſci ædem, trans Mondam fluvium poſitam, in magno numero, non ſolum ex illo Oppido, verum & ex aliis vicinis, ad quartum & quintum ab urbe lapidem ſitis, & ibi detractis veſtibus, quibuſdam etiam in propriis jam ædibus denudatis, audiunt ſacrum. Quo peracto, pergunt omnes proceſſionaliter, toto corpore nihil geſtantes, præter femoralia, aut ſubligacula, præcedente Cruce, ſubſequentibus vel in medio poſitis eorum Rectoribus ſuas faſces, ſeu rectorias virgas geſtantibus, & ceteros in Ordinem cogentibus. Pone veniunt omnes Franciſcani pſallentes in Martyrum triumphum. Excedunt aliquando hi nudi Oppidani cum quibuſdam civibus & puerulis, qui magna devotione ſe eis nudi etiam immiſcent, numerum ducenteſimum; ferme tercentum ipſe numeravi anno MDCX. dum in Collegio D. Bonaventuræ Conimbricenſi ultra triennium Theologiæ incuberim, ſingulis annis ad hoc devotum vocatus ſpectaculum. Ferme ad mille paſſus diſtat Monaſterium ſanctæ Crucis a Franciſcano, & per ducentorum paſſuum pontem itur ad civitatem, illo menſium omnium frigidiſſimo. Accedentibus ad ſanctam Crucem, hæret vel Concionator in ſuggeſtu, vel Sacerdos in altari, dum a nobili circumſtantium multitudine e potiori Clero ſæculari & regulari primatibuſque civitatis, atque ipſius ædis Canonicis, hymnis, organis & ingenti jubilo excipiuntur, & ſinguli ad ſacrarum reliquiarum deoſculationem, venerationemque admittuntur. Nudi deinde omnes ſiſtunt ante reliquias in Sacello majori & capaciſſimo, donec ſacra abſolvuntur, mox deducuntur in amplam aulam, in quam deductas ſuas veſtes quiſque reſumit.

Nudorum ſupplicatio quotannis ad Martyrum ſepulcra.

LII. Horum pietatem æmulati multi ex civibus nobilioribus, aliique pii viri, nocte Natalitii, qua ſacras excubias januis bipatentibus obſervant Canonici, veniunt ſimiliter nudo corpore, ſed tecta facie, & devote ſanctorum Martyrum invocant auxilium. Fuit tamen quidam Nuncius Apoſtolicus, quem in illo regno collectorem appellant, qui tantam impendi venerationem videns Martyribus, adhuc per Eccleſiam non canonizatis, in ipſa eorum Eccleſia prohibuit, ne amplius tanta ſolemnitate colerentur, inconſulta Romana Eccleſia, nec peculiari obtenta licentia. Ut dixit, ſtatim mula, qua vehebatur, ad templi valvas mortua eliſa eſt in terram, & ipſe Antiſtes ardenti ſubitaneaque correptus eſt febre. Ex celeſti indignatione hæc mala ſuſpicans oriri, humiliter ſe proſtravit ad ſacrorum Martyrum reliquias, promittens in poſterum ſe eis omne obſequium & reverentiam præſtiturum, eorumque ſolemnitatem commendaturum. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpexit, eum-

Marc. cap. 26. Hiſt. MS.

Miraculo eorum commendatur veneratio.

eumque ſanitati, & mulam vitæ reſtituit. Quæ duo miracula adeo manifeſta in conſpectu totius populi, qui Antiſtitem comitabatur, univerſam illam regionem magis in ſanctorum Martyrum cultum accendit, dum plane intellexit nimis honorificandos Dei amicos, & in cœlis confirmatum eſſe principatum eorum. Nec multo poſt Diœceſano ſtatuto ſancitum eſt, ut eorum dies natalis haberetur pro feſtivo. Huic miraculo aliud ferunt ſimile Conimbricenſes, quod cum quidam urbis Epiſcopus argutulus, ex magna, quam præferebat, modeſtia, vetaret illas nudorum fieri ſupplicationes, indignum, indecorumque exiſtimans per medias plateas homines incedere nudos, ſtatim eo anno, quo piam ſuam conſuetudinem dimiſerunt præfati Oppidani, tempore brumali & ſalubri, nullo locorum in toto regno peſte graſſante, in eos debacchata ſit & vindictam ſimul cum Epiſcopo ſenſerint divinam. Qua commoti revoverunt, ſe nullo pacto, aut lege ullo unquam tempore prædictam ſupplicationem in Martyrum ſolemnitate prætermiſſuros, quod in hunc diem fideliſſime curant complere.

LIII. Celebris eſt horum Martyrum memoria apud celebriores auctores. De eis præter noſtros ſcripſerunt Mattheus illius ævi Antiſtes Ulyſſiponenſis, cujus ſincera & humilis, ſed exacta eſt hiſtoria MS. Surius vel Joannes Tiſerandus, ant ſi quis alius eſt auctor vitæ illorum apud eumdem XVI. Januarii, Petrus de Natalibus in catalogo in appendice lib. 12. cap. 1. Antoninus 3. part. tit. 24. cap. 7. §. 1. Vincentius lib. 30. c. 131. Hertmannus Schedelius ætate VI. Genebrardus ad annum mundi MCCCII. Thomas de Trugillo in theſaur. concion. tom. 2. Ferdinandus de Caſtillo lib. 1. hiſtoriæ Prædicatorum cap. 51. ubi ait delatum Nuncium ad ſanctiſſimum Patriarcham Dominicum, hoc anno generalia ſui Ordinis Comitia Bononiæ celebrantem, qui exultavit in ſpiritu, videns hos purpureos flores & fructus jam productos in viridario dilecti ſui amici Franciſci, piiſque ſuis Conſodalibus horum exemplo addita calcaria, chariſmata meliora æmulandi, & pro fide Chriſti patiendi. Habetur etiam eorumdem ſanctorum Martyrum non ignobilis mentio in Martyrologio Romano, ubi Baronius in notis. Item in additionibus ad Martyrologium Uſuardi, ubi etiam de eiſdem Joannes Molanus; in Martyrologiis Alexandri de Pelegrinis, Petri Galeſinii, Franciſci Maurolici ſacri Ordinis Prædicatorum, & antiquo quodam Romano ſatis vetuſto apud me MS. Deinde relati fuerunt in catalogum ſanctorum Eccleſiæ Martyrum a Sixto IV. anno MCCCCLXXXI. quorum feſtum, ut celebraretur in univerſo Ordine Franciſcano conceſſit. Diploma habetur originale in Archivo Aracælitano num. 82. quod huc tranſcripſimus.

Qui auctores de his Martyribus agunt.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Univerſis Fratribus Ordinis Minorum dilectis filiis ubicumque morantibus, ſeu moraturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

LIV. *Cum alias animo revolveremus merita beatorum Martyrum Berardi, Petri, Ottonis, Accurſii, & Adjuti, qui ex Ordine Fratrum Minorum, ſub quo & nos coaluimus, fuerunt, qui poſt multa tormenta ſub Rege Marrochiorum pro Chriſto mortem ſubierunt, & martyrii palmam glorioſe promerentes, plurimis miraculis in ipſa morte, & poſt claruerunt*

Eorum cultus indicitur per Sixtum IV.

S. Antonius ad horum exemplū fit Minorita.

fuerunt; ex quo incenſus beatus Antonius de Padua ex Ordine Canonicorum Regularium, in quo tunc erat, ad Ordinem ipſum Fratrum Minorum ſe legitur tranſtuliſſe: Conceſſimus ex auctoritate Apoſtolica & benignitate, vivæ vocis oraculo, ut Fratres prædicti Ordinis Minorum poſſint publice & ſolemniter celebrare in ſuis Eccleſiis Miſſæ & Horarum officium de ſupra memoratis ſanctis Martyribus. Verum cum frequenter adverſarius humani generis nitatur bona & ſancta opera perturbare, ne tam divinum & pium opus poſſit aliquis in poſterum impedire, tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica concedimus quod prædicti Fratres Minores ubique ſolemniter & publice officium plurimorum Martyrum pro ipſis Berardo, Petro, Accurſio, Adjuto & Ottone ſub officio duplici majore, ac etiam XVI. *Januarii, qua die ab hoc ſæculo per martyrium deceſſerunt, libere ac cum ſana & ſerena conſcientia dicere ac celebrare poſſint. Inhibentes præfata Apoſtolica auctoritate, ne quis huic noſtræ conceſſioni audeat ſe opponere, non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque. Præterea quia difficile eſſet, præſens breve ad omnia loca deferri, volumus ut illius tranſumpto alicujus publici Notarii manu ſubſcripto, & ſigillo Generalis dicti Ordinis, vel Vicarii generalis Fratrum Minorum de Obſervantia munito, ea prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ſi idem præſens Breve originaliter oſtenderetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die* VII. *Auguſti anno Domini* MCCCCLXXXI. *Pontificatus noſtri anno* X.

S. Antonii ortus & infantia. *Vaſconcel. in Alphonſ.* 2. *Surius ad* 13. *Junii. Legend. ejus penes me MS.* *Marc. lib.* 5. *c.* 1. *Marian. cap.* 16.

LV. Vel ipſum hoc diploma Pontificium monet quam ad horum Martyrum hiſtoriam ſpectet ingreſſus ſancti Antonii Patavini, verius ex natalitio Ulyſſiponenſis, in Ordinem Minorum, præſertim cum & hoc ipſo anno (non longum poſt temporis intervallum, ut ſcribit auctor Anacephalæoſum Regum Luſitaniæ) acciderit. Libet tamen ejus ortum & reliquam vitam ante ſuſceptum Minorum habitum perſtringere. Natus eſt anno MCXCVI. Ulyſſipone nobiliſſimo Luſitaniæ emporio, Patre Martino Bullonio nobili Regis Alphonſi milite, Matre Maria, generoſis exorta natalibus, ſalutaribus ſacri baptiſmatis undis expiatus eſt in majori æde D. Vincentio martyri ſacra, ædibus paternis vicina, & Ferdinandi nomen accepit. Ab ipſis prope incunabulis caſtigata vitæ diſciplina inſtitutus, bonorum parentum ſedulus imitator evaſit. Eccleſias & Monaſteria frequentans, manuſque ſuas libenter extendens ad pauperem, itaut optime poſſet illi competere quod de ſe beatiſſimus Job aſſeveravit: *Ab infantia crevit mecum miſeratio*. Litteras in prædicta edoctus eccleſia, pueritiam inſtar Patriarchæ Jacob domi ſimpliciter tranſegit. Cum autem accedentibus annis, ſentiret improbos corporis motus de carnis corruptione naſcentes, nequaquam ceſſit petulantis ancillæ pravis cupiditatibus, nec libidini fræna laxavit; ſed ſtrinxit habenas, corpuſque in ſervitutem ſpiritus redigere nitebatur. Vileſcebat ei in dies mundus iſte, & ne pulvis terrenæ felicitatis pedibus adhæreret, animoque in via Domini currenti offendiculo foret, retraxit eos, cum necdum totos illos in ipſo mundi primo aditu poſuiſſet. Eſt autem extra urbis Ulyſſiponis muros Monaſterium Auguſtinianorum, in quo viri ſpectatæ Religionis degunt, quos Canonicos regulares vocant, ad quos Vir Dei ſpretis mundi oblectamentis ſe contulit, & illorum habitum induit humiliter ac devote. Sed cum biennio illo, quo apud eos manſit, amicorum crebra viſitatione, quæ ſolet piis mentibus non parum importuna videri, interpellatus fuiſſet, ut omnes ejuſmodi occaſiones ſibi præcideret, natale

Job. 31. *verſ.* 18. *Gen.* 25. *verſ.* 27.

S. Auguſtini Inſtituto ſe conſecrat.

tale ſolum deſerere decrevit, ut apud exteros Domino tranquillius & liberius vacare poſſet. Impetrata igitur, ſed ægre, diſcedendi copia a Superiore, non vitæ Inſtitutum, ſed locum mutavit, ad Monaſterium ſanctæ Crucis de Conimbria ferventi ſpiritu commigrans, idque zelo ſeverioris diſciplinæ, & ſtudio majoris quietis. Quam autem ille, non locum, ſed morum mutationem & expetiiſſet & feciſſet, ſatis declarabat vita ejus ſolito ferventior. Et quoniam teſte divo Hieronymo: *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudandum eſt*, talem ſe moribus exhibuit, ut omnibus perſpicuum eſſet, loci opportunitatem majorem idcirco illum appetiiſſe, ut ad vitæ perfectionem facilius poſſet pertingere. Neque vero mediocri ſtudio ſemper excolebat ingenium, nec diebus nec noctibus pro temporis ratione a lectione divina ceſſans, animum ſanctis cogitationibus & meditationibus exercens. Solebat autem legendo hiſtoricæ veritatis textum allegorica comparatione confirmare fidem; & rurſus ipſis Scripturæ verbis conformare mores, & affectum inflammare. Scrutabatur religioſa curioſitate profunda ſermonum Dei, & contra errorum foveas divinæ ſcripturæ ſententiis intellectum communiebat, ſimul etiam ſanctorum Patrum monumenta ſedula lectione evolvens. Denique lecta tenaci memoria complectens, præter omnium expectationem magnam Scripturæ divinæ eſt cognitionem adeptus.

Mutat Monaſterium.

Hier. ep. 13. ad Paul. cap. 1.

Intendit ſacræ lectioni.

LVI. Videns autem in hoc Cœnobium ferri tanta ſolemnitate, & miraculo ſanctorum, de quibus modo egimus, Martyrum reliquias, *ſubito more elephantis*, ut habet Vincentius Belluacenſis *ad prælium ex aſpectu ſanguinis animatus, deſiderio martyrii totus æſtuavit*. Addiderunt animum & fervoris incrementum quotidiana, quæ faciebant miracula, & Evangelica vita, ſpectabiliſque pietas Conſodalium Franciſcanorum, qui eamdem urbem inhabitabant. Factus itaque ſe ipſo robuſtior, humano calcato timore, divinæ gratiæ validiſſimo protectus clypeo, dicebat apud ſe: Utinam coronæ Martyrum ſuorum participem me facere dignetur Deus! Utinam liceat pro Chriſti nomine flexo poplite carnificis ictum excipere! Interim nocte & die rogabat attentiſſime Dominum, ut menti ipſius adſpiraret, quod & illius voluntati gratius & ſuæ ſaluti conducibilius, proximorumque utilitati atque ædificationi eſſet opportunius. Addit ex quadam vetuſta, ſed fida legenda Marianus, ei a prandio ita ſolitarie & inſtanter in quodam delubri angulo oranti, Franciſcum adhuc in terris agentem apparuiſſe, præmonuiſſeque futuri, per quod mirum in modum exultavit, & firmior ſtetit circa illud vitæ genus ineundum. Ad Minores, qui per id temporis ædiculam ſatis devotam, divo Antonio Abbati ſacram, non longe ab urbe ſepoſitam incolebant ex præſcripto Regulæ, & ſui Inſtituti ratione ad Monaſterium ſanctæ Crucis eleemoſynam petituri venire ſolebant, pro ſuo more, die quodam, viſitandi gratia clam accedens, inter cetera ait ad illos: Ordinis veſtri habitum, Fratres cariſſimi, ardenti animo cupio accipere, modo id mihi polliceri velitis, ſimul atque illum induero miſſuros me vos ad regiones Saracenorum, ut cum ſanctis Martyribus merear ego quoque ſanguinem fundere, & eſſe coronæ illorum particeps. Illi his auditis non mediocriter tanti viri ſermonibus exhilarati, diem craſtinum ejus explendo deſiderio deſignant. Mox beatus Antonius Superiorem ſuum pro obtinenda abeundi facultate precibus pulſat; eaque vix extorta, Fratres Franciſcani non immemores pollicitationis ſuæ mane redeunt, habitum ſuæ pro-

Surius cap. 3. Hiſt. MS. Vincent. lib. 10. cap. 111.

Vult æmulari Martyrum triũphum.

Marian. cit.

Habitum petit Minorum.

Eumdem induit. profeſſionis illi tradunt. Quo cum ille indutus eſſet, quidam ex Canonicis Monaſterii ejus acerbo animo dixit ad eum: Eas, eas, forſitan ſanctus eris. Ad quem ille converſus humili voce dixit: Cum me in ſanctos relatum audieris, profecto Deum laudabis. Poſſumus ex his colligere, quam gratus ille Fratribus ſuis fuerit, cui nec Prælatus, niſi admodum difficulter, diſcedendi voluit facere poteſtatem; nec Fratres hac in re ſuo eum fovere conſilio; nec ille, quem diximus Frater, ejus abſentiam æquo animo potuit perferre. Puto equidem non abſque multo dolore, & lacrymis talem a ſe virum illos dimiſiſſe, quem ſui Monaſterii idoneum ſeſe Præfectum brevi habituros ſperarent. Porro autem Fratres Franciſcani cum novo Socio ſuo domum properant, eumque amanter accipiunt; ſed quia formidabat Vir Dei, ne parentes aliquam ipſi moleſtiam faceſſerent, ut ipſum inquirentium curam eluderet, mutato nomine, Antonium ab ædis Titulari ſe dici voluit.

Abit ad martyrium. LVII. Paulatim vero creſcebat in eo ſitis martyrii,& zelus fidei magis eum extimulabat, nec eum quieſcere patiebatur. Itaque quemadmodum ſe facturos promiſerant Fratres, fecerunt ei copiam ad Saracenos proficiſcendi. Nec ille ſibi moras nectendas putans, celeriter abiit. Sed præpotens Deus hac in re illius propoſitum plane retardavit, Sed non obtinet. totius hyemis ſpatio gravi eum morbo affligens. Quare compulſus ille, ad natale ſolum ob corporis curandam valetudinem ſe recepit. Sed cum navigando ad Hiſpaniæ littora nautas appulſuros ſperaret, ad Siciliam ventorum impulſu delatum ſe ſenſit. Habuit ergo pro Chriſto moriendi & deſiderium& conatum vir omnium ore merito celebrandus, ſed divina providentia, ut poſt ipſa res docuit, plurimorum ſaluti eum ſervavit, quos ille in diverſis Regionibus e fæcibus peccatorum revocavit ad ſalutares pœnitentiæ fructus. Non longe tum aberat dies, in quem indictus erat Fratrum generalis Conventus apud Aſſiſium, ad quem quantumvis debilis & affecta valetudine proficiſci decrevit. Quid vero tunc circa eum actum ſit, dicemus anno ſequenti, cum de illis Comitiis ſe obtulerit ſermo.

LVIII. In Gallia hoc tempore quoſdam experti ſunt Fratres eccleſiarum Prælatos immites, alios ultramodum duros, alios etiam ſcrupuloſos nimis, an eos deberent ad larem & ad aram admittere. Scriptis itaque litteris ad Vicarium generalem, & ad Conſodales, qui apud Cardinales in curia reſidebant, Pontificiam, quæ ſequitur, impetrarunt commendationem ad Prælatos in Francia conſtitutos.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, ac aliis Eccleſiarum Prælatis per regnum Franciæ conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pontifex commendat Minores Prælatis Franciæ. *PRo dilectis filiis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum direxiſſe vobis recolimus ſcripta noſtra, ut eos haberetis divini amoris intuitu commendatos. Sed ſicut intelleximus quidam veſtrum, quaſi habeant de ipſorum Ordine conſcientiam ſcrupuloſam, cum nihil in eis ſuſpicionis dignum invenerint, ſicut ab aliis intelleximus, quibus adhibere poſſumus plenam fidem, ipſos*

ipſos in ſuis manere Diœceſibus non permittunt, licet ex eo ſolum quod litteras noſtras eiſdem conceſſimus, nihil de eis ſiniſtri debuerit opinari. Unde univerſitati veſtræ volumus eſſe notum, quod nos Ordinem talium de approbatis habemus, & Fratres Ordinis ipſius viros recognoſcimus catholicos & devotos. Quare monendos vos duximus, & exhortandos per Apoſtolica ſcripta vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ipſos tamquam vere fideles & religioſos in veſtris Diœceſibus admittatis, habentes eoſdem pro divina & noſtra reverentia propenſius commendatos. Datum Viterbii IV. *Kalendas Junii Pontificatus noſtri anno* IV.

Teſtantur jam Ordiné eſſe approbatum.

LIX. Aliud ejuſdem tenoris diploma datum eſt ad Archiepiſcopum Senonenſem, & Epiſcopum Pariſienſem, quorum utrumque originaliter cuſtoditur in Archivo Minorum Pariſienſi. Tertium adhuc dedit ad ipſum Franciſcum & ceteros Prælatos x. Kal. Octobris, octo diebus ante Comitia generalia ſuperius relata, in quo quia tam in noſtra, quam in Prædicatoria ſodalitate profitebantur ſub incerto temporis limite, & ad beneplacitum Superiorum ſecundum exorientium Ordinum, & locorum neceſſitatem, quorum aliquos poſtea celeriter emiſſæ profeſſionis, & vitæ non plene exploratæ pœnitebat, jubet ut nullus ante expletum probationis annum admittatur ad profeſſionem; ea vero ſemel emiſſa, ut nullus Religionem poſſit exire, neque exeuntem poſſit quiſpiam detinere. Ad diploma hoc referuntur illa verba Franciſci in utraque Regula pro Minoribus, *& non licebit ei* (ſcilicet ſemel profeſſo) *de iſta Religione exire juxta mandatum Domini Papæ*, &c. Tenor vero litterarum, quæ originaliter ſervantur ſub plumbo in Archivo Aracœlitano num. 38. ita ſe habet.

Vide Caſtillo lib. 1. c. 51.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Dilectis filiis Fratri Franciſco & aliis Prioribus, ſeu Cuſtodibus Minorum Fratrum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

LX. *Cum ſecundum conſilium Sapientis, nihil ſit ſine conſilio faciendum, ne poſt factum pœnitudo ſequatur, expedit cuilibet celſioris viæ propoſitum aggreſſuro, ut præcedant palpebræ greſſus ſuos, vires ſcilicet proprias diſcretionis moderamine metiendo, ne ſi, quod abſit, altiora ſe quærens in commotionem dederit pedem ſuum, retro reſpiciat in ſalis infatuati ſtatuam convertendus, pro eo quod ſui ſacrificium, quod fuerat oblaturus, ſale ſapientiæ non condivit. Sicut enim ſapiens deſipit ſi non fervet, ſic fervens etiam confunditur ſi non ſapit. Quare pene in omni Religionis Ordine eſt provide ſtatutum, ut regulares obſervantias ſuſcepturi, certo tempore ipſas probent, & probentur in eis, ne ſit locus de cetero pœnitudini, quam non poteſt levitatis occaſio excuſare: auctoritate vobis præſentium inhibemus, ne aliquem ad profeſſionem veſtri Ordinis, niſi per annum in probatione fuerit, admittatis. Poſt factam vero profeſſionem nullus Fratrum Ordinem veſtrum relinquere audeat, nec relinquentem alicui ſit licitum retinere. Inhibemus etiam ne ſub habitu vitæ veſtræ, liceat alicui extra obedientiam evagari, & paupertatis veſtræ corrumpere puritatem; quod ſi qui forte præſumpſerint, liceat vobis in Fratres ipſos, donec reſipuerint, cenſuram eccle-*

Jubet ne tirones ante annum emittant profeſſionem.

ſiaſticam exercere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Viterbium x. *Kalen.* Octobris, *Pontificatus noſtri anno* v.

Maria, c. 51. Genzag. in Conv. Pariſien. in princip. Minores Angliã ingrediuntur.

LXI. Anglicanæ miſſionis Patres, quos ſuperiori anno Pariſiis hæſiſſe narravimus, hoc ipſo transfretantes tertia die Maii, ut ex antiquis Chronicis obſervat Marianus, Angliam appulerunt. Novi circa Minorum adventum in hoc Regnum diverſos diverſa ſentire. Joannes Pitſeus in indice illuſtrium Angliæ Scriptorum Franciſcanorum, eum ſtatuit anno MCCXXIV. vel potius MCCXXVI. Fabianus & Nicolaus Tivetus antiqui & coævi auctores in Chronicis MSS. anno MCCXXI. Alii anno MCCXXIII. ſed duobus ſupracitatis domeſticis & familiaribus teſtibus, qui etiam ipſum adventus diem non inaniter obſervarunt, ſubſcripſit illius item ævi chronologus Matthæus Paris, loquens ſub anno MCCXLIII. de Fratribus Minoribus, qui Fratres, inquit, vix transfactis viginti quatuor annis primas in Anglia conſtruxere manſiones. Ab hoc itaque anno uſque ad illum, bene tempus hoc ſupputabis. Recta autem venientes Cantuariam a Fratribus Prædicatoribus, qui jam ibi ſuſceperant Conventum, caritative ſunt recepti, ut præter Chronica noſtra antiqua apud me MSS. monet S. Antoninus, ex quibus, etiam quæ ſequuntur, miniſtramus.

Ant. tit. 24. c. 7. §. 2. Marc. lib. 7. c. 31. Maria. c. 15. Chronic. antiq. MS.

LXII. Cantuaria recedentes in Oxoniam, pervenerunt ad quamdam coloniam ſeu viculum, Antonino Grangiam Patrum Benedictinorum Monaſterii de Arabudon, ut habet idem Antoninus, ſeu ut Chronica antiqua Arabudeo, crediderim legendum de Abingdon, in vaſtiſſimo nemore inter Londinum & Oxoniam ſitum. Prior præfati Monaſterii cum Sacriſta, Cellerario, & alio Monacho juniori ibi tunc per aliquot dies pro minutione & recreatione feriabantur. Sub veſperi madefacti & fatigati ex fame & itinere, ad oſtium petierunt Minores ſub tecto colligi, & cibo aliquo refocillari. Junior ille Monachus, ut vidit peregrinæ veſtis & linguæ homines, joculares ſeu mimos putans, eos introduxit ad Priorem & ſocios. Quibus ad jocularia & geſticulationes invitantibus reſponderunt pauperculi, non hujus artis viros, ſed apoſtolicæ vitæ ſe eſſe profeſſores. Rejecti tandem & extra portam acti, tamquam circumforanei, ſeu nugatores & impoſtores patienter tulerunt, doluitque ad illorum vices adoleſcens ille Monachus, ex modeſtia & patientia neſcio quid religionis ſubodorans; rogavitque janitorem, ut, Priore cubitum eunte, eos introduceret in fœnile, cetera vero dixit ſe curaturum. Conquiſitis quæ potuit ad refectionem, caritative miniſtravit, ſe illorum orationibus commendans. Dormienti autem viſum eſt erectum ibi a formidabili judice tribunal, omneſque illius loci incolas vocari ad judicium: deinde apparuiſſe pauperculum quemdam & deſpectum, illorum hoſpitum habitu obtectum, actorem agentem, & dicentem: Juſtiſſime judex clamat ad te ſanguis Minorum Fratrum, periclitatus heri apud hujus loci Monachos, per quos parum abfuit ne perirent. Conſidera Domine hos ſpretis mundi oblectamentis e longinquis huc veniſſe Regionibus, ut animas pretioſo tuo ſanguine redemptas, tibi lucrifacerent, nec tamen hic inveniſse quod Monachi nugatoribus, aut circumforaneis non negarent. Comparentibus itaque ſingulis, interrogati ſunt, cujus eſſent Ordinis aut Inſtituti? quibus reſpondentibus, Benedictini; a ſanctiſſimo

Viſio terribilis de inhoſpitalitate.

mo Patriarcha Benedicto quæſivit, an verum dicerent? Ille negavit, adjiciens: Potius Domine deſtructores, quam profeſſores ſunt meæ Religionis, cum ego nihil tam commendaverim aut docuerim quam hoſpitalitatem erga peregrinos, & caritatem erga egenos. Lata itaque ſententia condemnati ſunt ad laqueum in ulmo, qui prominebat in Clauſtro.

LXIII. Tandem deventum eſt ad Monachum illum juniorem, qui miſericordiam præſtitit egenis. Interrogatus cujus eſſet Inſtituti, ſecum perpendit non bene ceſſiſſe ceteris, qui patre gloriabantur ſancto Benedicto, & tamquam degeneres filios, pium eos rejeciſſe Patriarcham. Alterius proinde ſibi cogitavit acquirendum patrocinium, tremebunduſque & pavidus ad Franciſcum, cujus nomen ignorabat, converſus dixit: ego ſum ex Ordine hujus pauperis. Itane inquit judex Franciſco, ſe res habet? Qui reſpondens: ego Domine in meum admitto, & tamquam meum amplector, qui erga meos, quam potuit, miſericordiam oſtendit. His dictis adeo fortiter ſe ſenſit Viri ſancti, in amplexus ejus irruentis, brachiis adſtringi, ut a ſomno excitaretur totus admirabundus de clara & mirabili ſibi hac facta viſione. Summo mane Priori hæc aperire volens, invenit eum in lecto ſuffocatum, & ſimiliter ſtrangulatos ceteros, in ſuo unumquemque cubiculo. Majori adhuc repletus ſtupore clamavit, & recurrere volens ad Minores, dixit ei janitor, ante auroram ſe illos dimiſiſſe, ne quidquam exhibiti eis obſequii Prior reſciret. Non eſt auſus longiorem ibi trahere moram, ubi ſevera hæc vidit exerceri ſupplicia, ſed ſtatim perrexit ad Cœnobium Abindoniam, retulitque Abbati, quæ vidit. Inſolita & mira hæc ſpectacula, non adeo facile poſſunt celari, quin ad omnium perveniant notitiam. Rem accepit non ſine admiratione, & novæ hujus Sodalitatis veneratione Henricus III. qui tunc regnabat in Anglia. Quare Minoritas Oxoniam, ubi ipſe degebat, venientes honorifice recepit, conſtruendoque Cœnobio locum deſignavit commodum juxta muros Civitatis, quos etiam dirui permiſit, ut ampliori fruerentur Fratres area, & capacior eſſet fundus Monaſterii. Clauſit etiam ibidem viam regiam, qua ad Freſdemundam (ita Chronica antiqua, ſed Roſamundam vel Roſamundi labyrinthum in ædibus magnificentiſſimis apud Woodſtoke ab Henrico I. extructis, legendum putarim) erat iter, & alibi aperuit, ut quietius & commodius Fratres Deo vacarent. Quorum converſatione & conſortio adeo delectatus eſt, ut ad animi recollectionem vicinas ſibi ædificaverit ædes, a quibus tranſire poſſet in Monaſterium, reſervato ſibi ſolo tranſitu ad Clauſtra interiora.

Excipiuntur honorifice Minores ab Heurico III.

Conv. Oxonien.

Marian. cit. Vide Camdenum in Comitatu Dobuni.

LXIV. Primas poſuiſſe ſedes Cantuariæ auctor eſt Nicolaus Harpsfeldius; primum autem Cœnobium aſſerit Marianus fuiſſe Oxonienſe; fortaſſe aliquod ſtruxere Cantuariæ tuguriolum antequam Oxoniam pervenirent. Eorum autem Inſtitutum adeo brevi propagatum & auctum ait Antoninus & Chronica antiqua, ut non ſolum Monachus ille Benedictinus, verum & plures in Theologia magiſtri & prædictus Abbas Abingdonienſis, Epiſcopuſque Herfordenſis, quem Antoninus Rodulphum, Harpsfeldius Robertum Maideſtonium vocat (hic ille eſt, quem inter ceteros Rex Henricus ad Remundum Comitem Provinciæ miſit, ut filiam ejus Allenoram, quam ſibi deſponſaverat, in Angliam deduceret) rerum humanarum ſatur, & jam effœta ætate, obtenta prius licentia Gregorii IX. huic diſciplinæ ſe devovit Oxoniæ, & adeo humiliter inter Minores ſe geſſit, ut ſimul cum prædicto Abbate, lapides & rudera pro con-

Harpsfeld. ſeculo 13. c. 11.

Propagatur Inſtitutum in Anglia.

Antonin. cit.

Harpsfeld. c. 21.

conſtruendo Cœnobio in humeris aſportaret. Brevi ædificatum & abſolutum eſt Monaſterium Oxonienſe, certante cum Regia populi devotione, unoquoque, prout res familiaris permittebat, ſponte contribuente in templi ædificium. Ex magnatibus unus rem magnam auſus eſt & perfecit, ut ſuis ſumptibus a multis milliaribus Anglicanis ductis ſub Iſidis & Chervelli fluminum divortiis plumbeis canalibus, corrivaretur ad omnes Monaſterii officinas aqua ſalubris in magna abundantia.

LXV. Alia etiam multa Monaſteria frater Agnellus Miniſter conſodalibus conſtrui obtinuit, ſua ſpectata virtute & religioſa rerum agendarum peritia, de quibus nos ſuis locis agemus, in quibus dum multos adoleſcentes bonæ indolis habitu religionis donaret, ſcholas etiam erexit; ſed præcipuam Oxoniæ ſtatuit rogans venerabilem Academiæ magiſtrum Dominum Robertum Capitonem, ſeu Groſſa teſta, vulgo Anglico *Greathedde* ob craſſum ſane caput, licet ſubtilis fuerit ingenii, ita vocatum, ut Fratres ſua imbueret doctrina, & incipientem ſcholam regere placeret, donec plenius adoleſceret, ut ex ſuis haberent Fratres, qui poſſent docere. Hoc onus libenter aſſumpſit Vir pius & doctus, quotidie ad Fratres accedens, donec diſcipulos fecit magiſtros, ipſo paulo poſt ad Epiſcopatum Lincolnienſem aſſumpto, in quo benevolentiam non exuit, ſed ampliavit. Illam paſſim inculcat Matthæus Paris, ſed & Adamum de Mariſco Minoritam virum doctum care dilexiſſe ait Harpsfeldius, & cum eo ſuam in ſcripturarum meditatione operam conjunxiſſe, ob cujuſque gratiam eidem Cœnobio Franciſcanorum Oxonienſi ſuam Bibliothecam legaſſe. Eorum opera & conſilio uſus eſt in Epiſcopatu adminiſtrando; ſed ne plura faceret, & mores ſuorum Diœceſanorum diſtrictius reformaret, obſtaculo fuit Rex Henricus motus querelis illorum, qui culpabilem, & diſſolutam vitam ſuam timebant, certiuſque ſciebant ab æquo paſtore corrigendam. Dedit ad Minores inter cetera libellum unum de laude paupertatis, cui initium: *Pauper & inops laudabunt*; alterum de ſcala paupertatis, incipientem: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt, &c.*

Scholæ Oxon. Minorum præficitur Robertus Capito.

Pitſeus de Scriptor. Anglic. ad ann. 1253.

Paris ann. 1249. & ann. 1251.

Harpsfeld. ... c. 26.

LXVI. Ad præfatam vero ſcholam poſt annos aliquot, accedente Agnello, & Fratribus gratulatorie ad ejus adventum ſcholaſticum certamen ineuntibus, atque inter cetera diſputantibus de qualitate & certitudine hujus propoſitionis *Deus eſt*, pia indignatione impatienter excanduit, Chriſtianis viris indignum putans de hac quæſtione altercare, quam totius fidei primum lapidem, & angulare fundamentum dicebat. Studium itaque omnino diſſolvit adjiciens: heu, heu Patres mei, ſurgunt indocti, & rapiunt Cœlum, & qui litteras nunquam didicerunt, Deum, quem eſſe firmiter credunt, inſeparabiliter diligunt arctiſſimo amoris vinculo, & hujus noſtri adoleſcentis ſtudii magiſtri, Fratres pauperes, qui Dei erga ſe quotidie providentiam ad oculum vident, in quæſtionem ducunt: an Deus ſit? Statim itaque ex collectis eleemoſynis tranſmiſit in Curiam decem libras ſterlingas, ut vocant, monetæ Anglicanæ, aureos videlicet Romanos quadraginta, ut inde reportarentur decretorum & decretalium juſſu Gregorii IX. collectorum volumina, quæ voluit a Fratribus, quæſtionibus ſubtilioribus & metaphyſicis prætermiſſis, addiſci.

Marian. cit. §. 6. Anton. cit.

Diſſolvitur ſtudium Oxonien. & quare.

LXVII. In domo hac Oxonienſi mira accidit res, qua ſignificatum voluit Dominus, quam ſerio & reverenter ſolvi vult penſum Eccleſiaſticum, & in ſuo conſpectu digna reverentia horas recitari canonicas.

Evenit

Evenit ut quidpiam Fratres inter completorii preces moverit ad riſum, illique minus religioſe loci ſanctitudinem reſpicerent, quin diſſolute riderent, repentino & magno fragore Chriſti Crucifixi effigies, quæ ſuper chori oſtium pendebat, verſo ad Fratres vultu indignationem & ſubſannationem erga ridentes indicavit. Quam & illi ſenſerunt; nam ex tremendo fragore, & commoto Chriſti vultu, ſtatim tabeſcentes, qui præcipui erant in culpa, paucis poſt diebus vitam cum morte commutarunt.

Corripiuntur ridentes in Completorio.

LXVIII. Quid amplius egerit Agnellus in Anglia, non invenio qui referat. Marianus ait eum omnibus carum, multum inſudaſſe in componendis controverſiis inter Regem Henricum & Regni Proceres, tantumque poſuiſſe in his rebus operis & ſudoris, ut & vitam poſuerit in craſtino feſti ſancti Gregorii Papæ. Quo id anno, non refert, attamen Matthæus Paris anno MCCXXXII. tamquam hominis pacis, ejus meminit, loquens de Comite Mareſcallo viro potenti, & plures contra Regem commovente, ad quem a facie Regis fugientem, & in Abbatia de Margan pernoctantem, veniſſe, ait, Agnellum hunc, quem Regis familiarem & conſiliarem vocat, die Jovis proxime ante Natale Domini, ut ex iis quæ tractata & ſtatuta erant inter Regem & ejus Conſiliarios circa pacem ſtabiliendam, hominem reduceret ad concordiam. In his rebus, quæ turbulentæ ſatis fuerunt, componendis, fortaſſis diem clauſit juxta Mariani narrationem; neque enim amplius ejus mentionem inveni. Obiit autem non ſine ſanctitatis opinione, quam multis miraculis confirmavit. Trigeſimum agebat annum quando in Angliam miſſus eſt Diaconus, ibi initiatus eſt cum aliis Fratribus presbyterio. Cum autem vocarentur ad ſacrum ſuſcipiendum characterem ab Archidiacono Cantuarienſi: accedant, inquit, Fratres de ordine Apoſtolorum, quo nomine per multos annos inter Anglos audierunt. Sepultum Oxonii in caſſa lignea, dum poſt plures annos Fratres voluerunt transferre ad honorificentius & ſublimius ſepulcrum, invenerunt carnem omnem in pretioſiſſimum liquorem, balſamo ſimilem, reſolutam, & oſſa terſa oleo ſupernatantia. Dum autem incaute capſulam vetuſtate corruptam elevarent, fundo adhæſit pavimento, oleumque effuſum eſt cum ingenti fragrantia; ſed oſſa ad paratum mauſolæum magna cum reverentia & ſolemnitate fuerunt tranſportata.

Marian. cit. §. 19.

Agnelli Miniſtri Angliæ commendatio.

LXIX. Hoc anno teſte Meyero, obiit mirabilis ille puer Achas Toraltanus, in quem nos non immerito jus vindicamus, & tamquam noſtrum Franciſcanis connumeramus, qui etiam in tenera ætate, & quoad licuit uſque ad mortem, quæ veri Franciſcani erant, obſervavit, veſtemque geſtavit. Miram & delectabilem ſane hiſtoriam ex Thoma Cantipratano coævo, candido & oculato teſte, tranſcribo, ex quo Joannes Molanus compendioſam rei ſeriem ſanctorum Belgii natalibus inſeruit. *Sub noſtro nuper tempore*, inquit meus Auctor, *in Thorouth oppido Flandriæ puer Achas, annorum quinque, honeſtis valde parentibus oriundus fuit, qui primum viſis Minoribus Fratribus, a parentibus ſuis lacrymis multis obtinuit, ut ipſorum habitu veſtiretur, ſed cum hoc illi primum, quaſi puerile judicarent, crederentque ſecundum quod in aliis pueris videri ſolet, oblivione temporis in illo ſimiliter aboleri, animadvertunt parentes, & vicini eorum omnes, quod ſerioſe puer cœpit conſuetudines Ordinis modis mirificis obſervare, incedere nudipes, nodata & dura chorda præcingi. Argentum & aurum ſummopere vitabat attingere, & in hoc arti-*

Meyerus ad annum 1220.

De puero Toraltano.

Cantiprat. l. 2. de apibus c. 28. Molan. ad 11. Julii.

Quinquennis obſervat Ritus omnes Franciſcanorum.

articulo caſus accidit mirus valde. Negotiatores quidam ad hoſpitium Patris ejus hoſpitandi gratia declinarant, qui viſo in tali puero habitu, mirati ſunt; & cum intellexiſſent puerum omnem vitare pecuniam, nummum in fundo vaſis, quo bibebant, latenter immitunt, & cum modico vini puero

Mirum pecuniæ odium.

poculum porrexerunt. Qui ubi exhauſto vino nummum vidit, exclamans horrifice vas projecit, tantiſque in Cælum oculis & manibus cum lacrymis dixit: tu noſti Deus omnipotens, quod inſcius Ordinem meum violavi. Hinc tremebundus expalluit, & quaſi ad mortem tendens, nigredo ejus faciem occupavit. Quod videns ejus Pater expavit, & currens propere Sacerdotem adduxit, qui puero abſoluto manum imponens, eum a dolore, &

Prædicat aſſidue in plateis.

pœnitudine mitigavit. In platea puer ſedens, pueros vicinorum diebus ſolemnibus convocabat, & eos, ſi diſtorti eſſent in moribus, ſi ſuperbi, ſi ornati veſtibus, arguebat: pœnas inferni pro eorum exceſſibus proponebat, bonis vero pueris cælorum gloriam promittebat. Interdum eos docebat orationem Dominicam, Pater noſter *ſcilicet, & quam bonum eſſet matri Chriſti in Salutatione Angelica, & genu flexionibus deſervire. Ad has pueri convocationes & exhortationes, ſenes etiam ipſi cum junioribus concurrebant, & miro modo delectabantur in prudentia & reſponſis ejus.*

Patrem aut Matrem errantes arguit.

Patrem proprium jurantem, vel levem in geſtibus, aut ebrioſum, ſi quanda videret, ei compatiendo, & quaſi cum lacrymis arguebat, dicens: Pater cariſſime, nunquid Presbyter noſter in Eccleſia dicit, quia qui talia agunt,

Gal. 5. v. 21.

Regnum Dei non poſſidebunt? *Matrem quoque ſuam, cum in ſolemnitate quadam optimis ſcarleticis, & rubicundis veſtibus uteretur, cum gravi mærore corripuit in Eccleſia coram conſedentibus, dicens, digitoque demonſtrans Imaginem Crucifixi: intuere mater, intuere & videas Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, nudum in cruce pendentem, ſanguine rubricatum, & tu te in contumeliam ejus veſtibus ſcarleticis adornaſti? Cave mater, cave cariſſima, ne pro rubore veſtium pœnas ignis æternalis incurras. Nec mora, mater verbum filii non modicum exhorreſcens veſtes depoſuit, & eis vel talibus uti ulterius penitus abnegavit. Sed quid moror? Impoſſibile quidem eſſet verbis unquam attingere quanta morum ejus dignitas, quanta in oratione ſedulitas, quanta oculorum gravitas, quanta incedentis humilitas, quantu in loquente congruitas. Et hoc quidem mirabilius omnibus accidebat, quod ætas tantum & membra exilis corporis puerum oſtendebant, mores vero & geſtus ejus perfectiſſimæ virtutis virum in omnibus prædicabant. Hic nondum ætatem ſeptennem impleverat, &*

Sap. 4. v. 13.

conſummatus in brevi, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius. Ra-

Ibidem.

ptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ipſius, aut ne fictio deciperet animam ejus. *Appropinquans ergo morti, confeſſus Sacerdoti, Sacramentum*

Sancte moritur.

Corporis Chriſti poſtulavit. Sed cum hoc, propter generalis Concilii vetitum, ne in ætate tali puero conferretur, Sacerdos facere non auderet, puer cum mira oris gratia, extenſis in Cælum manibus, dixit: Tu noſti Domine Jeſu Chriſte, quod meum ſummum deſiderium eſt te habere: petivi te, fecique quod debui, & ſpero confidentius, quod tui præſentia non fruſtrabor. His dictis parentes circumſedentes & flentes conſolatus eſt, & ad meliora provocans inter verba exhortationis, orationis & laudis ſpiritum Deo reddidit impollutum. Nec mora ſine ullo interſtitio habitus Ordinis Fratrum Minorum, tunica ſcilicet cum aſſuto caputio, quæ ſuper eum extenſa jacebat, repente diſparuit, & nunquam poſtea viſa fuit. Igitur poſt mortem ejus, cum ad ſepulcrum illius ſtantes quidam de Fratribus pſalmum De

Pſal. 129.

profundis *dicere voluiſſent, nullo conatu, nulla reiteratione hunc finire,*

vel

vel dicere potuerunt : videlicet ut per hoc daretur intelligi, nullis ſanctam illam animam orationum ſuffragiis indigere. Credo quod & idem mihi ad ſepulcrum contigerit rogitanti. Parentes vero pueri poſt mortem ejus in tantum exemplo filii profecerunt, ut omnia ſæculi deſerentes oblectamenta, Pater Ordinem Prædicatorum, Mater autem Ciſtercienſem Ordinem, iiſdem ſimul temporibus intraverint.

LXX. Confirmant hæc, jam a biennio ſaltem Fratres Minores in Belgium veniſſe, quippe ſeptennis mortuus puer hoc anno : quinquagens annos Minores in patria vidit, quorum vitam adeo mirabiliter æmulatus eſt. Sane anno MCCXIX. Lenſii, ſive Lendii Belgici oppidi Cœnobium Franciſcanorum a Beato Pacifico Franciæ Miniſtro ædificatum aſſerit Ferreolus Locrius, a quo neque nos diſſentimus, cum ejus mentionem in annum hunc differimus, ſecuti Franciſcum Gonzagam, qui circa hunc annum extructum affirmat, opera dicti Pacifici, ſed eleemoſynis generoſi Domini a Novavilla equeſtris ordinis viri. In eo ſervabantur litteræ obedientiales Fratris Eliæ Generalis Miniſtri ad Pacificum miſſæ, quas Franciæ Miniſtri in Provinciarum ſeparatione tranſtulerunt Peronam Picardorum. Ex quibus conſtat per aliquot annos vixiſſe in Belgio Pacificum, & Franciſco ſupervixiſſe; poſt cujus obitum ſemel ac iterum creatus eſt Miniſter Elias. Tandem obiit, ut ſupradiximus, in eodem Conventu, honorifico tumulatus ſepulero. Incredibile quantum fructum Fratres hujus domus, his temporibus periculoſiſsimis, frequentiſſimis ſuis concionibus in pagis ſere centum circumjacentibus in vinea Domini protulerunt, ita ut ne unus quidem e tanto numero hæreſi fuerit infectus; ſingulis enim Dominicis diebus & feſtivis quiliber hujus Conventus Prædicator tres aut quatuor pagos viſitabat, & verbum Dei diſſeminabat; quamobrem magna in veneratione habentur, largiſſimaſque eleemoſynas reportant. Circa idem etiam tempus Monaſterium apud ſanctum Trudonem, Belgii item oppidum, exædificatum. Quod tamen fertur Divum Franciſcum ibi aliquando cantaſſe Evangelium commentitium puto; neque enim ad illas oras appuliſſe monumentum ullum ex noſtris vel leviter ſubindicat.

Convent. Lenſien.
Locrius an. 1219.
Gonzag. in Prov. S. Andreæ Con. 9.
Anno 1212. n. 42.
Conven. S. Trudonis.
Gonzag. in Provinc. Ger. inferior. Con. 4.

LXXI. Hoc etiam anno duo ex Patribus miſſionis Hiſpanicæ Joannes Sacerdos, & Petrus Laicus, relicta Cæſarauguſta, Valentiam perrecturi, ut Mauris Chriſti fidem prædicarent, Turolium Aragoniæ Civitatem, olim Turrupiam ſive Tintanam, ab Alphonſo Rege, Raymundi Principis filio, conditam applicuerunt. Cumque ejus populum ſibi ſupra modum affectum cernerent, extructis duabus ex vili materia cellulis juxta ædiculam B. Bartholomæo ſacram, pedem ibidem ad tempus fixere; ſed poſt decennium Valentiæ prædicantes capite truncati ſunt, ut ad illud tempus narrabimus; eorumque reliquiæ, demptis capitibus, ad eum locum, quem hic inhabitarunt, relatæ: quo tempore a Turolienſibus curatum, ut humile tugurium in commodum exurgeret Monaſterium triginta dumtaxat paſſibus ab ipſa civitate, cujus Eccleſiam Illuſtriſſimus Dominus Garzias Cæſarauguſtanus conſecravit. Multis ibi ſplenduerunt Viri ſancti prodigiis, quorum reliquias poſt unam aut alteram tranſlationem, ait Antonius Beuter collocatas nunc honorifice in altari majori Eccleſiæ matricis.

Idem in Prov. Arag. Con. 10.
Anton. Beuter. in Hiſtor. Valent. 1. p. lib. 2. c. 22.
Conven. Turolien.
Anno 1231. n. 47.
Beuter. cit.

LXXII. Chriſtophorus cum ſocio miſſi in Aquitaniam, ut ſupra diximus, Mirapici vulgo Gallico Mirepoix, ad amnen Lertium, ubi ſedem Epiſcopalem ſtatuit Joannes XXII. anno MCCCXVII. ſub Archiepiſcop

Anno 1219. n. 32.
Con. Mirapicen.
Gõzaga in Prov. Aquit. antiquior. Conv. 1.

Tol-

Toloſano, hoc anno domum ſibi inhabitandam obtinuerunt beneficentia & ſumptibus Illuſtriſſimæ & antiquiſſimæ familiæ Leviſiæ ,, ex Levitico

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

,, genere originem ducentis, & a Beatis Lazaro, Maria Magdalena,
,, Martha, ceteriſque ſociis in Galliam migrantibus nobilitatem,& Chri-
,, ſti fidem ſuſcipientis, Mareſcalli fidei titulo, & honore ab antiquis
,, Gallorum Regibus cohoneſtatæ. Illmus namque Guido de Levis hujus
,, nominis ſecundus, cum duos ex S. Franciſci Sociis pro fundandis Fra-
,, trum domiciliis obtinuiſſet, ad radices caſtri Mirapicenſis eis domum
,, conſtruxit. Perſeverarunt hic in rigore paupertatis & humilitatis
,, priorum fundatorum, donec anno MCCCLXII. die XIII. Julii, nobilis
,, heroina Lelis de Levis Gardiæ domina, collecta prædonum, perdito-
,, rumque hominum manu, in vindictam fratrum ſuorum, qui caſtro
,, incluſi obſidebantur, urbem Mirapicenſem depopulari, Conventum-
,, que devaſtari præcepit; quem poſtea pene ſolo æquatum nobilis Scu-
,, tifer Joannes de Levis, Nothus de Avellaneto, Capitaneus caſtri re-
,, gii de Quiribus ſuis ſumptibus reædificari, ultimis teſtamenti tabulis,
,, anno MDXII. die XXVIII. Novembris mandavit. Hic initiati ſunt duo
,, ex prædicta Illuſ. familia Leviſiana, Buchardus, & Guido de Levis,
,, nec non Joannes Chorinter, Vicarii Generalis Ciſmontanæ familiæ
,, officio functus; & Joannes de Græcia nobilis proſapiæ, & celeberri-
,, mus concionator. ,, Præter hos floruerunt multi viri in hoc Conventu, religioſa vita & litteris inſignes: & maximopere in eo ſemper viguit monaſtica diſciplina, atque Evangelica paupertas; quo factum eſt, ut primum, inter cetera Aquitaniæ antiquioris Provinciæ domicilia, locum obtinuerit, eorumque ſeminarium merito poſſit nuncupari.

Convent. Conimbric.

Idem in Provin. Portug. Con. 10.

LXXIII. Hoc item anno Monaſterium Conimbricenſe ad Mondæ ripam ab infante Petro, Alphonſi Regis fratre, reparatum aut reædificatum pro Franciſcanorum incolatu aſſerit Gonzaga, ſed primitus ædificatum a Templariis ante annum milleſimum; quod indicari probabiliter putat ex nimia & ruinoſa totius ædis vetuſtate, imo & certo probari ex quibuſdam characteribus in Choro Templi ſcriptis, qui conſecratam ædem dicunt a Blaſco Toletano Archiepiſcopo anno Chriſti MIV. Sane valde deceperunt illuſtrem auctorem, qui ſuarum rerum originem adeo oſcitanter inveſtigarunt, & ad pium optimumque virum, induſtria nulla examinatas tranſmiſerunt; tot enim in hac narratione errores, quot verba. Neque enim Templarii ante annum milleſimum Cœnobium ædificare potuerunt, qui centeſimo & decimo octavo ſupra milleſimum exorti ſunt,

Tyrius de bell. ſacro. lib. 11. c. 7. Baron. an. 1118. Mennen. de Ordin. equeſtrib. Vide Garxiam de Loayſa in notis ad decretum. Gundemari. §. 4. Marian. l. 9. c. 16.

ut teſtantur qui eorum indagarunt originem Gulielmus Tyrius, Baronius, Franciſcus Mennenius, & alii paſſim. Deinde nullus anno MIV. Blaſcus viguit Toletanus, imo neque ullus tunc ejus urbis Archiepiſcopus, regnantibus in ea Mauris annis trecentis ſexaginta novem uſque ad MLXXXV. ut verius numerant cum Joanne Mariana alii; confirmatque vetuſtus codex MS. Cœnobii regii ſancti Joannis Toletani noſtri Sodalitii, qui Mauris poſt ſeptennem, & duram obſidionem Alphonſi VI. Caſtellæ Regis, qui ſe Imperatorem dicebat, ereptam urbem

Garibai. l. 11. c. 17.

Roder. Tolet. l. 6. c. 21.

refert, Æra MCXXI. quæ eſt Chriſti annus proxime numeratus. Garibajus & alii biennium huic numero detrahunt, variuſque eſt codex Roderici Toletani in exemplaribus MSS. Quidquid autem ſit circa unum aut alterum obtentæ civitatis annum, octoginta & amplius, poſt conſecrationis tempus a Gonzaga aſſignatum, annis, creatus eſt primus Archiepiſcopus Toletanus, poſt reſtaurationem urbis, Bernardus ſancti Facundi

Ab-

Abbas, Monachus Benedictinus. Verum tamen eſt Toletanum quemdam Præſulem eccleſiam illam conſecraſſe, non tamen eo tempore, quo noſter ſcripſit auctor, ſed longe poſteriori. Is fuit Blaſius, aliis Vaſcus, aliis item Blaſcus, & Gonſalvus ad annum MCCCLIII. ſuffectus Carrillio Toletano Præſuli, Petro Caſtellæ Regi infenſo, cujus etiam non longe poſt Blaſcus hic indignationem ſenſit, in exilium actus anno MCCCLX. ſublata dumtaxat togam mutandi, aut partem aliquam domeſticæ ſupellectilis efferendi facultate; nulla alia culpa, quam quod pro eo ac par erat, Gutterii Fratris Hoſpitalariorum Prioris necem indigne tuliſſe videbatur. Conimbriæ is in Prædicatorum Monaſterio vitæ reliquum exegit, Franciſcanos etiam non longe poſitos ſæpius inviſens. Hic itaque ille, qui eorum conſecravit eccleſiam, & quem Chori inſcriptio indicabat, quam ex parte læſam redintegrare voluit, qui tempus neſciens, a vetuſtate ſuum commendare cupiit domicilium, & ultra tercentum annos adjecit. Mihi illac, antequam initiarer, tranſeunti, adhuc licuit inſcriptionem videre ex parte refectam, & collabentem jam undique totum Conventum. *Marian. lib. 16. c. 18. & lib. 17. c. 4.*

LXXIV. Porro neque Petrus Infans hoc anno potuit Inchoare ædificium, quem ſuperius diximus Alphonſi Fratris veteres caventem ſimultates in Regno Legionenſi apud Alphonſum ibidem Regem conſobrinum manſiſse. Ad quem ergo jam tandem Monaſterii origo referenda? Ad Conſtantiam Sanciam ejuſdem Petri, ex patre Sancio Rege, ſororem, ex Maria Pacenſi de Ribera illegitimo thoro ſuſceptam, quæ prope patris jacet ſepulcrum in delubro ſanctæ Crucis Conimbricenſi. Teſtes habeo præ aliis duos accuratos Luſitanos Scriptores, Duardum Nonium, & Antonium Vaſconcellum. Voluit hæc Sanciæ Jerabricenſis Dominæ, Mafalda natæ, æmulari erga Minores pietatem, & in conſtruendo eis habitaculo cum ſorore certare. Sane utriuſque auguſtum & nobile opus, ſed Sanciæ in editiori loco firmius, Conſtantiæ ad præterlabentis fluminis oram inconſtantius; nam rapidæ aquæ arena alveum replentes, & magno diſpendio excurrentes, tandem humilem collem, hujus Conventus fundum ſuperarunt, fundamenta quaſſarunt, & omnia ſolo æquarunt; ita ut nec campanile quidem, magnum & altum nimis, quod ad rei memoriam Fratres, ceteris dirutis, linquebant, ſubſiſtere potuerit. Novam & amplam ſatis ex piorum eleemoſynis ſibi ædificarunt domum ad oppoſiti montis radices, ſed priori vicinam nimis, & exundanti jam flumini ſubjectam, ad quam tranſierunt circa annum Domini MDCVIII. Similiter mutavere ſedem patres Dominicani, translataque ab alterna fluminis ripa alia Monaſteria. *Nonius & Vaſconcel. ſub Sancio. I.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. HOc anno vigeſimo ſupra duodecimum Sæculum a Nativitate
„ Chriſti Chronica Civitatis Cunei volunt S. Patrem etiam
„ extremas Italiæ oras perluſtraſſe ad Alpes maritimas; quod itineris
„ ratio, ac temporis anni reliquum a reditu ab expeditione ægyptiaca,
„ quam anno præterito aggreſſus fuerat, non facile admittit. Verun-
„ tamen plura, quæ impoſſibilia videntur, apoſtolico Viro, quem divi-
„ na caritas in animarum ſalutem, etiam ſupra corporeas vires urget,
„ difficultates hujuſmodi ſuperat, & ignaris viarum Domini tantum ſtu-
„ porem ingerit. Et quidem iis temporibus tota Italia, & præcipue Gal-

S. P. iterum in Italiæ oris extremis,

Gallia Ciſalpi. factionibus, & malitia abundat.

,, lia Ciſalpina, in contrarias factiones diſcerpta omnibus iniquitatibus
,, abundabat; unde, & divinæ bonitatis gratia potentiſſimo defluxu, ut
,, eas emendaret, per humilem ſuum Servum ſuperabundare dignata
,, eſt: converſionem ſiquidem peccatorum maxime exoptat patientia
,, Dei.

,, II. Ea in Apennini parte, quæ maritimis Alpibus Italiam a Gallia
,, dividentibus cohæret, ac univerſo Pedemontio, ſupercilio veluti ela-
,, to invigilat, dum ſeſe demittit in varios colles, unum inter alios
,, oſtentat, ut in regem aliorum eum natura conſtituiſſe videatur, a Vi-

Vicus oppidum.

,, co Oppido antiquiſſimo & populoſo, mille & quingentis circiter paſ-
,, ſibus in Septentrionem recedentem. Hic locus finitimis civitatum, ac

Phil. Mal. in Cyp. aſten. fo. 57. & 58.

,, municipiorum populis, ſecuritatem & aſylum in martiales & facino-
,, roſos, quibus omnis circum regio abundabat, difficili ea ætate præ-
,, ſtitit; unde fæcunditate ſoli, amænitate ſitus, ſalubritate aeris, & cle-
,, mentia cœli illecti, in eo ſuas ſedes fixere, non abſque tamen difficul-

Lombard. bellis conflagrat.

,, tate. Cum enim ſub finem duodecimi ſæculi tota fere Lombardia civi-
,, libus diſſidiis conflagraret, plurimæque familiæ ex diverſis vicinio-
,, ribus civitatibus, ut civiles diſcordias mutuaſque clades devitarent,
,, veluti ex condicto in eum locum conveniſſent, ibique ſuas ſedes figere
,, decreviſſent, Vicenſes hoc illis prohibere totis viribus nitebantur:
,, unde eædem familiæ ad Aſtenſem Epiſcopum confugerunt, qui earum
,, ſortem miſertus, ab Vicenſibus omnem moleſtiam illis inhibuit, & ut
,, ibidem habitare, caſaſque ſeu domos conſtruere liceret, indulſit;
,, exacto tamen in Vicenſium gratiam juramento, quod nequaquam fa-
,, cerent in ipſo monte. Ab ipſo tamen juramento præſtito Guidotus Epi-

Cyp. aſten. fol. 60.

,, ſcopus eoſdem novos Incolas poſtea abſolvit anno MCCX. Septembris
,, die XVI. ac ipſum commune confirmavit: ſicque brevi, & feliciter fa-

Fit oppidũ Mons Vici, ſeu Mons Reg. dictum.

,, ctum eſt oppidum Mons Vici nuncupatum, & Mons Regalis, quod
,, poſtea Urbanus VI. Epiſcopali dignitate exornavit anno MCCCLXXIX.
,, ſexto idus Junii, diſtatque ab Aſta in Lybicum XXXII. M. P. regionis.

,, III. Ad has igitur gentes, inter quas non tantum familiæ ex pro-
,, miſcua plebe, ſed etiam ex honeſtioribus, ac nonnullæ ex Patritiis,
,, ſeu Magnatibus, uti tunc dicebantur, vivebant, Vir Dei cum aliqui-

Cyp. aſten. fol. 58.

,, bus ſociis pervenit, ac inter eas vitæ inculpabilis exemplo, & prædi-
,, catione verbi Dei adeo profecit, ut eidem ad incolatum perpetuum
,, ſui & ſuorum, ipſo in ſupercilio fere Montis, ubi etiamnum extat,

S.P. Montem Vicum ſeu Regal. pervenit.

,, domum decreverint; quam dum pauperem ſecundum ſua vota funda-
,, ret, ſociorum aliquem ad Cuneates, qui ſe plurimum deſiderabant,
,, cum caritate dimiſit.

,, IV. Haud procul a maritimis Alpibus, ubi Sturia & Geſſius ab illis
,, defluentes, inter ſe mixtis ſociantur undis, proxima tellus concluſa in

Cunei ſitus, qui & qualis &c.

,, Clivum leniter aſſurgens, Cunei formam repræſentat, quæ hinc ab-
,, ſciſſis rupibus, illinc paulatim decreſcente ſolo exurgit tandem ar-
,, dua, & qua latior eſt, in planitiem oculo gratam, vineiſque refer-
,, tam, extenditur. Mira loci opportunitas, & ipſa naturæ munitio ſub
,, Calliſto II. Summo Pontifice, Henrico IV. Imperatore, & Ludovico
,, itidem IV. Galliæ Rege, meliores populorum circumadjacentium Pa-
,, gorum, Villarum, Oppidorum, atque Caſtellorum, qui a Tyrannis,

Chron. MS. Cunei.

,, libertatis cujuſque everſoribus, iniquis ac turpibus injuriis preme-
,, bantur, in unum coegere: quod circa annum Domini MCXX. eveniſſe
,, narratur. Collecti igitur in unum, & arctiſſimo fœdere uniti, præpo-
tenti

,, tenti tutelæ Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, cujus Sacellum erat in lo- Ibi Sacellum B. V. del Boſco extat.
,, co, & nuncupabatur *del Boſco* ſeſe commiſerunt; ſicque tantæ Virginis
,, patrocinio, tyrannidis excuſſo jugo, vindicataque libertate, locus in
,, oppidum nobile, a figura Cuneus dictus, populoſum, mercimonio
,, dives, & opulentum evaſit, titulo tandem Civitatis decorum, & for-
,, titudinis firmitate in hoſtes, nec non fidelitate in ſuos Principes, om-
,, nino clarum; diſtat autem a Monte Regali in occidentem ad XIII. M. P.
,, regionis.
,, V. Cuneates igitur, qui mirabilia, quæ Deus per ſervum ſuum
,, Franciſcum paſſim, & ubique operabatur, ſuæque Apoſtolicæ vitæ,
,, nec non converſationis exemplariſſimæ candorem jam pridem præci- Cuneenſes S. P. Franciſ. adeunt, & exoptant.
,, cinente fama noverant, ut audierunt eum apud Montem Regalem,
,, apud ſe quoque illum concupivere, & ut voti compotes fierent, quid-
,, quid ſibi viſum eſt ad propoſitum, opere diligenter compleverunt.
,, Tantam veruntamen gratiam obtinere minime valentes, pro Sancto
,, ejus ſocium, vel ſocios (nec enim liquet unum vel plures ejuſdem)
,, ut cœlitus ſibi miſſos Angelos omni cum reverentia ſuſceperunt, eo-
,, rum verba ſalutis audierunt tanta cum attentione, ut Ordini Minori-
,, tico perpetuam manſionem apud ſe erigere decreverint. Erat in loco
,, quædam Capella perdevota, divo Jacobo Apoſtolo nuncupata, Bene-
,, dictinorum juris: hanc interceſſione Cuneenſium ab eorum Abbate a Eidem manſionem decernunt.
,, Fratribus obtentam, publicæ privatæque eleemoſinæ piæ in eccle-
,, ſiam ſub eodem titulo S. Jacobi ad portam Cadralii nuncupatam
,, extemplo converterunt, eique congruas ædes ad habitandum addi- *Vide inf. ad annum 1331. n. 4.*
,, derunt juxta formam & amorem paupertatis evangelicæ.
,, VI. Celebratis Comitiis generalibus apud Sanctam Mariam An-
,, gelorum Portiunculæ in feſto Sancti Michaelis Archangeli, Sancto *Mich. Ang. a Neapoli in ſua Chronolog. fol. 7.*
,, Patri perfectionem Evangelicam in ſuis Fratribus ſumme cupienti, vi-
,, ſum fuit ad omnes Sacerdotes Ordinis, tenoris, qui mox ſequitur,
,, ſcribere.

VII. *In Nomine SANCTÆ TRINITATIS, & Summæ Unitatis PATRIS, & FILII, & SPIRITUS SANCTI. Amen.*

Reverendis, & multum diligendis Fratribus univerſis, Generali Miniſtro Ordinis Minorum Domino ſuo, & ceteris Miniſtris Generalibus, qui poſt eum erunt, & omnibus Miniſtris, & Cuſtodibus, & Sacerdotibus Fraternitatis ejuſdem in Chriſto humilibus, & omnibus ſimplicibus, & obedientibus primis, & noviſſimis. Epiſtola S.P.Fr. ad Sacerdotes.

Frater Franciſcus homo vilis & caducus, veſter parvus ſervus, ſalutem in eo, qui redemit & lavit nos in Sanguine ſuo; cujus nomen audientes, adorate eum cum timore, & reverentia proni in terra.

DOMINUS JESUS CHRISTUS

Altiſſimi Filius nomen illi, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

,, 1. A*Udite Domini filii, & Fratres mei, & auribus percipite ver-*
,, *ba mea, inclinate aures cordis veſtri, & obaudite voci filii*
,, *Dei: ſervate in toto corde veſtro mandata ejus, & conſilia ejus perfecta* Tob. 13. v. 6.

,, mente implete : confitemini ei, quoniam bonus, & exaltate eum in operibus veſtris, quoniam ideo miſit vos Deus in univerſo mundo, ut verbo & opere detis teſtimonium voci ejus, & faciatis ſcire omnes, quoniam non eſt omnipotens præter eum.

,, 2. In diſciplina, & obedientia perſeverate, & quæ promiſiſtis ei, bono animo, & firmo propoſito adimplete. Tamquam filiis ſe offert nobis Dominus Deus, deprecor itaque omnes Fratres cum oſculo pedum, & cum caritate qua poſſum, ut omnem reverentiam, & omnem honorem,
Coloſſen. 1. 20. ,, quantumcumque poteritis, exhibeatis Corpori & Sanguini Domini noſtri JESU Chriſti, in quo quæ in cælis, & quæ in terris ſunt pacificata, & reconciliata omnipotenti Deo.

,, 3. Rogo etiam in Domino omnes Fratres meos Sacerdotes, qui ſunt, & erunt, & eſſe cupiunt Altiſſimi, quod quandocumque voluerint miſſam celebrare, puri, & pure faciant cum reverentia verum Sacrificium ſanctiſsimi Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſancta intentione & munda, non pro ulla terrena re, neque timore, vel amore alicujus hominis, quaſi hominibus placentes; ſed omnis voluntas, quantum adjuvat gratia Dei omnipotentis, ad eum dirigatur, & ſolum ipſi Deo ſummo placere deſideretis. Ipſe ſolus operatur, ſicut ſibi placet; quoniam
Lucæ 22. v. 19. ,, ſicut ipſe dominus dicit, hoc facite in meam commemorationem; ſi quis aliter fecerit, Judas traditor efficietur.

,, 4. Recordemini Fratres Sacerdotes, quoniam ſcriptum eſt in lege
Deut. 17. v. 5. ,, Moyſi, quoniam tranſgredientes in corporalibus ſine ulla miſeratione per ſententiam Domini moriebantur : quanto majora, & pejora meretur pati ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem teſtamenti pollu-
Heb. 10. v. 29. ,, tum duxerit in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Deſpicit enim homo pollutus, & conculcat Agnum Dei, quoniam ſicut dicit Apoſtolus, non dijudicans & diſcernens ſanctum panem Chriſtum ab aliis cibariis vel operibus indignis, indignus manducat; cum Domi-
Ad Corint. 1. c. 11. v. 29. ,, nus per Prophetam dicat : Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter, & fraudulenter : & propter Sacerdotes, qui nolunt ponere
Hier. 48. v. 10. ,, ſuper cor in veritate, condemnat nos dicens : maledicam benedictionibus veſtris.

,, 5. Audite Fratres mei, ſi beata Virgo Maria honoratur, ut dignum eſt, quia ipſum portavit in ſanctiſsimo Utero, ſi B. Joannes Baptiſta con-
Malach. 2. v. 2. ,, tremuit, & non audebat tangere Domini verticem, ſi ſepulcrum, in quo per aliquod tempus jacuit, ſic veneratur; quantum debet eſſe ſanctus, & juſtus, & dignus, qui non jam moriturum, ſed in æternum victurum & glorificatum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, contrectat mani-
Petr. 1. v. 12. ,, bus, & corde, & ore ſumit, & aliis ad ſumendum præbet? Videte dignitatem veſtram Fratres Sacerdotes, & eſtote ſancti, quia ipſe ſanctus eſt.

,, 6. Et ſicut ſuper omnes propter hoc myſterium honoravit vos Dominus
Levit. 11. v. 44. ,, Deus, ita & vos ſuper omnes, propter hoc myſterium, diligite eum, reveremini, & honorate. Magna miſeria, & miſeranda infirmitas; quando ipſum ſic præſentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiſcat, & cælum exultet, quando ſuper Altare, in manibus Sacerdotis eſt Chriſtus Filius Dei vivi. O admiranda altitudo! O ſtupenda dignatio! O ſublimitas humilis! quod Dominus Univerſitatis Deus, & Dei Filius, ſic ſe humiliat, ut pro noſtra ſalute ſub modica panis formula ſe abſcondat! videte Fratres humilita-

„ *litatem Dei, & effundite coram illo corda veſtra, & humiliamini, ut & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat, qui ſe vobis exhibet totum.*

„ 7. *Moneo præterea, & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum celebretur miſſa in die, ſecundum formam S. R. Eccleſiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, ſic ſit per amorem caritatis alter contentus, audita celebratione Sacerdotis alterius, quia abſentes, & præſentes replet, qui eo digni ſunt, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui licet in pluribus ſit locis, tamen indiviſibilis manet, & aliqua detrimenta non novit; ſed unus verus, ſicut ei placet, operatur cum Deo Patre, & Spiritu Sancto Paraclito in ſæcula ſæculorum. Amen*

„ VIII. Hanc epiſtolam ſancti Patris in annum MCCXXVI. Waddingus rejicit, monetque in ſuis commentariis ad eamdem epiſtolam, rationes aſſignaſſe, cur ejuſdem prope finem ſanctus Pater unius tantum miſſæ celebrationem in ſingulis Cœnobiis commendaſſet. Ad hæc, quidquid ſit de tempore datæ litteræ, placuit addere, animadvertendum eſſe ſanctum Patrem plurimum vitam monacalem adamaſſe, & adeo, ut aliquando dubitaverit, an contemplationi & orationi, vel potius prædicationi, ut aliis etiam proficeret, incumbere deberet; quemadmodum legimus in Chronicis noſtris, & apud Waddingum. Anceps, inquam, cum eſſet conſilium, a Domino prolixa oratione petebat, & ſibi oranti in ſubſidium ſanctam Claram cum ſuis, & B. Silveſtrum in monte ſupra Aſſiſium commorantem obnixe & humiliter expoſtulavit. Habito per fratrem Maſſæum præfatorum oraculo cœlitus illis demiſſo, his verbis expreſſo, *Cariſſime Frater & Pater, tam fratri Silveſtro, quam ſorori Claræ, & ſociis una eademque fuit Jeſu Chriſti benedicti reſponſio, ut vadas ad prædicandum, quia non vocavit te propter te ſolum, ſed propter ſalutem etiam aliorum, propter quod ponet verba ſua in ore tuo*, ſurgens, voluerat enim genuflexus illud excipere, (virtute Altiſſimi ſuccenſus dixit) *eamus in nomine Domini, &c.* Exinde vitæ contemplativæ, quæ proprie Monachorum eſt, activam immiſcuit. Monachis enim, ut collegit Gratianus, non omnia, quæ Clericis licent; nam aliud convenit ex eo quod Clericus eſt, aliud ex eo quod Monachus eſt: ex eo quod Monachus eſt, ſua & aliorum peccata deflendi habet officium; ex eo quod Clericus, docendi & paſcendi populum. Monachos vero uſque ad tempus Euſebii, Zoſimi, & Siricii Monachos ſimpliciter, & non Clericos fuiſſe Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria. Idem etiam Hieronymus refert Monachos Scythiæ conveniſſe in unum, ut Sacerdotem ſibi invenirent, qui eis miſſarum ſolemnia celebraret: inſuper in epiſtola ſexageſima, quæ eſt Epiphanii ad Joannem Hieroſolymitanum, ab eo latine reddita, legitur Epiphanium ordinaſſe presbyterum Monachis poſcentibus, qui eis Domini ſacramenta conficeret. Licet ergo ſanctus Pater vitam, ut ita dicam, mediam inter activam & contemplativam, vel potius utramque ſimul, eo doctus oraculo, elegiſſet, contemplativam nihilominus Anachoretarum magis amaſſe conſtat, ut inter cetera loca, Alverniæ ſolitudo aperte demonſtrat: quamobrem licet in Ordinis Cœnobiis plures admitteret Sacerdotes, parce tamen eos celebrare cupiebat, ne ex multa miſſarum celebratione nimius ad eorum eccleſias Laicorum fieret concurſus, quæ vitam contemplativam ex-

Quantum S. Pater vitam Monacalem amaverit.

Wadd. ad an. 1226. n. 10. 11.

Dubitat an contemplationi potius, quam prædicationi vacandum.

Chron. p. 1. lib. 2. c. 33. Wadd. ad ann. 1212. n. 19.

S. Pater vitam activam contemplativæ immiſcet.

XVI. *q. 1. hinc eſt etiam.*

Aliud enim &c.

Monachorum & Clericorum varia ſunt officia.

Lit. Pont. ad Regem Hieroſol. & ad Epiſc. Tuſculan.

,, turbant : vel etiam forte , ne aliquando ob aviditatem lucri magis ,
,, quam ob devotionem , ſacra hujuſmodi faciendi in Ordine introdu-
,, ceretur abuſus . Ex hac etiam epiſtola quanta devotione in Eucha-
,, riſtiam flagraret , & quales in eamdem deſideraret S. Pater Sacer-
,, dotes , plane dignoſci poteſt . Interea Eccleſiæ ſanctæ in Oriente res
,, dubiæ & periculis plenæ Summi Pontificis animum urebant ; qua-
,, mobrem pro iiſdem Regi Hieroſolymitano ſcripſit *Audivimus te , &c.*
,, III. idus Auguſti , & Epiſcopo Tuſculano *De communi &c.* Idibus
,, Novembris .

Volaterra C. E.

Indic. ex Oder. cit. fol. 303. & 308.

Bonamicus ibi naſcitur.

Nova Top. in Mart. Rom. Perrerii .

Fit 3. Ordinis S. P. Franciſci .

,, IX. Volaterræ Italis *Volaterra* Civitas Epiſcopalis antiquiſſima
,, Hetruriæ non procul a mari , in edita planitie collis ſita , ad quam
,, XV. ſtadiorum eſt aſcenſus inter Piſas , & Senas , inde XXX. hinc
,, XXIV. M. P. diſtans , a Florentia in Auſtrum ſupra XXX. recedens ,
,, media quaſi reperitur inter Florentiam , & Populonium , fuitque ali-
,, quando una ex primis Tuſcorum Coloniis ; hæc Civitas Bonamicum
,, ſuum Civem mundo edidit chriſtianæ pietatis in exemplum ; Tertii
,, ſiquidem Ordinis ſodalitio adſcriptus , ſanctique Patris Franciſci
,, alumnus , virtute orationis , humilitatis , & patientiæ maxime eluxit ,
,, diemque ſupremum in eadem Urbeglorioſe clauſit hoc anno pridie
,, nonas Julii , deſcribiturque in tabula Sanctorum Tertiariorum juxta
,, monumenta P. F. Hyacinthi a Bajardo tranſmiſsa anno MDCLIV. qui
,, illum in ſuo Theatro Seraphico , quod penes me habeo manuſcriptum ,
,, adnotavit .

Hyacint. a Bajardo in Theat. Seraphico MSS.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant; quæ autem pertinent ad Waddingi vitam ſolo Romano paginæ numero indicantur.

A

Abſtinentia diſcrete ſervanda. 98. XLVIII. XLIX. 99. L.
Achas Toraltauus mirabilis puer. 365. LXIX.
Æditiciorum humilitas Franciſco commendatiſſima. 225. IV. 302. XXXI. 338. XV.
Ægidius S.P.Franciſci Socius. 54. X. 55. XI. pallium pauperi confert. 55. XII. cum Franciſco prædicatum pergit. 55. XIV. bouores contemnit. 56. XV. illuſus patienter ſuſtinet. 145. LX. pia peregrinatione Compoſtellam inviſit. 145. LIX. item Hieroſolymam, & Garganum montem. 240. XXXV. Tuneti evangelizat. 304. XXXIV. Citonii miraculis floret. 120. V. laudatur a D. Bonaventura. 55. XIII.
Africæ converſionem Franciſcus enixe cupit. 181. XI.
Agnellus de Piſis ad Ordinem admittitur. 115. XXV. Anglicanæ Miſſioni præficitur. 303. XXXII. Primus Pariſiorum Guardianus. 310. XLIII. in Oxonienſi Conventu Scbolam erigi curat. 364. LXV. quam deinde diſſolvit. 364. LXVI. ejus laudes, & poſt mortem pretioſus ex carne liquor. 365. LXVIII.
Agnes S. Claræ ſoror ejus precibus convertitur. 127. XXIV. a conſanguineis abſtracta e Monaſterio, Sorore orante, immobilis evadit. 127. XXV.
Agncs altera S. Claræ diſcipula ejuſdem Claræ cilicium diutius ferre non poteſt. 180. LXV. Puerum Jeſum Claræ colludentem, eamdemque Claram cœleſti luce perfuſam videt. ibid.
Albertus Piſanus. 115. XXV.
Albigenſium hæreſis 4. IV.
Alexauder IV. adhuc in Pontificatu Ordinis Protector. 265. V. ejus in Ordinem beneficia. ibid. Alvernæ montem, & eccleſiam a ſeptem Epiſcopis conſecrari jubet. 162. XXXI.
Almaricanorum hæreſis. 4. VI.
Alpbonſus III. Araroniæ Rex in Minoritico babitu ſepelitur. 212. XXX.
Alphonſus IX. Caſtellæ Rex benigne Franciſcum ſuſcipit. 177. LVII. LVIII. 230. XV.
Alpbonſus a Palenzuela. 202. IX.
Alverna mons. 160. XXVIII. & ſeqq. ſciſſus iu Paſſione Chriſti. 164. XXXV. ab Orlando Comite oblatum Franciſcus admittit. 161. XXIX. Franciſco ibi magna cœlitus promiſſa. 164. XXXIV. Antiquior montis Eccleſia. 163. XXXIII. alia recentior. 169. XLV. Magnæ hujus Reliquiæ. 170. XLVI. Meuſa ſacra 164. XXXIV. Sacellum Crucis. 165. XXXVII. Sacrorum Stigmatum impreſſione memorabile. 166. XXXVIII. conſecratur, & indulgentiis ornatur. 166. XXXIX. quotidiana ſupplicatione colitur. 165. XXXVI. Sacellum D. Bonaventuræ, & D. Antonii Patavini. 167. XL. Oratorium, & lectulus S. Franciſci. 168. XLII. Carcer F. Lupi. 231. XVI. amplificatur Montis Cœnobium. 171. XLVII. S. Laurentii interceſſione ab incendio ſervatur. 171. XLVII. celebrata ibi Comitia generalia. 171. XLIX. conſecratur mons univerſus a ſeptem Epiſcopis. 162. XXXI. florent in eo ſancti Viri, inter quos Conradus Offidauus. 165. XXXVI. & Joannes ab Alverna. 169. XLIV. Montis privilegia 172. L. multa ibi Principum diplomata. 172. LI. viſitatur a ſummis Viris. 174. LII. comparatur præcipuis ſacræ Scripturæ montibus 175. LIII.
Amata D. Claræ neptis, & diſcipula. 179. LXIII.
Audegavum. 258. V.
Angeli a Franciſco religioſiſſime coluntur. 103. LVI.
Angeluccia Clariſſa. 180. LXVI.
Angelus a Burgo S. Sepulcri 159. XXIV. ejus obedientiæ ſpecimeu. XXIV. tres Latrones, alioſque convertit. 159. XXV. XXVI. 261. X. XI.
Angelus Carmelita cum SS. Dominico, & Franciſco pium colloquium habet. 254. XVI.

Ange-

Angelus Florentinus vocatur, & rara in in Deiparam pietate floret. 115. xxiv.
Angelus del Pas. xxi. 214. xxxii.
Angelus de Piſis. V. *Agnellus*.
Angelus Reatinus. 79. iii.
Anglia Minores ſuſcipit. 362. lxi. Ordinis ibidem propagatio. 363. lxiii.
Annonæum. 283. ii.
Anonymus Patritius Mediolanenſis qua probatione ad Ordinem admiſſus. 144. lvii.
S. Antonius Abbas Martyrium expetit. 198. v.
Antonius ab Aquila Zamorenſis Epiſcopus Franciſcanis addictiſſimus. 207. xix.
Antonius Hiquæus. xx.
Sanctus Antonius Patavinus naſcitur, pieque educatur. 358. lv. Sancti Auguſtini Inſtituto ſe conſecrat. ibid. mutat Monaſterium. ibid. intendit ſacræ Lectioni. 359. lv. vult æmulari Martyrum triumphum. 359. lvi. Habitum Minorum obtinet. ibid. ad Martyrium abiens, alio avertitur. 360. lvii. Franciſci cella ſe indignum reputat. 167. xi. pii Fratris animam in Cœlum efferri videt. 276. xxiv. ejus opus Concordantiæ biblicæ xxii.
Antonius a Trejo Minorita Philippi III. pro Immaculata Conceptione Legatus. xii.
Aſculani in Franciſcanos bene affecti. 234. xxv. triginta ſimul juvenes Franciſcum ſequuntur. 133. xxxvii.
Aſſiſium S. P. Franciſci patria. 19. vii. de eadem Civitate B. Silveſtri viſio. 64. xxxix.
Aſta Civitas. 186. viii.
Auguſta Taurinorum. 191. xiii.
Auguſtinus de Aſſiſio, ejuſque laudes. 94. xxxviii.

B

BAlbina Claræ diſcipula, ejuſque virtutes. 214. xxxiv. 241. xxxvi.
Barbarus de Aſſiſio S. P. Franciſci diſcipulus paupertatis amantiſſimus. 64. xxxvi. duriuſculi verbi culpam ſevere diluit. 322. lvii.
Barberini Cardinales afflictis Hibernicis rebus favent. cxxx.
Bartholomæus de Colle. 158. xxi.
Bartholomæus de Florentia. 137. xliii.
Beatrix Thomæ Sabaudi uxor tunicæ partem a D. Franciſco obtinet. 195. xvi.
Benedicta prima poſt Claram Abbatiſſa. 214. xxxiv.
Benedictini Monachi ædem Portinnculæ Franciſco tribuunt. 89. xxvi. annuum propterea cenſum recipiunt. 90. xxx. in Monaſterio Montanæ Nigræ Minorum Inſtitutum amplectuntur. 328. lxvi.
Benedictus Aretinus floret. iii. xvi. inſtituitur Marchiæ Miniſter. 248. iii. magno in Græcia profectu laborat. 304. xxxiii.
Benedictus de Gavoraceio, ex Auguſtiniano Franciſcanus. 137. xliii.
Benevenuta Anconitana Tertii Ordinis. 165. xxxvi.
Benevenuta Aſſiſias Clariſſa. 18. lxvi.
Benevenuta de Peruſio clariſſa. 181. lxvii.
Benevenutus S. P. Franciſci Socius. 334. vii.
S. Berardus, ſive Bernardus de Corbio initiatur. 155. xvii. mittitur ad Miramoliui Regnum. V. *Martyres*.
Bergomum. 245. iv. SS. PP. Dominici & Franciſci in hanc Urbem adventus, eiſque attributæ ædes. ibid. & 333. v.
Bernardinus ab Alverna. 175. lii.
S. Bernardinus Senenſis S. P. Franciſci Conventum apud Caſtrum S. Urbani inſtaurat. 155. xvi.
Bernardus a Quintavalle S. P. Franciſci primogenitus. 51. i. Franciſci ſanctitatem explorat. 51. ii. Franciſcum ſequi deliberat. 52. iv. Bona pauperibus diſtribuit. 54. viii. mittitur in Hiſpaniam. 247. ii. A Seraphico Patre infirmi curam accipit. 176. lvi. Bononiæ multa patienter ſuſtinet. 116. xxviii. domumque ſuis acquirit. ibid. fovetur a Nicolao de Pepulis 117. xxix. Ab Angelo trans fretum vehitur. 344. xxiv.
Bernardus de Viridante ſocius S. P. Franciſci. 64. xxxvii.
S. Brigittæ revelatio de Ordine Minorum. 295. xxi.
Bonamicus Volaterranus. 373. ix.
Bonaventura Urbevetani Conventus ædem abſolvit. 257. xx. inſigne humilitatis ſpecimen præbet. 136. xliii. ipſius in Alverna Sacellum. 167. xl.
Bonellus. V. *Joannes Bonellus*.
Bonitius Bononienſis Franciſci in gravibus rebus adjutor. 337. xii. Socium habet Franciſcus Regulam a Chriſto accipiens. ibid. eidem poſt mortem apparens vulnera oſculanda præbet. ibid.
Bugella Civitas. 243. iii.
Bzovius errat de approbatione Regulæ Minorum. 82. x. de rebus Franciſcanis minus ſincere ſcribit. 298. xxii. ſibi contradicit. 298. xxiii.

Cæ-

C

CÆcilia S. Claræ diſcipula ipſius precibus ab infirmitate liberatur. 241. xxxvii.

Cæſarius de Spira. 348. xxxiii.

Caluſium Oppidum 221. ix.

Capitii S. P. Franciſci forma. 47. v. 48. vi.

Capitulum primum Generale Aſſiſien. 246. t. 257. i. in eo totius Europæ Miſſiones a Franciſco deſignantur. 247. ii.

Capitulum aliud Generaliſſimum. 286. iv. decoratur præſentia S. P. Dominici. 286. v. & ſeqq. & Cardinalis Hugolini. 291. xiv. univerſo Conventui prædicat Franciſcus. 292. xv. Dei in hac Synodo providentia. 293. xvii. quingenti ad Ordinem admittuntur. ibid. mira Fratrum auſteritas. 294. xviii. Conciliabulum opponit Satanas. 294. xix. quod a Seraphico Patre detegitur. 295. xx. tria ſtatuta hujus Synodi. 302. xxx. tertium Capitulum in quo, ſummoto Elia, S. P. F. Petrum Cataneum Generalem creat. 344. xxv.

Cardinales, viriſque Principes Franciſco addicti. 86. xvii.

Cardinalis Ordinis Protector. V. *Protector*.

Caroli Magni in Alverna viſio. 161. xxx.

Chriſtus Franciſcum alloquitur. 31. xvii. eidem apparet in ſolitudine. 29. x. in æde Portiunculæ. 90. xxix. in Alverna. 164. xxxiv. cum ſuis de divinis rebus agenti. 106. ii. Fratrem ex Ordine abeuntem revocat. 349. xxxvii. Chriſto conformis in pleriſque Franciſcus. 58. xxi. ex imagine ridentibus in Choro indignationem indicat. 364. lxvii. Chriſti imitatio. 148. iii. eique debitæ laudes. 151. iii. Chriſti paſſionem Franciſcus deflet. 31. xix. 50. xii. Natalitium diem ſummo gaudio celebrari cupit. 239. xxxii.

Sanctæ Claræ genealogia. 124. xv. Hortulanæ matris virtus. 123. xiv. præſagium futuræ ſanctitatis. ibid. nomenclatura. 124. xvi. educatio. 124. xvii. in tenella ætate pietas. 125. xviii. Franciſcum ſpiritualis vitæ ducem habet. 125. xix. & ſeqq. ejus manibus tondetur. 126. xxii. caſtitatis propoſitum emittit. 125. xx. fruſtra a conſanguineis tentatur. 126. xxiii. precibus Agnetem ſororem convertit. 127. xxiv. quam adverſus conſanguineorum conatus immobilem reddit. 127. xxv. apud Eccleſiam S. Damiani ſtationem figit. 128. xxvi. de oratione, vel prædicatione Minorum Dei voluntatem orans intelligit. 130. xxxii. ejus exemplo multi ad clauſtra convolant. 128. xxvii. diſcipulas ſanctitate inſignes habet. 179. lxii. & ſeqq. 241. xxxvi. xxxvii. Abbatiſſæ officium abdicare cogitans, jubente Franciſco, retinet. 241. xxxviii. ejus humilitas. ibid. aſperrimo cilicio utitur. 180. lxv. Benevenutæ Peruſinæ loquelæ uſum reſtituit. 181. lxvii. excellit gratia ſanitatum. 179. lxii. & ſeqq. 241. xxxvi. xxxvii. Puer Jeſus ei colludit. 180. lxv. lxvi. luce magna perfunditur 180. lxv.

Clariſſarum Regula ab Hugolino præſcripta. 313. xlvii.

Conciliabulum Satanæ adverſus Minores. 294. xix. Alterum. 295. xxi.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Ordinem Minorum approbat. 239. xxxiv.

Conſtantia Auguſta Friderici II. mater, an fuerit Clariſſa. 128. xxvii.

Conventus Abulenſis. 209. xxiii. Aillonii Saguntinæ Diœceſis. 211. xxiv. Anconæ. 321. lvi. Andegavi. 258. vi. S. Angeli de Pantanellis. 251. x. Annonæi. 283. ii. Arevalenſis. 209. xxiii. Aſtenſis. 186. viii. Avillianenſis. 193. xv. Barcinonenſis. 212. xxix. hujus Eccleſiam conſecravit S. Ludovicus Toloſanus. 212. xxx. jacent ibi Regii ſanguinis viri ac mulieres. ibid. Conventus Bergomenſis. 245. iv. Benacenſis. 334. vi. Bilbilienſis. 330. ii. Bononienſis. 116. xxviii. alter S. Pauli. 339. xvii. Bugellenſis. 243. iii. Burgenſis. 178. lix. Cæſarauguſtanus. 307. xl. Calagurianus 330. iii. Caluſianus. 221. ix. Camerinenſis *Experimenti*. 234. xxiii. Capranicenſis. cv. Carceris in monte Subaſio. 242. xxxix. Carrionenſis. 282. xii. Cayrenſis in Liguria. 182. iv. 184. vi. Cerbaroli. 281. x. Cherienſis. 189. xi. Citonius. 119. v. Civitatenſis in Hiſpania. 207. xix. Colphanus. 236. xxvii. Compoſtellanus. 200. vi. vii. Conimbricenſis S. Antonii. 274. xxii. Conimbricenſis ad Mondæ Ripam. 368. lxxiii. Cornietenſis. 220. vii. Cortemillienſis. 185. vii. Cortonenſis. 108. ix. Corunnienſis. 201. viii. Cremonenſis. 334. vi. Cunei. 370. v. Eremitæ prope Oppidum Sancti Gemini. 154. xvii. Florentinus Sancti Galli. 113. xx. 114. xxiii. Sancti Franciſci prope Caſtrum Sancti Urbani. 155. xiii. & ſeqq. Fulginei. 152. v. Gangthereti. 112. xviii. xix. Sancti Geminiani in Tuſcia. 115. xxvi. Græcii multis nominibus memorabilis.

lis 271. xiv. & ſeqq. Jerabricenſis. 275. xxiii. Sancti Ignis. 176. lv. Ilerdenſis non ſine miraculo conſtructus. 249. vii. Sancti Iſidori de Urbe, cum ampla ipſius deſcriptione. lxii. & ſeqq. Juliobrigenſis. 196. i. Lenſienſis. 367. lxx. Lovanienſis Sancti Antonii. cxix. Matritenſis. 209. xxiv. 210. xxv. Mantuanus. 334. vii. Sanctæ Mariæ Angelorum Cautianæ Diœceſis. 208. xxi. Sanctæ Mariæ de Ferneto. 280. vii. Sanctæ Mariæ de Jeſu in Catalonia. 282. xii. Sanctæ Mariæ de Nemore in Valle Reatina. 273. xviii. Sanctæ Mariæ de Scarzola. 281. vi. Sanctæ Mariæ de Valle Saxea prope Fabrianum. 232. xx. 233. xxi. Maſſæ in Piceno. 236. xxvii. Matellicæ. 234. xxiv. Mediolanenſis. 144. lvii. Sancti Miniati in Tuſcia. 115. xxvi. Mirapicenſis in Aquitania. 367. lxxii. Moncaleſienſis. 190. xii. Mondavii in Piceno. 236. xxvii. Montanæ Nigræ. 328. lxvi. Guardiani hujus Cœnobii viſio. 329. lxviii. montis Cœli Cantianæ Diœceſis. 209. xxii. montis Columbæ, accepta ex ore Chriſti Regula, aliiſque monumentis inclytus. 273. xix. xx. montis Falconis in Piceno. 236. xxvii. montis Ferrandi. 278. iii. montis Luci prope Spoletum. 282. xii. montis Regalis in Pedemontio. 370. iii. Nuetenſis. 211. xxvii. Opreni in Inſubria. 225. iii. Oxonienſis. 363. lxiv. Pariſienſis. 310. xliii. Perpiniani. 213. xxxii. Pignani in Piceno. 236. xxvii. Piſarum, Piſani vici, & Piſciæ. 115. xxv. Podii Bonitii. 157. xix. & ſeqq. Podii Buſconis, ubi pulchra S. P. monumenta. 274. xxi. Portiunculæ. V. *Portiuncula*. Pragenſis Immaculatæ Conceptionis. cxx. Ribadei. 202. x. Riparolii. 221. viii. Sancti Sabini prope Aſculum. 234. xxv. Sartiani. 118. i. Scarpariæ multis nominibus laudandus. 135. xliii. Siroli. 234. xxiv. Spoleti. 153. vii. Taurini. 192. xiv. Toleti. 276. xxvi. Trabis Bonatæ in Piceno. 235. xxvi. Sancti Trudonis in Belgio. 367. lxx. Tudellæ. 212. xxix. Turiaſonis. 217. ii. Turolii. 367. lxxi. Venetiarum Sancti Franciſci in Deſerto, & Sancti Franciſci a Vineis. 333. iv. Vercellarum. 223. xii. xiii. Victoriæ. 197. i. Viennæ Allobrogum. 278. iii. de Villa in Provincia Bononienſi. 242. xl. Villæfrancæ. 277. xxviii. Vimarani. 276. xxv. Ulyſſiponenſis. 275. xxiii. Yporienſis. 243. ii.

Corradus Offidanus montis Alvernæ incola quinque mortuorum ſuſcitator. 265. xxxvi.

Cuneus in Pedemontio. 370. iv.

D

DÆmon inobedientiæ auctor. 349. xxxiv. Franciſco ab infantia infenſus. 20. ii. ludicro eum ſpectaculo aggreditur. 30. xvi. novas in ipſum torquet inſidias. 118. iii. præcipitio collidere nequicquam tentat. 168. xli. Dæmones laceſſit Franciſcus. 134. xli. Aretio fugat. 111. xiv. prohibet ne Fratrem deinceps tentent. 138. xlv. ab iis male affectus patienter ſuſtinet. 227. ix. Dæmonum Conciliabula adverſus Minores. 294. xix. 295. xxi. Dæmonis ad ſanctum Dominicum ex energumeno reſponſa. 297. xxii.

Damiatæ ſiniſtrum Fidelium cum Saracenis bellum. 322. lviii.

David Dinantius hæreticus. 4. vii.

Deus ſingularem habet providentiam de Eccleſia. 3. i. & de Ordine Minorum. 11. xxiii. quod Angeli revelatione confirmatur. 155. xiii. potens Dei vocatio. 80. iv. vindicat injurias Sanctis illatas. 310. liii. ipſorum reliquias mirabiliter ſervat. 352. xli. 354. xlviii.

S. Dionyſius Areopagita martyrii deſiderio flagrat. 198. v.

Diſcipuli S. P. Franciſci omnes ſimul mirabiliter conveniunt. 65. xli. impenſe a Franciſco diliguntur. 97. xlvi. eximiæ eorum virtutes. 139. xlvii. & ſeqq.

Sanctus Dominicus cum Franciſco prænunciatur a Sibylla Erithræa. 13. ii. a Joachimo Abbate. 15. v. a Zacharia Propheta. 14. iii. rarum inter utrumque amoris vinculum. 285. ii. conveniunt Romæ. 254. xvi. Bergomi. 333. v. Cremonæ, ubi Dominicus cœnoſam aquam puram reddit. 334. vi. deliberant de non admittendis prælaturis. 284. i. in Minorum Synodo precibus annonam impetrant. 289. xi. utriuſque nobiliſſimum par commendatur. 8. xix. & ſeqq. 254. xv. Dominicus Ordinis Prædicatorum approbationem obtinet in Concilio Lateranenſi. 240. xxxiv. & ab Honorio III. 252. xiii. in Hiſpaniam pergit. 177. lviii. Martyrium ſitit. 198. v. miram habet viſionem. 252. xiii. intereſt Comitiis Minorum. 286. v. & ſeqq. ablegat a ſua Religione poſſeſſiones. 292. xvi. Dæmonem ex energumeno reſpondere cogit. 297. xxii. de ipſo plura. 288. vii. viii.

Eccle-

E

Eccleſia ſub ortu Dominici, & Franciſci graviſſime laborat. 3. i. vexatur a pluribus bæreticis. 3. ii. & ſeqq. a Friderico I. 5. viii. ab Henrico V. 5. ix. ab Ottone IV. 5. xi. a Friderico II. 6. xii. ab Imperatoribus Orientalibus. 6. xiii. a vitiis fidelium. 6. xiv. a perfidia Judæorum. 7. xv. Minorum, & Prædicatorum Ordinibus ſublevatur. 7. xvi. & ſeqq. Eccleſiæ Romanæ in ſuos protectionem Franciſcus auſpicatur. 262. ii.

Eccleſia S. Mariæ Angelorum. V. *Portiuncula*.

Eccleſiaſtici honorandi. 149. iii.

Electi Martyrium. 304. xxxv.

Eleemoſynæ petendæ modus. 72. ii. eleemoſinæ fructus. 149. iii. ex exceptis eleemoſynis Franciſcus in pauperes liberalis. 109. x.

Elias initiatur. 109. ix. multa molitur in præjudicium Regularis diſciplinæ. 331. i. reprehenditur ob habitum cultiorem. 340. xx. monetur non recte vetitum Fratribus carnibus veſci. 344. xxiii.

Eliſabetha Hungariæ naſcitur. 66. xliv. deſponſatur Lantgravio Principi. ibid. Matris necem quo animo tulerit. 214. xxxv. adoleſcentulæ virtutes, & in templis reverentia. 215. xxxv. Oratio. 215. xxxvi. feſtorum dierum cultus. 215. xxxvii. patientia in injuriis. 216. xxxix. Joannem Apoſtolum Patronum colit. 215. xxxvi. in conſpectu Crucifixi coronam deponit. 216. xxxviii. magni fit a ſponſo. 216. xxxix. xl.

Epiſtola S.P. Franciſci ad univerſos Fideles. 147. ii. altera ad eoſdem. 148. iii. ad Poteſtates Sæculares. 306. xxxvii. ad Eccleſiaſticos. 306. xxxviii. ad Ordinis Cuſtodes. 307. xxxix. ad Fratres omnes 371. vii.

Eraſmus Alberus Franciſcum calumniatus refellitur. 32. xxi.

Euchariſtiam ſumme colit Franciſcus. 102. lvi. ab aliis frequentari cupit. 149. iii.

Engenius IV. Alvernæ montem ad Obſervantium Familiam devolvit. 162. xxxii.

Sanctus Euſebius Epiſcopus Vercellen. tria Deiparæ ſimulacra invenit. 244. iii.

F

Fames in univerſa Italia. 164. xxxiv.

Ferdinandus de Illeſcas. 210. xxv.

Ferdinandus Ughellus. xxxiv.

Florentius Conſius Archiepiſcopus Tuamenſis. xv.

Franciſca Clariſſa. 180. lxvi.

Sanctus Franciſcus prænunciatur. V. *Dominicus*. De Franciſco in Apocalypſi Vaticinium. 14. iv. Franciſci ortus. 16. i. Parentes. 16. ii. Genealogia. 17. iii. ſtemma gentilitium. 18. v. Patria. 18. vi. nativitatis locus. 19. viii. Baptiſmus. 20. i. Nomenclatura. 21. iii. adoleſcentis mores, & mercaturæ exercitium. 22. vii. exceſſus in ſumptibus: 23. viii. virginitas. 23. ix. liberalitas. 24. xv. conſtantia in adverſis. 25. xviii. miſeratio erga derelictum. 25. xix.

S. Franciſci geſta a ſua converſione ad Ordinis initium.

Ex infirmitate mundi contemptum contrahit. 26. i. ii. pius in pauperes. 26. iii. ſublimem habet viſionem. 27. iv. arma tentat. 27. v. cœlitus edoctus conſilium mutat. 27. vi. inter ludicra cœleſtia cogitat. 28. vii. Dei voluntatem precibus explorat. 28. viii. leproſum oſculatur ſubito diſparentem. 28. ix. oranti Crucifixus apparet. 29. x. pietate fervet erga leproſos. 29. xi. pauperes. 29. xii. Sacerdotes. 30. xiii. viſitat limina Apoſtolorum. 30. xiv. ad valvas Vaticani egenum induit. 30. xv. concutitur a Dæmone. 30. xvi. orans Chriſtum loquentem audit. 31. xvii. divinæ voci obtemperat. 31. xviii. afficitur memoria paſſionis Chriſti. 31. xix. pro reparanda Eccleſia pannos vendit. 32. xx. Patris iram declinat. 34. xxv. hac in re miraculum. ibid. illuſus patienter ſuſtinet. 35. xxvi. denuo vexatur a Patre. 35. xxvi. & ſeqq. citatur apud Conſules Aſſiſii. 35. xxviii. denudat ſe coram Epiſcopo. ibid. cujus brachiis excipitur. 37. xxx. format ſibi veſtem in formam Crucis. 37. xxxi. a latronibus indigne tractatur. 38. i. ſervit in quodam monaſterio. ibid. fovetur ab amico. 38. ii. frequens in xenodochiis oſculo leproſum ſanat. 39. iii. mendicat inter ſuos. 39. v. deridetur a Concivibus. 40. vi. honoratur a piis viris. 40. vii. reparat Eccleſiam ſancti Damiani. 40. viii. ſancti Petri. 42. xii. & ſanctæ Mariæ Angelorum. 42. xiv. lautiorem cibum refugienti mendicatus dulceſcit. 41. viii. pio remedio paternas diras eludit. 41. ix. irridenti Fratri prudenter reſpondet. 41. x. imaginem Crucifixi lampadarum accenſione colit. 42. xi. dediſcit verecundari coram hominibus. ibid.

Ad Ordinis exordium, & propagationem pertinentia.

Paupertatem evangelicam amplectitur. 45. I. novum aſſumit indumenti genus. 47. IV. ſocios acquirit Bernardum a Quintavalle. 51. I. Petrum Cataneum. 54. IX. Ægidium Aſſiſiatem. 54. X. Sabbatinum. 56. XVII. Moricum. 56. XVIII. Joannem de Capella. 57. XIX. Philippum Longum. 60. XXVIII. Conſtantinum, & Barbarum de Aſſiſio. 63. XXXVI. Bernardum de Viridante. 64. XXXVII. Silveſtrum de Aſſiſio. 64. XXXVIII. & Angelum Reatinum. 69. III. primam conſcribit Regulam. 66. I. 67. II. Romam pergit. 79. III. fovetur a Guidone Aſſiſiate Epiſcopo, & Joanne Cardinali. 81. VII. agit cum Innocentio III. de approbatione Regulæ. 81. VIII. 82. IX. motam hac de re difficultatem ſuperat. 83. XI. XII. Pontificiam approbationem obtinet. 85. XV. a quo cum ſuis ad profeſſionem admittitur. 85. XVI. Romanæ Curiæ favorem experitur. 86. XVII. redit in vallem Spoletanam. 87. XX. 88. XXII. Hortam divertit. 87. XXI. moratur apud Rivum tortum. 88. XXIII. accipit ædem Portiunculæ. 89. XXVI. alios plures ad Ordinem recipit. 91. XXXII. & ſeqq. piam ſuorum familiam frequenter inſtruit. 104. LIX. Claram convertit. 122. XI. V. *Clara*. Dubitans num prædicationi inſtet, vel contemplationi cœlitus inſtruitur. 129. XXIX. & ſeqq. 372. VIII. Innocentio III. ſtatum ſui Ordinis exponit. 131. XXXV. convertit Romæ Zachariam Romanum, & Guillelmum duodenarium ſocium loco perditi Joannis de Capella. 132. XXXV. pium fœdus init cum Jacoba de Septemſoliis. 132. XXXVI. in Concilio Lateranenſi Ordinis approbationem obtinet. 239. XXXIII. XXXIV. Prædicat coram Honorio III. oblitus eorum, quæ ſtuduit. 263. III. impetrat a Pontifice Apoſtolicas litteras in ſuorum commendationem. 301. XXVIII. monetur cœlitus de petendo Cardinali Protectore. 262. II. primum obtinet Hugolinum Cardinalem Hoſtienſem. 263. IV. V. *Hugolinus*. Bis in anno Capitula fieri ſtatuit. 139. XLVII. primum celebrat Capitulum generale. 246. I. 257. I. alterum ad miraculum numeroſum. 284. I. V. *Capitulum*. Tertium. 344. XXV. Periclitatur ſuorum idoneitatem circa munus prædicationis. 105. II. præſcribit quomodo ſe habere debeant in Miſſionibus. 248. V. negat prædicandum eſſe abſque conſenſu Epiſcoporum. 300. XXVI. approbat ſacrarum litterarum ſtudium, & qua œconomia. 346. XXVIII. ad excolendam vineam Domini alumnos mittit in omnes Italiæ Provincias. 106. III. in Europam univerſam. 247. II. & ſeqq. in pleraſque totius Orbis regiones. 303. XXXII. ipſe ingenti animarum lucro ſuique Ordinis ampliatione peragrat Umbriam. 152. V. vallem Reatinam. 59. XXIV. 79. III. 270. XI. Picenum. 55. XIV. 133. XXVII. 231. XVIII. Tuſciam. 106. III. 118. I. 135. XLIII. 157. XIX. V. *Alverna*. Pedemontium. 182. III. 219. V. 243. XI. Langobardiam. 224. I. 333. V. 369. I. Hiſpaniam. 176. LVI. 196. I. 207. XIX. 217. I. Luſitaniam. 203. XII. Franciæ iter cogitat. 251. X. abſiſtit ſuadente Cardinali Hugolino. 261. I. Ordinis regimine Eliæ tradito in Orientem pergit. 321. LV. a Saracenis capitur, & male afficitur. 324. LIX. ſiſtitur Soldano, ejuſque munera ſpernit. 324. LX. LXI. in alias Orientis partes excurrit. 327. LXIII. LXV. ſolemniter excipitur a Monachis Montanæ Nigræ. 328. LXVI. renovata coram Soldano prædicatione in Italiam redit. 332. III. divertit in Eremum Camaldulenſem. 339. XVIII. Eliæ laxitates tollit. 340. XX. viſionem habet de diverſis Ordinis ſui ſtatibus. 341. XXI. reſiſtit petentibus relaxari Ordinis rigorem. 299. XXIV. concedit a tranſgreſſoribus Regulæ recedere. 348. XXXIII. ad Miramolini regnum Berardum, & ſocios Protomartyres mittit. 318. XLIX. exultat de illorum trophæo. 351. XL.

Sancti Franciſci virtutes.

Caritate totus igneus. 102. LV. deflet Chriſti paſſionem. 50. XII. ſumme veneratur ſanctam Euchariſtiam. 102. LVI. Deiparam. 103. LVI. Angelos, ſanctoſque omnes. ibid. cupit mori pro Chriſto. 131. XXXIV. 197. II. III. præcurrit ſocios ad martyrium. 152. IV. in Oratione aſſiduus. 100. LII. animarum ſalutem ſitit. 103. LVII. prædicat pœnitentiam. 50. X. intrepide reprehendit peccata. 107. IV. piiſſimus erga ſuos. 97. XLVI. 98. XLVIII. 99. I. erga egenos. 109. X. 158. XXIII. erga leproſos. 141. LII. 142. LIII. paupertatis ſtudioſiſſimus. 100. LI. 251. XI. XII. 256. XVIII. quam ſumme expetit in cella. 118. II. habitu. 340. XX. ædibus 225. IV. 282. XI. 302. XXX. XXXI. 338. XV. XVI. ſuos mendicare docet. 58. XXII. prædia contemnit. 59. XXIII. propriam cellam non admittit. 119. IV. juvenem ſua pauperibus non relinquentem ad Ordinem non admittit. 321. LV. corripit ſocium

Digitized by Google

ſocium ſiniſtra de paupere ſuſpicantem. 336. xviii. in rerum inopia impenſe gaudet. 251. x. nihil Novitiorum detineri permittit. 345. xxvi. negat licentiam habendi multos libros. ibid. & Novitio habendi pſalterium. 345. xxviii. mira ejus humilitas inter opprobria. 104. lviii. 285. iii. & honores. 120. vii. 121. viii. ix. ſeſe palam accuſat. 143. lv. lvi. Immolenſem Epiſcopum humilitate flectit. 176. liv. ruſtico pie hortanti pedum oſcula retribuit. 229. xii. vanæ gloriæ tentationem precibus vincit. 279. ii. virginitate perpetua nitet. 23. ix. & ſeqq. ob ejus cuſtodiam in nivem demergitur. 101. liii. ſcortum vincit in prunis illæſus. 327. lxiv. rigide ſecum ipſe agit. 101. liv. jejunii quadrageſimalis œconomia. 102. lvi. ſolus in inculta Inſula quadraginta diebus medio veſcitur pane. 110. xii. punit in ſe appetitum edendæ gallinæ. 228. xi. ad aliorum exemplum auſteriſſimum adhibet vitæ genus. 103. lvii. 279. i. infirmitates patientiſſime ſuſtinet. 146. i. obedientiæ virtutem zelat. 280. v. vi. in Ordinis regimine vigilantia. 118. xlvi. in hypocriſim odium. 143. lvi. ſolitudinis amor. 156. xvii. 227. ix. 228. x. ignea prædicatio. 160. xxvii. 183. v. 337. xiii. erga irrationalia humanitas. 256. xix. 271. xv. cum hoſte certamina. V. *Dæmon*.

Sancti Francisci virtutum monita.

Diſcipulos pio ſermone alloquitur. 61. xxx. hortatur ad mendicationem. 97. xlvi. ad paupertatem. 100. li. 128. xlvi. ad contemptum pecuniæ. 105. l. ad auſteritatem ſimul, & diſcretionem. 98. xlix. ad fugam otii. 99. l. ad præcavendam mulierum frequentiam. 101. liii. & familiaritatem Monialium. 352. xlv. ad prædicationem. 105. ii. ad cultum rei ſacræ, honoremque Sacerdotum. 137. xliv. ad fiduciam de divina providentia. 230. xlv. ad pacem cum Clericis. 301. xxvii. aureum de humilitate oraculum. 104. lviii. de ſcientia ſine operibus. 346. xxvii. de timore Domini. 349. xxxvi. virtutes boni prædicatoris. 347. xxx. xxxi. piiſſimæ S.P. epiſtolæ. V. *Epiſtola*.

Sancti Franciſci gratiarum dona, & miracula.

Revelationem habet de peccatorum facta ſibi remiſſione. 59. xxv. precibus avari converſionem impetrat. 153. vii. trium latronum pęnitentiam. 159. xxvi. hoſpitis vocationem. 238. xxxi. alterius fervorem. 281. viii. apparent illi Chriſtus & Deipara 90. xxix. 228. xxx. itèrum Chriſtus. 106. ii. Deipara puerum Jeſum in ulnas tradit. 237. xxix. apparent Apoſtolorum Principes. 251. xii. de naſcente Ordine ſublimem habet viſionem. 81. vi. deque ſuper venturis in eo ſtatibus. 341. xxi. cœlitus monetur de ſciſſo Alverna in paſſione Chriſti. 230. xv. de latentibus ſacris reliquiis. 231. xvii. 239. xxxii. de futura Ordinis amplitudine. 201. viii. iratum Filium a Deipara ſuis, & Dominici meritis placari videt. 253. xv. apparet Fratribus in curru igneo. 88. xxv. ſupernum fulgorem nocturni itineris ducem habet. 176. lv. ſplendida nube obvolvitur. 228. x. Thau ſignatus videtur. 134. xl. divino ardore flagrans, oris anhelitu Maſſeum in ſublime tollit. 251. xi. Prophetico ſpiritu afflatur. 52. iii. Eccleſiam ſancti Damiani Monialibus attribuendam prædicit. 42. xii. Ordinis amplitudinem. 56. xvi. 60. xxvi. varioſque in eo ſtatus. 60. xxvii. prope Robledillium in Hiſpania ædificandum ſuis Conventum. 208. xx. item prope Numantiam. 21. xxviii. in monte Peſſulano. 214. xxxiii. & in valle Fabriani. 232. xix. Ottonem imperio exauctorandum. 65. xliii. Peruſinis inteſtinum bellum. 107. iii. pueri vocationem. 115. xxiv. quemadmodum, & Plebani. 233. xxii. adoleſcentis teporem. 143. liv. falſi Fratris apoſtaſiam. 349. xxxv. Guidonis ſanctitatem. 108. viii. martyrium Angeli Carmelitæ. 254. xvi. domus ruinam. 231. xviii. hoſpitis familię perpetuum incrementum. 228. xi. Hugolini pontificatum. 269. x. apud Damiatam ſiniſtrum belli eventum. 322. lvii. expenditur vaticinium de Luſitanico Regno ſancti Patri attributum. 204. xiii. & ſeqq. divinitus intelligit ſocii cogitationes. 340. xix. Dæmonum contra Ordinem inſidias. 295. xx. abſentis Fratris periculum. 280. iii. alterius ſcandalum. 280. iv. alterius item inobedientiam. 349. xxxiv. miraculoſe paſcitur. 87. xx. 214. xxxiii. 224. ii. viaticum ejus in maritimo itinere non conſumitur. 133. xxxviii. panes multiplicat. 114. xxii. miraculo ab inſidiis defenditur. 224. i. procacem juvenculam tradit Satanæ. 227. viii. energumenam liberat. 156. xviii. ſanat curvum & obliquatum. 112. xvii. lethaliter infirmum. 177. lvii. laborantem morbo caduco. 334. vii. altero oculo cœcutientem. 338. xiv. effoſſis oculis obcęcatum. 82. viii. cæcam item puel,

puellam. 131. XXXIII. mutam a nativitate. 183. v. mortuos ad vitam revocat. 154. x. xi. 203. xii. in moute Alverna. V. *Alverna*. Narniæ multa edit ſigna. 156. xvii. multa item in valle Reatina. 270. xii. & ſeqq. verbo formicas abigit. 227. viii. pullum Aſini cohibet. 153. vi. obediunt aves, & concionantem audiunt. 130. xxxiii. 131. xxxiv. ad nutum ſilent. 242. xl. ſilent, atque iterum canunt. 333. xl. ad Alvernam accedenti lætiſſime applaudunt. 229. xiii. ſaluberrimum fontem aperit. 207. xix. educit aquam de petra. 229. xii. in vinum acetum vertit. 154. ix. & aquam. 154. xii. 235. xxvi. miraculoſe colitur ager hominis Franciſco inſervientis. 232. xx. baculum in frondoſam ilicem excreſcere facit. 256. xix. duravit uſque ad annum 1615. in quo exciſa. 257. xix. Miraculis commendatur. ibid. cedit quieſcenti lapis, & liberandi a renium dolore virtutem accipit. 281. ix. illeſum de igne capitium extrahit. 281. vi. obedit hirundo nomine Franciſci juſſa. 131. xxxiv.

Franciſcus Dux lucis, & pacis. 13. l. præco penitentiæ. ibid. Angelus habens ſignum Dei vivi. 14. iv. Chriſto in pleriſque conformis. 58. xxi. 255. xvi. *Paupertatis* titulo cœleſti ſalutatione decoratur. 256. xvii. laudatur ab Epiſcopo Interamneuſi. 153. viii. a Jacobo Taurinenſi Epiſcopo. 192. xiv. ab Hugone Seſſa Epiſcopo Vercellenſi. 222. xi. ingentes ubique honores accipit. 121. ix. Sanctum omnes appellant. 157. xix. excelſa ejus in Cœlo ſedes. 134. xlii. V. *Dominicus*.

Franciſcus Gonzaga per Angelum ad Græcii locum ducitur. 273. xviii.

Franciſcus a Platea. 339. xvii.

Franciſcus Spoletinus martyr. 153. v.

Franciſcus a ſancto Stephano. 158. xxi.

Fridericus I. Eccleſiæ infenſus. 5. viii. Secuſiam vaſtat. 194. xvi.

Fridericus II. 105. lx. Eccleſiam turbat. 6. xii. Soldani Ægyptii mortem luget. 326. lxii.

G

GAllicana primorum Minoritarum miſſio. 247. ii. a miraculo incipit. 250. viii.

Germanica miſſio. 247. ii. initio minus proſpere cedit. 250. ix.

Gertrudis S. Eliſabethæ mater a Bancbano occiditur. 214. xxxv.

Gualterus a Brenna. 27. v.

Gualterus Vimaranenſis domus in Luſitania fundator. 276. xxv.

Gualterus Waddingus. iii.

Guido Epiſcopus Aſſiſias Franciſco temporalium bouorum poſſeſſionem ſuadet. 59. xxiii. eumdem Romæ ſuſcipit. 81. vii. languentem hoſpitio fovet. 143. liv.

Guido Citonius. 120. v.

Guido Cortonenſis initiatur. 108. viii. inſtruitur a Seraphico Patre. 108. ix. ſolitarius ſub rupe vivit. 110. xiii.

Guillelmus Anglicus. 132. xxxv.

Guillelmus a Cortemillio Franciſcum ſequitur. 337. xii. ſolutam Navem precibus in Portum reducit. 284. ii.

H

HAbitus S.P. N. Franciſci. 47. iv. & ſeqq. myſtica Franciſcanæ veſtis ſignificatio. 49. ix. habitus Franciſci Stigmatibus inuſti. 47. v.

Hæretici naſcente Minorum Ordine graſſantur: Waldenſes. 3. ii. Humiles. 3. iii. Albigenſes. 4. iv. familiæ amoris. 4. v. Almaricani. 4. vi. aliique. 4. vii. a Minoribus profligantur. 9. xxi. 307. xl. 309. xli.

Haroldus Minorum Anuales proſequi jubetur. xlvii.

Henricus III. Angliæ Rex Minoribus favet. 363. lxiii.

Henricus V. Imperator utramque Siciliam divexat. 5. ix. enormiter crudelis. 5. x.

Henricus VIII. Imperator Alvernæ montem in ſuam protectionem ſuſcipit. 174. lii.

Hermaunus a Fulgineo. 152. v.

Hermanuus Lantgravius S. Eliſabethæ conjux. V. *Eliſabetha*.

Hibernia. l. quomodo in Anglorum Regum poteſtatem devenerit. cxxiii. in odium fidei duris legibus premitur. cxvii. ab Eliſabethæ Regno multa patitur. cxxiii. Religionis cauſa bellum ſuſcipit. cxxv. fovetur a ſancta Sede. cxxx. belli proceſſus. cxxxii. exitus. cxxxiv. Hibernicum in Urbe Collegium. cx. Hibernicæ Minorum Provinciæ origo. 202. xi. Hiberniæ Minoritæ Collegium S. Iſidori in Urbe acquirunt. lxii. quo fructu. ciii.

Hiſpanica primorum Minoritarum miſſio. 247. ii. 249. vi. vii.

Honorius III. creatur Pontifex. 252. xiii. confirmat Ordinem Prædicatorum. ibid.

ibid. coram eo prædicat Franciſcus. 263. iii. concedit Franciſco Cardinalem Protectorem Ordinis. 263. iv. Minores commendat Eccleſiarum Prælatis. 301. xxviii. præſertim Galliæ. 360. lviii. probationis annum eiſdem præſcribit. 361. lx. agit de auxilio Terræ Sanctæ. 258. iii. Petrum Antiſſiodorenſem Orientis Imperatorem creat. 277. l.
Hortulana Claræ mater pietate floret. 223. xiv. præmonetur de futura prolis ſanctitate. ibid.
Sanctus Hubertus Epiſcopus parem cum D. Lamberto Martyrii ſortem cupit. 198. iii.
Hugo Vardæus Hagiologii Hiberniæ ſcriptor. xxxi.
Hugolinus Cardinalis primus Ordinis Protector. 264. v. Franciſco addictiſſimus. 269. x. ab eodem ſummo in honore habitus. ibid. euntem in Galliam Franciſcum retinet. 261. l. intereſt Comitiis Minorum. 291. xiv. in iiſdem e roſtro dicit. 299. xxiii. ejus in Ordinem laudes temperat Franciſcus. ibid. agit cum Franciſco de mitigando Ordinis rigore. 299. xxiv. hortatur Fratres, ut Franciſco acquieſcant. 300. xxv. agit cum eo de regimine Monialium. 311. xliv. quarum ipſe curam aſſumit. 312. xlvi. & Regulam præſcribit. 313. xlvii. cum Franciſco aliquandiu manet in eremo Camaldulenſi. 339. xviii. Minores impenſe diligit. 265. v. commendatur. 268. viii. prænunciatur futurus Pontifex. 269. x.
Humiles Hæretici. 3. iii.
Humilis a Peruſio Chriſti apparitionem habet. 108. vi. initiatur Ordini. 108. vii.
Hungarica miſſio Minoritarum magna ipſorum afflictione. 310. xlii.

I

JAcoba de Septemſoliis piiſſima Romana Matrona Franciſco adhæret. 132. xxxvi. Plura Minoribus præſtat. ibid.
Jacobi Cardinalis Vitriaci fragmenta de bello in obſidione Damiatæ. 323. lviii. de Franciſco apud Ægyptium Soldanum. 325. lxi. de Ordine Minorum. 327. lxiii. 10. xxiii.
Jacobus de Aſſiſio ſtrenuus Franciſci imitator. 94. xxxix. Miraculis coruſcat. 95. xl.
Jacobus a Primadiciis. 339. xvii.
Jacobus ſimplex. 142. lii.
Illuminatus Reatinus primus omnium Franciſci Stigmata cognoſcit. 94. xxxviii.
Illuminatus Septempedanus. 94. xxxviii.
Imagines vetuſtæ S. Franciſci pictæ a Melormo. 122. x.
Innocentius III. præclaram de Franciſco viſionem habet. 82. viii. Franciſcum audit. 82. ix. ſcrupulum de nimia Franciſcanæ Regulæ auſteritate ex Franciſci ſermone deponit. 83. xii. videt Franciſcum Lateranum ſuſtentantem. 84. xiii. xiv. Ordinem Minorum approbat, ejuſque Laicis parvulas coronas concedit. 85. xv. recipit Franciſci, & ſociorum profeſſionem. 85. xvi. Franciſcum ad Tartaros, & Saracenos ire permittit. 131. xxxv. denuo Ordinem probat in Concilio Lateranenſi. 239. xxxiii. xxxiv. adjuvatur a Minoribus in reformando Eccleſiæ ſtatu. 9. xxii. Ottonem IV. Imperio privat. 105. ix. moritur. 252. xiii. 258. ii.
Joachim Abbas Minorum, & Prædicatorum Ordines prædicit. 15. v. Franciſci, & Dominici imagines exprimi curat. 16. vi.
Joanna Caſtellæ Regina. 210. xxv.
Joanna Græcorum Imperatrix. 174. lii.
Joannes Angliæ Rex. 6. xiv.
Joannes Bonellus primus Provinciæ Narbonenſis Miniſter. 124. xxii.
Joannes de Cappella in Collegio Franciſci Judæ comparatus. 57. xix.
Joannes de Caulibus. 116. xxvi.
Joannes a S. Coſtantio. 63. xxxvi.
Joannes Firmanus ab Alverna, dictus magnæ contemplationis vir, Chriſti apparitionem habet. 169. xliv. ipſo prædicante concionis aream pluviæ non attingunt. 63. xxxvi.
Joannes de Fulgineo Ordinem deſerens miro ſpectaculo revocatur. 350. xxxix.
Joannes Hieroſolymæ Rex Damiatam expugnat. 283. l.
Joannes a Laudibus laterale Franciſci vulnus immiſſis digitis palpat. 105. l.
Joannes Marquez. l.
Joannes Monaldus in Capitulo Arelatenſi Franciſci elevationem videt. 114. xxii.
Joannes Pareus qua occaſione ad Ordinem vocatus. 113. xx. xxi. virtutibus, & ſingulari lacrymarum dono floret. ibid. Miſſionis Hiſpanicæ primas. 303. xxxii. Cæſarauguſtanos alloquitur. 304. xxxvi. Franciſci litteras exponit. 305. xxxvii. 306. xxxviii. Ordinem amplificat. 307. xl.
Joannes a ſancto Paulo Cardinalis Franciſco favet. 81. vii. Pontificiam Ordinis approbationem curat. 83. xi. Franciſcum, & ſuos Romanæ Curiæ commendat. 86. xvii.

Joan-

Joannes a Peruſio Provinciæ Tuſciæ Vicarius. 137. XLIII.

Joannes & Petrus Valentini Martyres. 363. LXXI.

Joannes Simplex magno ſervore Ordinem ingreditur. 225. V. Franciſcum quam exacte imitari ſtudet. 226. VII.

Joannes a Spinoſa. 209. XXII.

Joſephus Florentinus initiatur. 114. XXIII. ejus cadaver longo poſt tempore integrum invenitur. ibid.

Judæorum, Seraphico naſcente Ordine, damnabilis uſura, & in Chriſtianos rabies. 7. XV.

Juniperi converſio, & ſimplicitas. 93. XXXVI. ſilentium, & adverſus Dæmones poteſtas 93. XXXVII. malos ſpiritus quandoque obſtinatiores Juniperi adventu terret Franciſcus. ibid.

L

LAurentius a Fabriano. 175. LII.

Laurentius Riparicegos. 209. XXIII.

Leo Aſſiſias Franciſci a ſecretis, & conſcientia. 91. XXXII. ejuſdem virginalis caſtimoniæ teſtis. 24. XIII. extaticum, & in aera levatum videt. 166. XXXVII.

Leonardus Aſſiſias. 94. XXXIX.

Leviſiæ familiæ origo. 368. LXXII.

Lucæ Waddingi patria. I. parentes. II. nativitas, & vita ſæcularis. IV. Religionis ingreſſus. V. ſtudiorum, & pietatis progreſſus. VII. prima ſcribendi ad prelum occaſio. VIII. fit Concionator & Lector. X. cum Legato Regis Catholici pro Immaculata Conceptione Romam venit. XII. legationis acta conſcribit; XIV. in cœnobium ſe recipit, & pro eadem legatione in laborum partem aſſumitur. XVII. alia ad legationem ſpectantia ſcribit. XVIII. alii ejus litterarii labores. XIX. edit Opuſcula S. P. Franciſci. XX. concordantias hebraicas Marii Galaſii. XXI. Angeli del Paz commentaria. XXI. concordantias Bibliorum ſancti Antonii. XXII. vitam beati Petri Thomæ Carmelitæ. XXIII. vitam beati Jacobi Piceni. XXIV. ſyllabum ſcriptorum, & martyrum Franciſcanorum. XXIV. librum Joannis Guallenſis de oculo morali, & florilegium Philoſophorum. XXV. vitam & opuſcula quædam S. Anſelmi Lucenſis. ibid. Ciaconii Pontificum, & Cardinalium vitas. XXVI. Scoti Opera qua neceſſitate vulgaverit. ibid. quo ſtudio, quibus auxiliis. XXVII. quanto ſuo labore. XXVIII. quam feliciter abſolvit. XXIX. quanto fructu & applauſu. XXX. Ordinis decreta, & veterum ejus Patrum bibliothecam evulgare voluit. ibid. Hiberniæ Annales quo motivo meditatus. XXXI. rem ſerio amplexus cur non effecerit. XXXII. meditatus hiſtoriam Epiſcopatum totius Orbis, ac recentiorum Pontificum, & Cardinalium. XXXIII. Annales Minorum ſcribendi ratio. XXXV. neceſſitas. XXXVI. difficultas ab inopia librorum. XXXVII. qualiter ſuperata. XXXVIII. ab anguſtia temporis. XXXIX. ab incomoda valetudine. XL. ſcribendi proſperitas, & modeſtia. XLII. ſinceritas, & prudentia XLIV. operis partitio & dedicatio. XLVI. zelus & providentia pro eo complendo. XLVII. cum Herrera concertatio. XLIX. occupationes pro Religione. LIII. procuratio negotiorum Ordinis. ibid. Germaniæ, Galliæque nationum Fratribus hoſpitia fundat. LV. Generalibus Miniſtris, & Ordinis Procuratoribus aſſiſtit. LVII. prompte, pacifice, prudenter negotia peragit. LVIII. fundat Collegium S. Iſidori. LXII. & ſeqq. felix in eo Lucæ gubernium. LXXXII. prudens, & ſuave. LXXXIII. indifferens in vocandis junioribus. LXXXIV. æquum, & prudens in diſtribuendis Collegii muniis. LXXXV. providum in procurandis rebus neceſſariis. LXXXVI. quale in exercitiis litterarum. LXXXVIII. in ſtudio pietatis. XC. in obſervantia ſilentii. XCIV. circa morum diſciplinam. XCVI. quis illi correctionis modus. XCVIII. ſuos verbo paſcit. XCIX. & firmat exemplo. C. fundat Conventum Capranicenſem. CV. curat fundationem Collegii Ludoviſiani. CX. Lucæ erga Hiberniam merita. CXVI. ſtudium ingens pro fide in ea per Franciſcanos conſervanda. CXIX. officia erga utrumque ipſius Clerum. CXXI. proficui labores occaſione belli Hibernici. CXXVII. quorum ſtudio & beneficiis. CXXX. qua ſua perſeverantia. CXXXII. quanta ſua laude, & modeſtia. CXXXIV. aſſiduitas, & labor in ſacris Romanæ Curiæ Congregationibus. CXXXVIII. & in aliorum negotiis. CXL. in agendo conſilium. CXLII. unde illi tanta rerum moles? CXLV. extrema Waddingi ætas. CXLV. mortifera ægritudo. CXLVII. mortis præparatio. CXLIX. mors ipſa, & funus. CLI. corporis conſtitutio CLV. ingenium, & affectus animi. CLVII. quotidianæ vitæ, & victus ratio. CLXI. fides, ſpes, charitas erga Deum. CLXIII. zelus divini cultus. CLXVII. devotio erga Dei Matrem, & Sanctos. CLXIX. obſervantia Regularis. CLXXII. charitas

erga

erga proximum. CLXXVII. elogia. CLXXXI.

Luchesius habitum Tertii Ordinis a B. P. Franciſco suſcipit. 157. XIX. ejus caput in ignem projectum ſponte exilit. 158. XXI.

Lucia Romana Clariſſa. 241. XXXVII.

Ludovici IX. nativitas. 149. LXI.

Ludovicus Ludovisius Collegii Hibernici in Urbe fuudator. CX.

Lupi carcer, agnomen, & converſio. 231. XVI.

Luſitania num aliquando iu unum Regnum cum Hiſpania coaluerit. 204. XIII & ſeqq.

Luſitanica miſſio Minorum. 274. XXII. 275. XXIII.

M

MArchio a Cortonio. 158. XXI.

Maria Deipara ſanctiſſima piiſſime a Franciſco colitur. 103. LVI. eidem cum Chriſto apparet. 90. XXIX. 238. XXX. puerum Jeſum in ulnas tradit. 237. XXIX. iratum Filium Franciſci, & Dominici meritis placat. 252. XIII. Fratribus in Alverna ſupplicationem perſolventibus benedicit. 165. XXXVI. apparet Conrado Offidano. ibid. Angelo Florentino pomum exhibet. 115. XXII. clementiſſa in humanum genus. 253. XIV. primum Franciſcaui Ordinis in generali Synodo decretum, ut iu ejus honorem quolibet Sabbato ſacra ſolemnia fiant. 102. XXX.

Maria, Sancii Regis uxor, panum ciſtulam indigentibus Fratribus e cœlo demitti videt. 277. XXVI.

Marianus a Lugo. 164. XXXIV. 175. LII.

Marius Calaſius concordantiarum Hebraicarum Auctor. XXI.

Marrochium. 181. II. hujus Urbis Epiſcopi Agnellus, & Lupus Minoritæ. 355. XLVIII.

Martyres quinque, ſeu Protomartyres Minorum Berardus, & ſocii mittuntur ad Miramolini Regnum. 318. XLIX. Franciſci ad eos ſermo. 318. L. Urraca Portugalliæ Reginæ nonnulla prædicunt. 319. LII. Hiſpali evangelizant. 320. LII. & Marrochii. 320. LIII. dimiſſi ad Chriſtianorum terras, ſemel & iterum Marrochium revertuntur. ibid. carcere concluſi viginti dies abſque omni cibo tranſigunt. ibid. ſitienti exercitui aquam miraculoſe obtinent. 320. LIV. capitalis in eos ſententia. 321. LIV. crudeliſſime torquentur. 351. XI. lux cœlitus ad eos delapſa. ibid. minis & blanditiis nequicquam tentati a rege decapitantur. ibid. ſanctorum mortem ulciſcitur Deus. 354. XLVIII. apparent DominæIanciæ. 352. XLI. Reliquiæ in ignem projectæ illæſæ remanent. ibid. colliguntur a Luſitano Principe. 352. XLII. non poteſt ad eas pertingere concubinarius. ibid. neque fornicarius. 352. XLIII. variis medentur infirmitatibus. 353. XLIV. Martyrum meritis Luſitanus Princeps abeundi veniam impetrat. 353. XLV. multiſque in via periculis liberatur. ibid. ſanant paralyticum. 354. XLVI. a Luſitaniæ Rege honorifice ſuſcipiuntur. 354. XLVII. mirabiliter deferunt. in ædem S. Crucis. ibid. multis confoſſum vulneribus ſanant. 355. L. nudorum ſupplicatione quotannis coluntur. 356. LI. miraculo eorum veneratio commendatur. 356. LII. moritur juxta eorum vaticinium Urraca Regina. 355. XLIX. martyrum trophæa pio gaudio celebrat Franciſcus. 351. XI. æmulari cupiens Antonius de Padua Minoribus adſcribitur. 359. LVI. ſolemnem cultum Sixtus IV. indicit. 357. LIV. Jerobricenſe Martyrum cubiculum ſacrum odorem ſpirat. 319. LII. frequens ipſorum in Hiſtoriis memoria. 357. LIII.

Maſſæus de Marignano ſanctitate, & peculiari Franciſci dilectione celebratur. 91. XXXIII. probatur Maſſæi virtus. 92. XXXIV. humilitatis donum enixe petens cœlitus exanditur. 92. XXXV. ejus cum Franciſco Romanum iter. 251. X. divino Fraucifci æſtu multis cubitis in ſublime tollitur. 251. XI.

Matthæus Cardinalis Ordinis Protector a Nicolao III. creatur. 266. VI.

Michaelis Laici præclarum funus. 309. XXII.

Michael de Albertis. 114. XXIII.

Miniſtri Ordinis, & eorum de Fratribus cura. 67. II.

Minorum Inſtitutio, Habitus, Regula, Approbatio, primi alumni, & alia plura. V. *Franciſcus*. Primorum Minoritarum eximiæ virtutes, & ſanctiſſimum vitæ genus. 11. XXIV. 55. XIV. 62. XXXII. & ſeqq. 139. XLVII. & ſeqq. Miuores in varias Orbis natioues a beato Patre mittuntur. 247. II. 303. XXII. in Africa ſtrenue prædicant. 304. XXXIV. XXXV. 320. 53. V. *Martyres*. In Anglia benigne ſuſcipiuntur ab Henrico Rege. 363. LXIII. Ordinem amplificant. 363. LXIV. & ſeqq. item in Belgio. 367. LXX. in Burgundia hæreſes profligant. 309. XLI. in Gallia religioſiſſime verſantur. 250. VIII. & Inſtitutum augent. 258. V. VI. 278. II. III. 310. XLII. commendantur ab

ab Honorio III. Galliarum Prælatis. 360.LVIII. iu Germania fæde tractantur minime coguita eorum ſimplicitate. 250. IX. in Græcia magno ſpiritualis rei proventu laborant. 304. XXXIII. Hiſpanicę miſſionis Patres miraculoſe providentur. 249. VI. multa patiuntur. 249. VII. miraculo Conventum obtinent Ilerdenſem. ibid. & Toletanum. 276. XXVI. Cæſarauguſtanos ſibi ample conciliant. 304. XXXVI. & ſeqq. inique jactantur iu Hungaria. 310. XIII. in Luſitania male affecti, favente Urraca Regina felicius agunt. 274. XXII. & ſeqq. In Syria ſumma cum libertate Chriſtum prædicant. 325. LXI. præclarum Cardinalis Jacobi a Vitriaco de Minoribus teſtimonium. 10. XXIII. Minoribus exhibitam hoſpitalitatem remumuneratur Deus. 178. LX. 199. V. 213. XXXI. negatam punit. 362. LXII. LXIII. ſingulari eos providentia. & protectione fovet. 11. XXIII. 155. XIII. Minores cum Prædicatoribus contra diabolicas acies divinitus miſſi. 7. XVII. contra hæreſes, & morum corruptelas. 8. XVIII. in ſubſidium Eccleſiæ. 8. XIX. & Orbis univerſi. 8. XX. reipſa hæreſes profligant. 9. XXI. Innocentium Pontificem in reformandis rebus adjuvant. 9. XXII. Eccleſiam inſtaurant. 10. XXIII. 11. XXIV. mundum illuſtrant. 12. XXV. res pene perditas, & conclamatas reſtituunt. 12. XXVI. Minorum Ordo num antiquior Ordine Prædicatorum? 86. XIX. Deſertores aliqui miraculoſe ad Ordinem revocantur. 349. XXXVII. & ſeqq.

Monialium familiaritatem redarguit Franciſcus. 312. XLV.

Mons Regalis in Pedemontio. 369. II.

Moricus a Franciſco ſanitati reſtitutus, eumdem ſequitur. 56. XVIII. ejus auſteritas. ibid.

Mulierum conſuetudo vitanda. 101. LIII. 275. XXIV.

N

NAtalitium Chriſti Domini diem Franciſcus ſummo gaudio celebrari cupit. 239. XXXII.

Nicolaus III. gloriatur ſe patrem habere ex tertio Ordine Franciſcano. 266. V. quo animi affectu Cardinalem Ordinis Protectorem inſtituit. ibid. ingens ejus ſollicitudo circa Regulæ declarationem. 267. V.

Nicolaus de Pepulis ad Ordinem accedit. 336. X. XI. virtutibus, & ſignis floret. ibid. & 337. XII.

O

OBedientiæ tranſgreſſores rigide a Franciſco puniuntur. 280. V. VI.

Oratio an præſtet prædicationi? 129. XXX. ejus neceſſitas. 100. LII.

Ordo Minorum. V. *Minores*.

Orlandus Comes Franciſcum devote ſuſcipit. 160. XXVIII. tradit ei montem Alvernæ. 161. XIX. 229. XIII. primam in monte Eccleſiam ædificat. 162. XXXI. ibidem jacet. 163. XXXIII.

Oropa mons auguſto Deiparæ Templo celebratus. 244. III.

Otium fugiendum. 99. L.

Otto IV. de Imperii ſucceſſione cum Philippo Svevo contendit. 5. XI. coronatus ab Innocentio Eccleſiam vexat. ibid. Imperio exuendum Franciſcus prædicit. 65. XLIII. ab Innocentio anathemate, & imperii privatione plectitur. 101. LX.

Otto de Carrecto Cayrum Januenſibus tradit. 184. V.

P

PAcifica Claræ diſcipula, & conſanguinea ipſius meritis ſanatur. 179. LXII. Hiſpelli Monaſterio ſalubrem aquam miraculoſe obtinet. ibid.

Pacificus, *Rex verſuum* dictus, mirabili viſione convertitur. 133. XXXIX. Franciſcum Thau ſignatum videt. 134. XL. ſublimemque ipſius in Cœlo ſedem. 134. XLII. de Pacifici tumulo. 135. XLII.

Patritius Flemengus rerum Hibernicarum ſcriptor. XXXI.

Paulutius Trincius. 152. V.

Paupertatis encomia, & fructus. 100. LI. 251. XI. 343. XXI.

Peccatorum cæcitas, & infelix exitus. 151. III.

Pecuniæ receptio Minoribus prohibita. 71. II. contactus a Franciſco punitur. 101. L. mirum ejus odium in puero quinquenni. 366. LXIX.

Peregrini Falleroni vocatio, & virtutes. 335. VIII. corpus longo poſt tempore integrum, & pulchrum invenitur. ibid.

Petrus, & Paulus Apoſtoli Franciſco apparentes de paupertatis theſauro certiorem faciunt. 251. XII.

Petrus Antiſiodorenſis coronatur ab Honorio III. Orientis Imperator. 277. L. favet Benedicto Aretino. 304. XXXIII.

Petrus ex Regio Aragonum ſanguine Minorita. 212. XXX.

Pe-

Petrus Arietenſis. 155. xvi.
Petrus Bernardoni S.P. Franciſci genitor. V. *Franciſcus*.
Petrus de Caſtro S. Henrici verbere in ſomnis cæſus ad Ordinem, quem deſeruerat, revocatur. 350. xxxviii.
Petrus Cataneus S.P.Franciſci ſocius. 59. ix.creatur Generalis Miniſter. 334.xxv.
Petrus Compater Conventus Oretenſis in Aſturia fundator. 201.ix. ejus reliquiæ ſemel, & iterum tranſlatæ. 202. ix.
Petrus Gallus ejus virtutes, & pretioſa mors. 120. v.
Petrus Joannes de Stiachia a B.P. Franciſco fruſtra reprehenſus infeliciter obit. 338. xvi.
Petrus Lombardus Hibernus. iii.
Petrus Martyr. 115. xxvi.
Petrus de Monticulo. 234.xxiv.
Petrus Portugalliæ Princeps Alphonſi Regis offenſionem ſubit. 320. liii. Marrochii Protomartyres Minorum hoſpitio recipit. ibid. V. *Martyres*.
Petrus de Saxoferrato Joannis Peruſini ſocius. 367. lxxi.
Petrus Tentonicus Epiſcopus Pactenſis. xxiii.
Petrus Thomaſius Carmelita Epiſcopus Pactenſis. xxiii.
Petrus de Treguanda prophetico ſpiritu, & ſignis clarus. 120. vi.
Petrus Urſinus in B. P. Franciſci lectulo jacens membrorum contractione liberatur. 168. xlii.
Petrus Waddingus. iii.
Philippa Aſſiſias Clariſſa. 241. xxxvii.
Philippi III. legatio pro Immaculata Conceptione. xii. & ſeqq.
Philippus IV. pro actis in Regia Legatione Immaculatæ Conceptionis Lucæ Waddingo gratias agit. xix.
Philippus Gallus. 6. xiv.
Philippus Longus Franciſci ſocius per Angelum ignito calculo ad labia mundatus. 60. xxviii. de ſuſcepta Monialium cura a Franciſco redarguitur. 317.xliii.
Philippus Svevus Ottonis IV. in Imperio æmulus. 5. xi. 45. l.
Poggibonſium, ſeu Podium Bonitium. 157.xix.
Pontius Carbonellus magiſter S.Ludovici Toloſani. 213.xxx.
Portiuncula, ſive Eccleſia S. Mariæ Anriæ Angelorum a B. P. inſtauratur. 42. xiv. eam Franciſcus a Benedictinis accipit. 89. xxvi ſolvitque propterea annuum cenſum. 90. xxx. a Chriſto, & Deipara ſibi, & ſuis deſponſatam habet. 90. xxix. mater eſt, & caput totius Ordinis. 89. xxvii. ampla ſacri loci commendatio. 43. xv. 91. xxxi.
Prædicatoris evangelici conditiones, & laudes. 346. xxix. & ſeqq.
Prædicatorum Ordo. V. *Minores*.
Prælati benignitas erga ſubditos. 150. iii.
Proprietas in Franciſcano rigide punita. 157. xx.
Protectorem Ordinis ex Cardinalium Collegio Franciſcus impetrat. 263. iv. hujus rei cœleſte monitum. 262. ii. rationes. 264. v. Protectoris dignitas a Nicolao III. laudata. 266. v. poteſtas. 267. vii. Protectores aliqui recenſentur. 265. v.

R

RAynaldus Ordinis Protector, poſtea Alexander IV. 265. v.
Rayuerius Plebanus juxta Franciſci vaticinium Ordini adſcriptus. 233. xxii.
Reatina Vallis inſignibus S. P. Franciſci monumentis claret. 200. xi. & ſeqq.
Regula prima Fratrum Minorum. 67. ii.
Regula Clariſſarum ab Hugolino præſcripta. 313. xlvii.
Richardus Synottus. v. in odium fidei occiſus. vii.
Richardus Waddingus. iii.
Rigerii a Mutia vocatio, & laudes. 335. viii. ix.
Robertus Capito Epiſcopus Lincolnienſis in Minores optime affectus. 364. lxv.
Rufinus de Aſſiſio: ejus virtutes, & adverſus Dæmones poteſtas. 91. xxxii.

S

SAbbatinus B. P. Franciſci ſocius. 56. xvii.
Sacerdotibus quem honorem adhiberi voluit Franciſcus? 137. xliv. pia cujuſdam Minoritæ de Sacerdotibus opinio. 140. xlix.
Salaſſa gens. 220. vi.
Sancia Sancii Luſitaniæ Regis piiſſima filia Minoribus ſemel, & iterum domum excitat. 275. xxiii. Protomartyres Minorum hoſpitio recipit. 319. lii. quorum deinde ipſo Martyrii tempore apparitionem habet. 352. xli.
Sancti Viri bona quæque Deo attribuunt. 52. iii. quæ Dei ſunt, mira ſtrenuitate agunt. 116. xxvii. fortes in adverſis. 146. i. martyrii cupidiſſimi. 197. iii.
Saraceni erga Minores non inhumani. 11. xxiii. 325. xli.
Scientia abſque humilitate inutilis. 347. xxx. xxxi.
Sibylla Erythræa. 13. ii.

Sigi-

Sigifridus Archiepiſcopus Moguntinus ab Ottone IV. duriſſime vexatur. 5. XI.
Silveſter de Aſſiſio convertitur. 64. XXXVIII. viſionem habet de Franciſco dragonem fugante. 64. XXXIX. & revelationem de exercenda per Minores prædicatione. 130. XXXII. infirmus a Franciſco liberatur. 99. L.

T

Tentatio permittitur ad exercitium virtutis. 138. XLV.
Teſtona Civitas. 190. XII.
Theobaldus Aſſiſias Tiberim miraculoſe trajicit. 95. XLI. nec ſine miraculo piſcatur. ibid.
Thomas Herrera de Auguſtiniano Franciſci Monachatu qua arte ſcripſerit. LI.
Thomas Sabaudus pro re orthodoxa expeditionem ſuſcipit. 195. XVI.
Thomas Waddingus. II.
Timor Domini cum ceteris virtutibus neceſſarius. 349. XXXVI.

V

Vercellæ. 222. X.
Virginitas perpetua B. P. Franciſci. 23. IX. & ſeqq.
Vitalis Berardi, & ſociorum Martyrum Miſſioni præficitur. 318. XLIX. in Aragonia morbo detinetur. 319. LI. pie obit. 351. XL.
Vitus de Cortona. 109. X.
Umbria. 18. VI.
Vocationis divinæ virtus. 80. IV.
Urbanus VIII. Catholicis Hibernis opitulatur. CXXX.
Urraca Luſitaniæ Regina num Franciſcum viderit. 103. XII. factæ illi a Berardo, & ſociis prædictiones. 319. LII. de ipſius morte viſio. 355. XLIX.
Uſurarii funeſtus exitus. 188. IX. X.
Waldenſium hæreſis. 3. II.
Waterfordia. L.

Y

Yporia ſeu Eporedia. 243. II.

Z

Zacharias Romanus. 132. XXXV.

FINIS TOMI PRIMI.

Menda, quæ in hujus primi Tomi editionem irrepſerunt, Benevole Lector ita corriges.

26.		6. IV.	V.
38.		5. V.	VI.
53.	num. V.	prrfectus	perfectus
99.	num. L.	dſcipuli	diſcipuli
101.	in marg.	& riſu	& viſu
144.	num. LVII.	peperunt	pepererunt
160.	num. XXVII.	à conſpectu conclii	concilii
170.	verſus fin.	ab illum	ab ilium
184.	num. V.	parum firmatis	firmitatis
190.	num. XI.	veſturate	vetuſtate
259.	in marg.	Fr. Minorum	Minores
301.	num. XXVII.	acceptabilibus	acceptabilius
305.	in marg.	Zierita	Zurita
321.	in marg.	pauperibus reſinquentem	non relinquentem

Alia, ſi quæ occurrerint, pro tua humanitate facili negotio inter legendum poteris emendare.

FIRENZE - BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
SEGNATURA - 2.1.131.1 (165)
RESTAURO - 1998
LABORATORIO - RAIMONDO MILIO
RESTAURATORE PROGETTISTA- CLAUDIO MONTELATICI

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo della numerazione, pulizia a secco con pennello morbido, risarcimento con montaggio a scarnire con carta giapponese di adeguato spessore e colore, VANGEROW, velatura con velo giapponese 5C2 e Tylose MH300P, rifilatura del restauro eccedente, carte di guardia Ingres struttura F, cucitura su n. 6 nervi di spago, indorsatura con carta giapponese e pelle di capra neutra scarnita, incartonatura dei quadranti, nuova legatura in piena pelle di capra al vegetale (fornitore Scaricaciottoli), dorso attaccato, adesivi Tylose MH300P e Vianvil 59 in percentuale (15%).

COLLAUDATORE
DATA DEL COLLAUDO

LAB. RESTAURO LIBRI
R. Milio

5645370

Digitized by Google

Digitized by Google